231.558
2/1834 John, Chrysostom, St.
.J64 Operum
vol.13/14
Reference

Date Due			

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N. Y.

DEMCO

37387000594315

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/collectioselecta1314john

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXXXII.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE :

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES.

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS. — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA DU COLOMBIER, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHEQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS OCTOGESIMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVI.

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tiller Morris Rd. Matthews, NC 2810

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

OPERUM.

PARS. I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS II.

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

HOMILIÆ LV IN ACTA APOSTOLORUM.

HOMILIÆ IV DE MUTATIONE NOMINUM.

HOMILIÆ XXXII IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Ref
BR65
.C42
1834
v.13-14

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

COMMENTARIUS IN ACTA APOSTOLORUM.

HOMILIA XLVII.

CAPUT XXII.

Dixit autem Paulus : Ego homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignobilis civitatis civis. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset; Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua hebræa dicens[1].

I. Vide illum quando externos alloquitur, non recusare etiam legalibus uti adjumentis. Hic illum ex civitatis nomine refrenat. Sic et antea dicebat : « Verberantes nos »indicta causa, homines Romanos conjecerunt in carce»rem[2]. » Quia enim sciscitabatur : « Tu es Ægyptius ille? »Ego sum, inquit, Judæus. » Sic locutus illum statim a suspicione abduxit. Deinde ne putaretur ex gente Judæus, dixit religionem. Etenim et alibi se sub lege Christi dicit esse. Quid hoc est? Paulus-ne mentitur? Absit. Quid igitur? Non negavit? Absit. Judæus enim erat et Christianus, quæcumque oportebat servans. Quia et legi ipse maxime

[1] Act. xxi, 39, 40. — [2] Id. xvi, 37.

parebat Christo credens, et Petrum alloquens dicit : « Nos » natura Judæi[1]. Rogo te, permitte me loqui ad populum. » Hoc etiam indicium est quod non mentiatur ; siquidem omnes adducebat testes. Considera rursus illum cum mansuetudine disserentem. Et hoc rursus argumentum est maximum, quod nulli esset crimini obnoxius ; quod sic paratus esset ad dandam rationem, velletque sisti ad respondendum Judæis. Vide instructum virum : vide œconomiam ; nisi tribunus venisset, nisi ligasset, sermone ad defensionem opus non habuisset, neque tantum impetrasset silentium. « Permittente autem illo, Paulus stans » in gradibus. » A loco major facilitas, et quod in editiore gradu loqueretur, atque ligatus. Quid huic spectaculo par, videre Paulum duabus catenis vinctum concionantem? Quomodo turbatus, quomodo confusus non est, tantum populum videns exasperatum, astante præside? Primo furorem illorum sedavit : deinde alloquitur. Et vide quam prudenter. Nam id quod in Epistola ad Hebræos fecit, hoc et hic facit : primo cognatione vocis ipsos allicit, hinc mansuetudine. Ideo hoc declarans dicit : « Multo » facto silentio. Allocutus est lingua hebræa, dicens : » Viri fratres et patres, audite quam vobis nunc reddo » rationem[2]. » Vide etiam adulationis expertem sermonem, et modestia plenum. Non enim dixit : « Domini, » sed, « Fratres ; » quod maxime amabant, ac si diceret : « Non alienus sum a vobis, nec contra vos. Viri fratres et » patres, inquit : » hoc honoris, illud germanitatis : « Au- » dite meam quam nunc vobis reddo rationem. » Non dixit : « Doctrinam vel concionem ; sed rationem : » se quasi supplicem constituit. « Cum audissent autem quia hebræa » lingua loqueretur sibi, magis præstiterunt silentium[3] » Vides-ne ut cepit eos patria lingua, quam reverentia

[1] Galat. II, 15. — [2] Act. XXII, 1. — [3] Ibid. 2.

quadam prosequebantur? Vide etiam quomodo sic orsus viam sermoni paret et dicat : « Ego enim sum vir Judæus, » natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in hac civitate, » secus pedes Gamalielis, eruditus juxta veritatem patriæ » legis, æmulator Dei, sicut et vos omnes estis hodie[1]. » Ego quidem sum, inquit, vir Judæus; » quod omnium maxime audire cupiebant. « Natus Tarsi Ciliciæ. » Ne vero cogitarent alienam gentem, religionem addidit : « Nutritus in hac civitate : » magnum suum ostendit erga religionem studium, quandoquidem tam clara, tam remota patria relicta, hic voluit educari propter legem. Vide quomodo jam olim in honore habebat legem. Illud vero non solum ut sese purget dicit illis; sed ut ostendat se non humano scopo ad prædicationem adductum; sed divina virtute. Non enim sic eruditus repente factus est. Nam si e vulgo fuisset, id licuisset suspicari : si autem ex numero eorum qui maxime omnium legi hærerent, non erat verisimile illum sine causa et nulla urgente necessitate mutatum fuisse. At fortasse dixerit quispiam : « Nihil ad rem facit, quod istic educatus sit. Quid enim si ob negotiationem, vel aliam causam huc venisti? » Ne id ergo putaretur, addidit, « Ad pedes Gamalielis. » Nec solum dixit : « Apud Gamalielem, » sed, « Ad pedes Gamalielis; » perseverantiam, assiduitatem, studium audiendi declarans, et multam erga virum illum reverentiam. Eruditus secundum accurationem patriæ legis; non simpliciter legis, sed et patriæ adjiciens : ostendens se olim talem fuisse, nec simpliciter scire legem. Hæc vero videntur quidem pro illis dici, sed contra illos sunt, quandoquidem et sciens illum reliquit. Deinde ne rursum quis objiciat, quid ergo si legem quidem accurate nosti, neque tamen illam vindicas neque amas? « Æmulator, inquit,

[1] Act. XXII, 3.

» legis; » id est, non modo sciens, sed etiam magno erga illam zelo affectus. Deinde postquam magna de se encomia protulit, communem jam sermonem profert dicens : « Sicut et vos omnes estis hodie. » Ostendit enim illos non humano scopo hoc facere, sed zelo divino. Hoc vero dicit gratiam illorum captans et eorum mentem præoccupans, ac detinens in iis, in quibus nihil damni erat. Postea indicia profert dicens : « Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac » mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimonium » reddit, et omnes majores natu[1]. » Ut nemo dicat : « Et unde hoc manifestum? » testes adducit principem sacerdotum et majores natu. Et dicit quidem demulcens, « Æmulator sicut et vos; » id est, par vobis. Ostendit autem per opera se illos superasse. Non enim moras trahebam ut caperem; sed et sacerdotes excitabam, et peregrinationes suscipiebam; et non viros tantum aggrediebar sicut vos, sed etiam mulieres, omnes alligans, et in carceres conjiciens. Indubitatum est hoc testimonium, sine defensione sunt res Judæorum. Vide quot testes adducit; seniores, principem sacerdotum, eos qui in civitate.

II. Vide autem ejus et defensionem, non ex timore, sed potius vide docentem et instituentem. Nisi enim lapides fuissent auditores, dictis attendissent. Hactenus enim illos habuit testes : reliqua vero sine testibus sunt. « A qui» bus et Epistolas accipiens, ad fratres Damascum perge» bam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut puni» rentur. Factum est autem eunte me et appropinquante » Damasco, media die, subito de cœlo circumfulsit me lux » copiosa : et decidens in terram audivi vocem dicentem » mihi : Saule, Saule, quid me persequeris. Ego autem » respondi : Quis es, Domine? Dixitque ad me : Ego sum

[1] Act. XXII, 4, 5.

» Jesus Nazarenus, quem tu persequeris [1]. » Hæc certe fide admodum digna haberi oportebat ex iis quæ præcesserant; neque enim mutatus fuerit. Quid igitur, inquies, si sese jactat? Nequaquam. Cur enim, quæso, sese repente in tantum zelum injecisset? Quod honorem expectaret? Atqui contraria passus est. Quod quietem speraret? Neque hoc sane. An alia de causa? Nihil ratiocinio inveniri potest. Hæc illis colligenda et inferenda relinquens, res ipsas narrat et dicit : « Me appropinquante Damasco, media » die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa, et » decidi in terram. » Vide quanta lucis copia. Quodque non ex jactantia loquatur testes sunt qui aderant, qui manu deduxerant, qui lucem viderunt. « Qui autem me- » cum erant, lumen quidem viderunt et exterriti sunt; » vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum [2] » Ne stupeas si hic ita, alibi autem sic loquatur : « Stete- » runt vocem quidem audientes, neminem autem viden- » tes. » Non sunt enim hæc contraria. Duæ namque voces erant, Pauli et Domini : de voce autem Pauli illic loquitur; hic vero etiam addidit, « Vocem non audierunt lo- » quentis mihi. » Igitur illud, « Neminem videntes, » non ad visum spectat, sed significat non audisse. Neque enim dixit : « Lucem non viderunt; » sed, « Neminem videntes stete- » runt, » id est, neminem loquentem; jure autem ita factum est. Illum enim oportebat illa voce dignari. Si enim et illi audissent, non tantum fuisset miraculum. Quia igitur crassiores, visione magis persuadentur; ideo et illi lucem tantum viderunt : quod poterat illis persuadere; unde et exterriti sunt. Alioquin vero, non tantum operata est lux in illis, quantum in hoc. Hunc enim excæcavit, per ea quæ ipsi contigerunt, dans illis locum respiciendi, si voluissent. Mihi itaque videtur ex divina providentia fuisse

[1] Act. xxii, 5-8. — [2] Ibid. 9.

quod illi non crediderint, ut essent testes fide digni. « Dixit ad me, inquit, ego sum Jesus Nazarenus, quem tu » persequeris. » Bene et civitas memoratur, ut nosse possent illi. Et Apostoli quoque sic dicebant : « Jesum a » Nazareth. » Vide : ille quoque testatur, quod persecutionem passus sit. « Qui autem mecum erant lumen quidem » viderunt et exterriti sunt, vocem autem non audierunt. » Et dixi : Quid faciam, Domine. Dominus autem dixit ad » me : Surgens vade Damascum, et ibi dicetur tibi quid te » oporteat facere. Et cum non viderem præ claritate lumi- » nis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damas- » cum. Ananias autem quidam, vir pius secundum legem, » testimonium habens ab omnibus qui erant Damasci Ju- » dæis, veniens ad me et astans dixit mihi : Saule frater » respice. Et ego eadem hora respexi in eum[1]. Ingredere : » inquit, in civitatem, et ibi dicitur tibi quid te oporteat » facere. » Ecce rursus alium testem ; et vide quomodo illum fide dignum faciat. « Ananias autem quidam, inquit, » vir pius secundum legem, testimonio probatus ab omni- » bus Judæis, ingressus ad me et astans, dixit mei : Res- » pice. » Ita nihil alienum. « Et ego eadem hora respexi. » Sequitur hinc testimonium per res ipsas. Et vide quomodo ex personis et rebus nectatur ; ex personis tam propriis, quam extraneis. Personæ sunt sacerdotes, seniores, viæ comites : Res vero et opera, quæ fecit, quæ passus est ; et opera operibus dant testimonium, non personæ tantum. Vel etiam aliter extraneus erat Ananias. Deinde ponitur res ipsa, visus restitutio : postea prophetia magna. « At ille dixit : Deus patrum nostrorum præordinavit te, » ut cognosceres voluntatem ejus, et videres Justum[2]. » Recte dixit : « Patrum, » ut ostenderet eos non esse Judæos, sed alienos a lege, et invidia, non zelo agere ; ut

[1] Act. XXII, 10-13. — [2] Ibid. 14.

scias, inquit, voluntatem ejus, et videas Justum. Ergo hæc voluntas ejus est. Vide ut doctrina ordine narrationis dicatur. « Et audires vocem ex ore ejus : quia eris testis » illius ad omnes homines eorum, quæ vidisti et audisti [1]. » Et videres, inquit, Justum : nunc hoc dicit. Si justus, illi rei sunt. « Et audires vocem ex ore illius. » Vide ut rem extollit. Quia eris, inquit, testis illius. Ideo ergo non prodes visum et auditum, ea nempe quæ vidisti et audisti : per utrumque sensum fidem facere datur. « Et » nunc quid moraris? Exurge et baptizare et ablue pec- » cata tua, invocato nomine ipsius [2]. »

III. Hic rem magnam loquitur. Non enim dixit : « In nomine ejus baptizare, » sed, « Invocato nomine Christi. » Hoc autem declarat illum esse Deum. Neque enim alium licet invocare, nisi Deum. Deinde ostendit se non esse coactum, dum dicit : « Dominus dixit ad me : Vade in Damas- » cum, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. » Nihil sine testimonio : sed civitatis totius testimonium profert. Illa autem viderat eum manu ductum. Vide etiam prophetiam egressam, quam audivit, se testem fore Domini. Revera enim testis illius fuit, et qualem esse oportebat, et operibus et verbis. Tales et nos oportet esse testes, nec prodere ea quæ nobis concredita sunt, non tantum circa dogmata; sed etiam circa vitam. Vide enim : quod viderit et audierit testatur omnibus hominibus, et nihil illum prohibuit. Et nos audivimus quod sit resurrectio et quod innumera bona : ergo debemus hoc omnibus hominibus testificari. Atqui testificamur, inquies, et credimus. Quomodo? Contraria facientes. Dic, quæso, mihi : si quis se diceret Christianum, deinde deficiens saperet judaïca, an sufficeret hoc testimonium? Nequaquam. Nam ex operibus testimonium quærerent. Ita et nos, si dicamus esse

[1] Act. xxii, 15. — [2] Ibid. 16.

resurrectionem et innumera bona; deindeque illa contemnamus, et terrena sectemur, quis credet? Non enim iis quæ dicimus, sed iis, quæ facimus, attendunt omnes. « Testis eris, inquit, apud omnes homines, non apud » domesticos tantum, sed etiam apud infideles. » Testium enim est persuadere, non scientibus, sed nescientibus. Simus fide digni testes. Quomodo tales erimus? A vita. Insidiabantur illi Judæi, insidiantur nobis animi affectus, jubentes abjurare testimonium. Sed ne obtemperemus. Testes sumus a Deo missi: judicatur apud homines quosdam Deus non esse Deus[1]. Misit nos qui sibi testificemur. Testificemur ergo et persuadeamus contendentibus. Si non testificemur, illorum erroris nos in causa sumus. Si autem in foro judiciabili, ubi res sæculares tractantur, nemo admiserit testem, innumeris notatum flagitiis, multo minus hic, ubi tantæ res tractantur. Nos dicimus quod audivimus a Christo, et credimus iis quæ ipse promisit. Dicunt illi: Hæc ostendite per opera. Vita namque vestra contraria testificatur: quod nempe non credatis. Vultis-ne videamus eos qui pecunias colligunt, rapaces, avaros, eos qui plangunt, qui lugent, ædificant, omniaque negotiantur quasi nunquam morituri? Si ergo non creditis vos esse morituros, licet res ita certa et manifesta sit, quomodo vos testificantes credemus? Sunt enim, sunt, inquam, multi homines, ita affecti, ac si nunquam essent morituri. Nam cum in gravi senectute incipiant ædificare, et agros colere, quandonam de morte cogitabunt? Non parvum est nobis supplicium in testimonium vocatis, non posse quæ vidimus testificari. Vidimus nos oculis Angelos, et clarius quam ii qui vere viderunt. Ergo testificemur Christo. Non enim illi soli testes, sed nos etiam. Illi dicuntur Martyres seu testes, quia jussi abjurare, omnia patiuntur,

[1] Psal. XIII, 1, et LII, 1.

ut veritatem dicant. Et nos quando ab animi motibus abjurare jubemur, ne succumbamus. Aurum dicit : « Dic Christum non esse Christum. » Ne audias quasi Deum, sed ejus jussa contemne. Concuspicentiæ malæ id ipsum dicunt; sed tu ne obtemperes, sed sta fortiter : ne et de nobis dicatur : « Deum confitentur scire, factis autem ne»gant[1]. » Hoc enim non est testium, sed adversariorum. Quod alii negent, nihil mirum ; quod autem nos, qui in testimonium vocamur, negemus, id grave et onerosum est. Hoc maxime rebus nostris noxium est. In testimonium illis eveniet, inquit. Sed si non resiliamus, si consistamus, si omnes velimus Christo testificari, cito multis gentilibus persuadebimus.

IV. Magna res est vita, dilecti, licet quis valde ferus sit, saltem aperte non damnabit nos propter dogma ; sed clam admittet, laudabit et admirabitur. Et undenam, inquies, erit vita optima? Non aliunde quam ex divina operatione. Quid ergo si gentiles sint tales? Illi si quando tales sint, id alii ex natura, alii ex vana gloria habent. Vis discere qui sit virtutis splendor, quantum valeat ad persuadendum. Multi hæretici, etsi dogmata corrupta haberent, ita invaluere, ut multi homines ex vitæ illorum reverentia, dogma illorum non examinaverint. Alii qui illos ob dogma improbabant, ob vitam reveriti sunt ; non bene certe; sed id tamen passi sunt. Hoc fidei nostræ honestatem diffamavit : hoc omnia subvertit, quod nemo ullam vitæ rationem habeat. Hoc fidem pessumdat. Dicimus Christum esse Deum, innumera alia proferimus, et hoc cum aliis, quod persuaserit omnibus ut recte viverent, sed hoc in paucis est. Resurrectionis dogma lædit vitæ improbitas, necnon immortalitatis animæ et judicii. Multaque alia attrahit, fatum, necessitatem, negationem

[1] Tit. I, 16.

providentiæ. Anima enim in malis innumeris immersa hæc sibi excogitare satagit, ne mœsta sit cogitans judicium fore, et in nobis situm esse virtutis et nequitiæ studium. Talis vita innumera operatur mala, homines feras reddit, imo feris irrationabiliores. Nam quæ in diversarum ferarum natura sunt, illa sæpe in uno homine colligit, et totum subvertit. Ideo fatum introduxit diabolus : ideo sine providentia mundum regi dixit : ideo naturas ponit bonas et malas. Idcirco malum sine principio et materiale supponit ; idcirco nihil non agit ut vitam nostram corrumpat : Neque enim fieri potest, ut is qui tali modo vivit, vel a pravis dogmatibus resiliat, vel in sana fide maneat ; sed necessario hæc assumet. Non puto enim quempiam reperiri ex iis qui non recte vivunt, qui non millia satanica meditetur, verbi gratia, fatum esse, res omnes temere ferri, permixtim et confuse omnia jacere. Ideo, obsecro, vitæ probæ curam habeamus, ne mala suscipiamus dogmata. Caïn in ultionem accepit[1], ut ingemisceret et tremeret. Tales sunt improbi, innumerorum sibi malorum conscii. Sæpe ex somno exiliunt, turbulentæ sunt cogitationes eorum, turbati oculi, omnia suspicione plena, terrore, gravi expectatione, metu plena anima, formidine et timore subversa, inhabilis est. Nihil tali anima mollius, nihil insipientius. Sicut furiosi non stant in semetipsis, sic et illa instabilis. Quandonam ergo illa in sensum tantæ caliginis veniet, quam optandum esset, tranquillitate serenitateque fruentem, posse suam agnoscere nobilitatem? Dum autem omnia illam terrent et turbant, somnia, verba, habitus, et suspiciones, quando poterit in se respicere, sic turbata et perplexa? Illius ergo metum solvamus, vincula dirumpamus. Nam si non esset pœna, qua pœna hæc gravior non fuerit, in timore semper vivere,

[1] Gen. IV, 14.

nunquam confidere, nunquam quiescere? Hæc omnia accurate scientes, in tranquillitate nos servemus, et virtutem colamus, ut et sana dogmata et vitam bonam habentes, sine offendiculo vitam præsentem transigamus, et promissa diligentibus ipsum bona consequamur, gratia et benignitate Unigenti ejus, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

CAPUT XXII.

Factum est autem reverso mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in extasi, et videre illum dicentem mihi : Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et ego dixi : Domine, ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, et cædens per synagogas eos qui credebant in te, Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, et consentiebam neci ejus, et custodiebam vestimenta interficientium illum[1].

I. Vide quomodo se in pericula conjiciat. Subdit enim : « Factum est autem reverso mihi in Jerusalem. » Id est, post visionem illam rursus in Jerusalem veni. « Et oranti » in templo, fieri me in extasi, et videre illum dicentem » mihi : Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam » non recipient testimonium tuum de me. » Vide : neque hoc sine testimonio agitur ; sed ab eventu est testimonium.

[1] Act. XXII, 17-20.

Dixerat : « Non recipient testimonium tuum. » Et non receperunt. Certe ex ratiocinio conjectandum erat quod essent recepturi. « Ego enim eram concludens in carcerem, » et cædens, » inquit. Ideo igitur recipere oportebat, et tamen non receperunt. Ideo hoc in extasi discit se non recipiendum esse. Hic duo probat; et quod non possint excusari, nam præter decorum et præter rationem ipsum persequebantur; et quod Deus esset Christus, ea quæ præter expectationem erant prophetizans, nec ea quæ tunc fiebant respiciens, sed futura prævidens. Quomodo igitur dicit : « Coram gentibus et regibus et filiis Israël » portabit nomen meum? » Portabit, inquit, nec omnino persuadebit. Alioquin vero Judæi alibi persuadebantur; hic vero minime; cum oportuisset maxime persuaderi videntes ejus pristinum fervorem : hic autem non persuadebantur. « Et cum funderetur sanguis Stephani testis » tui, ego astabam et consentiebam neci ejus. » Vide rursum quo sermo desinat, nempe in validum caput. Ipse enim erat qui persequebatur : nec persequebatur modo; sed et mille manibus occidebat Stephanum. Gravem cædem illis in memoriam revocat. Quod nempe non ferebant, quia redarguebat illos; et jam prophetia implebatur. Zelus igitur magnus, et accusatio vehemens erat, et testes veritatis Christi fidenter loquebantur. Sed Judæi non tulerunt deinceps totam audire concionem, ac furore succensi clamabant. « Et dixit ad me : Vade, quia ego ad » gentes procul mittam te. Audiebant autem eum usque » ad hunc sermonem; et levaverunt vocem suam dicentes : » Tolle de terra hujusmodi; non enim fas est eum vivere. » Clamantibus autem illis et projicientibus vestimenta sua, » et pulverem jactantibus in aërem, jussit tribunus induci » eum in castra, flagellis cædi, et torqueri eum, ut sciret

» propter quam causam sic contra illum clamarent. » Cum oportuisset ut tribunus examinaret an res se ita haberet, illosque ipsos interrogaret; is nihil horum faciens, jubet illum flagellis cædi. « Jussit, inquit, illum induci in » castra et flagellis cædi, ut sciret propter quam causam » sic contra illum clamarent. » Atqui ab illis ediscendum erat qui occlamabant, et interrogandum, num aliquid ex ejus dictis incusandum haberent. Verum ille temere potestate sua utitur, et illorum gratiam captat. Non enim curabat ut juste ageret, sed ut illorum injustum furorem placaret. « Et cum astrinxissent eum loris, dixit astanti » sibi centurioni : Si hominem Romanum et indemnatum » licet vobis flagellare[1] ? » Non est mentitus Paulus se dicens Romanum hominem. Absit : Romanus enim erat. Ideo tribunus, re audita, timuit. Et cur, inquies, timuit ? Etsi nulla alia de causa, timuit ne deprehenderetur, et majorem daret pœnam. Et vide; non simpliciter loquitur; sed, « Si licet vobis. » Duo crimina, et quod sine causa, et quod Romanus ille esset. Magnam habebant prærogativam qui sic dignabantur appellari, neque omnium hoc erat privilegium. Ab Adriano enim dicunt omnes Romanos esse dictos : prisce autem non ita fuerat. Vel etiam Romanum se dixit, ut pœnam effugeret : contemptior enim futurus erat si flagellatus fuisset. Nunc autem hoc dicto, majorem illis incutit metum. Si vero flagellassent, rem totam forte subvertissent, vel etiam occidissent illum; nunc autem non ita evenit. Vide quomodo Deus concedat multa humano more fieri, et in his et in aliis. Tribunus vero respondens se multa summa Civilitatem hanc comparasse, ostendit se suspicari Paulum se Romanum simulasse, et ita forte suspicabatur ex vilitate, quæ in Paulo apparebat. « Quo audito centurio, accedens ad tribunum

[1] Act. xxii, 21-24. — [2] Ibid. 25.

» nuntiavit illi dicens : Vide quid facturus es : hic enim » homo Romanus est. Accedens autem tribunus dixit illi : » Dic mihi, num tu Romanus es? Dixit ille : Etiam. Res- » pondit tribunus : Ego multa summa civilitatem hanc » consecutus sum. Paulus vero ait : Ego autem et natus » sum. Protinus autem discesserunt ab illo qui eum torturi » erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia » Romanus esset; et quod illum alligasset[1]. Ego autem, » inquit, et natus sum. » Igitur ex patre Romano erat. Quid ergo postea factum est? Solutum duxit ad Judæos. Ergo non falso dixerat se Romanum esse, unde lucratus est ut a vinculis solveretur : et quomodo audi. « Postera » autem die, volens scire diligentius qua de causa accusa- » retur a Judæis, solvit eum, et jussit sacerdotes conve- » nire et omne concilium; et producens Paulum statuit in- » ter illos. Intendens autem in concilium Paulus, dixit[2]. » Non jam tribunum, sed totam multitudinem et populum alloquitur. Et quid dicit? « Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum » diem[3]. » Id est; « Non mihi conscius sum quod vos læserim, vel quid his vinculis dignum fecerim. » Quid ergo princeps sacerdotum? Cum oportuisset compungi, quod in ipsorum gratiam injuste ligatus fuisset, ille aliud adjicit, et jubet eum verberari, quod sic declaratur. « Princeps » autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi per- » cutere os ejus[4]. » Bonus certe et mitis princeps sacerdotum. « Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, » paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum » legem, et contra legem jubes me percuti. Qui autem » astabant dixerunt ei : Summum sacerdotem Dei maledicis? » Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quod princeps

[1] Act. XII, 26-29. — [2] Ibid. 30, et XXIII, 1. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 2.

» sit sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi » tui non maledices[1]. »

II. Quidam dicunt illum scientem per ironiam locutum esse. Mihi autem videtur ipsum omnino nescivisse quod esset princeps sacerdotum : alioquin illum honorasset. Ideo sese purgat accusatus, et addit : « Principem populi » tui non maledices. » Quid ergo dicit? Si enim princeps non esset, alium certe contumelia afficere oportebat? Minime : imo contumelia afficientem ferre par erat. Jure hic quæratur : Quomodo is, qui alibi dicit : « Cum maledi- » cimur, benedicimus ; cum persecutionem patimur, » sustinemus[2], » hic contrarium facit, nec modo convitiatur, sed etiam maledicit? Absit. Neutrum horum fecisse deprehenditur. Sed si quis accurate consideret, libere loquentis magis sunt verba, quam irati. Alioquin vero, nolebat tribuno contemptibilis videri. Si enim ille a flagellando abstinuit, utpote ipsum Judæis traditurus, quod a famulis cæderetur, magis illum audacem reddidisset; ideo non ministrum, sed jubentem aggreditur. Illud vero, « Paries » dealbate, tu sedens judicas me secundum legem, » ac si diceret ; « Reus cum sis, et multis plagis dignus. » Vide ergo quomodo ex ejus dicendi libertate populus perculsus fuerit. Cum enim oportuisset totum subvertere, potius debacchantur. Ille vero legem ipsam legit, ut ostendat se non ex metu, nec quod indignus esset qui audiret, hæc dixisse, sed legi obtemperasse. Et omnino persuasus sum nescivisse illum quod princeps sacerdotum esset, quod post longum tempus rediisset, nec frequenter Judæos convenisset, videretque eum in medio aliorum multorum : non enim manifestus erat princeps sacerdotum inter multos et diversos astans. Ita mihi videtur illos alloqui, ostendens se legi obtemperare. Ideoque sese purgat. Sed superius

[1] Act. XXIII, 3-5, ex Exod. XXI, 28. — [2] 1 Cor. IV, 12.

dicta repetamus. « Oranti mihi in templo, inquit, accidit » ut in extasi fierem. » Ut ostendat non phantasiam fuisse : ideo addidit illud, « Oranti mihi. Festina et exi cito, in- » quit, quia testimonium tuum non recipient. » Hic ostendit non se periculorum metu ab illis effugisse, sed quia non susceptori erant testimonium suum. Cur vero dixit : « Ipsi » sciunt quod ego eram alligans ? » Non Christo contradicens. Absit : sed volens discere tam mirabile opus. « Vade, » inquit, quia ego ad gentes procul mittam te. » Vide : non docuit eum Christus quid oporteret facere ; sed dixit tantum ut abiret, illeque obsequitur, adeo morigerus erat. « Et levaverunt vocem suam, inquit, dicentes : Tolle eum, » non enim convenit ut vivat. » O audaciam ! Certe vos vivere non convenit ; non item de hoc dicatur, qui in omnibus Deo obsequitur. O scelesti et homicidæ ! « Et « excutientes vestes, inquit, pulverem mittebant. » Ut graviorem excitarent seditionem hoc faciebant, aut ut principem terrerent. Et vide : non dicunt causam, quia nihil dicendum habebant, sed clamore se terrorem incutere putant. Atqui ab accusatoribus ediscendum erat. « Et tri- » bunus timuit, inquit, cognoscens quod Romanus esset. » Non erat ergo mendacium, quod Paulus diceret se Romanum esse. « Et solvit eum a vinculis, inquit, et addu- » cens statuit eum in concilium. » Hoc oportebat facere, neque velle flagellare, sed relinquere eum, qui nihil vinculis dignum fecisset. Et solvit eum, inquit, et ad illos adduxit. Hoc maxime anxios, reddidit Judæos. « Intendens » autem Paulus in concilium, inquit, dixit : Viri fratres. » Hic se fidentem ostendit et imperterritum. Sed vide illorum petulantiam, subjunxit enim : « Princeps autem sacer- » dotum Ananias præcepit ut percuteretur os ejus. » Cur percutis ? Quid enim contumeliosum dixit ? O impudentiam ! O audaciam ! « Tunc Paulus dixit illi : Percutiet

» te Deus, paries dealbate. » Papæ, libertatem! Ob hypocrisim et iniquitatem illum traducit. Ideo enim reprimitur. Ipse vero dubius, ne audet quidem loqui; sed qui juxta illum erant, ejus libertatem non tulerunt. Ita videbant hominem mortem non curantem, et non sustinuerunt. « Nesciebam, inquit, quod summus sacerdos sit. » Ergo ex ignorantia increpatio fuit. Nisi enim hoc esset, illo accepto, abiisset, nec tacuisset, atque ipsum illis tribunus tradidisset.

III. Hic porro ostendit se libenter hæc pati. Atque ita rationem reddit illis, legi se obsequi, non illis, demonstrans. Nam illos admodum damnabat. Propter legem igitur rationem reddit, non propter populum. Et jure quidem : nam eum, qui se nihil læserat, et innocentem occidere, iniquum erat. Igitur quod ab illo dictum est non contumelia erat; nisi quis dicat Christum contumeliam proferre cum ait : « Væ vobis Scribis et Pharisæis, » quia similes estis parietibus dealbatis [1]. » Etiam, inquies. Sed si antequam verberaretur hoc dixisset, non fuisset iræ, sed fiduciæ. Verum causam dixi, quod nollet despectui haberi. Atqui sæpe Christus Judæos contumelia affecit, ipse contumelia affectus, ut cum dicit : « Ne putetis quod « ego accusem vos [2]. » At hoc contumelia non est, absit. Vide ergo cum quanta mansuetudine illos alloquatur. « Nesciebam, inquit, quod summus sacerdos Dei esset. » Hoc dixit, neque hic stetit; sed ostendens se non ironice loqui, addit : « Principem populi tui non maledices. » Videsne quomodo illum principem adhuc confitetur? Discamus ergo et nos mansuetudinem, ut in utrisque simus perfecti. Multa enim accuratione opus est, ut discatur quid hoc, quid illud sit. Accuratione autem opus est, quia vicina sunt virtutibus vitia; dicendi libertati audacia; mansuetu-

[1] Matth. xxiii, 27. — [2] Joan. v, 45.

tudini ignavia. Cavendum autem est, ne quis vitium tenens, virtutem se putet habere; ut si quis opinetur se jungi dominæ, dum jungitur ancillæ. Quid est ergo mansuetudo, et quid est ignavia? Cum alios læsos non defendimus, sed tacemus, illud est ignavia; quando autem male affecti toleramus, illud est mansuetudo. Quid est loquendi libertas? Illud ipsum, cum pro aliis decertamus. Quid audacia? Quando nos ipsos ulcisci volumus. Itaque simul juguntur magnanimitas et dicendi libertas; itemque audacia et ignavia. Qui enim pro se ipso non dolet, vix pro aliis dolebit; qui vero se ipsum non ulciscitur, vix alios non ulciscetur. Cum enim mores sunt a passionibus puri, virtutem admittunt. Ut corpus a febri liber robur accipit, sic anima passionibus non corrupta, fortitudinem accipit. Magnæ fortitudinis indicium est mansuetudo : generosa et virili anima, admodumque sublimi opus habet mansuetudo. An parum esse putas, male affici et pati, et non exasperari? Nec aberraverit, qui curam proximi sui fortitudinem vocaverit. Qui enim tantum valuit ut tantam passionem vinceret, aliam quoque aggredi audebit. Exempli causa, duæ passiones sunt timor et ira; si iram compescueris, timorem certe vinces; iram autem vincis, si mansuetus sis. Igitur et timorem vinces, si fortis fueris. Rursus si iram non viceris, audax eris. Si autem hoc vitium non superaveris, neque timorem superare poteris. Itaque formidolosus eris. Idipsumque accidit, ac si corpus ita debile fuerit et male temperatum, ut nullum possit ferre laborem : statim vel a frigore vel a calore abripitur. Tale namque est id quod est male temperatum; quod autem bene temperatum est, omnia sustinet. Rursum magnanimitas virtus est, illique vicina est prodigalitas. Œconomia virtus est, ipsique vicina est parcimonia et sordities. Age ergo rursum virtutes colligamus. Non ergo magnanimus

est prodigus. Quomodo? Qui mille capitur animi morbis, quomodo magni fuerit animi? Neque enim ille pecunias contemnet; sed etiam aliis subjicietur animi morbis. Ut si quis latronibus parere cogatur, liber non erit; non enim ex divitiarum contemptu, fit pecuniarum profusio; sed quod ignoretur quod pacto recte dispensandum sit. Nam si liceret et illas retinere, et illis frui, id utique vellet. Qui vero ut oportet pecunias insumit, is magnanimus est. Magnus enim vere est ille animus, qui affectui non servit, qui nihil putat esse pecunias. Rursus œconomia bonum est: et œconomus ille optimus fuerit, qui ut oportet insumit, qui non temere spargit. At de parcimonia et tenacitate non idem discendum. Ille namque omnia, ut oportet, insumit; hic vero ne instante quidem necessitate, pecunias profert. Œconomus ergo magnanimi frater fuerit. Igitur simul ponemus magnanimum et œconomum; simul prodigum et tenacem. Utrique enim ex pusillitate animi hoc patiuntur; sicut et illi ex magnanimitate. Ne igitur magnanimum appellemus eum qui temere impendit; sed eum qui erogat ut oportet; neque œconomum dicamus parcum et tenacem, sed eum qui intempestive pecuniis parcit. Quanta dives ille insumpsit, qui induebatur purpura et bysso? sed non erat magnanimus: anima namque ejus et crudelitate et mille voluptatibus detinebatur. Hæc autem quomodo magna fuerit? Magnanimus erat Abraham, qui ad hospitalitatem pecunias insumebat, vitulum mactabat; et ubi opus erat, non modo pecuniis, sed etiam animæ suæ non parcebat. Si ergo viderimus quempiam, lautam mensam apponentem, meretrices et parasitos habentem, ne magnanimum illum vocemus, sed admodum pusilli animi. Vide namque quot morbis animi serviat, gulæ, absurdæ voluptati, adulationi. Qui vero his addictus est, ut ne unum quidem

corum effugere possit, quomodo quis magnanimum vocet? Itaque illum hinc potius pusillanimum vocabimus; quanto enim plura profuderit, tanto magis ostendit vitiorum illorum tyrannidem : nisi enim illi valde imperarent, non tanta insumeret. Rursum si viderimus quempiam nihil horum talibus erogantem; sed pauperes pascentem, egenos juvantem, cum frugalem sibi paret mensam, hunc admodum magnanimum dicamus. Magni quippe est animi suam despicere quietem, et alienam curare. Dic enim mihi, si quem videres tyrannos omnes despicientem, illorumque jussa nihili facientem, eos autem qui ab illis opprimuntur eripientem, annon hoc magnum putares. Hoc et hic cogitemus. Animi affectus et morbi tyranni sunt; si illos despexerimus, magni erimus; si autem alios eripiamus, longe majores. Et merito quidem. Nam qui non modo sibi sufficiunt, sed etiam aliis, majores sunt illis qui neutrum faciunt. Si vero quis a tyranno jussus, ex subditis alium verberet, alium trahat, alium contumelia afficiat, an hoc magnanimi esse dicamus? Haudquaquam et tanto minus, quanto major ille fuerit. Ita res in præsenti est. Nunc proponitur anima nobilis et libera. Hanc prodigus jussit percuti a pravis affectibus. Eum-ne, qui se ipsum percutit, magnanimum dicemus? Nequaquam. Ergo discamus quid sit magnanimitas, quid prodigalitas; quid mansuetudo, quid ignavia; quid dicendi libertas, quid audacia. Ut hæc inter se distinguentes, possimus Domino placentes præsentem vitam transigere, et futura consequi bona, gratia et benignitate Unigeniti ejus, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

CAPUT XXIII.

Sciens autem Paulus quod una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, Pharisæi filius, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hoc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et discissa est multitudo. Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum : Pharisæi autem utraque confitentur [1].

I. Rursum humano more disserit, nec semper gratia fruitur; sed etiam permittitur aliquid a se ipso afferre, id quod sane facit : et in hoc et in sequenti rationem reddit, ut scindat multitudinem contra se male conjunctam. Neque mentitur, cum se dicit Pharisæum. Pharisæus enim erat ex progenitoribus. Ideo ita sese defendit. « Pharisæus ego » sum, Pharisæi filius, et de spe ac resurrectione mortuo» rum ego judicor. » Quia enim illi nolebant dicere cur illum judicarent, cogitur jam ille id enuntiare. « Pharisæi autem, » inquit, utraque confitentur. » Et quidem tria sunt. Cur ergo dicit utraque. Vel quod Spiritus et Angelus unum sint, vel quia dictio illa non solum de duobus, sed etiam de tribus accipitur. Itaque latiore usu et non proprie sic locutus est. Et vide : quando cum illis fuit, tunc ejus causam defendendam suscipiunt. « Factus est, inquit, clamor mag» nus; et surgentes Scribæ ex parte Pharisæorum, pugna-

[1] Act. XXIII, 6, 8.

» bant dicentes : Nihil mali invenimus in homine hoc. Quod » si Spiritus locutus est ei vel Angelus, ne repugnemus » Deo [1]. » Et cur non antehac illum defenderunt ? Quia illis nondum commixtus erat, neque antequam sese defenderet notum erat ipsum a majoribus esse Pharisæum. Vides, quando animi affectus abscedunt, quomodo veritas reperiatur ? Hoc vero significant illi. Quod crimen si Angelus locutus est ei, aut si Spiritus, et ab illo institutus sic de resurrectione doceat ? Ergo abscedamus ab illo, ne, si cum illo pugnemus, Deum etiam impugnemus. Vide illos prudenter defensionem parantes, Paulo nullam ipsis ansam præbente. « At cum magna dissensio facta esset, timens » tribunus ne discerperetur Paulus ab eis, jussit exercitum » descendere rapereque ipsum de medio eorum, ac dedu- » cere in castra [2]. » Timet demum tribunus ne discerpatur, quia dixerat se Romanum esse : unde non sine periculo res erat. Vides-ne illum jure fassum esse se esse Romanum ? Alioquin neque nunc metu retentus fuisset. Exercitus vero demum abripit eum. Ut autem viderunt scelesti omnes conatus suos irritos esse, per se omnia faciunt : volebant quidem, sed antehac cohibiti fuerant. Ita nunquam subsistit nequitia, tot rebus impedita. Quamvis tam multa provisa fuissent, ut et furorem sedarent, et ea discerent per quæ resipiscerent, nihilominus instant. Magna certe est defensio illa, quod homo, quem mox discepturi erant, raptus tanta pericula effugerit. « Sequenti autem nocte assistens » ei Dominus ait : Constans esto ; sicut enim testificatus es » de me in Jerusalem ; sic te oportet et Romæ testificari. » Facta autem die, collegerunt se quidam ex Judæis, et de- » voverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibi- » turos, donec occiderent Paulum. Erant autem plusquam » quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerunt [3]. De-

[1] Act. xxiii, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 11-13.

» voverunt se ipsos, inquit. » Vides-ne quam sint violenti et ulciscendi cupidi in nequitia? Quid est, se devoverunt? Id est, dixerunt se esse extra fidem in Deum, nisi quod decreverant contra Paulum implerent. Ergo semper sunt anathematizati illi : neque enim occiderunt Paulum. Et quadraginta simul conveniunt. Talis autem gens est : quando in bonum conveniendum est, neque duo concurrunt; quando autem in malum, populus totus, et socios assumunt etiam principes : ideo hoc significans addit : « Qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores et » dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos, do» nec occidamus Paulum. Nunc ergo vos notum facite tri» buno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam » aliquid certius cognituros de eo. Nos vero prius quam ap» propinquet, parati sumus interficere illum. Cum audisset » autem filius sororis Pauli insidias, venit et intravit in cas» tra nuntiavitque Paulo. Vocans autem Paulus ad se unum » ex centurionibus ait : Adolescentem hunc perduc ad tri» bunum : habet enim aliquid illi indicandum. Et ille qui» dem assumens eum, duxit ad tribunum [1]. » Rursum humana servatur providentia. Et vide : nullum Paulus sinit hoc discere, neque centurionem, ne res manifesta fieret. « Et veniens centurio nuntiavit tribuno dicens : Vinctus » Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te » habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autem tribu» nus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interroga» vit eum : Quid est quod habes indicandum mihi? Ille au» tem dixit: Judæi conspirarunt ut rogarent te, ut crastina » die producas Paulum in concilium, quasi aliquid accu» ratius sciscitaturi ab illo. Tu vero ne morem gesseris illis. » Insidiantur enim ex iis viri plures quadraginta, qui se » ipsos devoverunt, non manducare vel bibere, donec in-

[1] Act. XXIII, 14-18.

» terficiant eum. Et nunc parati sunt expectantes promis-» sum tuum. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præci-» piens, nemini dixeris, quod hæc ad me retuleris [1].

II. Bene tribunus jubet occultari, ne cui notum fiat : et tunc dicit centurionibus quid oporteat fieri : mittitur postea Cæsaream, ut illic theatro in majore disserat, et in frequentia splendidiore, ne possent dicere Judæi : « Si vidissemus Paulum, credidissemus, si audissemus docentem. Hæc ergo illis excusatio sublata est. « Et astans, inquit, » Dominus dixit ei : Constans esto, sicut enim testificatus » es mihi in Jerusalem, ita oportet te etiam Romæ testifi-» cari. » Vide etiam postquam apparuit ei, iterum permittit eum humano more servari. Et jure Paulum admiremur, quomodo non turbatus fuerit, neque dixerit : « Quid hoc est? Num deceptus sum a Christo? » Sed nihil hujusmodi cogitavit, vel accidit ei ; sed solum credidit ; neque tamen quia credidit, dormitavit ; sed quæ humana sapientia provideri poterant non prætermisit. Et perpende quomodo illi necessitatem quamdam sibi imposuerint cum sese devoverunt. Ecce jejunium homicidii mater. Sicut Herodes per juramentum necessitatem sibi imposuit, sic et isti. Tales enim sunt diaboli venandi artes, pietatis nimirum specie laqueos tendit. Atqui oportuit accedere, incusare, judices cogere. Hæc enim non sunt sacerdotum, sed latronum ; hæc non principum, sed facinorosorum. Et vide nequitiam ingentem : non satis habent quod sese mutuo corrumpant ; sed etiam principem una corrumpere satagunt : ideoque provisum est, ut ille etiam disceret ipsorum insidias. Ipsi vero non solum ex eo quod nihil dicendum haberent, sed etiam ex eo quod clam molirentur, arguerunt se nihili esse. Verisimile autem est illos, postquam Paulus amandatus est, summos sacerdotes adiisse, et re infecta pudore suf-

[1] Act. XXIII, 19-22.

fusos abscessisse. Jure autem hoc facit tribunus. Nolebat enim vel gratificari vel annuere. Et quomodo, inquies, credidit vera esse quæ ab adolescente nuntiabantur? Ex iis, quæ jam evenerant, conjectabat, quia et hoc facturos illos esse verisimile erat. Et vide nequitiam : quasi necessitatem summis sacerdotibus intulerunt. Et ne mireris ; nam si tantum in se susceperunt illi, et omne periculum acceptarunt, multo magis illos idipsum facturos esse verisimile erat. Vides-ne quomodo externorum sententia innocens erat Paulus, ut et Christus apud Pilatum ? Sed vide nequitiam a se ipsa expugnatam : nam tradiderunt illum, ut damnarent occiderentque : et contrarium evenit ; ipse namque salvus evadit, et innocens reperitur. Nisi enim ita accidisset, disceptus fuisset ; si non ita, periisset et damnatus fuisset. Non solum autem ab hoc impetu liberat ipsum tribunus ; sed etiam juvat ut sine periculo cum tanta militum turma evadat. Et quomodo, audi ; subjungit enim : « Et accersitis duobus quibusdam centurionibus, dixit : » Præparate mihi milites ducentos, ut proficiscantur Cæ- » saream, et equites septuaginta, et lancearios ducentos a » tertia hora noctis : et jumenta præparate ut imponentes » Paulum, salvum perducant ad Felicem præsidem. Scri- » bens epistolam continentem hæc : Claudius Lysias, optimo » præsidi Felici, salutem. Virum hunc comprehensum a » Judæis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum » exercitu eripui, cognito quod Romanus esset. Volensque » scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in con- » cilium eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus » legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis ha- » bentem criminis. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, » quas paraverant illi Judæi, misi eum ad te, præcipiens » accusatoribus ut quæ contra illum habent, dicant apud

» te. Vale [1]. » Vide epistolam, qua ipse defenditur. « Nihil, » inquit, inveni dignum morte ; » sed potius accusationem contra illos, quam contra hunc. Sic illum occidebant, sed primo, inquit, « Eripui illum mox interficiendum a Ju- » dæis. » Deinde addit : « Deduxi eum ad illos, et neque sic illi aliquid accusandum habuere : » et cum oportuisset illos ex priori conatu deterreri et erubescere, rursus occidere tentant, ut clarior causa illius evadat. Et cur accusatores mittit ? Ut in tribunali, ubi hæc accuratius examinabantur, insons declararetur. Sed superius dicta repetamus. « Ego, » inquit, Pharisæus sum. » Hoc dixit ut illos attraheret. Deinde ne videretur adulari, subdit : « De spe et resur- » rectione mortuorum ego judicor. » Ab accusatione et calumnia eorum sese commendat. Sadducæi namque dicunt non esse Angelum, neque Spiritum. Nihil incorporeum agnoscunt Sadducæi, forte neque Deum ; adeo crassi erant. Unde neque resurrectionem credere volunt. « Et » surgentes, inquit, Scribæ ex parte Pharisæorum, pugna- » bant dicentes : Nihil malum invenimus in homine isto. »

III. Vide : audit tribunus quod Pharisæi illum a crimine liberent, et pro illo sententiam tulit, ac cum majore fiducia abripit. Ea vero, quæ dicta sunt a Paulo, philosophiæ plena erant. « Sequenti vero nocte astans illi Dominus » dixit : Bono animo esto, Paule ; ut enim testificatus es » mihi in Jerusalem, ita oportet et te Romæ testificari. » Vide quanta consolatio. Primo laudat illum : deinde non sinit eum occultam sibi adhuc Romam profectionem formidare. Ac si diceret : « Non modo illuc ibis ; sed etiam tanta uteris loquendi fiducia. » Hinc vero non declaratur ei, quod salvus futurus sit ; sed quod in magna urbe pro magna corona testificaturus sit. Cur autem non prius quam incideret in periculum, apparuit illi ? Quia Deus semper

[1] Act. XXIII, 25-30.

in tribulationibus consolatur. Tunc enim desiderabilior apparet, et in periculis nos exercet. Alioquin autem, tunc in quiete erat liber a vinculis : nunc autem illum gravia exceptura erant. « Quia devovimus nos, inquiunt, non » manducare neque bibere. » Papæ, quanta insania ! Se se anathemati sine ratione obnoxios reddunt. Ut deducat, inquit, illum ad vos, ut accuratius cognituros causam ejus. Quid dicis ? Annon bis vobis concionatus est ? Annon Pharisæum se dixit? Cur aliud superflue quæritis ? Ita nihil metuebant, non tribunalia, non leges. Ita nihil apud illos intentatum erat. Et sententiam inducunt, et actionem denuntiant. « Cum audisset autem filius sororis Pauli insidias. » Hoc ex divina dispensatione, quod nescirent id audiendum esse. Quid ergo Paulus ? Non turbatus est, sed intellexit divinum opus esse : et totum in illum conjiciens, ex ea re salutem nactus est. Et vide quomodo Deus omnia in bonum provideat. Insidias nuntiat adolescens ; creditum est ei, et sic postea servatur Paulus. Et si a causa illa, inquies, absolutus est, cur miserunt accusatores ? ut accuratius examen fieret ; ut magis ille purgaretur. Tales sunt Dei dispensationes : ex quibus lædimur, ex iis juvamur. Sic et Joseph insidiis impetebatur a domina [1], et dum illa videretur illi insidiari, in securitate constituit. Carcer enim longe mitior erat domo, in qua fera illa nutriebatur. Illic enim cum esset, etsi ministraretur ipsi, at in metu semper erat, ne domina se aggrederetur, et carcere gravior illi metus instabat. Post accusationem autem in securitate demum et quiete degebat, ab illius feræ et turpitudine et insidiis liberatus. Jucundius enim ipsi erat cum ærumnosis hominibus degere, quam cum furente domina. Istic ergo se ipsum consolabatur, quod propter castitatem eo incidisset : illic vero timebat ne in anima plagam acciperet.

[1] Gen. XXXIX.

Muliere quippe amante nihil nolenti juveni molestius, nihil scelestius, nihil gravius. Omnibus hoc vinculis onerosissimum est. Itaque non in carcerem incidit, sed a carcere liberatus est. Inimicum illi reddidit herum, sed conciliavit Deum : familiariorem ipsum reddidit vero Domino. Ejecit illum ex præfectura domus suæ, sed Domino domesticum reddidit. Rursum, fratres vendiderunt ; sed liberarunt eum a contubernalibus inimicis, ab invidia et livore multo, a quotidianis insidiis, illum procul ab odientibus se amandarunt. Quid enim hac re deterius, quando quis cum fratribus invidis habitare cogitur, quando suspectus est, et insidiis appetitur ? Itaque alia faciebant et illi et illa, alia et magna pro justo apparabantur. Cum in honore degebat, tunc in periculo erat ; cum in ignominia, tunc in securitate. Non memores ejus erant eunuchi : et bene, ut splendidior fieret exitus causa, utque non humanæ gratiæ, sed divinæ providentiæ totum ascriberetur, ut tempestive illum ad usum constituens educeret, ut Pharao non beneficium dans, sed ab eo accipiens, ipsum ex carcere ejiceret. Non oportebat servile donum esse ; sed regem necessitate cogi. Oportebat illius sapientiam manifestam esse. Ideo obliviscitur eunuchus, ut ne lateat Ægyptum, ut ne illum rex ignoret. Si tunc eductus fuisset, forte voluisset in terram suam reverti : ideoque mille necessitatibus retinetur : primum domino, deinde carcere ; tertio, in regno ut hæc dispensarentur. Sicut ergo generosum equum ad suos exilire volentem, Deus eum istic gloriosas ob causas retinuit. Quod enim patrem videre optaret, et a dolore liberari, palam est ex eo quod ipsum istuc acciverit.

IV. Vultis alias quoque videamus insidias, quæ pro nobis fiant, quod non modo mercedem habeant, sed etiam in ipso tempore pro nobis faciant? Hujus patri patruus ipsius insidiatus est, et eum a patria expulit. Quid ergo?

Ipsum quoque procul a periculo constituit: nam in tuto ille fuit. Reddidit eum magis philosophum: fecit ut videret somnium. Sed servivit in aliena terra? Verum ad suos profectus sponsam accipit ille, et dignus videtur socero. Sed decepit et ille? Sed illud in bonum cessit, ut multorum filiorum pater fieret. Sed voluit insidiari? At hoc etiam in bonum cedit, ut demum ad terram suam rediret. Nam si in re prospera fuisset, non ita patriam desiderasset. Sed mercedem illi abstulit? At major deinde fuit. Sic ubique quanto magis insidiis impetebantur, tanto magis res ipsorum florebant. Nisi majorem duxisset, non cito fuisset tot filiorum pater: sed in orbitate multum temporis exegisset, et luxisset ut uxor sua. Illa namque merito lugebat eo quod non esset mater: ipse vero consolationem habet; ideo ipsam repellit. Rursus si non illum a mercede privasset, non optasset videre terram suam, neque philosophia viri apparuisset, nec magis illi familiares facti fuissent. Vide namque quid dicant: «Devorando devoravit nos et »argentum nostrum[1]. » Itaque hoc amoris causa fuit. Ancillas demum habuit pro uxoribus, et diligebatur ab illis, cui possessioni nulla conferri poterit. Nihil enim pretiosius quam amari ab uxore, et amare illam. «Et uxor, inquit, »viro consentiens[2], » hanc unam inter beatitudines ponit Sapiens. In hoc omnes divitiæ, omnis felicitas consistit. Contra si illud non sit, alia nihil juvant, sed subversa sunt, et insuavitate confusioneque plena. Igitur et nos hoc præ omnibus quæramus. Qui pecunias quærit, non hoc quærit. Hæc quæramus, quæ firma esse possunt. Ne quæramus nuptias ex opulentis, ne opes nimiæ uxori suadeant ut altum sapiat: ne sensus ille causa sit corruptionis. Non vides quid fecerit Deus? Quomodo illam subdiderit? Cur ingratus es? cur sine sensu? Quod tibi ex natura concessit, hoc

[1] Gen. xxxi, 15. — [2] Eccli. xxv, 2.

tu ne corrumpas auxilium. Non ut opulentam quærere oportet, sed ut vitæ consortem ad liberos procreandos. Non ideo uxorem dedit Deus ut pecunias afferret; sed ut adjutrix esset. Quæ vero pecunias affert, etiam insidiatur, altumque sapere vult ob divitias. Nihil turpius viro qui ita ditescere velit. Nam si ipsa pecuniarum cupiditas tentationibus plena est, de hujusmodi divitiis quid dicemus? Ne enim attendas, si raro accidat, si casu, si præter rationem: neque enim aliis rebus quibus fruuntur aliqui, et insperato obtinent attendendum est; sed quid secundum rationem sit videamus, annon mille molestiis res plena sit. Non solus ipse in ignominia eris, sed etiam filios deturpas, pauperes relinquens si contigerit te priorem mori; hincque multas das uxori occasiones, alterum quærat maritum. Annon vides hanc fuisse multis secundarum nuptiarum causam, ut non contemnerentur, et ut quærerent alios qui rem suam curarent? Ne, quæso, propter opes tanta operemur mala. Sed omnia relinquamus et animam quæramus bonam, ut et charitatem assequamur. Hæ sunt magnæ divitiæ, hic magnus thesaurus, hæc innumera bona. Quibus utinam nos omnes fruamur et secundum leges Dei vivamus, ut et futura bona possimus adipisci, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA L.

CAPUT XXIV.

Milites ergo ut præceptum erat sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem, et postera die relictis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. At illi cum venissent Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum et Paulum[1].

1. Quasi regem quemdam satellitibus stipatum, transmittunt cum tanta multitudine et in nocte, timentes iram et impetum populi. Postquam igitur ejecerunt illum ex civitate, tunc desistunt. Neque tribunus cum tanta illum misisset securitate, nisi et ipsum innoxium putasset, et illorum sanguinarium animum novisset. « Cum autem legisset » et interrogasset de qua provincia esset, audissetque quod » ex Cilicia: Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint; jussitque illum in prætorio Herodis custodiri[2]. » Jam pro illo rationem dederat Lysias. Attamen adhuc illum Judæi adoriuntur, et præoccupant auditorem, et iterum in vincula conjicitur: audi quomodo. « Post quinque autem » dies descendit princeps sacerdotum Ananias cum seniori» bus et Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem » adversus Paulum[3]. » Vide quomodo neque ita destiterunt; sed veniunt, licet mille occurrant obices, ut illic confundantur: « Et citato illo, cœpit accusare Tertullus dicens: » Cum in multa pace agamus per te, et multa bona opera » fiant in hac gente per tuam providentiam, semper et ubi-

[1] Act. XXIII, 31-33. — [2] Ibid. 34, 35. — [3] Id. XXIV, 4.

» que suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum ac-» tione. Ne diutius autem te protraham, oro breviter audias » nos pro tua clementia[1]. » Profecto hoc vos fecistis, quid opus erat oratore? Vide quomodo hic statim ab exordio illum ut novatorem et seditiosum vult traducere. Laudibus vero judicem præoccupat. Deinde, quasi multa dicenda habeat, prætercurrit, et hoc unum dicit : « Ne diutius au-» tem te protraham. » Vide quomodo puniendi desiderium judici immittat, quasi comprehensuro eum qui orbem subverteret, et quasi de præclaro opere sentiunt. « Inveni-» mus hunc hominem pestiferum et concitantem seditiones » omnibus Judæis in universo orbe, et auctorem seditionis » sectæ Nazarenorum : qui etiam templum violare conatus » est : quem et apprehensum voluimus secundum legem » nostram judicare. Superveniens autem tribunus Lysias, » cum vi magna eripuit eum de manibus nostris ; jubens » accusatores ejus ad te venire, a quo poteris ipse judicans » de omnibus illis cognoscere de quibus nos accusamus » eum[2]. Concitantem, inquit, seditiones omnibus Judæis in » universo orbe : » ut pestiferum et communem gentis hostem illum calumniantur, ac sectæ Nazarenorum principem. Ideo hoc produxerunt, et ea de re iterum calumniabantur eum, Nazareth enim vilis erat. « Et invenientes, inquit. » Vide quam versute illum ut profugum calumnientur. Et vix illum assecuti sunt, cum septem diebus in templo fuerit. « Quem et apprehensum voluimus secundum legem » nostram judicare. » Vide quomodo et legem contumelia afficiant : nisi fortasse secundum legem erat, verberare, occidere, insidiari. Sequitur Lysiæ accusatio. « Superve-» niens autem Lysias tribunus cum vi magna eripuit eum » ex manibus nostris. » Non conveniebat illi, inquit, rem hanc facere, quam tamen fecit. « Ex quo poteris judicans

[1] Act. xxiv, 2-4. — [2] Ibid. 5-8.

» de his omnibus cognoscere, de quibus nos accusamus » illum. Adjecerunt autem Judæi dicentes hæc ita se habere[1]. » Quid ergo Paulus? num ad hæc tacet? Minime; sed libere loquitur iterum et respondet, idque volente præside; subdidit enim. « Respondit autem Paulus, annuente sibi » præside ut diceret: Ex multis annis te esse justum » judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfa- » ciam. Potes enim cognoscere quia non plus sunt mihi » dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusa- » lem: et neque in templo invenerunt me cum aliquo dis- » putantem, aut concursum facientem turbæ, neque in » synagogis, neque in civitate. Neque probare possunt ea » de quibus nunc me accusant[2]. » Non sunt hæc adulationis verba testificari judici justitiam; sed illa potius, « Cum » in multa pace agamus per te. » Cur ergo injuste seditiones agitis? Perpende autem, illi ad injustitiam pellebant, hic justitiam quærebat; ideo dicebat: « Bono animo pro me » satisfaciam. » Deinde a tempore confirmat. « Et multis annis, inquit, te judicem sciens. » Et quid hoc ad demonstrationem conducebat? Multum. Ostendit enim ipsum quoque scire nihil se eorum fecisse, de quibus accusabatur. Si vero seditionem concitasset, ipse judex nosset, neque illum tanta res lateret. Deinde quia accusator nihil probare potuerat Jerosolymis, vide quid dicat, «Omnibus qui in » toto orbe sunt Judæis, » mendacium mendacio addens. Ideo Paulus inde illum deturbans ait: « Adoraturus as- » cendi, » quasi se sic ita purgans: Tantum abest ut seditiones excitem, et in hoc moratur ratiocinio, quod certe validum erat. Addit enim: « Neque in templo, neque in ci- » vitate, neque in synagogis invenerunt me cum aliquo dis- » putantem. » Quod etiam verum erat. Et ille quidem illum principem dicit, quasi in pugna aut tumultu. Hic vero

[2] Act. XXIV, 10-13.

vide quam mansuete respondeat. « Confiteor autem tibi » quod secundum viam, quam vocant hæresim, sic patrio » Deo servio, credens omnibus quæ in lege et Prophetis » scripta sunt, spem habeas in Deum, quam et ipsi » amplectuntur, futuram resurrectionem justorum et in- » justorum[1]. »

II. Vide : ipsum illi separabant, hic vero se adjungit legi sese purgando. Et quod dixerat confirmans adjicit : « In hoc et ipse studeo sine offendiculo, conscientiam ha- » bere ad Deum et ad homines semper. Post annos autem » plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, et » oblationes. In quibus invenerunt me purificatum in tem- » plo, non cum turba, neque cum tumultu[2]. » Cur ergo ascendisti? Cur venisti? Adoraturus, eleemosynas, inquit, facturus. Itaque id non erat seditiosi. Deinde illorum dejicit personam dicens sine discrimine. « In quibus me inve- » nerunt quidam ex Asia Judæi, quos oportebat apud te » præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me : » aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, » cum stem in concilio, nisi de hac una voce, qua clamavi » inter eos stans : De resurrectione mortuorum ego hodie » judicor a vobis[3]. » Hæc est copiosa justificatio, non fugere ab accusatoribus, sed paratum esse ad reddendam omnibus rationem. « De resurrectione mortuorum ego, inquit, hodie » judicor a vobis. » Et nihil dixit eorum quæ jure poterat dicere ; quod insidiati sunt, detinuerunt ipsum, insidias struxerunt. Hæc enim ab ipsis facta narrantur ; ab hoc autem, licet in periculo versante, non item. Sed tacet, et solum sese purgat, etsi innumera dicere potuisset. Hoc illum in Cæsarea clarum reddebat, quod cum tanto agmine venisset. « In quibus invenerunt me, inquit, purificatum in » templo. » Quomodo ergo violavit? Non enim ejusdem ho-

[1] Act. xxiv, 14, 15. — [2] Ibid. 16-18. — [3] Ibid. 18-21.

minis erat, purificari, adorare, et ideo venire, et violare. Hoc autem ad justificationem conferre videatur, quod non in longum incidat sermonem, et gratificatur judici : mihi autem videtur illo modo defensionem suam contrahere. Sed superius dicta repetamus. Quia antehac multum concionatus erat Tertullus, ostendens se compendio studere, non dixit : « Audi rem ; » sed ne te diutius morer, rogo audias nos pro tua humanitate. Forte ut gratiam ejus aucupetur, sic sermonem apparat. Vel etiam mansuetudinis signum est, cum quis plura dicere valens, pauca dicit, ut ne molestiam pariat. « Invenimus, inquit, hunc virum pestiferum, » qui et templum violare tentavit. » Ergo non violavit. Quid igitur si alibi hoc fecit? Minime : alias enim dixisset : jam vero tentasse dicit : quomodo non dicit. Et quæ Paulum spectabant sic extulit. Vide autem quomodo quæ sua sunt minuat. « Quem apprehendimus, inquit, et voluimus judi- » care secundum legem nostram. Superveniens autem » Lysias tribunus, cum multa vi ex manibus nostris ab- » ripuit. » Hic ostendit sibi molestum esse ad extranea tribunalia venire, et quod non ipsi molesti fuissent, nisi ipse coëgisset, quodque non ad illum pertineret virum abripere. Nam injuriæ contra nos erant, et judicium apud nos fieri oportebat. Quod autem res sic habeat, sequentia vide; « Cum multa vi, inquit. » Vis enim erat. « A quo poteris » cognoscere. » Neque accusare audet. Erat enim vir clemens : neque sine causa prætercurrit. Deinde iterum ne mentiri videretur, ipsum Paulum sui ipsius accusatorem inducit. « A quo potes, inquit, de his omnibus dijudicans » cognoscere. » Accedunt postea dictorum testes. « Adjece- » runt autem et Judæi dicentes hæc ita se habere. » Accusatores sunt, et testes et accusatores. At Paulus respondet : « Sciens ex multis annis te esse justum judicem. » Non ergo peregrinus est, neque alienus, neque novator, si a multis

annis novit judicem. Et recte addidit illud, « Justum, » ne ad summum pontificem respiceret, vel ad populum, vel ad accusatorem. Vide quomodo non processit ad contumeliam, etsi necessitas esset. « Credens, inquit, omnibus quæ » in lege sunt. » Hoc dixit, ostendens nullum hominem qui credat resurrectionem futuram, talia facturum esse; quam et illi expectant. Non dixit de his quod credant iis quæ in Prophetis scripta sunt : neque enim credebant; sed hic omnibus credebat, non illi. Quomodo autem, longum esset nunc dicere. Tanta dixit, et nusquam Christi meminit. Hic autem ut dixit, « Credens, » etiam ea quæ Christum spectabant complectitur. Sed interim in resurrectionis sermone moratur, quod dogma ipsis commune erat, et omnem seditionis suspicionem tollit. Deinde ascensus causa sequitur. « Eleemosynas, inquit, et oblationes facturus in gentem » meam veni, idque per annos plures. » Quomodo ergo turbasset eos, quibus eleemosynam daturus tantum iter susceperat? Non cum turba, inquit, nec cum tumultu. Ubique seditionem inficiatur. Recte autem advocat accusatores qui ab Asia, dicens : « Quos oportebat, inquit, apud te ac- » cusare, si quid haberent adversum me. » Ita confidebat se mundum esse a crimine, ut etiam provocet eos, non eos solum qui ab Asia erant, verum eos qui ex Jerusalem accusatores non rejicit. Sed illos quoque evocat, adjiciens: « Aut hi ipsi dicant. » Etenim ideo ab initio ægre ferebant, quod resurrectionem prædicaret. Et bene sic faciebat. Hoc enim ostenso, facile et Christum et resurrectionem ejus inducet. « Quid invenerunt, inquit, in me injustitiæ, cum » starem in concilio? In concilio, » inquit, ostendens illos nihil invenisse, non privatim inquisitione facta; sed multitudine præsente, et accurate dijudicante.

III. Quod autem hæc vera sint, testificantur ii qui de hoc accusant. Ideo dicebat : « In hoc autem studeo, ut sine

» offendiculo conscientiam habeam erga Deum et erga ho-» mines. » Perfecta enim hæc virtus est, quando hominibus occasiones non damus, et apud Deum studemus esse sine offendiculo, « Qua clamavi in concilio, inquit. » Violentiam illorum ostendit cum dicit, « Clamavi; » ac si diceret : « Non possunt dicere me eleemosynæ obtentu hæc fecisse. Non enim cum turba, neque cum tumultu hoc faciebam. » Alioquin vero inquisitione hac de re facta, nihil plus invenichatur. Vidisti in periculis mansuetudinem? Vidisti linguam honesta loquentem, et quomodo unum tantum quærat, ut sibi objecta refutet, nec illos criminibus obruat, nisi cum ad defensionem cogeretur? Ut Christus dicebat : « Ego dæmonium non habeo; sed honorifico Patrem » meum, et vos inhonorastis me[1]. » Hunc et nos imitemur : quia et ipse Christi imitator erat. Si ille nihil iis qui ad cædem venerant asperum dixit, qua nos venia digni erimus, in convitiis et contumeliis efferati, qui scelestos scelestissimosque vocamus inimicos nostros? Quam defensionem habebimus, qui inimicos omnino habeamus? An-non audis eum qui honorat se ipsum honorare? Nos autem nos ipsos contumelia afficimus. Accusas quod contumelia affectus sis; cur igitur ipse in hoc crimen incidis? cur te ipsum confodis? mane passione vacuus, mane invulneratus, ut ne dum vis alterum ferire, te ipsum malis involvas. Non sufficit nobis alius animi tumultus nemine concitante motus, ut absurdæ concupiscentiæ, mœrores, tristitiæ, et similia, ut alia nobis accumulemus? Et quomodo possibile est, inquies, contumelias ferre? Quomodo, quæso, impossibile est? vulnus nobis a verbis nascitur? cicatrices in corporibus sunt? Quale igitur nobis damnum accidit? Itaque si velimus, ferre possumus. Ponamus nobis legem ne doleamus, et sustinebimus. Nobis ipsis dicamus : « Non est

[1] Joan. VIII, 49.

inimicitiæ, infirmitatis est.» Nam quod non sit ex inimicitia, infirmitatis est. Nam quod non sit ex inimicitia vel malignitate; voluit ipse se cohibere, quamvis in multis sit læsus. Si hoc consideremus solum, quod ex infirmitate sit, feremus, et ignoscemus quidem illi, conabimurque ne et ipsi cadamus. Nam omnes, qui præsentes sunt, interrogabo; num ita philosophari potestis, ut contumelias feratis? Utique puto. Ergo ille invitus te contumelia affecit, non volens, sed ab affectu coactus. Te contine. Non vides dæmoniacos? Sicut ille non tam ex inimicitia, quam ex infirmitate hoc sustinet; sic et nos non tam a contumeliarum natura movemur, quam a nobis ipsis. Etenim quomodo insanientes easdem contumelias inferentes toleramus? Rursus si amici sunt ii qui contumelias inferunt, vel si majores, ferimus. Quomodo ergo non absurdum fuerit, cum tres sint, nempe amici, insani, et majores, ferre illos; pares autem vel minores non ferre? Sæpe dixi: «Momentanea res est et subita abreptio:» parum tolceremus, et totum perfecimus. Quanto magis contumeliam infert, tanto infirmior est. Nosti-ne quando oporteat dolere? Quando nobis contumeliam inferentibus ille dolebit. Tunc enim ille quidem fortis, nos autem infirmi sumus. Si vero contrarium efficiatur, etiam gaudere oportet. Coronatus es, proclamatus es, non in agonem ductus, non solis radiorum, pulveris molestia affectus, non consertis manibus, vel ansis datis; sed voluntate tantum, et sedens vel stans magnam accepisti coronam; nec modo magnam, sed illis longe majorem. Non par est enim inimicum oppugnantem ferire, et tela iræ vincere. Vicisti, nulla data ansa, morbum animi tuum dejecisti: commotam feram jugulasti, et furorem compressisti, ut pastor quidam optimus. Civile bellum futurum erat, domestica pugna. Nam sicut ii, qui mœnia foris obsident, civile bellum excitant, et ita vincunt;

sic qui contumeliam infert, si passionem in nobis non excitet, vincere non poterit; nisi nos ipsi nos incendamus, ille nullam vim habet. Sit enim nobis iræ scintilla, ut opportune accendatur, non contra nos ipsos, ne nos innumeris afficiat malis. Non videtis in domibus ignem reconditum, nec ubique projectum, non in fæno, non in vestibus, non temere, ne flante vento incendatur; sed sive ancilla lucernam habeat, sive coquus accendat, denuntiatur illis, ne ad ventum, ne prope tabulam, ne noctu hoc faciant; sed adveniente nocte ignem sopimus, veriti ne forte dormientibus nobis, et nemine curante accendatur, et omnes exurat. Hoc in ira quoque fiat. Ne omnino in cogitationibus nostris dispergatur, sed in quodam mentis profundo ponatur, ut ne ventus a verbis adversarii facile adveniat, sed a nobis suscipiatur ventus, scientibus illum temperate et tuto movere. Si deforis ventum accipiat, nescit modum; sed omnia accendet. Sæpe nobis dormientibus ventus ille incidet et omnia comburet. Sit ergo nobis tantum ut lucem accendat. Lucem enim accendit ira, quando decenter movetur: et faces habeamus contra eos qui alios lædunt: contra diabolum. Ne ubique jaceat, nec projiciatur scintilla, sed in cinere servemus: in humilibus cogitationibus feramus illam. Non semper illa opus habemus; sed quando operari quid oportet et emollire, quando animam redarguere.

IV. Quanta ira furorque mala pepererunt: quodque gravius est, quando surgemus, non ultra simul convenire poterimus; sed alios expectamus. Unusquisque erubescit, rediens ad reconciliandum alium. Vide: dividi et discindi non erubescit; sed fit mali dux. Accedere autem et scissum consuere erubescit. Atque idipsum contigit ac si quis membrum quidem abscindere non gravetur, conjungere autem erubescat. Quid dicis, homo? Multum læsisti, et ipse auctor fuisti pugnæ? Itaque jure prior abeas et recon-

cilieris, utpote qui in causa est? Et ideo igitur ut magis admirationi habearis, ut et in primo et in secundo primas habeas. Ut non fuisti inimicitiæ causa, ita nec causa esto quod ea ulterius extendatur: fortassis et ille multorum sibi conscius erubescit. Sed arrogans est? Ideo maxime ne segnis sis ad accedendum. Nam duplex est apud illum passio, arrogantia et ira. Tu quidem causam dixisti, propter quam prior accedere debes, quia sanus es, quia videre potes. Ille namque in tenebris est: talis quippe est ira et arrogantia. Tu vero ab illis liber et sanus accede: ad ægrum medicus. Num quis medicorum dixerit, quia infirmus est, non vado? imo ideo maxime vadunt, cum videant illum non posse venire. Nam eos qui incedere valent, minus curant, quod non nimium ægrotent; decumbentes vero non item. Annon videtur tibi infirmitate graviorem esse arrogantiam et iram? Annon illa vehementi febri, hæc vero tumenti et inflato corpori similis est? Cogita quantum sit febrim et humorem habere. Vade, extingue ignem: potes enim per gratiam Dei, quasi aqua compesce ardorem. Quid ergo, inquies, si hoc ipso magis extollatur? Nihil ad te. Tu enim quod in te erat fecisti: ille sibi ipsi imputet. Ne condemnet nos conscientia nostra, quod illud eveniat nobis quæ requirebantur omittentibus: « Pasce »inimicum tuum, inquit; hoc enim faciens carbones ignis »accumulas super caput ejus [1]. » Et tamen cum res ita habeat, jubet abire, reconciliari et benefacere, non ut carbones ignis accumulemus; sed ut ille hoc sciens compescatur, ut tremat formidetque magis beneficia, quam inimicitias; et amicitias magis, quam insidias. Non enim inimicus ultionem meditans ita lædit se odientem, ut qui adjuvat et benefacit. Etenim qui ultionem meditatur et se et illum lædit, sed forte parum; qui autem benefacit, carbones ignis

[1] Rom. XII, 20.

accumulat super caput ejus. Ergo id facere non debemus, ne accumulemus carbones. At alio-ne modo vis carbones congerere super caput tuum? Etenim hoc facit ultionis cupiditas. Sed magis extendam? Minime. Non enim tu hoc facis, sed illius feritas. Si enim te benefaciente et honorante et conciliare studente, ille maneat servans inimicitias, sibi ipsi ignem accendit; ipse suum exussit caput: tu vero inculpatus es. Ne sis magis misericors quam Deus, quia innumera patieris mala; imo si volueris, non poteris, ne minimum quidem. Quomodo enim? « Quantum distat cœ»lum a terra, inquit, tantum distant consilia mea a consi»liis vestris [1]; » et rursum : « Si vos, inquit, cum sitis »mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis »Pater vester cœlestis dabit vobis [2]? » Sed hæc obtentus sunt. Ne igitur sophistice interpretemur mandata Dei. Et quomodo sophistice interpretamur, dic oro? « Hoc faciens, » carbones ignis congeris super caput ejus. » Tu vero dicis : « Timeo inimicum, quia me valde læsit. » Annon hoc dicis? Quomodo inimicum habes? Times eum qui te læsit, te ipsum vero non times? Utinam tui curam haberes : ne illud hoc scopo facias; sed potius saltem hoc scopo facias. Sed non facis. Non dico quod carbones ignis tibi congeris, sed aliud majus dico : tantum fac. Hæc enim omnia ut te evocet Paulus dicit; expectatione pœnæ solve inimicitiam. Quoniam ferini sumus, neque aliter adduceremur ad inimicum diligendum, nisi supplicium expectaremus, quasi cuidam feræ hanc massam tradit. Certe Apostolis non hoc (Christus) dicit : sed quid? « Ut sitis similes Patri vestro, »qui est in cœlis [3]. » Alioquin vero, fieri non potest, ut qui beneficia confert et qui accipit, maneant inimici. Idcirco hæc posuit. Cur, dum verbis philosopharis, in opere modum non servas? Bene, non pascis illum, ne carbones

[1] Isaï. LV, 9. — [2] Matth. VII, 11. — [3] Id. V, 45.

ignis congeras. Ergo parcis, ergo diligis, et ex tali scopo hoc facis? Scit Deus, utrum tali scopo dicas. Certe apud nos sophistam agis. Curam geris inimici, et times ne puniatur? Ergo iram extinxisti. Qui enim sic diligit, ut ejus utilitatem suæ præferat, non habet inimicum. Hoc dicere possis : « Usquequo ludemus in rebus non ludicris, et veniam non habentibus? » Quapropter rogo fraternitatem nostram dilectam a Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, oro et obsecro vos, obtentus hujusmodi rescindentes, ne contemnamus leges Dei, neque præcepta ejus spernamus, ut possimus Domino placentes præsentem vitam transigere, et promissa consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor, cum sanctissimo, bono et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

CAPUT XXIV.

Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens : Cum Lysias tribunus descenderit, dignoscam res vestras. Jussitque centurionem custodire Paulum, ipsumque requiem habere, neminemque familiarium prohiberi quominus ministraret ei, vel accederet ad eum[1].

I. Vide quanta fiat probatio, primo quidem a multis, deinde multo tempore, ut ne dici posset judicium raptim factum fuisse. Quia enim memoraverat Lysiam orator, dicens illum vi abduxisse Paulum, opportune subdit Fe-

[1] Act. XXIV, 22, 23.

licis verba, et ait : « Distulit autem illos Felix, certissime » sciens de via hac ; » id est, tempestive remisit, non opus habens discere ; sed ut repelleret Judæos. Dimittere propter illos nolebat ; punire non poterat, impudens enim fuisset. Ideo differt dicens : « Cum Lysias tribunus descenderit, » dignoscam res vestras. Jussitque centurionem custodire » Paulum, ipsumque requiem habere, neminemque familiarium prohiberi, quominus ministraret ei, vel accedere ad eum. » Requiem habere, inquit. Sic illum a criminibus liberum judicat. Cur ergo detinet eum ? In Judæorum gratiam, vel etiam sperans se pecunias accepturum esse. Idcirco Paulum evocat ; quod autem ideo evocarit indicat nobis scriptor subjungens ac dicens : « Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quæ est in Christum » Jesum. Disputante autem illo de justitia et castitate et de » judicio futuro, tremefactus Felix respondit : Quod nunc » attinet, vade : tempore autem opportuno accersam te. Simul sperans fore ut pecunia illi daretur a Paulo, ut solveret » eum. Propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo[1]. » Vide quomodo quæ scripta sunt, veritatem præ se ferant. Accersebat eum frequenter, non admirans illum, neque dicta laudans, nec quod vellet credere ; sed quid ? « Expectans, inquit, ut pecuniæ sibi darentur. » Vide quomodo non occultet hic judicis sententiam. Atqui si damnasset, non hoc fecisset, neque voluisset audire damnatum et scelestum. Et vide Paulum, etsi cum principe loquentem, nihil eorum dicere, quæ videbantur posse animum ejus demulcere ; sed quæ illum terrebant, ejusque mentem concutiebant. « Disputans, inquit, de justitia, de » castitate et de judicio futuro. Tremefactus est Felix. » Tanta vis erat Pauli verborum, ut principem terrerent.

[1] Act. XXIV, 24-26.

Et hic quidem successorem accipit, et hunc vinctum relinquit; quamvis non oportebat, et finis imponendus erat; sed ille in Judæorum gratiam reliquit illum. Illi vero sic urgebant, ut iterum apud judicem instarent; quamvis apud nullum unquam Apostolorum sic urserint; sed postquam in illos incesserant, destiterint. Ita provisum est ut Jerosolyma recederet, cum talibus feris decertans : et tamen illi rogant ipsum eo adduci judicandum. Sed hic rursum apparuit Dei providentia, qui id judicem facere non permisit. Verisimile certe erat ipsum nuper ad principatum evectum, id facturum in illorum gratiam esse; sed non concedit Deus. Postquam autem descenderant, impudentius et vehementius accusationes intentant. Cumque non possent illum ex legalibus capere, rursus pro more suo, Cæsarem inducunt, ut Christo objecerunt. Paulum enim se defendere de objectis contra Cæsarem peccatis palam erat, unde hæc declarans pergit. « Biennio autem ex» pleto, accepit successorem Felix Porcium Festum. Vo» lens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum » vinctum. Festus ergo, suscepta provincia, post triduum » ascendit Cæsarea Jerosolymam. Adieruntque illum prin» cipes sacerdotum et primi Judæorum adversus Paulum, » et rogabant eum, postulantes gratiam adversus eum, » ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes » ut interficerent eum in via. Festus vero respondit ut ser» varetur quidem Paulus Cæsareæ, se vero brevi illo pro» fecturum. Qui vero inter vos, inquit, potentes sunt, » descendentes simul si quod est crimen accusent eum. » Demoratus autem inter eos diebus plus quam decem, » descendit Cæsaream, et postero die sedit pro tribunali, » jussitque Paulum adduci. Qui cum perductus esset, cir» cumsteterunt eum, qui a Jerusalem descenderant Judæi, » multas et graves causas objicientes Paulo, quas non po-

» terant probare, Paulo rationem reddente, quoniam ne-» que in legem Judæorum, neque in templum, neque in » Cæsarem peccavi : Festus autem volens gratiam præstare » Judæis, respondens Paulo dixit : Vis Jerosolymam des-» cendere, et ibi de his judicari apud me[1] ? » Vide quomodo et ille Judæis gratificatur, universo populo et civitati. Ideo rursus illum terrefacit, humanis utens armis : et audi quomodo. « Dixit autem Paulus : Ad tribunal Cæsaris sto, » ibi me oportet judicari : Judæis nihil nocui, sicut tu me-» lius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, » non recuso mori. Si vero nihil est eorum quæ hi accusant » me, nemo potest me illis donare : Cæsarem appello[2]. » Sed, dixerit quispiam, cur cum audisset, « Oportet te etiam » Romæ testificari de me, » quasi non credens hæc facie-bat? Absit : sed et valde credens. Magis vero tentantis fuisset illi sententiæ fidere, seseque in mille pericula con-jicere, ac dicere : « Videamus num possit Deus etiam sic eripere me, » sed hoc non facit Paulus, verum quæ penes se erant omnia affert, totum Deo permittens. Sese vero defendens leviter principem perstringit, ac si diceret : « Si injuste egi, bene; si non injuste egi, cur me tradis? Nemo potest, inquit, me donare. » Metum illi incutit, ut non possit donare si velit, sed etiam contra illos defensionem habeat. « Tunc Festus cum concilio locutus respondit : » Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis[3] ? »

II. Vide : rem Agrippæ communicat, ut etiam alii sint auditores, et rex et exercitus et Bernice. Deinde rursum defensio. « Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa » rex et Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum » Festum, et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi » retulit de Paulo dicens : Vir quidam est derelictus a Fe-» lice vinctus : de quo cum essem Jerosolymis, adierunt

[1] Act. xxiv, 27, et xxv, 1-9. — [2] Ibid. 10, 11. — [3] Ibid. 12.

me principes sacerdotum et seniores Judæorum, postu-
» lantes adversus illum damnationem. Quibus respondi :
» Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem,
» priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusato-
» res, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.
» Cum ergo huc convenissent, sine ulla dilatione, sequenti
» die sedens pro tribunali jussi adduci virum. De quo cum
» stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de
» quibus ego suspicabar. Quæstiones vero quasdam de sua
» superstitione habebant adversus eum : et de quodam
» Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. Hæsitans
» autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam num vellet
» ire Jerosolymam, et ibi judicari de illis. Paulo autem appel-
» lante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari
» eum, donec mittam eum ad Cæsarem. Agrippa autem
» Festo dixit : Vellem et ipse hominem audire. Cras, in-
» quit, audies illum [1]. » Vide rursum accusationem Judæo-
rum, non a Paulo, sed a principe narratam. « Adierunt
» me, inquit, principes sacerdotum et seniores Judæorum,
» postulantes adversus eum damnationem. Quibus ego res-
» pondi. » Vide quid respondeat ad illorum confusionem.
« Non est consuetudo Romanis donare aliquem hominem,
» ut pereat; » id est, antequam rationem reddat, non po-
test vestri gratia tradi : ut vero secundum morem fecit,
causam non invenit. Quare hac de re hæsitat? ut liquet
ex sequentibus : « Hæsitans autem ego de hujusmodi quæs-
» tione. » Sic loquitur suum adumbrans peccatum. Et ille
quidem adumbrat; Agrippa vero cupit illum videre. Vide
principes semper inimicitiam judaïcam repellere, et præter
jus sæpe agere cogi, ac dilationis ansas quærere. Non enim
ignorans differebat, sed gnarus. Agrippa vero non modo non
repellit; sed et audire optat : quod admiratione dignum,

[1] Act. XXIV, 15-22.

unde in desiderium venerit videndi hominem accusatum licet injuste. Ita et hoc per providentiam factum est. Quamobrem et uxor ejus simul audit, nec a concione abest. Nec solum audit, sed cum honore magno. Talem habuit cupiditatem : non enim audire petiisset, nisi id optasset, neque sociam admisisset uxorem, nisi magnum quidpiam de illo sensisset. Videtur autem mihi illam quoque hæc desiderasse. Et vide Paulum statim non de fide solum et de remissione peccatorum, sed etiam de rebus agendis disserentem. Sed superius dicta repetamus. « In » præsenti, inquit, abi, opportunitatem autem nactus, ac- » cersam te. » Vide cæcitatem. Hæc audiens sperabat se pecunias accepturum ab eo. Et non solum hoc grave, sed etiam locutus cum eo, non dimisit eum. At quia in principatus finem venerat, reliquit eum vinctum, ut gratificaretur Judæis. Itaque non pecunias modo, sed et gloriam amabat. Cur, sceleste, pecunias quæris a viro contrarium prædicante? Quod autem non receperit, palam est ex eo quod vinctum reliquerit, soluturus si accepisset. De temperantia hic disputabat, et ille a viro talia loquente sperabat se pecuniam accepturum. Et petere quidem non audebat. Talis quippe est malitia, timida nempe et omnia suspecta habens. « Sperabat autem. » Itaque jure illis gratificabatur, utpote qui ibi tanto tempore imperasset. Igitur Festum, ubi provinciam suscepisset, adierunt principes sacerdotum et primi Judæorum, adversus Paulum, inquit. Statim et a principio accesserunt sacerdotes, qui non gravati fuissent Cæsaream venire, nisi prævenisset veniens ille, quandoquidem ubi advenit, statim illum adierunt. « Et cum descendisset Cæsaream, morabatur ibi decem » dies. » Forte opinor, ut prostaret eis qui vellent ipsum corrumpere. Paulus vero erat in carcere. « Et rogabant » eum, inquit, ut ipsum transmitteret in Jerusalem. » Et

cur gratiam petierunt, si justum erat ut morerctur? Sed ita illi manifestæ fuerunt insidiæ, ut diceret : « Viri qui » præsentes estis videte hunc, de quo multitudo Judæo- » rum me interpellavit. » Per illud enim, « Interpellavit, » gratiam contra illum petiisse significat. Itaque jam vole- bant illum ad sententiam ferendam inducere, linguam Pauli timentes. Quid timetis? Quid festinatis? Palam est illum custodiri. Num fugiet? « Qui ergo in vobis, inquit, » potentes sunt, accusent illum. » Rursum accusatores Cæ- sareæ, et rursum educitur Paulus. « Sequenti die, inquit, » sedens pro tribunali.

III. Vide : statim veniens sedit pro tribunali. Sic illum et cum tanto studio impellebant, sic urgebant. Quandiu ergo nondum expertus erat Judæos et honorem illorum, recte respondit. Postquam autem venit Jerosolymam, hic quoque gratificatur illis; sed cum dolo hoc facit. Et quo- modo, audi. Addit enim : « Vis-ne Jerosolymam ascendens, » illic de his judicari a me? » ac si diceret : « Non te illis trado, sed ipse judex ero. » Hoc vero dicit, rem illius ar- bitrio permittens, ut hoc honore ipsum alliceret. Quia si hoc imperasset, valde impudens visum fuisset, cum, qui istic convictus non fuisset, illo abducere. Paulus vero non dixit : « Nolo, » ne vehementiorem redderet judicem. Sed rursum libere loquitur his verbis : « Ante tribunal Cæsaris » sto : ibi me oportet judicari. » Magna loquendi fiducia. Et vide quomodo illos ratiocinio capit : quasi nimirum sic pro defensione sua loquatur. Me illi semel ejecerunt, et hinc me damnandum putant, quod ostendant me in Cæ- sarem peccasse. Apud illum ipsum, qui læsus est, judicari volo. His dictis subjungit : « Judæis nihil nocui, ut etiam » tu melius nosti. » Perstringit illum jam quasi Judæis gra- tificantem. Deinde postquam perstrinxerat, rursus solvit sermonem, addens : « Itaque si quidem injuste egi, vel

» dignum aliquid morte feci, non recuso mori. » Contra me sententiam fero, inquit. Hoc non est sese occidentis, sed valde dictis suis fidentis. Nam cum loquendi fiducia adsit oportet justitia ad confutandum. « Si autem nihil est co- » rum de quibus illi accusant, nemo potest me donare. » Etiamsi velit, inquit, non poterit. Non dixit: « Non dignus sum qui moriar, neque qui absolvar; » sed, « Paratus sum judicari apud Cæsarem: » simul somnii memor fidentius provocat. Neque dixit: « Tu, » sed, « Nemo; et addidit, » Cæsarem appello, » ne illi contumeliam inferre videatur. « Tunc Festus locutus cum concilio dixit: Cæsarem ap- » pellasti, ad Cæsarem ibis. » Vidisti-ne quomodo gratificetur? Gratia enim erat colloqui cum accusatoribus, quod est corrupti animi, et ordinem turbat. Vide iterum illius prorogatum judicium, et insidias, prædicationis occasionem factas. Hæc enim dispensantur, ut facile et cum custodia Jerosolymam abducatur, nemine insidiante. Non idem erat illuc simpliciter adventare, et cum tali causa venire. Hoc etiam id effecit ut Judæi illuc convenirent. Deinde iterum moræ sunt dum ille Jerosolymis versatur: ut discas, etiam cum tempus esset, insidias prævalere non posse, Deo non concedente. « Agrippa autem hic rex et » Bernice descenderunt Cæsaream. » Hic Agrippa, qui etiam Herodes vocabatur, alius est post eum qui Jacobum occidit, ut sit quartus. Vide inimicos vel invitos conspirare, ut magna auditorum frequentia esset. In desiderium incidit Agrippa ipsum audiendi. Nec utcumque audivit; sed cum apparatu. Et vide defensionem, quam præses profert. « Cum autem ipse appellasset ad Augustum, judicavi » mittere illum: de quo quid certum scribam Domino non » habeo. » Sic scribit Festus; et traducitur judaïca credulitas. Cum enim hoc præses dicat, suspectum non est: ideo dicit, ut ab eo ipso damnentur Judæi. Postquam au-

tem omnes condemnarunt ipsos, tunc ultionem immittit Deus. Observa autem : damnavit Lysias, damnavit Felix, damnavit Festus, et ii qui gratificabantur eis, damnavit Agrippa. Quid ultra? damnaverunt eos ipsi Pharisæi. Quod ille damnaverit, audi ipsum dicentem : « Nullam causam » deferebant, ex quibus ego suspicabar. » Certe attulerunt, sed non convicerunt. Insidiæ namque et facinus hanc suspicionem pariebant. Inquisitio autem nihil tale. « Et de » quodam Jesu, inquit, defuncto. » Jure dicit, « De quo- » dam, » utpote qui magistratum gereret, neque hæc curaret. Eadem de causa dicit : « Hæsitans ego de hujusmodi quæstione. » Etenim talium rerum inquisitio talis judicis aures vere transcendebat. Et si hesitans, cur Jerosolymam trahis? Ideo Paulus ejus judicium detrectans, Cæsaremque appellans dicit : « Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me » oportet judicari. » Etenim de hoc accusabant. Audis appellationem? audis insidias Judæorum? Audis seditionem?

IV. Hæc omnia Agrippam ad audiendi desiderium concitarunt. Et dat Festus gratiam, et fit postea Paulus clarior. Talia insidiæ conciliarunt. Si hæc non fuissent, nullus principum ipsum audire dignatus esset, nullus cum tanto silentio. Et videtur quidem ille docere et sese defendere; sed potius cum dignitate magna concionatur. Ne ergo putemus rem gravem insidias esse. Modo nobis ipsis non insidiemur, nemo nobis insidiari poterit. Imo insidiantur quidem, sed nihil nocent; sed maxime prosunt. Itaque penes nos est, et malo affici et non affici. Ecce testificor et magna tubaque clariore voce dico, (et si liceret in altum locum ascendere, non recusarem;) Christianum non posse a quovis homine in terra habitante lædi. Et quid dico, homine? Ne ipse dæmon, vel tyrannus, vel diabolus potest, nisi se ipse lædat. Si ergo quis nobis malum inferre velit, incassum tentabit. Sicut enim Angelum nullus in terra homo lædat,

sic nec homo hominem. Sed neque ipse alium lædere poterit donec bonus erit. Quid ergo huic par esse possit, quem nullus lædere, qui nullum lædere valeat? Nam hoc non minus illo est, quod nullum lædere velit. Ergo Angelus quidam est et Deo similis. Talis enim et Deus est : sed ille natura, hic proposito. Neque ergo lædi, neque lædere potest. Illud vero non potest, ne putes imbecillitatis esse : contrarium enim imbecillitas est; sed non esse capacem dico. Illa quippe natura nec damnum accipit, nec infert : nam hoc aliud damnum esset. Etenim non alio nos ipsos modo lædimus, quam alios lædendo, et maxima peccata nostra, ex damno nobis importato fiunt. Ideo ergo Christianus lædi nequit, quod lædere non possit. Quomodo alios lædentes nos ipsos lædamus, age res singulas pervadentes dictum exploremus. Lædat quis, contumelia afficiat, rapiat : quem læsit? Nonne prius se ipsum? Nulli certe non manifestum est. Læso enim in pecuniis damnum est, huic in anima. Nam hujus anima in perniciem et supplicium datur. Rursus invideat alter, quem is læsit? nonne, quæso, se ipsum? Talis est enim injustitiæ natura, quæ se gignentem millies lædat, alium vero parum; imo huic etiam prosit. At nihil fide dignum dixerim. Esto igitur; (in his enim maxime totum consistit) pauper tantillum habens pecuniæ, et necessario instructus cibo; alius vero dives, et opulentus, potestate valens, qui ea quæ sunt pauperis rapiat, nudum illum reddat et famelicum. Ille vero ex iis quæ injuste ipsi rapuit, in deliciis vivat. Hic non modo pauperem non læsit, sed etiam ipsi profuit; sibi vero non modo non profuit, sed etiam damnum intulit. Quomodo? Primo quidem a mala conscientia verberatus, et quotidie cruciatus, ab omnibus damnatus : deindeque in futuro judicio. Sed quod hic lædatur, hinc palam est. Quomodo autem ille utilitatem accipit? Quia male affici et fortiter ferre, magnum habet lucrum.

Est enim peccatorum solutio, graviter affligi : est philosophiæ gymnasium, virtutis doctrina. Videamus ergo uter in malis sit, hic an ille. Ille quidem si philosophus sit, fortiter feret; hic vero quotidie in tremore et suspicione erit. Uter ergo læditur, hic an ille? Fabulas narras, inquies. Quando quis quod edat non habet, et lamentari mendicareque cogitur, nec accipit, nonne simul et corpore et anima perit? Fabulas narras. Ego res ipsas commonstro. Dic enim mihi, nullus-ne divitum fert cruciatum? An id ex paupertate provenit? Sed non esurit? Et quid hoc est? Major erit ultio, quando cum divitiis hoc fecerit. Neque enim divitiæ fortem reddunt, neque paupertas imbecillum. Alioqui nullus opulentorum miseram ageret vitam, nullusque pauperum sibi malediceret. Quod vero sermones vestri fabula sint, hinc palam faciam. Paulus-ne in divitiis erat, an in paupertate? fame laborabat, annon? Ipsum audire licet dicentem, « In fame et siti[1]. » Prophetæ esuriebant, annon? Illi quoque in malis erant. Rursus Paulum mihi profers, rursus Prophetas, decem aut viginti homines. Sed unde vis? Ex multitudine, inquies, ostende mihi quosdam qui fortiter ferant. Sed rarum semper hoc est, pauci boni sunt. Si vis autem rem in se ipsa examinemus. Videamus cujus sollicitudo major sit et gravior, cujus levior. Nonne hic pro necessario alimento sollicitus est, ille pro innumeris rebus ipsum cibum relinquit? Non famem timet dives, sed alia formidat; sæpe pro salute timet. Non vacat sibi sollicitudine pauper, sed aliis vacat sollicitudinibus, securitatem habet, quietem, tranquillitatem.

V. Alioquin vero, si injuste agere malum non est, sed bonum, cur confundimur? cur erubescimus? cur probris affecti indignamur, ægre ferimus? Si non bonum est injuste affligi, cur ea de re gaudemus et gloriamur, et nos

[1] 2 Cor. XI.

justificamus ea de causa? Vis discere quomodo hoc illo sit melius? Vide ambos, hunc et illum. Cur leges sunt? cur tribunalia? cur supplicia? Nonne propter illos ut ægrotantes? Sed multa voluptas est, inquies. Futura prætereamus, præsentia exploremus. Quid miserius homine talem habente suspicionem? quid ad ruendum proclivius? quid putidius? Annon semper in naufragio est? si quid juste fecerit, non creditur, ob facultates ab omnibus damnatus. Omnes enim contubernales accusatores habet. Non amicitia uti potest. Nemo quippe facile velit tantæ gloriæ hominis amicus esse, ne ejus malæ sit famæ consors: illum ut feram omnes aversantur, ut perniciosum, inimicum, homicidam, naturæ hostem, injustum hominem. Si ad tribunal incidat, non opus erit accusatore, fama ipsum magis, quam accusatore quopiam, condemnante. At non ita se habet is qui injuste affligitur; sed omnes habet patronos, condolentes manum porrigentes; in securitate stat. Si bonum est et tutum injuste agere, fateatur quis se injustum esse. Sed si non audet, cur ergo hoc ut bonum aggreditur? Videamus porro quomodo in nobis hæc fiant, quot inde mala. Dic quæso, si quid in nobis superato modo suo, alterum invadat, si splen, relicto loco suo, alienum velit cum suo arripere, annon hoc morbus erit? Humidum item quod in nobis est si omnia impleat, nonne hydropisis erit? Postea si bilis latitudinem quærat, et ubique diffundatur sanguis. Quid autem in anima ira, concupiscentia et reliqua omnia, si transgrediantur mensuram, nonne se simul perdunt? Ita et cibus; si plus quam concoqui possit sumatur, morbis corpus infestat. Unde namque podagræ? unde paralysis et agitatio corporis? Annon ex immoderato cibo? Rursus in corpore si plus velit oculus accipere, et plus videre quam definitum sit, vel si majorem accipiat lucem; quod supra mensuram est magis nocet, quam prosit. Si vero

cum lux bona sit, oculus, qui plus quam par sit vult videre, perit; quando quid splendidius respicit, cogita quantum sit malum. Auditus si magnam excipiat vocem, mens percellitur. Mens si ea quæ se superant cogitet, attonita est, et id quod modum exuperat perdit. Hoc est enim avaritia πλεονεξία, plus habere, quam constitutum sit. Sic et in pecuniis, cum volumus majorem sarcinam imponere, licet non sentiamus, gravem in nobis alimus feram, multa habentes, multis egentes, innumeris nos curis implicantes, multas diabolo ansas præbentes. Ideo in divitibus diabolus non opus habet labore: nam captu faciles illi sunt a divitiis. At non sic in pauperibus, imo contrarium. Ita res ipse per se perdunt. Quare rogo ab harum concupiscentia abstineamus; ut possimus maligni laqueos effugere, et apprehensa virtute æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

CAPUT XXV.

Postera autem die, cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus [1].

I. Vide qualis frequentia a Paulo congregetur, « Cum » viris, inquit principalibus civitatis: » omnibus enim convocatis satellitibus præfectus et rex accedunt. Cum ipsis

[1] Act. xxv, 23.

etiam tribunus et primores civitatis affuerunt : hos enim principales vocat. Et vide quomodo ipse ductus prædicatur a Festo. Non modo enim illum crimine liberum dicit, sed etiam defendit. Quid dicit? « Agrippa rex et omnes, » qui simul adestis nobiscum viri. Videtis hunc de quo » omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis » et hic acclamantes non oportere eum amplius vivere. » Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. » Illo autem appellante ad Augustum, judicavi illum mit» tere. De quo quid certum scribam Domino non habeo. » Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex » Agrippa, ut interrogatione facta, habeam quod scribam. » Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et cau» sas ejus non significare [1]. » Vide quomodo illos quidem accusat, hunc vero absolvit. O justitiæ copiosa argumenta! plurima facta perquisitione non invenit præses quomodo condemnet. Illi vero morte dignum dicebant. Ideo dicebat ille : « Ego vero comperi nihil dignum morte eum admi» sisse. » Deinde adjicit : « De quo quid certum scribam ad » Dominum meum non habeo. » Et hoc ex Pauli innocentia prodit, quod judex nihil habeat de illo dicendum. « Ideo » produxi eum, inquit, ad vos. Sine ratione enim mihi vide» tur esse, mittere vinctum, et causas ejus non significare. » Vide in quantas angustias Judæi principes suos conjecerint. Quid vero Agrippa? De his volens aliquid dicere Paulo dixit : « Permittitur tibi loqui pro temetipso [2]. » Ex multo audiendi desiderio illi rex dicere permittit. Paulus vero cum fiducia deinceps loquitur, non adulando; sed ideo se beatum esse dicit, quod ei loquatur qui omnia sciret : et quod ideo, audi quæ ipse profert. « Tunc Paulus » extenta manu cœpit rationem reddere. De omnibus qui» bus accusor a Judæis, rex Agrippa, æstimo me beatum,

[1] Act. xxv, 24-27. — [2] Id. xxvi, 1.

» apud te cum sim defensurus me hodie, maxime te sciente » omnes quæ apud Judæos sunt consuetudines et quæstio- » nes. Propter quod obsecro patienter me audias [1]. » Profecto si male sibi conscius fuisset, turbari oportebat dum apud eum qui omnia sciret causam diceret. Sed illud est puræ conscientiæ, non recusare judicem res gestas accurate scientem ; sed et gaudere. Unde ille se beatum putat et dicit : « Obsecro patienter me audias. » Quia sermonem erat producturus et aliquid de se ipso dicturus, ideo præoccupans rogabat dicens : « Et quidem vitam meam a juven- » tute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jerosolymis, » noverunt omnes Judæi, qui prius noverant me ab initio, » si velint testimonium perhibere ; quod secundum accu » ratissimam sectam nostræ religionis vixerim Pharisæus [2]. » Id est : « Quomodo seditiosus fuerim, tam juvenis et testimonium habens omnium ? » deinde id probat a secta, addit enim : « Secundum accuratissimam religionis nostræ » sectam vixi. » Et quia verisimile erat quosdam dicturos esse : Quid ergo si secta quidem mirabilis sit, tu vero malus ? Vide quomodo huic occurrat objectioni. Testes enim advocat omnes Judæos, qui ejus vitam et conversationem norant. « Sciunt, inquit, omnes Judæi, qui me prius no- » verunt, si velint testimonium ferre. Et nunc in spe repro- » missionis, quæ ad patres nostros facta est a Deo, sto » judicio subjectus : in quam duodecim tribus nostræ, » nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe, » rex Aggrippa, accusor a Judæis. Quid incredibile judica- » tur apud vos, si Deus mortuos suscitat [3] ? » Duas de resurrectione rationes ponit ; alteram a Prophetis, et nullum adducit Prophetam ; sed illam Judæorum esse opinionem dicit ; alteram et fortiorem ex rebus ipsis. Quam illam ? Quod Christus a mortuis suscitatus se allocutus sit, et illud

[1] Act. xxv, 2, 3. — [2] Id xxvi, 4, 5. — [3] Ibid. 6-8.

ratiociniis probat, priscam insaniam suam accurate narrans : deinde etiam cum laude Judæorum. « Nocte et die » colentes, inquit, sperant devenire. « Itaque nisi inculpatæ vitæ essem, super his non oporteret judicari, rex Agrippa.» Subditur alia ratio. « Quid incredibile judicatur a vobis, » si Deus mortuos suscitat? » Nam si hæc non esset opinio, si in his dogmatibus educati non essent, et nunc ea efferrentur, forsan quis sermonem non recepisset. Deinde dicit quomodo persequebatur : quod ad probandum idoneum est. Et principes sacerdotum adducit testes et externas civitates, et quod audierit dicentem sibi : « Durum est tibi » contra stimulum calcitrare [1]. » Deinde ostendit Dei clementiam : etiam cum persequeretur ipsum Saulus, ipsi apparuit : nec mihi solum, inquit, bene fecit, sed et aliis doctorem misit.

II. Ostendit item prophetiam quam audivit. « In hoc » apparuit tibi, eripiens te de populo et gentibus, ad quas » misi te. » Hæc omnia ostendens dicebat. « Et ego quidem » existimaveram me adversus nomen Jesu Nazareni debere » multa contraria facere, quod et feci Jerosolymis, et multos » sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacer- » dotum potestate accepta : et cum occiderentur detuli » sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens » eos, compellebam blasphemare : et amplius insaniens in » eos, persequebar usque in externas civitates. Inter hæc » dum irem Damascum, cum potestate et permissu princi- » pum sacerdotum, die media, in via vidi, rex, de cœlo » supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos » qui mecum simul erant. Omnesque nos cum decidisse- » mus in terram, audivi vocem loquentem mihi hæbraïca » lingua : Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est » tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi : Quis es,

[1] Act. IX, 5.

» Domine ? Ille autem dixit : Ego sum Jesus, quem tu per-
» sequeris. Sed exurge et sta super pedes tuos. Ad hoc enim
» apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum
» quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te
» de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te, ape-
» rire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem,
» et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem
» peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem, quæ est
» in me [1]. » Perpende quam mansuete loquatur. « Deus,
» inquit, dixit ad me : « Apparui tibi ut constituam te mi-
» nistrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus ap-
» parebo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quos nunc
» ego mitto te, ut aperias oculos eorum, ut convertantur a
» tenebris ad lucem, et a potestate Satanæ ad Deum, ut
» accipiant remissionem peccatorum. » Ac si diceret :
« His credidi, hac visione me adduxit, et sic persuasit, ut
» non differrem. Unde, rex Agrippa, non fui incredulus
» cœlesti visioni, sed iis qui sunt Damasci primum, et Je-
» rosolymis, et in omnem regionem Judææ, et gentibus
» annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur
» ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes [2]. » Qui igi-
tur alios erudiebam circa vitam optimam, quomodo sedi-
tionis et contentionis auctor fuissem ? « Hac ex causa me
» Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant
» interficere. Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodier-
» num diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra
» dicens, quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse,
» et Moyses, si passurus Christus, si primus ex resurrec-
» tione mortuorum lumen annuntiaturus est populo et gen-
» tibus [3]. » Vide ut sermo ejus adulatione careat, et totum
ascribat Deo. Vide et dicendi libertatem, « Sed neque nunc
» desisto ; » firmitatem, A Prophetis confirmor : an passurus

[1] Act. xxvi, 9-18. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Ibid. 21-23.

fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen sit annuntiaturus; ac si diceret: « Christus primus resur» gens, jam non moritur. » Manifestum est ex eo quod omnibus hoc denuntiet, et in semetipsis expectent. Deinde Festus, ut loquendi libertatem vidit, qua regi loquebatur, non avertens se ab aspectu ejus, ac si aliquid pateretur dicit: « Insanis, Paule. » Quod autem aliquid passus hoc dicat; audi sequentia. « Hæc autem illo disserente, Festus » magna voce dixit. Insanis, Paule, multæ litteræ ad insa» niam convertunt [1]. » Quid igitur Paulus? Cum mansuetu» dine respondens ait: « Non insanio, optime Feste; sed » virtutis et sobrietatis verba loquor [2]. » Postea etiam causam docet propter quam ad regem sermonem converteret. « Scit enim de his rex ad quem et constanter loquor: la» tere enim eum nihil horum arbitror. Non est enim in » angulo hoc gestum. Credis, rex Agrippa, Prophetis? Scio » quod credis [3]. » Hoc ita dixit, quasi traducens illos et dicens: « Scio quod omnia accurate sciat, et oportebat vos » hæc scire primos; id enim sequentia declarant. Non est » hoc in angulo gestum: » sed noluistis. « Credis, rex » Agrippa, Prophetis? Scio quod credis. Agrippa autem ad » Paulum dixit: In modico suades me Christianum fieri. Et » Paulus: Opto apud Deum et in modico et in magno, non » tantum te, sed etiam omnes qui audiunt me, hodie fieri » tales qualis et ego sum, exceptis vinculis his [4]. » Vide quomodo precatur dicens: « Opto apud Deum, et in modico, hoc est, ut ne parum quidem absit. » Et non solum orat, sed ferventer, « Tales, inquit, fieri omnes, » non modo te, sed omnes, « Qualis sum ego; » deinde ait: « Exceptis » vinculis his: » non moleste ferens vincula, neque erubescens quod ligatus esset. Hoc enim ipsi, si quid aliud, gloriosum erat; sed ad illorum opinionem respiciens, ita dixit.

[1] Act. xxvi, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26, 27. — [4] Ibid 28, 29.

Ideo addidit, « Exceptis vinculis his. » Sed superius lecta repetamus. « Postera ergo die, ut in auditorium ingressi » sunt, jubente Festo adductus est Paulus. » Destiterant jam Judæi, eo quod ille appellasset, et tunc ipsi splendidum adest theatrum. Cum multo enim apparatu rex et omnis multitudo Judæorum affuerunt : non alii aderant, alii aberant ; sed omnes præsentes erant. « Multitudo Judæorum, » inquit, interpellavit me Jerosolymis et hic clamantes » non oportere hunc ultra vivere. »

III. Vide insaniam. Clamabant, oportere illum mori dicentes. Hinc ostendit se jure Cæsarem appellasse. Si enim nihil grave dicendum habebant, illique furebant, jure ad illum venit. « Ut interrogatione a vobis facta, habeam » quod scribam, inquit. » Vides quomodo sæpe causa examinatur ? Et defensionis hujus auctores sunt Judæi, quam cognituri erant etiam qui erant Romæ. « Super omnibus » de quibus accusor, rex Agrippa, existimo, inquit, me » beatum, qui coram te rationem redditurus sum. » Vide quomodo vel inviti et nequitiæ suæ et virtutis Pauli testes fiunt etiam apud regem. Itaque magnificentius adducebatur Paulus, quam si absque vinculis abiisset. Non enim ultra ut deceptor et præstigiator a tot judicibus dimissus abducebatur. Omnibus ergo relictis apud quos natus educatusque fuerat, non utcumque ; sed omni suspicione liber Romam migrat. Neque dixit : « Quid hoc est ? Semel appellavi Cæsarem, millies judicatus sum. Usquequo ? » Sed quid ? Iterum paratus erat reddere rationem apud eum, qui res judaïcas maxime nosset. Quare cum magna libertate sese defendit, quia ii qui se condemnabant, nullam jam habebant auctoritatem. Licet autem nihil possent, et sententia illa qua dictum fuerat : « Ad Cæsarem ibis, » teneret, attamen dat ille rationem multiplicem de omnibus, nec de quibusdam solum. Et responsione sua hæc fere dicit : ac-

cusant de seditione, et quod templum violaverim, de omnibus rationem reddo. Vitam meam a juventute sciunt omnes Judæi. Quod autem a moribus meis abhorreat seditiones excitare, accusatores ipsi testes sunt. Quod etiam antea dixit : « Æmulator paternarum mearum traditionum, » id et hoc loco subindicat : « Vitam ab adolescentia mea. » Et quando populus totus aderat, tunc illorum advocat testimonium. Neque solum ad Lysiæ tribunal hoc fecit ; sed etiam apud Festum : et rursus hic, cum plures aderant. Illic autem non multa defensione opus erat, cum litteræ Lysiæ ipsum dimitterent. « Sciunt omnes Judæi, inquit, » qui jam olim me noverunt. » Et non dixit, qualis sua vita ; sed illorum conscientiæ reliquit, et totum in sectam rejicit : hinc ostendens se non illam delecturum fuisse, si malus fuisset improbus. Pro secta igitur hac, inquit, sto judicium subiens. Hæc ab illis quoque defenditur, propter hanc precantur, propter hanc Deum colunt, ut hanc consequantur : hanc ego annuntio, et de hac spe accusor. Annon insanientium est omnia facere ad illam assequendam, et eum qui in illam credit persequi ? Mihi autem visum est, inquit, adversus nomen Jesu Christi Nazareni oportere omnia contraria facere ; id est, judicavi hæc facienda esse : quia non eram ex Discipulis Christi, sed ex impugnantibus eum. Ideoque fide dignus testis est. Quia dum millia faceret, ut fideles impugnaret, dum blasphemare suaderet, omniaque moveret civitates, principes, et per se ipsum hæc faceret, sic derepente mutatus est. Deinde rursum testes qui simul aderant. Postea ostendit se jure credidisse, a luce, a Prophetis, ab eventibus, et ab iis quæ nunc facta sunt : subdit enim : « Media die in via, et vidi lucem me circum- » fulgentem et eos qui mecum ibant. » Vide ergo quomodo et a Prophetis, et ab his, ipsis fidem faciat. Ne enim videretur innovare, etsi magna dicere posset, rursum ad

Prophetas confugit, et ipsos in medio ponit. Quod fide dignius erat : utpote quod nunc evenerat. Sed quia ipse solus viderat, rursum a Prophetis confirmat. Et perpende illum non eodem modo in judicio, et in Ecclesia disserere. Nam illic quidem dixit : « Occidistis. » Hic vero nihil tale, ne amplius furorem succenderet. Sed idem ipsum ostendit : « Si passibilis Christus, sic illos a crimine liberat. Igitur id quod ego annuntio, num primus mortuorum resurrexerit, id ex Prophetis demonstro. Nam et Prophetæ hoc annuntiant. Itaque sermonem accipite, qui idem ipse est atque Prophetarum dicta. Quia autem visionem dixerat, demum cum libertate præclara gesta narrat. Quænam illa ? « Ut » aperias, inquit, oculos, et convertas a tenebris ad lucem, » et a potestate Satanæ ad Deum. » Ad hoc enim, inquit, « Apparui tibi, » non ut puniam, sed ut Apostolum te faciam. Vide, mala quæ incredulos detinent ostendit, Satanam et tenebras ; sicut fidelium bona sunt lux, Deus, sors sanctorum. Nec solum ad pœnitentiam hortatur, sed ad mirabilem agendam vitam. Et vide ubique gentes sermoni permixtas. Nam qui aderant, ex gentibus erant. « Testifi- » cans, inquit, tum in parvo tum in magno ; » propter milites ita dixit. Deinde defendentis se ordine dimisso, doctoris ordinem accepit. Ideo ait Festus illi : « Insanis. » Postea ne videretur ipse doctor esse, inducit Prophetas et Moysem. « Si passibilis, inquit, Christus, si primus ex resurrectione » mortuorum lucem annuntiaturus sit populo et gentibus. » Festus magna voce dixit. » Sic furoris et iræ vox erat.

IV. Quid ergo Paulus ? « Non est in angulo gestum hoc, » ait. Hic de cruce loquitur et de resurrectione, et quod dogma ubique terrarum pervaserit. « Credis, inquit, rex » Agrippa » non dixit ; Resurrectioni ; sed, Prophetis. Deinde præoccupat illum et dicit : « Scio quod credis. » Cui Agrippa : « In modico mihi suades fieri Christianum. »

Non intellexit Paulus, quid sit, « In modico ; » sed putavit hoc significare, ex modico. Ideo sic respondet, ita idiota erat. Et non dixit, Vellem, sed, « Optarem, non solum te, sed etiam omnes audientes. » Vide adulationis expertem sermonem. « Optarem, inquit, hodie omnes fieri tales » qualis ego sum, exceptis vinculis his. » Vide : qui gloriatur in vinculis, qui profert illa sicut catenam auream, illa nunc deprecatur. Et ne mireris. Adhuc enim infirmiores erant, et illi attemperatus sermo erat. Nam quod vincula magni faceret, vide quomodo in Epistolis illa semper præponat aliis, dicens : « Paulus vinctus Jesu Christi. » Et rursum : « Ideo circumposita est mihi catena, sed verbum Dei » non est alligatum ; » et, « Usque ad vincula quasi ma» lefactor. » Vide, non modo vincula ponit ; sed etiam, « Quasi malefactor » addidit, augens vinculorum gloriam. Duplex supplicium ; quod ligatus esset, et quod ut malefactor. Nam si ita alligatus fuisset, quasi pro bono opere, aliquam consolationem habuisset. Nunc autem ut malefactor, et quasi in gravissimis deprehensus : et tamen nihil hæc curabat. Talis est anima cœlesti amore sublimis effecta. Nam si ii, qui hoc turpi amore flagrant, nihil putant vel gloriosum, vel pretiosum, sed ea solum quæ concupiscentiæ suæ inservire possunt, gloriosa et pretiosa judicant, et amasia fit eis omnia ; multo magis ii, qui hoc amore capti sunt, nihili faciunt pretiosa. Quod si dicta non intelligamus, nihil mirum : in hac quippe philosophia imperiti sumus. Si quis enim igne Christi capiatur, talis efficitur qualis fuerit homo solus in terra habitans. Sic nihil curat, non gloriam, non ignominiam. Sed sicut is, qui solus habitaret, neminem curaret ; sic neminem ille curat. Tentationes autem, flagella, carceres ita contemnit, ac si in alieno corpore hæc pateretur, et ac si adamantino esset corpore. Ea autem quæ suavia in hac vita sunt, ita deridet, et erga illa

insensibilis est, ut nos erga mortua corpora ; vel ac si ipsi mortui simus. Tantum porro abest ut aliquo affectu capiatur, quantum aurum igne probatum et purum a sordibus liberum est. Sicut enim muscæ in mediam flammam non inciderint, sed fugiunt, sic nec animi affectus ad hunc ignem accedere audent. Et horum vellem exempla ex nobis ipsis proferre; quia vero inopes sumus, necesse est ut ad illum ipsum confugiamus. Vide autem quomodo ille ipse erga totum mundum affectus esset. « Mihi mundus » crucifixus est, inquit, et ego mundo ; » id est, mortuus sum mundo, et ille mihi mortuus est. Et rursum : « Vivo » autem jam non ego, vivit vero in me Christus. » Hæc dicere solius est Pauli. Nos autem qui tantum ab illo absumus quantum cœlum a terra, nos abscondamus, ac neque os aperire audeamus. Quod autem quasi in solitudine esset, et sic præsentia respiceret, audi illum dicentem : « Non » considerantibus nobis quæ videntur, sed quæ non viden» tur. » Quid dicis? Atqui contra quam dicis res se habet. Nam invisibilia non videmus, et visibilia videmus. Quales habebas oculos, tales sunt qui a Christo dati. Sicut enim hi visibilia quidem vident, invisibilia vero non vident ; sic illi contra. Nemo qui invisibilia videat, visibilia videt ; nemo qui visibilia videat, invisibilia videt. Annon etiam apud nos hoc fit? Quando enim conversa mente ex invisibilibus aliquid cogitamus, sublimes nobis sunt operationum oculi. Contemnamus gloriam ; rideri magis, quam laudari velimus. Nam qui irridetur, nihil læditur ; qui laudatur, multum. Ne magni faciamus ea quæ homines terrent; sed de iis ut de puerili lusu tractemus. Neque enim si quem videamus pueruloś exterrentem, ipsum admiramur : nam quisquis terret, pueruloś terret : virum namque terrere non possit. Et quemadmodum qui terrent, vel supercilia surrigunt, vel aliter vultum distorquent ; at si sanum et mansuetum

oculum habeant, hoc facere non possint: sic et hi perspicacitatem mentis distorquentes hoc faciunt. Itaque mansuetum hominem et bonæ animæ nemo exterret, sed illum veneramur omnes, honoramus, reveremur. Annon videtis quomodo is qui terribilis est, omnibus sit invisus et abominandus. Quid enim ex iis quæ terrere possunt non aversamur? Nonne feras? nonne vultus? nonne loca? nonne aërem? Quales tenebræ?

V. Ne magnum putemus esse si homines nos timeant. Primum enim nullus vere homo timet; secundum, non magnum est timeri. Magnum bonum virtus est: et vide quam magnum; etsi res illas quibus constat miseras existimemus, illam tamen mirabilem beatamque prædicamus. Quis enim non beatum prædicet philosophum, etsi paupertas et similia, misera esse videantur? Cum ergo per ea, quæ misera esse videntur, ille fulgeat, vide excellentiam. Altum sapis de potentia, o homo? et quæ potentia, quæso, ordinata est? Ab hominibus potens factus es: intus ordinate ipsum. Princeps enim est, non qui vocatur, sed qui vere est. Sicut enim rex neque medicum neque rhetorem faciet, sic neque principem, neque enim vel litteræ vel nomen principem faciunt. Nam si vis extruat quis medicinæ officinam, habeat etiam discipulos, habeat instrumenta et pharmaca, et invisat ægrotos. An hæc possunt efficere medicum? Minime. Sed arte opus est, et sine illa non modo nihil hæc prosunt; sed etiam nocent. Eum enim qui medicus non est, melius est pharmaca non habere: qui non habet, neque servat neque perdit; qui autem habet, pessumdat, nesciens illis uti. Siquidem non in pharmacorum natura tantum salus est, sed etiam in arte utentis: quæ si non adsit, omnia pereunt. Talis et princeps est: habet instrumenta, vocem, iram, lictores, exilia, honores, dona, laudes; habet et pharmaca, leges; habet

ægros, homines : habet officinam, tribunal; habet discipulos, milites. At si non adsit ars medica, hæc nihil illi proderunt. Judex medicus est animarum, non corporum. Si autem corporum valetudo tanta eget cura, multo magis animarum, quia major anima corpore. Non ergo nomen habere principis, est esse principem : quando vocantur et alii magnis nominibus, verbi gratia, Paulus, Petrus, Jacobus, Joannes, sed non ex nominibus ii sunt qui vocantur : ut et ego, sum quidem beati illius homonymus sive cognominis, non autem synonymus. Non sum Joannes, sed vocor. Sic et illi non sunt principes, sed vocantur. Sunt autem illi principes etiam sine his; sicut et medicus licet arte sua non utatur, si illam in anima habeat, medicus est. Sunt principes sui ipsorum principes. Tria enim hæc sunt animæ, domus, civitas, orbis, et via quadam res procedunt. Oportet igitur eum, qui domui præficiendus, et ipsam recte ædificaturus est, primo animam suam componere : nam domus sua est. Si vero suam regere non possit, ubi una anima, ubi herus ipse, ubi semper secum est, quomodo alios ædificabit? Qui potest animam componere suam, qui aliud regere, aliud regi curat, hic et domum regere poterit; qui domum, etiam civitatem : qui civitatem, etiam orbem. Si animam regere non possit, quomodo orbem poterit? Hæc dixi, ut ne ad principatus inhiemus, ut videamus quid sit principatus. Hoc enim non est principatus, sed derisio, servitus, et mille similia quis dixerit. Dic mihi, quid est principi proprium? Nonne subditis prodesse et bene facere? Quid ergo si hoc non fiat? Quomodo aliis proderit, qui sibi non prodest? qui sexcentis animi motibus agitatur, quomodo aliorum motus sedabit? Sic etiam deliciæ, non ipsæ sunt deliciæ, sed alia. Sicut enim demonstratum est principem esse non hunc sed alium. Sic qui deliciis gaudet, alius est. Videntur enim deliciæ esse voluptati et gulæ

servire, sed hoc non est, imo contrarium, nempe animam habere mirabilem, et sic in voluptate versari. Esto enim comedat quis, bibat et lasciviat; deinde curam habeat ac mœreat: an potest hic in deliciis esse? Non ergo comedere et bibere sunt deliciæ; sed in voluptate esse. Esto quis aridum manducet panem, et cum lætitia impleatur. Annon hac voluptas est? ergo et hæc ciborum deliciæ. Videamus ergo quibus hæc voluptas accidat, an divitibus, annon divitibus. Neque his neque illis; sed iis qui ita componunt animam suam, ut ne multas habeant mœrorum causas. Et qualis est hæc vita? dicet forte aliquis; video enim vos omnes audiendi studio flagrantes, quæ sit hæc vita, quæ nullum habeat mœrorem. Igitur in confessio sit apud vos primo hanc esse voluptatem, has delicias, quando mœror non turbat, nec petit a me carnes, vinum, condimenta, sericas vestes, lautam mensam. At si ostendero absque his talem haberi vitam, hanc voluptatem, hanc vitam dilige. Multa enim nobis tristitia accidunt, eo quod non ut par est ea nobiscum reputemus. Quis igitur magis dolebit, isne qui illa nihil curat, an is qui curat? Qui vicissitudines metuit, an qui non metuit? Qui livorem, invidiam, sycophantias, insidias, perniciem timet, an qui non timet? Qui multis, an qui nullo indiget? Qui innumeris, an qui nulli servit? Qui multis opus habet, an qui liber est? Qui unum timet dominum, an qui sexcentos? Ergo major hic voluptas est. Hanc itaque sectemur, neque præsentibus inhiemus; sed derideamus omnem vitæ fastum; sed ubique modum servemus, ut possimus hanc vitam sine mœrore transfigere, et promissa consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIII.

CAPUT XXVII.

Et exurrexit rex, præses et Bernice, et qui assidebant eis. Et cum secessissent, loquebantur ad invicem dicentes: Nihil morte aut vinculis dignum fecit hic homo. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem [1].

I. Vide quomodo rursum pro illo calculum ferunt, etiam postquam Festus dixerat, « Insanis, » absolvunt illum, non solum a morte, sed etiam a vinculis; ac demum dimisissent nisi Cæsarem appellasset. Verum hoc ex providentia factum est; non solum autem hoc; sed etiam quod cum vinculis abiret. Ideo dicebat: « Usque ad vincula » quasi male operans. » Si enim Dominus ejus cum iniquis reputatus est, multo magis hic; sed sicut ille gloriam non curavit, ita neque hic. Admirabile enim est quod inter illos mixtus, nihil inde damni acceperit. « Ut autem decre- » tum fuit ut nos navigaremus in Italiam, tradiderunt » Paulum et quosdam alios vinctos centurioni nomine Julio » cohortis Augustæ. Conscensa navi Adrumetina, naviga- » turi circa Asiæ loca solvimus, perseverante nobiscum » Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem » die appulimus Sidonem [2]. » Vide quousque comitatur Paulum Aristarchus. Bene etiam et utiliter adest Aristarchus, omnia in Macedonia narraturus. « Humaniter autem » tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam

[1] Act. xxvi, 30-32. — [2] Id. xxvii, 1-3.

» sui agere. Et inde cum solvissemus, subnavigavimus Cy-» prum, eo quod essent venti contrarii[1]. » Permisit, inquit, Julius, Paulum humaniter tractans. Bene hoc permisit, ut ad notos profectus curaretur. Verisimile enim est eum male habuisse a vinculis, a metu, a raptationibus. Vide quomodo hoc non occultet, quod curam sui habuerit. Rursus tentationes; rursus venti contrarii. Vide per omnia vitam sanctorum sic contexi : effugerant tribunal, et incidunt in naufragium et tempestatem, quod indicans pergit. » Et pelagus inter Ciliciam et Pamphiliam emensi, perve-» nimus Myram, quæ est in Lycia. Et ibi centurio nactus » navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transtulit » nos in illam[2]. » Nactus, inquit, navem Alexandrinam. Apposite invenitur, ut illi quæ Paulum spectabant in Asia nuntiarent, et hi in Lycia. Vide Deum nihil innovare, nihil mutare, sed permittere eum contrariis ventis navigare. Sed etiam sic miraculum operatur. Ut tuto navigent, non sinit eos in pelagus se immittere; sed semper juxta terram navigabant. « Et cum multis diebus tarde naviga-» remus et vix devenissemus contra Cnidum, prohibente » nos vento, subnavigavimus Cretæ juxta Salmonem. Et » vix præterlegentes illum, pervenimus in locum quemdam » vocatum, Boniportus, juxta quem prope civitas Lasæa. » Multo autem tempore peracto, et cum jam non esset tuta » navigatio, eo quod jejunium jam præteriisset, admonebat » eos Paulus, dicens : Video, viri quod cum injuria et » multo damno, non solum oneris et navis; sed etiam ani-» marum nostrarum incipit esse navigatio. Centurio autem » gubernatori et nauclero magis credebat, quam iis quæ » dicebantur a Paulo[3]. » Jejunium hoc opinor dici Judæo-rum. Nam post Pentecosten exierant illinc post multum tempus, ut in ipsa fere hyeme venerint in partes Cretæ. Et

[1] Act. xxvii, 4. — [2] Ibid. 5, 6. — [3] Ibid. 7-11.

hoc quoque non parvum miraculum, quod illi propter hunc servati sint. « Viri, video quod cum injuria et multo » damno, inquit, non solum oneris et navis, sed etiam ani- » marum nostrarum incipit esse navigatio. » Itaque Paulus jussit manere, et futura prædixit : illi vero festinantes, cum a loco prohiberentur, volebant in Phœnice hybernare.

II. Vide, quæso, dispensationem. Primo quidem navim solverunt, abieruntque : deinde ut incidit ventus, dederunt se ferenti, et vix servabantur. « Et cum aptus portus non » esset ad hybernandum, plurimi statuerunt concilium na- » vigare inde : si quomodo possent pervecti Phœnicen illic » hybernare ; is est portus Cretæ, respiciens ad Africum et » Chorum. Aspirante autem Austro, putantes propositum » se tenere, cum solvissent Asso, prætterlegebant Cretam. » Verum haud multo post, coortus est contra ipsam ventus » Thyponicus, qui vocatur Euroaquilo ; cumque correpta » esset navis, nec posset vento resistere, data navi flatibus » ferebamur. In insulam autem quamdam devecti nomine » Claudam, vix potuimus obtinere scapham. Qua sublata, » adjutoriis utebantur subcingentes navim, timentes ne in » Syrtim inciderent, demissis velis ita ferebantur. Cum au- » tem vehementi tempestate jactaremur, sequenti die jac- » tum fecerunt. Ac tertio die nostris manibus armamenta » navis projecimus. Neque autem sole neque sideribus ap- » parentibus per plures dies, et tempestate non exigua » imminente ; jam ablata erat omnis spes salutis nostræ. » Tunc stans Paulus in medio illorum dixit[1]. » Vide, post tantam tempestatem, non illis insultans hæc loquitur ; sed ut vel in posterum sibi credant. Unde et quæ evenerant in testimonium assumit veritatis eorum quæ dicturus erat. Et duo prædicit ; et quod in insulam exscensuri essent, et quod navis peritura, vectores autem servandi essent.

[1] Act. XXVII, 12-21.

Quod non conjectura erant, sed prophetia, quodque ipse Cæsari sistendus esset. Illud autem quod dixit : « Donavit » tibi Deus omnes, » non arrogantiæ erat, sed volentis vectores ad fidem adducere. Nam non ut sibi gratiam haberent, sed ut dictis suis crederent, sic locutus est. Illud vero : « Donavit tibi Deus, » Paulo dictum est, ac si dixisset : Digni quidem morte sunt, quia non obedierunt. Verum in tui gratiam hoc fit. « Et cum multa inedia esset, » inquit, stans Paulus in medio eorum dixit : Oportebat » quidem, o viri, audire me, nec solvere a Creta, ac vitare » hanc injuriam et jacturam. Et nunc hortor vos ut bono » animo sitis. Jactura enim animæ nulla erit ex vobis, sed » tantum navis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, » cujus sum et quem colo, dicens : Ne timeas, Paule, Cæ- » sari te oportet sisti. Et ecce donavit tibi Deus omnes qui » navigant tecum. Ideo bono animo estote, viri. Credo » enim Deo, quod sic erit quemadmodum dictum est mihi. » In insulam autem quamdam oportet nos incidere. Ut autem » quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria » circa medium noctis, suspicabantur nautæ apparere ali- » quam regionem, qui demissa bolide repererunt orgyas » viginti, ac pusillum inde digressi, rursum jacta bolide, » repererunt orgyas quindecim. Timentesque ne in aspera » loca incideremus, de puppi jactis anchoris quatuor, op- » tabant diem oriri. Nautis vero quærentibus fugere ex navi, » cum demisissent scapham in mare, sub prætextu ac si » ex prora anchoras extensuri essent, dixit Paulus centu- » rioni et militibus : Nisi hi in navi manserint, vos salvi » esse non potestis. Tunc milites absciderunt funes scaphæ, » et passi sunt eam decidere [1]. » Hic ostendit fugam facturos esse nautas dicto non credentes. Centurio autem credit cum militibus. Ideo ait : « Si hi fugerint, vos salvi esse

[1] Act. xxvii, 21-32.

» non potestis. » Non ea de causa dixit ; sed ut retineret eos : ne prophetia excideret. Vide illos quasi in Ecclesia doceri philosophiam a Paulo, quos ex mediis periculis eripit. Et per providentiam non creditur Paulo, ut post rerum experientiam ipsi credatur, ut factum est. Ac rursum hortatur ut sumant cibum, et obtemperant, ipseque primus sumit, non verbo, sed et opere, suadens nihil nocituram esse tempestatem, imo illorum animabus profuturam. « Et cum dies inciperet oriri, hortabatur Paulus omnes su-» mere cibum, dicens : Dies decimus quartus est quod ex-» pectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. Propter » quod hortor vos ut sumatis cibum : hoc enim ad salutem » vestram pertinet. Nullius enim vestrum capillus de capite » cadet. Et cum hæc dixisset, sumpto pane, gratias egit Deo » in conspectu omnium : et cum fregisset, cœpit edere. » Cum porro jam omnes bono animo essent, sumpserunt » et ipsi cibum. Eramus vero in navi omnes animæ du-» centæ septuaginta sex. Satiati autem cibo, alleviabant » navem ejicientes triticum in mare. Cum autem dies fuit, » terram non agnoscebant. Sinum vero quemdam animad-» verterunt littus habentem, in quod cogitabant, si possent, » impingere navem. Et cum anchoras sustulissent, com-» mittebant se mari simul laxatis juncturis gubernaculo-» rum, et sublato artemone ; ad auræ flatum tendebant ad » littus. Et cum incidissent in locum bimarem, impegerunt » navem. Et prora quidem infixa, manebat immobilis : pup-» pis vero solvebatur a vi fluctuum [1]. »

III. Rursus tentat diabolus prophetiæ eventum impedire; volebant quosdam interficere, sed non permisit centurio, ut Paulum servaret : ita illum jam diligebat. « Militum au-» tem concilium erat, ut vinctos occiderent, ne quis ena-» tans effugeret. At centurio volens servare Paulum,

[1] Act. xxvii, 33-41.

» eorum consilium impedivit. Jussitque omnes qui natare » possent abjicere se primos, et in terram evadere. Cæte- » ros autem partim in tabulis, partim in quibusdam navis » fragmentis. Et sic factum est ut omnes incolumes evade- » rent in terram[1]. Et cum evasissent, tunc cognoverunt, » quod Melite insula vocaretur[2]. » Vides-ne quantum bonum ex tempestate evenerit? Non igitur quod derelicti essent tempestas accidit. Et quomodo, inquies, ferebant jejuni, cum nullum cibum sumerent? Timor tenebat illos, nec sinebat in appetitum cibi incidere de extremis periclitaturos. Igitur quod factum est a tempore fuit : majus autem miraculum, quod tali tempore ex periculis erepti sint, tum ipse, tum propter ipsum reliqui. « Et sublato » artemone, ad venti flatum contendebant ad littus. » Hoc dixit violentiam ostendere volens, quam jactati sustinebant. Sæpe namque non ita faciunt. Ideo deduxerunt carbasa, id est, vela. Cum enim vehemens ventus est, hoc fieri solet, ut venti violentia reprimatur. Hæc vero patiuntur in Adria, ubi servari difficile erat. « Eramus autem » in navi animæ omnes ducentæ septuaginta sex. » Et unde palam est quod tot essent qui simul navigabant? Verisimile est illos interrogasse cur navigarent, et didicisse omnia. Qui nihil cibi sumebant, quia cibi nulla cura erat, cum non leve instaret periculum. Et vide quomodo non infructuosa navigationis tarditas et intempestivitas Paulo fuerit; sed illam in doctrinæ tempus verterit. Non parum illud erat, si quidem hi omnes credidissent. Sed superiora repetamus. « Multo autem jam elapso tempore, admone- » bat eos Paulus dicens : Viri, video quod cum injuria et » damno futura sit navigatio. » Vide quam sit alienus a fastu; ne prophetare videatur, sed quasi ex conjectura dicere : « Video, inquit. » Non enim suscepissent statim, si

[1] Act. XXVII, 42-44. — [2] Id. XXVIII, 1.

hæc dixisset. Prius igitur prophetat et dicit : « Deus ser-» vavit. » Quantum enim ad naturam rei, omnes periissent : sed Deus impedivit. Centurio autem, inquit, gubernatori magis credidit, quam iis quæ a Paulo dicebantur; ut ostenderetur eum non ex conjectura hæc dixisse, gubernator contraria dicit, cum rei peritus esset. Sic non ex conjectura hæc dicebantur. « Et cum aptus, inquit, non esset » portus. » Vide, locus ipse docet illa non ex conjectura dicta fuisse, cum aptus non esset. Imo plures ex illis ex conjectura loculi videntur, qui inde solvendum suadebant; sed nihil ipsis profuit. Inciderunt enim in tempestatem, et jacturam eorum quæ vehebant faciunt. Ideo hæc ita declarat : « Cum autem vehementi tempestate jactaremur, » propriis manibus armamenta navis projecimus. » Ne posthac essent increduli, hæc fieri permittuntur. Gravisque tempestas excitatur, multæque tenebræ fiunt. Deinde ne perirent, etiam triticum et omnia ejiciuntur. Hoc enim sibi vult illud, « Armamenta navis ejecimus. Cum autem » multa inedia esset, dixit Paulus : Oportebat morem ge-» rentes mihi vitare jacturam. » Vides quomodo non parum ad audiendum conferrent tempestas et tenebræ? Et vide quomodo morem gerat centurio ; ita ut scapham amittat et perdat. Quod si nautæ nondum crediderunt, sed postea, ne mireris; hoc enim genus hominum petulans est et durum ad credendum. Tu vero etiam hinc mihi perpende Pauli prudentiam. Neque enim increpat vel exasperatur; sed mansuete ait : « Sic oportebat. » Sciebat enim in calamitate increpantem non esse acceptum : sed postquam maxima calamitatis pars præteriit, tunc esse acceptum. Tunc ergo instat cum omnis salutis spes sublata, est. Tunc utilia prædicit. « Ut autem decima quarta nox advenit, » inquit, timentes optabant advenire diem. » Ne quis diceret nihil evenisse, hoc dicit, ostendens omnia facta esse.

Quod autem facta sint timor ostendit : « Optabant, inquit, » diem advenire timentes. » Et locus difficilis erat. Etenim per Adriam hæc contingunt : et erat magna inedia : « Hic » decimus quartus dies est quod expectantes jejuni perma- » netis. » Ergo undique in media morte erant. Ideo subdit : « Obsecro vos ut sumatis cibum. Hoc enim ad vestram salu- tem fuerit ; hoc est, ne forte fame pereatis, cibum sumite. « Sumpto autem pane, inquit, gratias egit Deo. »

IV. Vide quomodo gratias agat de iis quæ acciderant. Non modo illos confirmavit, sed etiam animos indidit. « Eramus, inquit, omnes animæ in navi ducentæ septua- » ginta sex. » De his dicebat : « Jactura animæ nullius erit in vobis. » Hoc certo scientis est animæ, dicere salvos futuros esse. « Satiati autem cibo alleviabant navim eji- » cientes triticum. » Vides-ne ? ad sumendum cibum per- suadentur tantum : sed sic demum totum rejiciebant in Paulum ; ita ut et triticum ejicerent. Vide illos humana facientes, quod nec prohibet Paulus. « Quando autem » dies fuit, inquit, laxaverunt juncturas. » Solvitur navis in die, ne illi metu dissolvantur ; ut videas prophetiam opere completam. Militum autem consilium fuit, ut omnes vinctos occiderent. Vides quos etiam in hoc Paulo gratiam habuerint. Propter illum enim centurio non permisit ut occiderentur. Ita mihi videntur illi ex confesso scelesti fuisse, ita ut vellent ipsos occidere : sed prohibiti, non fece- runt. Sed alii quidem natarunt, alii in tabulis ferebantur, et omnes ita salutem nacti sunt, ac prophetia finem acce- pit, etiamsi non a tempore clara esset. Neque enim ante multos annos illam prænuntiarat, sed rerum naturam se- quens. Insperata enim erant omnia, et per propriam salu- tem discebant quis esset Paulus. Sed dixerit quispiam : « Cur non navim servavit ? » Ut discerent quantum peri- culum evaserint : quia non humani auxilii totum erat, sed

Dei manus sine nave servantis. Itaque justi etsi in tempestate sint, etsi in mari vel in pelago, nihil grave patiuntur, imo et alios secum servant. Si navi periclitante et naufragium passa, vincti a Paulo servati sunt : cogita quid sit virum sanctum habere domi. Multæ namque tempestates nos jactant, et his longe graviores. Sed potest Deus nos servare, modo credamus sanctis sicut illi, si faciamus quæ illi præcipiunt. Neque enim simpliciter servantur ; sed etiam ipsi fidem attulerunt. Etiamsi vinctus sit sanctus, majora operatur, quam ii qui soluti sunt. Et hoc considera hic factum. Solutus centurio vincto illo habebat opus. Gubernator peritus eo qui non gubernator erat egebat ; imovero gubernatore : non enim talem scapham gubernabat, sed orbis Ecclesiam ; ab illo edoctus qui et maris dominus est, non humana arte, sed spirituali sapientia. In hac scapha multa naufragia, multi fluctus, spiritus nequitiæ, « Intus pugnæ, foris timores[1]. » Itaque vere gubernator ille erat. Vide autem totam vitam nostram quomodo talis sit. Aliquando enim clementia fruimur, aliquando tempestate jactamur ; modo ob inconsiderantiam et ignaviam in mille mala incidimus. Imo hoc magis fit quia Paulum non audimus, ubi festinamus aliquo ire, quo ille non jubet. Nobiscum enim nunc navigat, sed non ut tunc vinctus. Hortatur etiam nunc eos qui in hoc mari navigant dicitque : « Attendite vobis ipsis. Ingredientur » enim post discessum meum lupi graves in vobis[2] ; » et rursum : « In novissimis temporibus instabunt tempora » gravia : et erunt homines sui amantes, avari, arrogantes[3]. » Hic enim omnium gravissimus spiritus est.

V. Maneamus igitur ubi ille jubet, in fide, in tuto portu. Ipsum magis audiamus, quam gubernatorem qui est in nobis, rationem inquam. Ne faciamus ea quæ suggerit ; nec quæ

1. 2 Cor. VII, 5. — 2 Act. XX, 29. — 3 2 Tim. III, 2.

nauclerus, sed quæ Paulus. Multas similes subiit tempestates. Ne experientia discamus ; sed ante experientiam vitemus et injuriam et jacturam. Audi quid dicat : « Qui volunt divites » fieri, incidunt in tentationem [1]. » Credamus ergo ei : nam vide quid acciderit iis, qui non crediderunt. Et rursum alibi dicit quid naufragia pariant. « Qui naufragaverunt circa » fidem [2], » inquit. Tu vero mane in iis quæ didicisti et credidisti. Credamus Paulo, licet in media tempestate simus, omnino a periculis liberabimur, etiamsi quatuordecim diebus jejuni manserimus, etsi spes salutis exciderit, etsi in tenebris et caligine versemur; credentes ei, a periculis liberabimur. Navim esse putemus totum orbem, et in illa improbos et sexcentis flagitiis obnoxios; et alios quidem principes, alios vero custodes, alios justos, ut Paulus, alios vinctos et peccatis constrictos. Itaque si Paulo credamus, non vincti peribimus, sed solvemur : nos illi donabit Deus. An negas peccata et affectus grave vinculum esse? Non enim solæ manus vinctæ sunt, sed totus homo. Dic enim mihi, si quis multas pecunias possidens non eroget, vel expendat, sed retineat; nonne gravius quam vinctus quivis parcimonia insolubili vinculo ligatur? Quid si quis fato se subjiciat? nonne hic aliis ligatus est vinculis? Quid si observationibus? Quid si symbolis? Nonne hæc omni vinculo sunt graviora? Quid si absurdæ cuidam concupiscentiæ vel amori? Quis hæc vobis vincula disrumpet? Deo opus est ut solvantur. Et unum quidem horum sufficit ad periculum creandum. Cum autem vincula et tempestas, cogita quanta sint pericula. Quid enim non sufficit ad perdendum? Nonne sufficit fames? Nonne tempestas? Nonne vectorum nequitia? Nonne tempus inopportunum? Verum ad hæc omnia stetit clarissimus Paulus. Ita et nunc. Retineamus nobiscum sanctos, et non erit tem-

[1] 1 Tim. VI, 9. — [2] Id. I, 19.

pestas; imo etiamsi sit tempestas, erit serenitas et tranquillitas magna ac liberatio a periculis. Etenim vidua illa sanctum habebat amicum, et mors filii soluta est, puerumque redivivum accepit. Ubi pedes sanctorum versantur, nihil accidit triste. Sin accidat, ad probationem et ad majorem Dei gloriam accidit. Fac ut domus pavimentum frequenter ab hujusmodi calcetur pedibus, nec ibi calcabit dæmon, et merito quidem : sicut enim ubi fragrantia, ibi fœtor locum non habet; sic ubi unguentum sanctum, ibi suffocatur dæmon, simul agentes lætificat, recreat animam. Ubi spinæ, ibi feræ. Ubi hospitalitas, ibi spinæ non sunt : nam ingressa eleemosyna falce acutior spinas succidit, et igne vehementius exurit eas. Ne timeas. Timent sanctorum vestigia sicut leonem vulpes. « Justus enim, » inquit, ut leo confidit[1]. » Hos introducamus leones in domum, et feræ omnes fugabuntur, non illis occlamantibus, sed simpliciter loquentibus. Non enim rugitus leonis bestias sic fugat, ut justi precatio dæmonas. Si loquatur tantum, formidant illi. Et ubinam, inquies, tales homines sunt? Ubique si nos credamus, si quæramus, si curiose pervestigemus. Ubi quæsivisti, quæso? Quandonam hoc curasti? Si non quæras, ne mireris si non reperias : nam «Qui quærit invenit,» non qui non quærit. Audi eos qui in solitudinibus sunt. Abjice aurum et argentum, ubique terrarum sunt. Si non domi recipias, illum adi; cum illo versare, ad ejus domum accede, ut possis illo frui ejusque benedictione. Magna quippe est sanctorum benedictio, quam assequi curemus, ut eorum precibus adjuti, Dei qui illos roborat misericordia fruamur, gratia et benignitate Unigeniti ejus Filii, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Prov. xxviii, 1.

HOMILIA LIV.

CAPUT XXVIII.

Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat et frigus. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem et imposuisset in ignem, vipera a calore cum processisset, momordit manum ejus[1].

I. Quomodo humanitatem præstarent barbari interpretatur. « Accensa, inquit, pyra, reficiebant nos omnes. » Alioquin enim nulla ex evasione utilitas fuisset, cum frigus illos interempturum esset. Accendunt pyram. Hinc Paulus accepta sarmenta in rogum infert, ut ille subjungit : « Cum congregasset autem Paulus sarmentorum » multitudinem. » Vide illum operantem, et nusquam frustra mirabilia patrantem ; sed ob necessitatem, in tempestate non sine causa prophetavit. Et hic rursum sarmenta colligit et imponit. Vide illum non ad fastum vel superflue agentem, sed ut illi servarentur calore quodam fruentes. Deinde vipera ex calore egressa manum ejus invasit. Et quod invaserit, palam est ex sequentibus. « Ut vero vi- » derunt barbari pendentem bestiam de manu ejus, inter » se dicebant : Utique homicida est homo hic, quem ser- » vatum de mari ultio non sinit vivere[2]. » Bene hoc permissum est, ut talia illi viderent et loquerentur ; utque miraculo fidem non negarent. Vide naturale judicium a barbaris prolatum, ipsosque honeste inter se loquentes, nec

[1] Act. xxviii, 2, 3. — [2] Ibid. 4.

simpliciter damnantes. Ita hic prius vident, ut magis mirentur. « At ille, excussa bestia in ignem, nihil mali passus » est. Illi vero existimabant eum in tumorem convertendum » et subito casurum mortuum. Diu autem illis expectanti- » bus, et videntibus nihil illi mali accidere, mutata sen- » tentia dicebant ipsum esse Deum [1]. » Putabant illum in tumorem convertendum, id est, dirumpendum. Videntes autem eum nihil mali passum, dicunt esse Deum. Rursus supra modum illum honorant, ut turbæ illæ in Lycaonia. « In locis autem vicinis erant prædia principis insulæ no- » mine Publii, qui nos suscipiens, triduo nos benigne » hospitio recepit [2]. » Ecce iterum alius hospitalis Publius dives et opulentus. Qui cum nihil vidisset, sed ob solam calamitatem misertus illorum, hospitio excepit et fovit. « Contigit autem patrem Publii febribus ac dysenteria » vexatum decumbere : ad quem Paulus ingressus oravit, » impositisque illi manibus curavit eum [3]. » Quia dignus erat beneficio, vicem illi hospitalitatis rependens curavit patrem. « Quo facto omnes, qui in insula habebant infir- » tates, accedebant et curabantur. Qui etiam multis » honoribus nos honoraverunt, et solventibus imposuerunt » quæ necessaria erant [4]. » Id est, et nobis solventibus necessaria dederunt et aliis. Vide illos a tempestate liberatos, non fuisse neglectos : sed etiam propter Paulum liberali hospitio susceptos. Per tres enim menses alimenta omnibus suppeditata sunt. Quod enim tantum temporis ibi manserint audi quomodo postea narret. « Post menses » autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in in- » sula hyemaverat, cui erat insigne Castor et Pollux. Et » cum venissemus Syracusas, mansimus ibi triduo. Inde » circumlegentes devenimus Rhegium : et post unum diem, » flante Austro, secunda die venimus Puteolos. Ubi inventis

[1] Act. xxviii, 5, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9, 10.

» fratribus, rogati sumus manere apud eos septem dies, et » sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres, oc- » currerunt nobis usque ad Appii forum et tres Tabernas. » Quos cum vidisset Paulus, agens gratias Deo, accepit » fiduciam[1]. » Vide quomodo propter Paulum hæc omnia fiant, ut crederint vincti, milites, centurio. Nam etsi lapidei fuissent, et per ea quæ consulentem audierant, et per ea quæ prædixerat, perque miracula quæ patrarat, et ex alimentis sibi suppeditatis, magna de illo concepissent. Vide quando rectum judicium est, nec affectu præoccupatum, quomodo recta et probatas sententias accipiat. Jam in Siciliam pervenerat prædicatio, jam usque Puteolos pertigerat, ubi repertis quibusdam fratribus apud illos manent. Deinde alii fama permoti ipsis occurrerunt. Tantus erat fratrum affectus, qui non turbati sunt quod Paulus esset in vinculis, sed obviam venerunt. Vide autem illum humanum quidpiam passum esse. « Fiduciam, » inquit, accepit videns fratres. » Quamvis tot signa fecisset, accepit tamen ex aspectu fiduciæ augmentum. Hinc discimus illum humano etiam more consolationem accepisse, et contra. « Cum autem venissemus Romam, permissum est » Paulo manere seorsum cum milite se custodiente[2]. » Vides-ne? permissum est illi ut seorsim maneret. Non parvum est et hoc argumentum illum in magna admiratione fuisse. Non enim cum aliis ipsum annumerabant. « Post tres au- » tem dies convocavit primos Judæorum. » Post triduum accivit primos Judæorum, ne aures illorum præoccuparentur. Et quid commune cum illis habuit? Non enim illi accusaturi ipsum erant. At ille non hoc curabat; sed hoc docere volebat, ut ne ex dictis offenderentur.

II. Judæi ergo tot videntes miracula, persequebantur, pellebant. Barbari vero, qui nihil viderant, ex sola cala-

[1] Act. xxviii, 11-15. — [2] Ibid. 16.

lamitate misericordes erant. Omnino, inquiebant, homicida est hic homo. Non simpliciter pronuntiant; sed, «Omnino,» dicunt; id est, ut videre licet. Et ultio, inquiunt, ipsum vivere non sinit. Ergo providentiæ rationem habebant, et magis philosophi erant, quam ipsi philosophi. Hi enim ea quæ sub luna fiunt providentia frui non sinunt : illi vero ubique putabant Deum esse præsentem : et quod licet multa quis effugerit, non usque in finem tamen effugiet. Et vide quomodo non insurgant in illum omnino; sed propter calamitatem interim revereantur. Neque illa divulgant, sed inter se dicunt : nam vincula hanc injiciebant suspicionem : vincti enim erant. Erubescant ii qui dicunt : «Ne benefacias eis qui in carceribus sunt.» Pudorem nobis afferant barbari. Non enim sciebant quinam illi essent, sed ex calamitate ipsos esse homines didicerunt. Ideoque cum humanitate illos exceperunt. «Multum autem illis » expectantibus, » inquit; id est, multo tempore eum moriturum expectabant. Ille vero bestiam excussit in ignem, et manum nihil passam monstravit. Hoc videntes stupefacti et mirati sunt. Neque statim deprehensum est signum; sed aliquo tempore expectarunt homines, ne videretur phantasia esse. Sic non erat fallacia, non fraus. «In vici» nis autem locis erant prædia primi insulæ, nomine Publii, » qui nos suscipiens, benigne hospitio excepit.» Bene sic loquitur; benignitatis quippe magnæ est ducentas septuaginta animas hospitio excipere. Cogita quantum sit hospitalitatis lucrum. Non quod necessitas esset, neque quod invitus agat, sed quod lucrum putet, per tres dies hospitio illos excepit. Ideoque talis hospitalitatis mercedem jure accipit, imo longe dono majorem : nam patrem ejus curat a dysenteria male patientem. Nec modo ipsum, sed multos etiam alios infirmos curat, qui vicem rependant, honoribus, commeatu : quod hic declaratur : «Qui multis

» honoribus nos prosecuti sunt, et solventibus imposue-» runt quæ necessaria erant. » Num mercedem recepit? Absit; sed impletur id quod scriptum est : « Dignus est » operarius cibo suo[1].» Palam autem est eos, qui sic illum exceperunt, verbum prædicationis accepisse. Neque enim trimestri tempore disseruisset, nisi illi vere credidissent, et fructum exhibuissent. Itaque hinc indicium est magnum fuisse credentium numerum. « Et solvimus, inquit, in navi » Alexandrina, quæ hyemaverat in insula, cujus insigne » Castorum.» Id fortasse in illa pictum erat; ita erant idolis dediti. Vide illos moras trahentes, et rursum festinantes. « Paulo autem permissum fuit seorsum manere. » Demum ita venerabilis erat Paulus, ut seorsum manere permitteretur. Neque id mirum est. Nam si antehac benigne illum exceperunt, multo magis nunc. « Et flante » Austro, inquit, postridie venimus Puteolos, ubi inventis » fratribus, rogati sumus apud illos manere septem diebus : » et sic Romam venimus. Et inde ut fratres audierunt de » nobis, exierunt in occursum nobis usque ad Appii forum » et tres Tabernas. Quod periculum metuentes exierint, hæc illis poterant suadere. Vide quomodo in tanta navigatione ad nullam appellunt civitatem; sed ad insulam, et hyemem totam transigunt in navigatione : his ita dispositis, ut qui simul navigabant ad fidem deducerentur. « Permis-» sum est ei, inquit, ut permaneret solus cum milite ipsum » custodiente. » Et opportune certe, ut nemini liceret ipsum insidiis appetere. Neque enim istic licebat seditiones movere. Itaque non illum custodiebant; sed curabant ne illi aliquid molestum accideret. Non enim licebat in tanta civitate, ubi imperator erat et libertas, aliquid præter ordinem fieri. Ita semper per ea quæ videntur contra nos esse, pro nobis omnia fiunt. Custos enim Paulo erat. Et

[1] Matth. x, 10.

convocatis primis Judæorum, cum illis disserit. Qui et contradicentes recedunt, atque ab illo increpantur, et nihil audent dicere. Nihil enim jam contra illum tentare licebat illis. Hoc enim mirabile est, quod non per ea quæ videntur ad securitatem conferre, sed per contraria, pro nobis omnia fiant. Quod ut discas hinc perpende. Jussit Pharao pueros in flumen conjici. Nisi projecti fuissent pueri, nisi id jussisset Pharao, non servatus fuisset Moyses, non in regia educatus. Cum servabatur, non in honore erat; cum expositus fuit, tum in honore fuit. Hoc vero faciebat Deus, ut et potentiam et sapientiam suam ostenderet. Minatus est Judæus dicens : « Num occidere me vis[1]? » Et hoc illi profuit : exque providentia factum est, ut visionem illam videret in deserto, ut tempus congruens impleretur, ut philosopharetur in solitudine, et secure viveret. Et in omnibus, quæ a Judæis ipsi parantur insidiis idipsum fit. Tunc clarior efficitur, ut etiam Aaroni contigit. Insurrexerunt in illum, et clariorem reddiderunt. Hinc enim illi sacerdotale indumentum paratur, tiara imponitur, et reliquus vestium ornatus, ut ordinatio ejus sine dubio sit; ut deinceps admirationi habeatur a lamina ærea. Scitis probe historiam : ideoque prætercurro; et si vultis, prisca ea de re adeamus. Caïn fratrem occidit. Sed sic illi magis profuit. Audi enim qui dicat : « Vox sanguinis fratris tui cla» mat ad me[2]. » Et rursus alibi : « Sanguine melius loquente » quam Abel[3]. » Liberavit illum ab incerto futuri, mercedem auxit. Novimus omnes dilectionem quam Deus erga illum habuit. In quo læsus est, citius morte sublatus? In nullo. Quid enim, quæso, lucrantur ii qui tardius moriuntur? Nihil. Neque enim felicitas ex vita vel longa vel brevi pendet, sed ex eo quod vita bene utamur. Tres pueri in-

[1] Exod. II, 14. — [2] Gen. IV, 10. — [3] Hebr. XII, 24.

jecti sunt in fornacem, et hinc clariores effecti sunt : Daniel in lacum, et inde splendidior ascendit.

III. Vides ubique tentationes magna parere bona etiam hic, quanto magis illic? In malitia autem idem evenit, ac si quis calamum habens, prælietur contra ignem : videtur enim ignem percutere, et ipsum fulgidiorem facit et se ipsum consumit. Malitia namque virtuti alimentum et splendoris occasio est. Nam Deo injustitia ut opus est utente, res nostræ magis fulgent. Rursum diabolus cum tale quidpiam operatur, eos qui patiuntur splendidiores reddit. Cur ergo, inquies, in Adamo non tale quidpiam factum est, sed ille ignominiosior est redditus? Etiam illo ut par erat usus est Deus. Si vero quid passus sit, ipse se ipsum læsit. Nam quæ ab aliis nobis inferuntur; magnorum nobis bonorum causæ sunt; quæ autem a nobis ipsis, non item. Quia enim ab aliis læsi dolemus, a nobis autem ipsis non item, ostendit Deus eum qui ab alio injuste patitur, clarum esse, cum vero qui se ipsum lædit, damnum ferre. Et jure quidem : ut illud fortiter feramus; et non hoc. Alioquin vero totum ibi fuit Adami. Cur enim credebas mulieri? Cur adversa consulentem non repulisti? Tu omnino in causa fuisti : nam si diabolus in causa esset, oporteret omnes, qui tentantur, perire. Quod si non perierunt, in nobis causa est. At oporteret, inquies, omnes qui tentantur recte agere; vel, si nos in causa sumus, etiam absque diabolo perire? Hoc etiam evenit, nam multi etiam absque diabolo pereunt : neque enim ille omnia efficit : sed etiam multa fiunt ex ignavia nostra. Quod si ille in causa sit, nobis utique ansam præbentibus. Dic enim mihi, quandonam diabolus tantum valuit in Judam? Quando ingressus est, inquies, in eum Satanas[1]. Sed audi causam, quia fur erat, et quæ immittebantur portabat.

[1] Joan. XII, 6.

Ipse dedit illi latum ingrediendi spatium. Et ita non diabolus initium dat; sed nos illum recipimus et vocamus. Verum, inquies, si ille non esset, non gravia essent mala. Sed inevitabile nos supplicium maneret. Nunc, dilecte, pœna nobis levior est. Si enim ex nobis ipsis gravia patraremus, intolerabile esset supplicium. Dic enim, oro, si ea quæ peccavit Adam, absque consilio peccasset, quis illum ex periculis eripuisset? Sed, inquies, non peccasset. Undenam hoc mihi dicis? Qui enim ita mollis erat et ignavus, atque ad insipientiam pronus, ut tale consilium acciperet, multo magis etiam ex se fecisset. Quis diabolus Josephi fratres in invidiam conjecit? Si vigilemus ergo, dilecti, nobis diabolus gloriæ auctor erit. Quid enim Jobo nocuit tantum illius sacrificium? Ne hoc, inquies, dixeris: sed qui infirmus est lædituv. At infirmus, etiamsi diabolus non esset, perinde lædituv. Verum, repones, magis cum illius operatione lædituv. Sed si cum illius operatione peccaverit, minus punitur. Neque enim omnium peccatorum pares sunt pœnæ. Ne nos ipsos decipiamus, non est nobis in causa diabolus si vigilemus. Ille nos magis somnolentos excitat. Dic enim mihi : interim hæc examinemus. Non sint feræ, non sit aëris intemperies, non morbus, non dolores, non mœrores, nec quid simile : quid non factus esset homo? Porcus magis quam homo, ut videtur mihi, fuisset, gulæ et ebrietati se dedens, et a nullo eorum interturbaretur. Nunc vero curæ et sollicitudines, gymnasium et schola philosophiæ sunt illi, atque institutio optima. Hoc item perpende. Educetur quis in regia sine dolore nec cura vel sollicitudine, neque iræ vel infortunii occasionem habeat; sed omnia quæ concupiverit faciat, et assequatur, omnesque habeat sibi obsequentes : annon talis homo omni fera irrationabilior fiet? Nunc vero sicut eos sunt nobis calamitates; ideo pauperes divitibus sunt utpluri-

mum sapientiores, utpote multis fluctibus vexati et exercitati. Nam corpus otiosum et immotum, morbis obnoxium est et deforme; quod autem movetur et laborat affligiturque, formosius est et sanius. Hoc etiam in anima reperire est. Et ferrum, si jaceat, rubiginem contrahit; si exerceatur autem, splendet. Similiterque anima quæ movetur. Motio autem animæ sunt calamitates : artesque pereunt si non moveatur anima. Movetur autem cum non omnia plana sunt, movetur a contrariis. Nisi contraria sint, nihil est quod moveat. Exempli causa, si omnia essent recte facta, non inveniret ars in quo moveretur. Sic si ubique portaretur homo, deformis esset. Non vides non nutrices jubere non semper infantes gestare, ne in hanc consuetudinem deducant, neve imbecilles fiant? Ideo qui in conspectu parentum educantur, infirmiores sunt, eo quod intempestiva et immoderata cura, illorum valetudinem pessumdet. Bonus est dolor moderatus, bona cura, bona talis egestas : fortes enim nos reddunt quæ bona et contraria sunt; sed eorum singula si immoderata sint, perdunt. Aliud emollit, aliud dirumpit. Nonne vides Christum Discipulos suos sic instituere? Si illi his egebant, multo magis nos. Si nos egemus, ne indignemur, sed gaudeamus in tribulationibus. Hajusmodi namque pharmaca sunt nostris vulneribus congruentia .Alia quidem amara, alia vero blanda. Utrumque autem illorum, si solum fuerit, inutile est. Gratiam ergo Deo habeamus de his omnibus. Non enim sine causa hæc sinit accidere, sed ad utilitatem animarum nostrarum. Gratum ergo animum exhibentes, gratias agamus, glorificemus, fortiter resistamus, temporaneam eorum rationem cogitantes, et ad futura mentem nostram extendentes; ut et præsentia fortiter feramus, et futura bona consequi dignemur, gratia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LV.

CAPUT XXVIII.

Post tres autem dies convocavit Paulus primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Viri fratres, ego cum nihil contrarium fecissem populo, vel patriis moribus, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum, qui cum interrogationem de me habuissent, volebant me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quasi habeam de quo gentem meam accusem. Propter hanc ergo causam advocavi vos, ut viderem et alloquerer. Propter spem enim Israëlis catena hac circumdatus sum[1].

I. Hoc bene et congruenter agit, cum primos Judæorum ad colloquium convocat. Volebat enim et se et alios a crimine liberare; se, ne accusaretur ab eis, et hoc illis noceret; illos vero, ne totum ipsorum videretur esse. Verisimile enim est percrebuisse famam ipsum a Judæis traditum fuisse. Idque sufficiebat ad terrendum illos. Statim ergo huic rei occurrit, et sic se ipsum mansuete defendit. Vide porro quomodo defensionem suam texat dicens: « Viri » fratres, ego cum nihil contrarium fecissem populo, vel » patriis moribus, vinctus ex Jerosolymis traditus sum in » manus Romanorum. » Deinde quia verisimile erat aliquos ex auditoribus dicturos esse: Quomodo credatur te sine causa traditum fuisse, addidit: « Qui cum interrogationem

[1] Act. XXVIII, 17-20.

» de me habuissent, voluerunt me dimittere, » ac si diceret : « Testantur Romanorum principes, qui et examinarunt me, et voluerunt dimittere. » Quomodo ergo non dimiserunt ? « Contradicentur Judæis, inquit. » Vides-ne quomodo illorum crimina minuat ? Si enim augere voluisset, poterat vehementius carpere. Idcoque sic locutus subdidit. « Coac» tus sum appellare Cæsarem. » Itaque ad veniam omnia spectant. Deinde ne quis diceret : Quid igitur ? an ut eos accuses hæc fecisti ? Per ea quæ addit hoc corrigit dicens : « Non quasi habeam de quo gentem meam accusem ; » sed ut periculum effugiam. Propter vos enim hac catena circumdatus sum. Tantum abest, inquit, ut inimico erga vos sim animo, ut hac catena circumdatus sim. Quid ergo illi ? Sermone ejus ita capti sunt, ut non solum pro se, sed etiam pro cognatis suis defensionem pararent, quod declarans sic pergit : « Illi vero dixerunt ei : Nos neque litte» ras de te accepimus a Judæa ; neque adveniens aliquis » fratrum nuntiavit aut locutus est aliquid de te mali. Ro» gamus autem a te audire quæ sentis. Nam de secta hac » notum est nobis quod ubique ei contradicitur[1]. » Ac si dicerent : « Neque per litteras, neque per homines significarunt aliquid mali de te : » attamen a te audire volumus. Sic præoccuparunt sententiam declarare suam, et aiunt : « Nam de secta hac, notum est nobis quod ubique ei con» tradicitur. » Non dicunt : Contradicimus ; sed, Contradicitur, et se ab accusatione absolvunt. « Cum constituissent » autem ei diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi : » quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis » de Jesu ex Moyse et Prophetis a mane usque ad vespe» ram. Et alii quidem credebant iis quæ dicebantur, alii » vero non credebant[2]. » Vides-ne quomodo non statim respondit ; sed diem illis audiendi constituit : cum autem

[1] Act. xxviii, 21, 22. — [2] Ibid. 23, 24.

venissent, disserebat a lege Moysis et a Prophetis : « Et alii » credebant, alii vero non credebant. Cum autem non es- » sent consentientes inter se, discedebant, dicente Paulo » unum verbum : Bene Spiritus sanctus locutus est per » Esaïam prophetam ad patres nostros, dicens : Vade ad » populum istum, et dic eis : Aure audietis, et non intelli- » getis; et videntes videbitis, et non percipietis. Incrassa- » tum est enim cor populi hujus, et auribus graviter au- » dierunt, et oculos suos compresserunt ne forte videant » oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et conver- » tantur, et sanem eos[3]. » Cum discedebant inter se dissentientes, tunc Isaïam prophetam affert, non ut illis convitietur, sed ut hos firmet. Quid ait ille? « Aure audietis, » et non intelligetis. » Vides-ne quomodo illos omni venia indignos ostendit? Siquidem Prophetam habentes jam olim hæc prænuntiantem, non conversi sunt. Cum autem dicit, « Bene, » ostendit illos juste ejectos fuisse. Atque ita gentibus datum est ut hoc mysterium cognoscerent. Nihil mirum igitur si contradicebant : hoc jam olim prædictum fuerat. Deinde zelum eorum provocat ex gentibus, hæc subjiciens : « Notum ergo sit vobis quoniam gentibus mis- » sum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. Et cum hæc » dixisset, exierunt ab eo Judæi multam habentes inter se » quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto : » et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædi- » cans regnum Dei, et docens quæ sunt de Christo Jesu » cum omni fiducia, nemine prohibente[2]. » Hic ostendit demum libertatem suam. Romæ namque sine impedimento prædicat, qui in Judæa prohibitus fuerat, et mansit biennio docens illic.

II. Sed superiora repetamus. « Propter hanc causam » advocavi vos ut viderem; » id est, ideo id volui, ne cui-

[1] Act. xxviii, 25-27, et Isaï. vi, 9. — [2] Act. xxviii, 28-31.

piam liceret me accusare, et quæ in mentem venerint dicere. Quia manus eorum effugi, et ad hoc veni. Non ut aliis mala inferrem, sed ut ipse mala effugerem, veni. Illi vero reponunt : « Rogamus a te audire quæ sentis. » Vide illos mansuetius loquentes. « Rogamus, inquiunt, » et volunt etiam pro illis rationem reddere. Ideo constituta die venerunt. Hoc vero magnum erat argumentum quod se ipsi damnarent, neque sibi fiderent. Nam si fidissent, saltem convenissent ut ipsum secum attraherent. Nunc autem cum non fiderent, pigri fuerunt ad veniendum. Alioquin vero, quod sæpe tentaverint, ostenderunt se fiduciam non habere. « Et alii quidem dictis credebant, » inquit, alii non credebant, et cum non concordes es- » sent, discedebant; » id est, non credentes recedebant. Vide quomodo nunc non in illum struant insidias; sed in Judæa, ubi quasi in tyrannide erant. Cur ergo Deus providit ut illo migraret dixitque : « Festina, exi ex Jerusa- » lem? » Ut eorum nequitia ostenderetur, necnon veritas prophetiæ Christi, quod non sustinebunt : utque omnes discerent, ipsum ad patiendum esse paratum, idque ad consolationem vergeret eorum qui erant in Judæa. Nam et ibi multa mala passus est. Si vero judaïca prædicans tanta passus sit, si prædicasset Christi gloriam, quomodo id tulissent? Cum se purificaret, non erat tolerabilis, quomodo autem prædicans tolerabilis fuisset? Cur accusatis nos? Quid audistis? Nihil tale dixit. Visus est, et omnes exasperavit. Jure ergo gentibus salus concessa est, jure procul missus est, illic gentibus prædicaturus. Perpende autem : Primos Judæos advocat. Postea ut res illis monstravit, tunc ad gentes venit. Quod vero dixerit : « Dixit Spiritus, » nihil mirum. Nam Angelus dicitur ea dicere quæ Dominus loquitur. « Bene dixit, inquit, Spiritus sanctus. » Sed hic sic, illic non item. Alioquin vero cum de quibusdam ab

Angelo dictis loquimur, non dicimus: «Bene dixit Ange-» lus; » sed, « Bene dixit Dominus, bene dixit Spiritus; » ac si diceret: « Non mihi fidem negatis, sed Spiritui. » Itaque hoc olim Deus prævideral. « Qui cum examinassent, inquit, » volebant me dimittere; » id est, nihil damnatione dignum invenientes in me, absolvere volebant. Et cum debuissent illum eripere, tradiderunt in manus Romanorum, et tanta erat libertatis abundantia, ut etiam ipsi condemnare non possent; sed vinctum tradiderunt. « Coactus sum, inquit, » appellare Cæsarem; non quasi habeam de quo gentem » meam accusem; » id est, non ut mala aliis inferam; sed ut me a malis liberem, hoc feci, nec lubens, sed coactus. Vide verborum familiaritatem, non se alienum sed proprium illis facit, cum dicit, « Gentis meæ. » Rursus autem dogma disseminat. Nec dixit: « Non accuso; » sed, « Non » habeo quod accusem, etsi tam gravia passus. » Nihil ergo horum dicit, ne onerosus esset: neque ad gratiam ipsis loqui videtur: ideo non aperte loquitur; sed subindicat tantum et prætercurrit. Hoc enim interim studebat ostendere, quod Romanis illum vinctum tradidissent. Illi vero cum illos damnare et accusare oportuisset, potius defendunt eos; sed per ea quibus apologiam contexunt, ipsos accusant. « Notum est nobis, inquiunt, quod ubique con-» tradicitur. » Sed etiamsi hoc contingat, attamen ubique creditis. « Quibus exponebat, inquit, a lege et Prophetis. » Vide rursus illum non a signis, sed a lege et Prophetis os illis obturare, et ubique hoc agere, etsi liceret signa facere: sed deinceps non fidei res fuisset. Magnum enim erat signum a lege et Prophetis disserere. Deinde ne putes rem novam esse, quod illi increduli manerent, inducit prophetiam dicentem: « Aure audietis, et non intelligetis. » Magis nunc, inquit, quam tunc: « Et videbitis, et non per-» cipietis; » magis nunc, quam tunc. Contra incredulos

illos hæc dicta fuerant, quæ non convitiantis erant, sed offendiculum tollentis. « Notum ergo sit vobis, inquit, quod » in gentes missum est salutare Dei : qui et audient. » Cur ergo nobis loqueris? An hæc nesciebas? Etiam ; sed ut credatis rationem reddo, et ut nemini dem ansam. « Mansit, » inquit, Paulus toto biennio, docens cum omni fiducia, » nemine prohibente. » Bene hoc addidit. Sed nihil obsit oportet. Fiduciam ergo Pauli nihil prohibuit ; sed etiam nemine prohibente dixit : « Mansit autem Paulus, inquit, » biennio toto in proprio conducto, » ita erat sedulus. Imo ita magistrum suum imitabatur in omnibus. Quia domicilium habebat non ex alienis laboribus ; sed ex suis. Hoc enim significat illud, « In proprio conducto. » Quod autem Dominus quoque nullam haberet domum, audi illum recte dicentem ei qui sibi dixerat : « Sequar te quo cumque ieris. » Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius » autem hominis non habet ubi caput suum reclinet[1]. » Sic per se docuit nihil esse possidendum, neque rebus terrenis hærendum esse. « Et excipiebat, inquit, venientes ad se, » prædicans regnum Dei. » Vide illum nihil de præsentibus, sed omnia de regno Dei loquentem. Vides-ne Dei providentiam? Hic sermonem sistit auctor libri, ac relinquit auditorem sitientem, ut ex se ipso deinceps ratiocinetur. Hoc et exteri faciunt. Nam omnia scire, ignavum et negligentem reddit. Hoc, inquam, facit, et quæ secuta sunt non narrat, superfluum id putans iis qui ea quæ scripta erant legerent, et hinc illa ediscerent, et his adderent. Plane qualia priora, talia quæ post secuta sunt. Audi vero qualia postea scribens ad Romanos dicat : « Cum proficiscar in Hispaniam, veniam » ad vos[2]. »

III. Vides-ne quomodo omnia prævideat sacrum illud et divinum caput? ille qui animam habet omnia simul

[1] Matth. VIII, 20. — [2] Rom. XV, 24.

complectentem? qui primas partes occupat Paulus? cujus solum nomen scientibus sufficit ad animam excitandam, ad vigilantiam, ad somnum excutiendum omnem? Excepit illum Roma vinctum ex marino itinere, a naufragio servatum, et liberata est a naufragio erroris. Sicut enim rex post navalem pugnam et victoriam, in splendidam illam regiamque urbem ingressus est. De his scribens dicebat : « Veniam, et » vobiscum quiescam in plenitudine benedictionis Evange- » lii[1]. » Et rursus : « Eo ministraturus in Jerusalem[2]. » Hoc est quod dicebat : « Eleemosynas facturus genti meæ adveni. » Jam prope erat ut coronam acciperet. Excepit illum Roma vinctum viditque coronatum et proclamatum. Illic vobiscum quiescam, inquit. Istuc vado ministraturus in Jerusalem. Hoc autem initium cursus iterum erat, et tropæa tropæis addebat, inexpugnabilis cum esset. Corinthus illum detinuit duobus annis, Asia tribus, Roma duobus, quo secundo venit, quando consummatus est. « In prima mea defensione, » inquit, nullus mihi aderat[3]. » Sic nunc effugit, et cum totum implesset orbem, sic vitam finivit. Quid vis discere quæ sequuntur? Talia sunt qualia priora : vincula, tormenta, pugnæ, carceres, insidiæ, sycophantiæ, quotidianæ mortes. Vidisti illius parvam partem? Sic cogites reliqua se habere. Ut si cœlum videris, tantum superest videndum : cœli enim unam partem videbis; quocumque ieris, tantumdem videbis. Vel sicut solis radios si ex parte videris, hinc conjicis qualis sol sit. Sic de Paulo dicendum. Ejus acta partim vidisti, omnia alia similia sunt, periculis plena. Ille cœlum erat Solem justitiæ habens, non vulgarem ilium; itaque cœlo melior vir ille erat. An hoc parum esse putas? Ego quidem non existimo. Cum Apostolum dixeris, statim illum omnes cogitabunt; ut eum Baptistam dicis, statim Joannes cogitatur. Cui rei quis

[1] Rom. xv, 29. — [2] Act. xxiv, 17. — [3] 2 Tim. iv, 16.

illius verba comparaverit? Mari, an Oceano? sed nihil par illis est. Hujus fluxus longe sunt marinis frequentiores, puriores, profundiores: ut non aberraverit qui cor Pauli mare et cœlum esse dixerit: cœlum ob puritatem, mare ob profunditatem. Mare est, non quod navigantes ab urbe in urbem ducat, sed a terra in cœlum. Si quis hoc mare naviget, secunda aura navigabit. In hoc mari, non venti sunt; sed vice venti Spiritus divinus et sanctus navigantes animas vehit. Non sunt hic fluctus, non est scopulus; non belluæ: omnia tranquilla sunt. Mare est portu tranquillius et tutius; nihil salsum habens; sed fontem purum, dulcissimos latices emittentem, sole splendidius et pellucidius. Mare est, non lapides habens pretiosos, nec purpuram, sed verba longe his meliora. Qui vult in hoc pelagus descendere, non opus habet urinatoribus vel oleo; sed philosophia multa; invenietque in ipso omnia bona, quæ sunt in regno cœlorum. Qui talis est poterit rex esse, et totum mundum accipere, esseque in honore maximo. Qui in hoc mari navigat, nunquam naufragium faciet; sed omnia bene sciet. Verum sicut ii, qui in hoc mari navigant, si imperiti sint, suffocantur; sic et in illo mari. Id quod accidit hæreticis, qui plus quam ferant vires attentant. Oportet ergo profunditatem ejus scire, vel non attentare. Navigaturi ergo hoc pelagus, bene accincti simus. «Non potui, inquit, vobis loqui ut spiritualibus, sed »ut carnalibus[1]. » Nullus impatiens in hoc pelago naviget. Paremus nobis naves, id est, studium, alacritatem, preces, ut cum quiete illud trajiciamus. Etenim hæc aqua vivens est. Ac si quis os igneum capiat, sic est os ejus qui Paulum videt. Ac si quis gladium acutum habeat, sic talis homo capi non poterit. Ad intelligenda Pauli sensa, vita pura est opus. Ideo dicebat: «In lactis necessitate estis[2], »

[1] 1 Cor. III, 1. — [2] Hebr. V, 11.

quia ignati auribus facti estis. Est enim, est, inquam, infirmitas auditus. Sicut enim stomachus, sanos et difficilis coctionis cibos non suscipit, si sit infirmus; sic anima tumens, et inflata, enervis et dissoluta, non potest spiritualem sermonem accipere. Audi Discipulos dicentes: «Durus »est hic sermo, quis poterit eum audire[1] ?» Si vero fortis et sana sit, omnia levia, omnia facilia sunt; excelsior illa et levior magis sublimis efficitur, et in altum tollitur. Hæc ergo cum sciamus, sanam constituamus animam nostram: æmulemur Paulum, imitemur fortem illam et adamantinam animam, ut ejus vitæ vestigia sequentes, possimus præsentis vitæ pelagus trajicere, et ad tranquillum portum appellere, ac promissa diligentibus Deum bona consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. VI, 10.

HOMILIA I.

Cum lectus esset ille textus, Paulus autem adhuc spirans minas et cædem, *cum expectarent omnes homiliam in principium capitis noni Actorum habendam, et quod resurrectionis demonstratio sit Pauli vocatio.*

I. Hæccine sunt ferenda? hæccine sunt toleranda? singulis diebus eorum numerus nobis imminuitur, qui collectis intersunt; et plena quidem est hominum civitas: at Ecclesia est hominibus vacua; plenum quidem est forum et theatra, et porticus : domus autem Dei deserta est : imovero, si verum dicendum est, destituta est hominibus civitas, et plena hominum est Ecclesia. Siquidem homines appellandi sunt, non qui in foro, sed vos qui in Ecclesia versamini : non illo socordes, sed vos diligentes : non illi, qui res sæculares ad stuporem usque mirantur, sed vos qui spiritualia præfertis sæcularibus. Non enim si quis hominis corpus ac vocem habeat, idcirco est homo : sed si quis hominis animam et affectionem animæ habeat. Porro humanæ animæ tale nullum est judicium, quam si divinorum Eloquiorum amore ducatur : quemadmodum belluinæ ac rationis expertis animæ signum et argumentum tale nullum est, ac si Eloquia divina contemnat. Vis-ne tu intelligere, quam vere qui divini verbi expositionem audire negligunt, per hunc contemptum homines esse desinant, et ipsa sua nativa nobilitate se spolient? non meum vobis sermonem proferam, sed propheticam vocem proferam, quæ sententiam meam confirmet, ut videatis eos qui spiritualium sermonum amantes non sunt, ne homines quidem esse posse; ut Civitatem homi-

nibus desertam nobis esse videatis. Nam Esaïas qui sublimitate vocis aliis antecellit, qui mirabilium illarum spectator visionum fuit, cui concessum est, ut cum adhuc esset carne circumdatus, Seraphinos videret, qui mysticum illum concentum audivit, is cum in urbem Judæorum metropolim hominibus refertam ingressus esset, Jerosolyma nimirum, atque in medio foro constitisset, cum toto populo circumseptus esset, cum significare vellet non hominem esse, qui propheticos sermones non audiret, clamans dicebat : « Veni, et non erat homo : vocavi, et » non erat qui obediret[1]. » Atque ut hoc esse dictum intelligas non ob raritatem eorum, qui adessent, verum ob eorum socordiam qui audirent, postquam dixit : « Veni, » et non erat homo, » subjunxit, « Et non erat qui obediret. » Itaque aderant illi quidem, sed adesse non censebantur, quandoquidem Prophetam non audiebant : propterea, quandoquidem venit, et non erat homo : vocavit, et non erat qui obediret, orationem ad elementa convertit, et ait : « Audi cœlum, et auribus percipe terra. » Nam equidem ad homines, inquit, missus fueram, ad homines ratione ac mente præditos : quando autem neque ratione, neque sensu prædili sunt isti, propterea destituta sensu alloquor elementa, in reprehensionem eorum, qui cum honorati sensu fuissent, tamen honore illo non utuntur. Sic etiam alter Propheta dixit Jeremias : siquidem ille quoque in medio Judæorum cœtu cum stetisset, in eadem illa urbe, quasi nullus adesset, ita clamabat : « Ad quem lo- » quar, et contestabor[2] ? » Quid ais ? cum tantam videas multitudinem, quæris quem allocuturus sis ? Quæro equidem, inquit : siquidem multitudo corporum est, non hominum multitudo : corporum est multitudo, quæ auditu non pollent. Idcirco etiam adjecit : « Incircumcisæ sunt

[1] Isaï. vi, 2. — [2] Jerem. vi, 10.

» aures eorum, et audire non possunt. » Vides omnes istos eo quod non audiant, homines non esse? Ille dixit: « Veni, et » non erat homo: veni, et non erat, qui obediret; » hic dicit: « Ad quem loquar et contestabor? incircumcisæ sunt aures » eorum, et audire non possunt. » Quod si eos, qui aderant, propterea quod diligenter ad ea quæ dicebantur non attendebant, ne homines quidem esse dicunt Prophetæ; quid dicemus nos de illis, qui non modo non audiunt, sed ne ingredi quidem hæc vestibula sacra dignantur, de illis qui extra sacrum hunc gregem vagantur, qui procul ab ædibus istis maternis in triviis et angiportis tanquam insolentes ac socordes quidam pueruli versantur? Nam et illi cum paternam domum deseruerint, alicubi foris oberrant, et totos dies in ludis puerilibus transigunt: quam ob causam et libertate, ac sæpenumero vita pueruli tales privantur. Nam cum in manus plagiariorum aut prædonum inciderint, sæpe morte negligentiæ suæ pœnas luunt. Siquidem arreptis ipsis cum aurea ornamenta sustulerint illi, aut fluminum undis suffocant, aut si quid mitius de illis statuerint, in longinquam illos regionem abductos ac servituti addictos divendunt. Idem istis etiam accidit: cum enim longe a paterno domo et hujus templi frequentatione aberrarint, in hæreticorum ora incidunt, et in linguas hostium veritatis: tum illi cum tanquam plagiarii quidam ipsos invaserint, et aureo fidei ornatu spoliarint, confestim eos non in flumen projectos, sed in turbida dogmata fœtoris sui demersos enecant.

II. Vestrarum hoc partium fuerit saluti fratrum consulere, atque ad nos illos reducere, licet resistant, licet reclament, licet lamententur. Puerilis est animi contentio ista et negligentia: vos vero imperfectam adhuc atque ita misere affectam ipsorum animam corrigite, vestri muneris est, ut illis persuadeatis, ut homines fiant. Nam quem-

admodum cum, qui humana aversetur alimenta, et cum pecudibus spinis herbisque pascatur, hominem esse minime dicemus : sic nimirum cum, qui veram et animæ convenientem humanæ escam oderit, quæ ex divinis constat Eloquiis, in sæcularibus autem cœtibus et omni fœditate redundantibus circulis resideat, et iniquis alatur verbis, hominem appellare minime possumus. Siquidem apud nos homo est non is tantum qui pane vescatur, sed qui prius quam ullo cibo, divinis ac spiritualibus Eloquiis perfruatur. Hoc autem hominem esse, disce ex his quæ Christus effatus est : « Non in solo pane vivet homo, sed in omni » verbo, quod procedit de ore Dei [1]. » Itaque duplex vitæ nostræ est alimentum, unum deterius, alterum vero præstantius : et hoc præcipue capessendum est, ut et animam alere possimus, neque fame illam torqueri sinamus. In vestra igitur potestate situm est, ut civitatem nobis hominum plenam efficiatis. Quando ergo destituta est hominibus ampla et populosa hæc civitas, æquum est ut patriæ vestræ hanc gratiam et munificentiam conferatis, ut transmissis ad eos quæ hic didiceritis, fratrum nobis animos reconcilietis. Tum enim mensæ participes nos fuisse comprobamus, non cum mensam laudamus tantum, sed cum iis, qui abfuerint, cibariorum quidpiam largiri possumus. Hoc et vos nunc agite, sicque alterutrum ex his duobus omnino evenict, ut vel illis persuadeatis ad nos ut redeant, vel si in eadem contentione perseverent, vestræ linguæ opera nutriantur, imo vero plane revertantur. Non enim potius eligent gratuita beneficentia nutriri, cum pro suo jure possint ipsi hac paterna mensa potiri. Sed hoc vos facere, vel fecisse, vel esse facturos plane confido credoque, quandoquidem frequenter ad hæc hortari vos non destiti ; et vos quoque omni scientia repleti estis, qui et

[1] Matth. IV, 4.

alios admonere possitis[1]. Jamvero tempus est, ut nostram vobis hanc mensam apponamus vilem quidem ipsam ac tenuem, et quæ multam penuriam præ se ferat, sed quæ optimo tamen cibi condimento, alacritate auditorum instructa sit. Mensam enim efficit jucundissimam non ciborum sumptuositas solum, sed eorum etiam qui invitati fuerint appetitus. Sic et lauta et magnifica mensa vilis ac tenuis apparebit, nisi fame pressi, qui adsunt, ad illam accedant : sic etiam vilis sumptuosa censebitur, si famelicos suos convivas acceperit. Idque cum probe nosset alius quispiam, non ex natura ciborum, sed ex affectu ac dispositione convivarum de mensarum magnificentia judicium ferri, his verbis utitur : « Anima, quæ in saturitate » est, favis illudit : animæ autem egenti etiam amara dulcia » videntur[2] : » non quod eorum, quæ apposita sunt, natura mutetur, sed quod eorum affectio, qui convivio sunt excepti, sensum decipiat. Quod si propter convivarum cupiditatem amara dulcia videntur, multo magis ea quæ vilia sunt, sumptuosa videbuntur. Atque idcirco nos quoque summa licet inopia pressi, magnificos convivatores imitamur, dum singulis collectis ad nostram vos mensam invitamus. Id vero facimus non nostris opibus freti, sed quod de vestra auditione confidamus[3].

III. Totum igitur debitum inscriptionis vobis persolvimus, inscriptionis, inquam, Actorum apostolicorum. Ut igitur initium libri attingeremus, ordo exigebat, ac doceremus quid hoc sibi velit : « Primum quidem sermonem » fecimus de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus fa» cere ac docere[4] : » verumtamen non sinit Paulus, ut hanc seriem ordinis sequar, sed ad se suaque recte facta linguam nostram invitat. Cupio namque videre illum intro-

[1] Rom. xv, 14. — [2] Prov. xxvii, 7. — [3] Hic quidpiam deesse videtur. — [4] Act. i, 1.

ductum Damascum, non ferrea catena, sed dominica voce vinctum : cupio videre piscatu captum piscem hunc magnum, qui totum exæstuans mare conturbat, qui fluctus innumeros adversus Ecclesiam excitat : cupio videre ipsum piscatu captum non hamo, sed verbis Domini. Nam quemadmodum in sublimi rupe considens piscator, et arundinem attollens hamum ab alto in mare demittit : sic nimirum et Dominus noster spiritualem exhibens piscaturam tanquam in sublimi cœlorum rupe considens, velut hamo quodam desuper hac voce missa cum dixisset : « Saule, Saule, quid me persequeris [1] ? » piscem hunc ingentem piscatus est; et quod in pisce contigit, quem jussu Domini piscatus est Petrus, hoc et in isto evenit; siquidem hic quoque piscis in ore staterem habens inventus est ; staterem quidem, sed adulterinum : quippe qui zelum haberet, sed non secundum scientiam. Propterea cum scientiam illi largitus esset Deus, probum illum nummum reddidit : et quod piscatu captis accidit piscibus, hoc et in isto accidit. Nam ut illi cum primum extracti e mari fuerint, confestim cæci fiunt : sic et iste confestim hamum excepit, et extractus confestim est excæcatus : verum excæcatio hæc effecit, ut totus orbis terrarum visum reciperet. Hæc igitur omnia cupio cernere : nam si forte bellum nos barbaricum circumsideret, et in aciem dispositi hostes innumera nobis negotia facesserent : deinde barbarorum exercitus ductor, qui machinis nos oppugnaret innumeris, resque nostras omnes conturbaret, et tumultu ac perturbatione compleret, urbem ipsam funditus eversurum se minaretur, et igne succensurum, qui servitutem intentaret, confestim ab imperatore nostro vinctus et captivus in urbem introduceretur, nonne omnes cum mulieribus et pueruli ad spectaculum illud exiliremus? Quando

[1] Act. x, 4.

igitur et nunc bellum est indictum, dum omnia confundunt turbantque Judæi, et multis machinis Ecclesiæ quietem ac securitatem oppugnant : caput autem et princeps hostium cum esset Paulus, qui majora quam cæteri faciebat, ac dicebat, qui cuncta miscebat et conturbabat, jam a Domino nostro Jesu Christo imperatore nostro vinctus est, et captivus abductus qui cuncta susquedeque vertebat, non ad spectaculum istud egrediemur omnes, ut captivum ipsum duci videamus? Nam et Angeli cum e cœlis ipsum duci captivum cernerent, exultabant, non quod vinctum cernerent tantum, sed quia, quam multos homines a vinculis expediturus esset, cogitabant : non quod manu duci spectarent, sed quod mente versarent, quam multos homines in cœlum e terris injecta manu esset introducturus. Propterea gaudebant, non quod excæcatum viderent, sed quod intelligerent quantos esset e tenebris educturus : Proficiscere namque, inquit, ad gentes, et a tenebris liberatos in regnum eos dilectionis Christi transferes. Propterea misso exordio, ad medium propero transilire : nam Paulus et in Paulum amor hunc dare saltum nos coëgit. Paulus et in Paulum amor. Ignoscite mihi : vel potius, nolite ignoscere, sed et amorem istum æmulamini. Nam is qui turpi amore correptus est, merito veniam postulat : qui vero ejusmodi amore flagrat, hac cupidine glorietur, multosque faciat desiderii istius participes et innumeros comparet sibi rivales. Si enim fieri posset ut recta via pergentes, et ordine progredientes priora diceremus, et ad ea quæ in medio sunt perveniremus, nequaquam omisso principio confestim ad medium venissemus : sed quoniam post Pentecosten deponi librum lex patrum jubet, et una cum fine solemnitatis hujus lectio libri terminatur : veritus sum, ne dum in exponendis proœmiis occupamur et immoramur, historiæ series nos

prius effugeret, quam illam possemus attingere. Idcirco a principio narrationis ad alia properans, et proœmium historiæ tanquam a posteriori capitis parte prehensum retinens, manere vos jussi, et in principio viæ subsistere. Postquam enim narrationis caput attigero, confidenter deinceps quæ sequuntur, quamvis festum præterierit, cuncta percurram. Neque vero nos accusare quisquam poterit, quod intempestivam narrationem afferamus, cum ordinis ipsius necessitas omni nos intempestivi argumenti accusatione liberet : quam ob causam a proœmio ad medium usque decurri. Non enim fieri potuisse, si recta via progressi essemus, ut ad Paulum perveniremus, sed linguam nostram prius evasurum fuisse librum, nobisque fores occlusurum, ex ipsius proœmii expositione demonstrabo, tametsi jam illud reipsa patefactum est.

IV. Nam si dum solam vobis inscriptionem legimus et enarramus, dimidium solemnitatis consumpsimus, si ab exordio initio facto in ipsum libri pelagus orationem immittere cœpissemus, quantum, quæso, temporis impendissemus, ut ad illas de Paulo narrationes perveniremus? Imovero ex ipso proœmio vobis hoc ipsum conabor ostendere. « Primum quidem sermonem feci de omnibus, » o Theophile[1]. » Quot existimatis hic esse quæstiones? Primum quidem, quam ob causam priorem librum in memoriam illi revocet. Secundo, quam ob causam sermonem vocet, et non Evangelium : tametsi Paulus Evangelium illum vocat, dum sic ait : « Cujus laus est in Evangelio per » omnes Ecclesias[2], » de Luca verba faciens. Tertio qua de causa dicat, « De omnibus quæ fecit Jesus. » Si enim Joannes Christi dilectus, qui tanta fiducia gratiaque apud illum valebat, cui datum fuerat, ut supra sacrum illud pectus recumberet, qui spiritus fontes inde hauserat, hic

[1] Act. 1, 1. — [2] 2 Cor. VIII, 18.

illud dicere minime ausus est, sed tantam cautionem adhibuit, ut diceret : « Si scribantur per singula omnia, quæ » fecit Christus, nec ipsum arbitror mundum capere posse » eos, qui scribendi sunt, libros[1] : » quomodo dicere hic ausus est : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, » o Theophile, quæ fecit Jesus? » an vero parva nobis hæc quæstio videtur? Atque illic quidem, optime Theophile, nomen cum laude positum est : neque enim hoc sine causa dictum est sanctis. Et forte illud ex parte demonstravimus, neque unum iota, neque apicem unum temere positum esse in Scripturis. Si ergo tot ac tantæ sunt in proœmio quæstiones, quantum nobis temporis impendendum fuisset, si omnia quæ sequebantur, voluissemus percurrere? Has ob causas, prætermissis quæ interjecta erant, coactus sum ad Paulum venire. Cur igitur propositis quæstionibus earum solutionem non adjecimus? ut scilicet vos assuefaceremus non semper mansum excipere cibum, sed sæpenumero solutionem sententiis per vos ipsos adjungere, quod facere solent columbæ. Siquidem illæ pullos quandiu quidem in nido manent, ore proprio nutriunt : postquam autem ejicere illos e nido possunt, eisque cernunt jam natas alas, non jam amplius id præstant, sed granum quidem ore gestant et ostentant : ubi vero pulli sperantes propius accesserint, dimissam in pavimentum escam matres per se ipsos jubent colligere : sic et nos fecimus, dum accepto in ore spirituali cibo vos invitavimus tanquam solutionem more consueto exposituri : postquam autem advenistis, et vos excepturos sperastis, vos dimisimus, ut ipsi per vos sententias colligatis. Propterea proœmio derelicto ad Paulum festinamus. Dicturi porro sumus non ea solum quibus Ecclesiæ profuit, sed etiam ea quibus ei nocuit : nam et hæc e re nostra est oratio. Dicemus quo

[1] Joan. xxi, 25.

pacto verbum prædicationis oppugnaret, quo pacto Christo bellum inferret, quo pacto Apostolos persequeretur, quo pacto hostili in eos animo esset, quo pacto Ecclesiæ plus negotii, quam cæteri omnes facesseret. Verumtamen neminem pudeat hæc audire de Paulo : non enim hæc sunt ejus accusationes, sed laudum potius occasiones. Non enim crimen est illi, cum prius improbus fuisset, bonum deinceps evasisse ; sed si cum prius virtute præditus fuisset, postea mutatus ad improbitatem descivisset. Semper enim res ex fine judicantur : nam et gubernatores, licet innumera sint passi naufragia, cum ad portum navem appulsuri sunt, si refertam mercibus onerariam deduxerint, nequaquam illos male functos esse munere suo dicimus, cum rei exitus omnia quæ præcesserant occultarit : et rursus athletas, licet multoties fuerint ante superati, modo in ea pugna vincant, in qua de corona agitur, nequaquam propter ea quæ præcesserunt, victoriæ præconiis defraudamus. Sic et erga Paulum nos geramus : nam et ipse naufragia passus est innumera : sed cum ad portum appulsurus navem fuit, refertam mercibus onerariam deduxit. et quemadmodum Judæ nihil profuit, discipulum prius fuisse, cum deinde factus sit proditor : ita nec isti quidquam nocuit antea persecutorem fuisse, cum Evangelista deinceps evaserit. Hæc Pauli sunt præconia, non quod Ecclesiam subverterit, sed quod ipsam rursus ædificarit : non quod verbum Dei oppugnarit, sed quod postquam verbum oppugnarat, ipse illud rursus amplificaverit : non quod Apostolis bellum intulerit, non quod gregem dissiparit, sed quod ubi dissipasset, illum ipse deinde congregarit.

V. Quid hoc admirabilius fieri possit? Lupus pastor est factus : qui sanguinem ovium absorbebat, sanguinem suum pro salute ovium fundere non cessavit. Vis tu intelligere quo pacto sanguinem ovium absorberet? quo pacto sangui-

nem ejus lingua stillaret? « Saulus autem adhuc spirans » minas et cædem in Discipulos Domini[1]. » Attamen iste qui minas et cædem spirabat, et sanctorum sanguinem fundebat, audi quo pacto sanguinem suum pro sanctis funderet. « Si secundum hominem, inquit, ad bestias pugnavi » Ephesi[2] : » et rursus, « Quotidie morior, » et rursus, « Æstimati sumus sicut oves occisionis[3]. » Atque hoc dicebat is qui aderat, cum Stephani sanguis funderetur, et erat consentiens neci ejus. Vides ut lupus pastor evaserit? Numquid non erubescitis, cum audiveritis antea persecutorem illum, et blasphemum et contumeliosum fuisse? vidistis ut prior accusatio laudes ejus nova accessione cumularit? Nonne in priori vobis collecta dicebam ea miracula, quæ crucem secuta sunt, iis majora quæ ipsam præcesserant extitisse? Nonne id ostendi vobis et ex miraculis et ex Discipulorum benevolentia; et quo pacto antea quidem Christus imperans mortuos suscitabat, postea vero servorum ejus umbra idipsum præstabat? quo pacto tum quidem ille suo jussu miracula patrabat: postea vero servi ejus nomen ipsius usurpantes majora faciebant? Nonne de hostibus dicebam, quo pacto conscientiam illorum perterrefaceret? quo pacto universo terrarum orbi imperaret? quo pacto majora fuerint post crucem miracula, quam quæ crucem præcesserant? illius germana quæ se nunc ingerit est oratio. Quod enim majus hoc cerni possit miraculum, quod in Paulo contigit? Nam viventem quidem illum Petrus negavit, at mortuum Paulus confessus est. Porro mentem Pauli pellexisse atque expugnasse majus signum fuit, quam umbrarum opera mortuos suscitasse. Nam illic quidem sequebatur natura, neque imperanti contradicebat: hic vero in potestate liberi arbitrii situm erat, ut persuaderetur vel non persuaderetur; unde magna virtus

[1] Act. IX, 1. — [2] 1 Cor. XV, 32. — [3] Rom. VIII, 36.

ejus, qui persuasit, ostenditur. Multo quippe majus fuit voluntatem convertisse, quam naturam correxisse: majus igitur cæteris omnibus signum fuit, Paulum post crucem et sepulturam ad Christum accessisse. Propterea namque permisit eum Christus omne odium præ se ferre, ac tum illum vocavit, ut resurrectionis probationem ac doctrinæ sermonem omni suspicione liberaret. Nam Petrus quidem si de eo locutus esset, suspectus fuisset: potuisset enim impudens aliquis quippiam dicere. Porro impudentem dixi, quoniam et illic manifesta fuit demonstratio. Siquidem ille quoque prius ipsum negavit, et cum juramento negavit: verumtamen hunc ipsum deinde dum confitetur, vel ipsam animam suam pro illo tradidit. Quod si non resurrexisset, nunquam is, qui viventem negaverat, millies mortem tolerasset, ne jam mortuum abnegaret: quo fit, ut etiam in Petro resurrectionis demonstratio manifesta fuisse videatur. Verumtamen de illo quidem impudentes dicere potuissent eum, propterea quod Discipulus erat illius; propterea quod particeps ejus mensæ fuerat, ac tribus annis cum illo versatus fuerat; propterea quod ejus doctrina potitus erat; propterea quod in fraudem illectus blanditiis ejus fuerat, idcirco resurrectionem illius prædicare: cum vero Paulum videas, qui ipsum non viderat, qui ipsum non audiverat, qui doctrinæ particeps minime fuerat, qui etiam post crucem illi bellum indixerat, et eos, qui in ipsum credebant, interficiebat, qui omnia miscebat ac turbabat, hunc subito mutatum in ferendis pro prædicatione verbi laboribus omnes Christi amicos superare, quæ tibi deinceps, quæso, impudentiæ occasio relinquetur, si resurrectionis verbo non credas? Si enim Christus non resurrexisset, quis hominem adeo crudelem et inhumanum, quis adeo infensum et efferatum sibi conciliasset et ad se attraxisset? Dic enim quæso, Judæe, quis Paulo persuasit, ut Christo se adjungeret? num Petrus? num Ja-

cobus? num Joannes? atqui omnes isti eum timebant et horrebant, neque tantum ante hoc tempus, sed tum etiam cum in amicorum numerum relatus erat, quando manu prehensum illum Barnabas Jerosolymam introduxit, adhuc illi propius se adjungere timebant; ac sedatum quidem erat bellum, metus tamen adhuc in Apostolis permanebat. An igitur illi qui reconciliatum adhuc timebant, cum inimicus et hostis esset, oratione flectere ausi essent? an vero ad illum accedere omnino, vel coram illo subsistere, vel os aperire, aut omnino apparere, potuissent? Non ita se res habet, non ita est, nec humanæ diligentiæ facinus illud fuit, sed gratiæ divinæ. Si ergo mortuus erat Christus, ut dicitis, et cum venissent Discipuli ejus, furati sunt eum, quomodo majora post crucem facta sunt miracula? quomodo amplior virtutis secuta est demonstratio? Non enim tantum hostem sibi reconciliavit et principem ducemque pugnæ vestræ; tametsi, licet hoc solum fecisset, maximæ fuit hoc potentiæ inimicum et hostem abduxisse captivum; jamvero non hoc solum præstitit: sed et aliud multo majus. Non enim tantum sibi reconciliavit, sed ita sibi familiarem reddidit; sic eum ad amorem suum pellexit, ut ejus fidei Ecclæsiæ negotia cuncta commiserit: « Vas enim, » inquit, electionis est mihi iste, ut portet nomen meum co» ram gentibus, et regibus[1], » eique persuaserit, ut plus quam Apostoli pro Ecclesia laboraret, quam antea oppugnabat.

VI. Vis tu intelligere quo pacto illum sibi reconciliarit? quo pacto familiarem reddiderit? quo pacto sibi asciverit? quo pacto in numerum præcipuorum amicorum retulerit? nulli hominum tam multa detegere arcana, quam multa Paulo est ausus. Unde vero id constat? « Audivi ar» cana verba, inquit, quæ non licet homini loqui[2]. » Vides quantam inimicus et hostis benevolentiam exhibuerit?

[1] Act. IX, 15. — [2] 2 Cor. XII, 4.

Quam ob causam operæ-pretium fuerit priorem ejus vitam proferre : siquidem ita fiet, ut nobis Dei benignitas et potentia innotescat. Benignitas quidem, quod eum qui tam multa mala perpetraverat, servare voluerit, et sibi conciliare : potentiam vero, quod id, quod volebat, exequi potuerit? Et vero animum Pauli hoc patefecit, quod nihil contentionis studio faceret, neque gloriæ humanæ cupiditate præoccupatus, quemadmodum Judæi : sed zelo succensus non recto illo quidem, sed zelo tamen, quod et ipse clamans dicebat : « Ideo misericordiam consecutus » sum; quia ignorans feci in incredulitate [1] : » et benignitatem Dei obstupescens dicebat: « Ut in me primo osten- » deret Christus omnem patientiam ad informationem » eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam. » Et alibi rursus dicebat : « Operationem virtutis suæ maxime » ostendit in nos qui credimus [2]. » Vides ut et benignitatem Dei et virtutem prior vita Pauli ostenderit, et quam incorrupta sinceraque mente præditus ipse fuerit? Sane quidem ad Galatas scribens hoc protulit, ut se hominum causa minime fuisse mutatum, sed divina virtute fuisse conversum probaret. « Si enim hominibus, inquit, place- » rem, Christi servus non essem [3]. » Unde vero id constat te non, ut hominibus placeres, ad prædicationem fuisse conversum? « Audistis, inquit, conversationem meam ali- » quando in judaïsmo, quoniam supra modum perseque- » bar Ecclesiam Dei, et expugnabam eam [4]. » Quod si hominibus placere voluisset, nequaquam ad fidem conversus fuisset. Quid ita? colebatur a Judæis, et multa securitate fruebatur, ac præ cæteris honore afficiebatur : non igitur ad Apostolorum vitam tot objectam periculis se transtulisset, quæ multa laborabat infamia, quæ tot calamitatibus redundabat. Itaque quod illum honorem, quo apud Ju-

[1] 1 Tim. 1, 13. — [2] Ephes. 1, 19. — [3] Galat. 1, 10. — [4] Ibid. 13.

dæos fruebatur, repentina mutatione ac conversione, et vitam quietam deseruerit, et cum Apostolorum vita commutaverit, innumeris objecta mortis generibus, maximum illud argumentum fuit non ob humanam quamdam occasionem Paulum esse conversum. Propterea nos etiam priorem ejus vitam in medium afferre voluimus, et ardentem zelum ejus ostendere, quo Ecclesiam oppugnabat, ut cum ejus pro Ecclesiæ defensione promptitudinem animi videris, Deum laudes, qui facit omnia et transformat. Propterea Pauli quoque Discipulus diligenter nobis ac perspicue priora narravit, ita dicens : « Saulus autem adhuc » spirans minas, et cædem in Discipulos Domini[1]. » Ac vellem equidem ego quoque hodierno die proœmium inchoare, vellem ad initium narrationis aggredi, sed video pelagus quoddam sententiarum ex solo nomine se nobis obtrudere. Cogita namque quantam e vestigio nobis illud, Saulus, quæstionem moveat : siquidem aliud in Epistolis positum nomen occurrit. « Paulus servus Jesu Christi, vo- » catus Apostolus : Paulus et Sosthenes : Paulus vocatus » Apostolus : Ecce ego Paulus dico vobis[2] : » jamvero ut Paulus, et ubique Paulus appellatur, non autem Saulus dicitur. Cur igitur antea Saulus, postea vero Paulus vocatus est? Neque vero simplex est illa quæstio : statim enim Petrus accurrit : nam et ipse antea Simon dicebatur, postea vero Cephæ nomen accepit : et Zebedæi filii Jacobus et Joannes mutato nomine filii Tonitrui sunt appellati. Nec in Novo solum Testamento, sed etiam in Veteri reperimus Abraham antea dictum Abram, postea Abraham; et Jacob primum Jacob esse dictum, deinde Israël : et Saram primum Saram esse, deinde Sarram : et multas nobis hæc mutatio nominum parit quæstiones, ac vereor, ne multis fluminum effusis, fluentis doctrinæ sermonem velut

[1] Act. IX, 1. — [2] Galat. V, 2.

obruam et suffocem. Nam quemadmodum in agro humido et irriguo ubicumque quis fodit, undique fontes scaturiunt: sic et in agro divinæ Scripturæ, ubicumque reseraveris, plurimos fluvios videbis erumpere: quam ob causam ne omnes illos simul hodierno die effundam, non mediocriter pertimesco. Quapropter rivum hunc nostrum claudens, charitatem vestram ad sacrum fontem præsulum istorum, magistrorumque transmittam limpidum illum, potabilem ac dulcem, quod ex spirituali petra fluentum manat. Mentem igitur ad excipiendam doctrinam, ad spirituales latices hauriendos paremus, ut fiat in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam: quam nos omnes obtinere contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo gloria, honor, imperium, una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Ad eos qui reprehendebant eum ob prolixitatem eorum, quæ dicta fuerant, et ad eos brevitatem orationis ægre ferebant, deque Sauli et Pauli appellatione, et cur primus homo vocatus sit Adam, et quod utiliter ac fructuose, atque in eos qui recens fuerant illuminati.

I. Quid quæso nobis agendum est hodierno die? Siquidem dum multitudinem vestram cerno, ne longius sermonem protraham, pertimesco. Cum enim provehitur longius doctrinæ sermo, video vos in angustias redactos vos invicem conculcare, atque hanc ex angustiis afflictionem, quominus diligenter audiatis, impedire. Nisi enim

quietus sit ac tranquillus auditor, minime potest cum studio ad ea quæ dicuntur attendere. Cum igitur multitudinem vestram, ut dixi, video, ne longius sermonem protraham pertimesco, sed dum cupiditatem vestram considero, doctrinam contrahere reformido. Nam qui sitit, nisi prius poculum repletum viderit, ne labris quidem lubenter illud admovet, sed quamvis totum exhausturus non sit, totum repletum cernere concupiscit. Quamobrem, quo pacto me in hac concione gerere debeam ignoro. Nam et brevitate sermonis laborem vestrum minuere volo, et orationis prolixitate vestram cupiditatem explere. Atqui utrumque istorum sæpenumero præstiti, ac ne semel quidem crimen effugi. Scio me persæpe, dum vobis parco, ante finem abrupisse sermonem, et in nos clamarunt ii, quorum animus satiari minime potest, qui sacris laticibus assidue fruuntur, sed nunquam tamen explentur, « Beati illi qui » esuriunt, et sitiunt justitiam [1], » et istorum adversos clamores pertimescens rursus doctrinæ sermonem protraxi longius, et idcirco in crimen incurri. Nam qui sermonis brevitate delectantur occurrentes orabant, ut ipsorum infirmitati parcerem atque concionis prolixitatem contraherem. Dum igitur vos in angustias redactos intueor, sermonem silentio coërcere studeo : dum vero vos angustiis pressos idcirco non recedere, sed ad longiorem cursum paratos esse, acuere linguam desidero. « Angustiæ mihi » sunt undique [2] : » quid faciam? Nam is quidem qui uni domino servit, unique sententiæ cogitur famulari, facile domino potest placere, neque a proposito aberrare : at ego multos habeo dominos, qui tanto servire populo cogor, cujus diversa est sententia. Hæc autem non idcirco sunt a me dicta, quod servitutem ægre feram, absit, neque quod vestrum defugiam dominatum. Nihil enim mihi est hac

[1] Matth. v, 6. — [2] Dan. xiii, 22.

servitute honorificentius. Non ita diademate ac purpura gloriatur imperator, ut ego charitatis vestræ servitutem mihi honorificam duco. Siquidem illi regno mors succedit : huic autem servituti, si recte peracta fuerit, regnum cœleste præparatum est. « Beatus enim est Fidelis » servus, et prudens, quem constituit dominus ejus, ut » conservis suis det tritici mensuram. Amen dico vobis, » super omnia bona sua constituet eum [1]. » Vides quantus sit servitutis hujus quæstus, si diligenter obita fuerit ? super omnia domini bona constituit. Non ergo defugio servitutem, quippe qui cum Paulo serviam. Nam et ille dicit : « Non nosmetipsos prædicamus, sed Christum Jesum Do- » minum : nos autem servos vestros propter Jesum [2]. » Et quid dico Paulum ? si is qui in forma Dei erat, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, quid magnum præsto, si ego servus fiam conservis ipse servus propter me ipsum ? Non ergo quod vestram servitutem detrectem, ista dixi, sed ut mihi venia detur, si forte minus convenientem omnium judicio mensam apponam : vel potius id agite, quod nunc dicam. Vos qui nunquam expleri potestis, sed esuritis justitiam, ac sititis, prolixosque sermones expetitis, propter fratrum vestrorum imbecillitatem aliquid sinite de consueta sermonis mensura resecari. Rursus vos qui brevitatem orationis adamatis, et imbecilliores estis, gratia fratrum vestrorum, qui exsaturari non possunt, laborem exiguum tolerate, vestraque invicem onera portate [3], atque ita Christi legem adimplete. Nonne videtis Olympicorum ludorum athletas in medio stantes theatro in ipso meridie tanquam in fornace in stadio ac nudo corpore solis radios quasi statuas quasdam æreas, et cum sole, pulvere, æstuque pugnare, ut tot ærumnis vexatum caput lauri foliis coronetur ? Vobis autem non laurea corona, sed jus-

[1] Matth. xxv, 35. — [2] 2 Cor. iv, 5. — [3] Galat. vi, 2.

titiæ corona in præmium auditionis est proposita, neque ad medium usque meridiem vos detinemus, sed ab ipsis lucis exordiis vos dimittimus, dum adhuc aër est frigidus, neque dum radiorum crebris jactibus concalefactus. Non capite nudo vos jubemus solis æstum excipere, sed sub eximium laquear istud deducimus, vosque tecti solatio et quocumque genere jucunditatis a nobis excogitato recreamus, ut ea, quæ dicta fuerint, diutius et constantius audire possitis. Ne igitur pueriles nostris molliores fiamus, qui scholas frequentant : illi ante meridiem domum non audent redire, sed non ita pridem a lacte depulsi, paulo ante avulsi ab ubere, cum nondum quinque annorum ætatem attigerint, in juvenili ac tenero corpore tolerantiam omnem præ se ferunt : quamvis æstus, quamvis sitis, quamvis aliud quidvis molestiam afferat, ad medium usque meridiem in schola sedentes tolerando ac patienter ferendo perseverant. Itaque si nullum alium, pueriles illos imitemur nos viri, qui ad justam ac perfectam ætatem pervenimus. Si enim institutos de virtute sermones audire non sustinemus, quis nobis credere poterit nos labores toleraturos pro virtute subeundos ? Si ad audiendum illiberales adeo simus ac sordidi, unde nos ad agendum promptiores fore constabit? Si quod facilius est omittamus, quomodo quod difficilius est perferemus? At enim multæ sunt loci angustiæ, multa violentia? Audi sane, quod regnum cœlorum rapiant violenti [1], quod arcta sit et angusta via, quæ ducit ad vitam [2]. Quando igitur per arctam et angustam viam incedimus, nos etiam oportet nos ipsos coarctare et comprimere, ut arctam et angustam conficere viam possimus. Nam qui se ipsum dilatat, non ita facile viam angustam percurret, sed qui se ipsum cohibet, comprimit, et constringit.

II. Neque enim de rebus trivialibus quæstionem habe-

[1] Matth. xi, 12. — [2] Id. vii, 14.

mus hodie, sed de re quæ cœpit quidem hesterno die proponi, non potuit autem solutio quæstionis afferri, propter eorum multitudinem, quæ fuerant in medium prolata. Quid illud porro est? De nominum impositione quæstio erat, quæ Deus sanctis imposuit. Res autem ista tenuis videtur esse, si quis audiat : multum vero continet thesaurum, si quis diligenter attendat. Nam et auream terram, quæ in fodinis reperitur imperiti, et qui negligenter aspiciunt, terram nudam solum esse putant, neque quidquam amplius habere, quam aliam quamvis : qui vero artis oculis illam considerant, istius terræ nobilitatem noverunt, et dum illam in ignem injectam probant, omnem illius præstantiam patefaciunt. Sic nimirum in sacris Scripturis, qui oscitanter litteras legunt, nudas esse litteras arbitrantur, nec amplius quidquam in se continere quam cæteras : qui vero fidei oculis illas considerant, quemadmodum illi artis instrumentis illarum probationem igni Spiritus committentes, totum illarum aurum facile cernent. Unde igitur quæstionis initium est ductum? Neque enim temere in hanc disceptationem incidimus, ne quis intempestivæ nos curiositatis condemnet : sed cum apostolica vobis Acta legerentur, Pauli præclara facinora narrare cupiebamus, jamque historiæ attigeramus exordium, et his verbis conceptum initium narrationis invenimus. « Saulus autem »adhuc spirans minas et cædem in Discipulos Domini[1]. » Continuo turbavit nos immutatio nominis : invenimus enim in omnibus Epistolis, et in illarum exordiis non Saulum eum, sed Paulum appellari, et hoc non in hoc solo, sed et in multis aliis accidisse. Nam et Petrus Simon dicebatur, et filii Zebedæi Jacobus et Joannes Tonitrui filii mutato deinde nomine sunt vocati : et in Veteri Testamento hanc eamdem consuetudinem in quibusdam obtinuisse

[1] Act. IX, 1.

comperimus. Nam et Abraham prius Abram appellabatur, et Sarra prius Sara, deinde Sarra nominata est, et Jacob postea Israël est vocatus : absurdum igitur nobis est visum, si tantus a nobis thesaurus nominum temere præteriretur. Id vero in principibus etiam sæcularibus evenire comperimus : siquidem illi duplex quoque nomen assumunt. Vide autem : « Successit, inquit, Felici Porcius » Festus [1] : » et rursus, « Erat quidam cum proconsule, » qui vocabatur Sergius Paulus [2], » et qui Judæis Christum tradidit, Pontius Pilatus dicebatur. Neque vero principibus tantum, sed et militibus sæpe duplicia fuerunt nomina, et illi qui privatam vitam elegerant, ob causam et occasionem aliquam duplicem sortiti sunt appellationem. Sed de illis quidem nobis nihil proderit si quæramus, unde ita fuerint appellati : cum vero Deus nomen imponit, omni studio incumbendum est, ut causam reperiamus. Neque enim temere aut sine causa quidquam vel facere Deus vel dicere consuevit, sed singula cum ea, quæ ipsi convenit, sapientia. Cur ergo tandem Saulus dicebatur, cum persequeretur, et Paulus mutato nomine dictus est, quando credidit ? Nonnulli dicunt, quando turbabat, tumultuabatur, et miscebat omnia, Ecclesiamque exagitabat, Saulum illum fuisse dictum, et ab hac ipsa Ecclesiæ vexatione nomen esse sortitum : postquam autem ab illa recessit insania, turbasque ciere ac bellum inferre desiit, rursus Paulum, cum pausam fecisset, mutato nomine, dictum esse. Sed futilis et falsa est hæc oratio, atque idcirco a me prolata in medium, ne forte nudis quibusdam causarum expositionibus decipi vos sinatis. Primum enim parentes hoc illi nomen imposuerunt, non quod Prophetæ quidam essent, et quod futurum erat præviderent. Deinde si propterea Saulus dicebatur, quoniam Ecclesiam exagitabat et vexabat, oportebat

[1] Act. xxiv, 28. — [2] Id. xiii, 7.

cum, cum exagitare desiisset Ecclesiam, continuo nomen quoque deponere : jam vero illum videmus cum turbas ciere adversus Ecclesiam cessaret, nomen idcirco non deposuisse, verum adhuc Saulum esse appellatum. Ne vero putetis hæc idcirco a me dici, ut vos circumveniam, rem ipsam vobis a capite narrabo. « Ejecerunt, inquit Scriptura, » Stephanum, et lapidabant eum, et testes deposuerunt » vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur » Saulus[1] : » et rursus, « Saulus autem erat consentiens neci » ejus[2] ; » et alibi, « Saulus autem devastabat Ecclesiam, » per domos intrans, et trahens viros ac mulieres[3] ; » et rursus, « Saulus autem adhuc spirans minas ac cædem in » Discipulos Domini[4] ; » et rursus, « Audivit vocem dicen- » tem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris[5] ? » Itaque oportuit ex hoc tempore ut Sauli nomen abjiceret, siquidem a persecutione abstinebat. Num igitur confestim abjecit ? Nequaquam, idque ex iis quæ sequuntur, liquet : animadvertite, quæso. « Surrexit Saulus de terra, apertis- » que oculis nihil videbat ; » et rursus : « Dixit autem Ana- » niæ Dominus : Vade in vicum, qui vocatur Rectus, et in- » venies in domo Judæ Saulum nomine[6] : » et rursus, « Introivit Ananias, et dixit, Saule frater, Dominus misit » me, qui apparuit tibi in via, ut videas[7]. » Deinde cœpit prædicare, et confundebat Judæos, nec tamen ita nomen deposuit, sed adhuc Saulus dicebatur. « Notæ enim, in- » quit, factæ sunt Saulo insidiæ Judæorum. » Num igitur his tantum in locis ? Nequaquam, sed « Facta est fames, in- » quit, et proposuerunt Discipuli mittere sanctis in minis- » terium. Miserunt autem per manum Barnabæ et Sauli[8] » Ecce sanctis ministrat, et adhuc Saulus dicitur : et postea ingressus est Barnabas Antiochiam[9], et videns gratiam

[1] Act. VII, 57. — [2] Ibid. 59. — [3] Id. VIII, 3. — [4] Id. IX, 1. — [5] Ibid. 4. — [6] Ibid. 11. — [7] Ibid. 17. — [8] Id. XI, 28-30. — [9] Ibid. 22.

Dei, et magnam ibi esse multitudinem, profectus est Tarsum, ut quæreret Saulum. Ecce multos convertit, et Saulus dicitur ; et rursus, « Erant, inquit, Antiochiæ in Ecclesia, » quæ illic erat, Prophetæ, et doctores, Symeon qui vocaba- » tur Niger, et Lucius Cyrenæus, et Manahen, qui erat He- » rodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus [1]. » Ecce et doctor factus erat et Propheta, et adhuc Saulus dicebatur. Et rursus, « Ministrantibus autem illis Domino, et jeju- » nantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Barna- » bam et Saulum [2]. »

III. Ecce etiam a Spiritu sancto segregatur, necdum tamen nomen deponit, sed quando venit Salamina, quando Magum invenit, tunc ait Lucas de illo : « Saulus autem, » qui et Paulus, repletus Spiritu sancto dixit [3]. » Hinc mutationis nominis initium est factum. Ne igitur defatigemur, dum rationem hanc impositionis nominum quærimus. Siquidem nominum inventio in sæcularibus quoque negotiis vim non mediocrem obtinet. Nam et sæpenumero efficit ut post multum tempus elapsum homines agnoscamus, et latentem cognationem patefacit inventio nominum, atque exortas in judicio dubitationes solvit, et pugnas tollit et bellum extinguit inventio nominum, ac sæpe pacis incundæ occasionem suppeditat. Quod si sæcularibus in negotiis inventio nominum tantum valet, multo magis in spiritualibus. Sed prius necesse est, ut ipsas quæstiones accurate discernamus. Primum ergo quæritur, qua de causa quibusdam sanctis Deus nomen imposuerit, quibusdam non imposuerit. Neque enim omnibus sanctis nomina imposuit ipse, neque in Novo, neque in Veteri Testamento ; quodque in Novo factum est, id etiam in Veteri, ut unum utriusque Testamenti dominum esse cognoscas. Itaque in Novo quidem Simoni Christus Petri nomen imposuit, et filiis Zebe-

[1] Act. XIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

dæi Jacobo et Joanni filiorum Tonitrui, solis istis : reliquorum autem Discipulorum nemini, sed suas illis appellationes reliquit, quas a principio parentes illis imposuerant. In Veteri autem Abrahamo nomen immutavit Deus et Jacob : non item Joseph, neque Samuëli, neque Davidi, neque Eliæ, neque Elisæo, neque cæteris Prophetis, sed ut priores illi appellationes retinerent, permisit. Hæc quidem prima est quæstio, quare quibusdam ex sanctis immutata sint nomina, quibusdam non item : secunda vero post illam est, cur ex his quibusdam in media ætate mutata sint nomina, quibusdam ab initio, atque ante ortum. Nam Petro quidem et Jacobo et Joanni in media ætate nomina Christus immutavit : Joanni autem Baptistæ, prius quam etiam ex utero matris prodiret. « Venit enim Angelus Do» mini, et dixit : Ne timeas Zacharia : ecce uxor tua Eli» sabeth pariet filium, et vocabis nomen ejus Joannem [1]. » Vides impositum illi fuisse nomen, antequam nasceretur? Hoc et in Veteri accidit Testamento. Ut enim in Novo Petrus quidem et Jacobus et Joannes in virili ætate nomen aliud acceperunt, et duplici nomine sunt appellati : Joannes autem Baptista nomen accepit antequam nasceretur : sic et in Veteri Abrahamo quidem et Jacob in media ætate nomen est immutatum. Nam ille quidem Abram vocabatur, et Abraham vocatus est : hic vero Jacob vocabatur, et Israël est vocatus. Isaac autem non ita, sed antequam partu ederetur, nomen accepit. Et quemadmodum illic Angelus dixit : « Uxor tua in utero concipiet, et pariet » filium, et vocabis nomen ejus Joannem : » ita hic quoque Deus ad Abraham dixit : « Uxor tua Sarra pariet filium, » et vocabis nomen ejus Isaac [2]. » Una igitur hæc quæstio est, quare nonnullis mutatum sit nomen, nonnullis vero minime; altera vero ab illa, cur tandem nonnullis medio in

[1] Luc. I, 13. — [2] Gen. XVII, 19.

ætatis decursu, nonnullis etiam antequam nascerentur; idque in utroque Testamento. Nos autem ad posteriorem prius aggrediamur; sic enim prior quoque dilucidior fiet: eosque qui ab initio nomen acceperunt videamus, ac pedetentim ascendentes ad primum hominem veniamus, cui a Deo nomen est impositum, ut ab ipso initio quæstionum solutio derivetur. Quis ergo prius a Deo nomen accepit? Quis vero alius, quam qui primus formatus est? Neque enim alius erat homo, cui nomen posset imponi. Qualem igitur appellationem accepit? Adam voce hæbraïca dictus est: neque enim græcum est nomen, sed in græcam linguam versum nihil aliud significat, quam terrenum: siquidem Edem terram virginem sonat; talis porro fuit locus ille, in quo paradisum Deus plantavit. « Plantavit »enim Deus, inquit Scriptura, paradisum in Edem ad »Orientem; » ut intelligas non humanarum opus manuum fuisse paradisum: siquidem terra fuit virgo, quæ neque vomerem experta erat, neque sulco exarata, sed nullis agricolarum manibus culta solo jussu plantas illas germinarat. Propterea Edem illam appellavit, quod terram virginem significat. Hæc virgo figura Virginis illius fuit. Nam quemadmodum terra ista nullo excepto semine paradisum nobis germinavit: sic et illa nullo viri semine suscepto Christum nobis germinavit. Quando igitur dicet tibi Judæus: Quomodo virgo peperit? dic tu illi: Quomodo terra virgo stupendas illas arbores germinavit? Siquidem hæbræa lingua Edem dicitur terra virgo: quod si fidem habere quis renuat, hebrææ linguæ peritos interroget, et hanc veram esse nominis Edem interpretationem comperiet. Non enim quoniam eos alloquimur qui linguam illam non tenent, idcirco vos velim fallere: sed in id unum incumbimus, ut inexpugnabiles vos reddamus, et tanquam præsentibus inimicis qui ista noverunt, ita cuncta diligenter

interpretamur. Quoniam igitur ex Edem terra virgine formatus est homo, matri cognominis Adam vocatus est. Ita faciunt homines quoque, liberos qui nascuntur sæpe nominibus matrum appellant : ita Deus etiam formatum ex terra hominem, de nomine matris Adam dixit. Illa Edem, hic Adam.

IV. Sed quæ tandem inde dimanat utilitas ? Homines enim nomine matrum vocant, ob honorem quem deferunt matribus, quæ peperierunt : Deus autem quam ob causam nomine matris appellavit ? quid magni, vel exigui hoc agendo disposuit ? Nihil enim temere aut sine causa facit, sed multa cum ratione ac sapientia: « Quippe cujus sapientiæ non » est numerus [1]. » Edem terra, Adam terrenus, pulvereus, e terra genitus. Cur igitur sic illum appellavit ? Suam nimirum illi vilitatem naturalem hoc nomine in memoriam revocavit, et tanquam in ærco cippo substantiæ humilitatem exaravit, ut ex nominis sui magisterio modestiam discat, neque majorem, quam par sit, de sua dignitate opinionem concipiat. Nam nos quidem terram nos esse probe novimus, idque nobis ipsa rerum experientia compertum est : at ille neminem ante se viderat, qui mortem obiisset, neque in cinerem redactum, sed eximia corporis pulchritudine pollebat, et tanquam statua quædam aurea, quæ recens e conflatoria fornace prodiisset, ita fulgebat. Ne igitur propter eximiam speciem superbia efferretur, illi nomen opposuit, cujus magisterio sufficienter ad humilitatem informaretur. Accedens enim diabolus ad superbiam verbis illum suis incitaturus erat, eique dicturus, « Eritis » sicut dii. » Ut igitur nominis sui recordaretur, a quo terram se esse docebatur, nec unquam æqualem se Deo futurum opinionis errore sibi fingeret, propterea conscientiam ejus præoccupat, et nominis subsidio sufficienti cum adver-

[1] Psal. CXLVI, 5.

sus insidias a scelerato dæmone struendas cautione præmunit, dum et suæ cum terra cognationis illum admonet, et omnem illi naturæ suæ nobilitatem declarat, hoc propemodum illi dicens : Si forte dixerit tibi, Eris sicut Deus, nominis tui recordare, et sufficienti admonitione instrueris, ut ne consilium admittas. Recordare matris, et cognationis agnosce vilitatem, non ut humilitatem discas, sed ne unquam superbia intumescas. Propterea Paulus quoque dicebat : « Primus homo de terra terrenus. » Quid enim sit Adam nobis interpretans aiebat illud : « De terra terrenus, » secundus homo ipse Dominus de cœlo [1]. » Sed invadunt nos hæretici, ac dicunt : Ecce carnem Christus non assumpsit, ait enim Paulus, « Secundus homo, Dominus de » cœlo [2]. » Audis « Secundus homo, » et dicis eum carnem non assumpsisse; quis talem unquam impudentiam vidit? Quis enim homo esse potest, qui carnem non habeat? Idcirco enim et hominem et secundum hominem appellavit, ut cum ex numero, tum ex natura cognationem ejus agnoscas. Quis igitur, inquit, secundus est homo? « Dominus » de cœlo. » At enim scandalizat me locus, inquit, et quod dicatur « De cœlo. » Cum audis primum hominem Adamum esse de terra terrenum, numquid esse terrestrem ipsum arbitraris? numquid terrenum esse tantum suspicaris, neque virtutem quamdam incorpoream habere, animam, inquam, ejusque naturam? Et quis hoc dicat? Ut igitur cum de Adamo audis terrenum ipsum fuisse, non destitutum anima fuisse corpus suspicaris : ita cum audis, « Dominus de cœlo, » noli incarnationem negare, quod adjiciatur, « De cœlo. » Itaque jam primum nomen sufficienti defensione communitum est : Adamus enim vocatus est de nomine matris, ne ultra quam vires ejus ferant, de se magnifice sentiat, et diaboli fraudibus nullis possit ex-

[1] 1 Cor. xv, 47. — [2] Ibid.

pugnari. Siquidem aiebat : « Eritis sicut dii. » Age nunc quod reliquum est, ad alterum gradum facientes, qui ante partum ipsum a Deo nomen accepit, finem dicendi faciamus. Quis igitur post Adamum a Deo nomen, prius quam nasceretur, accepit? Isaac. « Ecce enim, inquit, uxor tua » Sarra concipiet in utero, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Isaac. Cum autem peperisset eum, vocavit » nomen ejus Isaac, dicens : Risum fecit mihi Deus. » Quare vero? « Quis enim, inquit, annuntiabit Abraham, quod » Sarra filium lactet[1]? » Hic mihi diligenter attendite, ut miraculum videatis. Non dixit : Quod pepererit, sed quod lactet puerulum. Nam ne forte quis suppositilium puerulum existimaret, genuini partus fidem faciebant lactis fontes : itaque ex recordatione nominis ipse quoque de mirabili generatione satis superque instruebatur. Propterea dicit : « Risum fecit mihi Deus, » quoniam videre erat mulierem senectute confectam, quæ in canitie longæva lactentem puerulum educabat. At ille risus gratiam divinam in memoriam revocabat, et lactentis nutricatio miraculi editi fidem faciebat. Neque enim naturæ opus illud erat, sed totum fuit gratiæ præclarum facinus tribuendum. Propterea Paulus quoque dicit : « Secundum Isaac promissionis filii » sumus[2]. » Nam quemadmodum illic operabatur gratia : ita hic quoque prodiit ille ex utero jam frigido et effœto. Ascendisti tu ex aquis gelidis : quod igitur illi fuit uterus, tibi lavacrum fuit aquarum. Vides partus cognationem? vides gratiæ concordiam? vides ubique naturam otiari, et totum Dei virtutem operari? Idcirco secundum Isaac promissionis sumus filii. At enim una restat adhuc quæstio : dixit de nobis : « Quod non ex sanguinibus, neque ex volun- » tate carnis simus. » Quo tandem pacto? Neque Isaac ex sanguinibus fuit : « Desierant enim Sarræ fieri muliebria

[1] Gen. xx, 10, et xxi, 3, et 6, 7. — [2] Galat. iv, 28.

» ejus[1]. » Obturati erant lactis fontes, sublata erat generationis materia, inutilis naturæ erat officina, tumque virtutis suæ Deus specimen edidit. Ecce appellationis Isaac doctrinam habemus absolutam : restat enim ut ad Abraham, et ad filios Zebedæi Petrumque veniamus : sed ne vobis nostræ orationis prolixitas tædium pariat, ad alterum sermonem ista differemus, et hic finem dicendi facientes vos cohortabimur, qui secundum Isaac nati estis, ut mansuetudinem ac modestiam Isaac imitemini, omnemque aliam ejus philosophiam ; ut precibus Justi illius, et horum præsulum omnium adjuti ad sinum Abrahæ cuncti pervenire possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, honor, imperium, simulque sancto et vivifico Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

Ad eos, qui ipsum reprehenderant ob proœmiorum prolixitatem, quod utile sit reprehensiones æquo animo ferre : et cur Paulo non statim atque credidit nomen mutatum est, itemque quod non ex necessitate, sed ex libera voluntate facta sit hæc mutatio, et in dictum illud[1] : Saule, Saule, quid me persequeris[2] ?

I. Reprehenderunt nos amicorum quidam, quod prolixiora sermonum initia faceremus. An jure vel injuria reprehenderint tunc intelligetis, cum audita defensione nostra, quasi in publico tribunali sententiam feretis. Ego vero prius quam id ostendam, ob reprehensionem

[1] Gen. xviii, 11. — [2] Act. ix, 4.

gratias ipsis refero : nam ex mei cura atque studio, non ex malo animo illa proficiscitur : amicum vero, non cum laudat modo, sed etiam cum reprehendit et corrigit, tunc me amare dixerim. Siquidem laudare omnia, tum quæ bene, tum quæ male se habent, id non amici, sed fallacis ac derisoris est : at laudare si quid boni, ac reprehendere si quid peccati admittatur, id vero amantis et curam habentis est. Atque ut discatis quod indiscriminatim omnia laudare et celebrare, non sit amici, sed decipientis : « Populc meus, inquit, qui vos bea» tos dicunt, ipsi vos decipiunt, et semitam pedum vestrorum » exturbant [1]. » Certe inimicum, ne laudantem quidem admitto ; amicum vero etiam reprehendentem amplexor. Ille etsi me deosculetur, insuavis est ; hic etsi vulneret, amabilis ; illius osculum suspicione plenum est, hujus vulnus curandi vim habet. Propterea dicit quidam : « Fi» deliora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula ini» mici [2]. » Quid dicis? Vulnera osculis meliora, inquit. Non enim ad naturam eorum, quæ fiunt, sed ad affectionem eorum qui faciunt attendo. Vis discere quomodo fideliora sint vulnera amici, quam spontanea oscula inimici? Dominum osculatus est Judas [3] ; sed osculum erat proditione plenum ; os veneno, lingua nequitia replebatur. Fornicarium apud Corinthios vulneravit Paulus ; sed illi salutem conciliavit. Quomodo, inquies, vulneravit? Satanæ tradens : « Tradite, inquit, hujusmodi Satanæ in interi» tum carnis. » Ad quid? « Ut spiritus salvus sit in die » Domini Jesu [5]. » Vidisti-ne vulnera salutis? vidisti-ne osculorum proditione repletum? Sic « Fideliora sunt vul» nera amici, quam spontanea oscula inimici. » Id non apud homines tantum, sed etiam apud Deum et apud diabolum locum habet. Ille amicus, hic inimicus est ; ille

[1] Isaï. III, 12. — [2] Prov. XXVII, 6. — [3] Matth. XXVI, 49. — [4] 1 Cor. V, 5.

servator et curator, hic fraudulentus et inimicus. Hic aliquando osculatus est, ille vulneravit. Quomodo hic osculatus est, ille vulneravit? Hic dixit, « Eritis sicut dii; » ille vero, « Terra es, et in terram reverteris[1]. » Uter magis profuit, an hic, qui dixit, « Eritis sicut dii; » an ille qui dixit, « Terra es, et in terram reverteris? » Hic mortem interminatus est, ille immortalitatem promisit. Sed qui immortalitatem promisit, ex paradiso exturbavit : qui vero mortem interminatus est, in cœlum invexit. Vides-ne quomodo « Fideliora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula inimici? » Ideo antequam id demonstrarem, gratiam retuli iis, qui me arguunt. Illi namque sive jure sive injuria arguant, non exprobrandi, sed corrigendi animo id agunt. Inimici vero, etiamsi jure arguant, non corrigendi, sed infamandi animo arguunt. Hi igitur dum laudant, id student ut meliorem efficiant; illi vero, etiamsi laudent, nihilominus supplantare conantur. Cæterum quoquo modo reprehensio accidat, magnum certe bonum est si quis reprehensiones criminationesque ita ferre possit, ut non exasperetur. « Qui enim odit increpationes, ait Scriptura, insipiens est[2]. » Non dixit tales vel tales increpationes, sed tantum increpationes. Nam si jure arguat amicus, peccatum corrige; si absque ratione, lauda voluntatem, scopum ejus approba, amicitiæ gratiam confitere : ex magno quippe amore accusatio proficiscitur. Ne stomachemur, cum arguimur. Id admodum utile est vitæ nostræ, si ab omnibus fiat : si et peccantes arguamus, et dum labimur ab aliis argui libenter feramus. In peccatis enim idem sunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Quemadmodum igitur stultus est qui pharmaca rejicit; ita et insanus is, qui reprehensiones non admittit. Verum multi sæpe exasperantur hæc apud se co-

[1] Gen. III, 5 et 19. — [2] Prov. XII, 1.

gitantes et dicentes : Hunccine feram ego sapiens et prudens ! ignorantes esse illud extremæ dementiæ argumentum. « Videbam enim, inquit, hominem, qui sibi videbatur » sapiens, et majorem illo spem habet insipiens [1]. » Eapropter et Paulus dicit : « Ne sitis prudentes apud vosmetipsos [2]. » Licet enim mirum in modum sis sapiens et perspicax, attamen homo es et consilio opus habes. Solius enim Dei est nullius indigere, et nullo opus habere consiliario. Ideo de illo solo dicitur : « Quis enim novit sensum Domini, aut » quis consiliarius ejus fuit [3] ? » At nos homines quantumcumque sapientes, multoties tamen sumus reprehensione digni, atque hinc apparet naturæ nostræ infirmitas. « Non » enim omnia esse possunt in hominibus [4], » inquit. Quare ? quia illius hominis non est immortalis. Quid lucidius sole ? Attamen et ille deficit. Sicut ergo fulgidam illam lucem et splendentem radium supervenientes tenebræ obtegunt ; ita et intelligentiam nostram, quasi in meridie fulgentem et perspicuam, inconsiderantia obrepens sæpe tenebrosam reddit : acciditque ut sapiens quandoque non videat quod oportet, et is qui multo illi inferior est acutius illud perspiciat. Atque ita res se habet, ut neque sapiens se extollat, neque inferior illo sese miserum prædicet. Magnum bonum est reprehensiones ferre : magnum item bonum posse reprehendere ; nam hoc ad curam proximi maxime pertinet. Nunc vero si videamus hominem tunicam solutam et ex transverso habentem ; aut aliud indumentum male positum, monemus et emendamus ; si vero videamus vitam ejus dissolutam, ne verbum quidem proferimus. Si videamus vitam ejus indecoram, præterimus : tametsi ea quæ ad vestes pertinent, risum tantum ; ea vero quæ ad animam, periculum et supplicium pariant.

[1] Prov. XXVI, 12. — [2] Rom. XII, 16. — [3] Id. XI, 34. — [4] Eccli. XVII, 28.

Cum vides fratrem per præcipitia ferri, de vita non curantem; nec eo, quo opus est, spectantem, nonne manum porrigis? nonne a lapsu erigis? nonne reprehendis et arguis? an pluris facis non importunum videri vel offendere, quam ejus salutem curare? Ecquam habiturus es apud Deum veniam? quam defensionem? Non audisti quid Judæis Deus præceperit, ut ne errantia inimicorum jumenta despicerent, et lapsa ne præterirent[1]? Ita-ne Judæi quidem jubentur bruta inimicorum suorum non despicere, nos vero fratrum animas quotidie supplantatas despiciemus? Quomodo id non extremæ crudelitatis et ferini animi fuerit, non tantum curæ hominibus impendere, quantum illi jumentis? Hoc omnia subvertit, hoc vitam nostram confundit, quod nec reprehensi generose feramus, neque alios reprehendere velimus. Ideo enim molesti sumus, cum arguimus, quia exasperamur, cum arguimur. Enimvero si sciret frater tuus se abs te laudatum iri, si te argueret, reprehensus et ipse parem rependeret vicem.

II. Vis scire te, etiamsi admodum prudens esses, etiamsi perfectus, etiamsi ad summum virtutis apicem pervenisses, opus tamen habiturum esse consiliario, et eo qui te argueret ac reprehenderet? Audi veterem historiam. Nihil Moysi par erat: siquidem « Mitissimus erat, inquit » Scriptura, omnium hominum[2], » Deo amicus, externa philosophia imbutus, spiritualique intelligentia plenus. « Eruditus enim erat, inquit, Moyses omni sapientia » Ægyptiorum[3]. » Vides omnigenam eruditionem? « Erat- » que potens sermone et virtute. » Verum audi aliud quoque testimonium: « Cum multis, inquit, Prophetis con- » versatus est Deus; sed cum nullo sic conversatus est: » nam cum aliis per ænigmata et somnia, cum Moyse vero » facie ad faciem[4]. » Quod illo majus virtutis ejus indicium

[1] Exod. XXIII, 5. — [2] Num. XII, 3. — [3] Act. VII, 22. — [4] Deut. XXXIV, 10.

requiras, quando omnium Dominus servum quasi amicum alloquitur? Erat itaque sapiens tam peregrina, quam domestica institutione : erat potens sermone et opere : imperabat ipsi creaturæ, quia amicus erat Domini creaturæ. Eduxit tantum populum ex Ægypto : mare divisit, atque iterum conjunxit : videreque erat stupendum miraculum. Tunc enim primum sol vidit mare, non navali, sed pedestri itinere transiri : pelagusque non remis et navigiis, sed equorum pedibus transfretari. Attamen ille sapiens, ille potens sermone et opere, amicus Dei, qui creaturæ imperabat, et tot miracula ediderat, non animadvertit rem, quam plerique mortalium facile perspiciunt. Sed socer ejus barbarus et obscurus homo id animadvertit, et in medium protulit id, quod ille non excogitaverat. Quid igitur illud est? Audite, ut discatis unumquemque consiliario indigere, etiamsi Moysi conferri possit : multaque plerumque esse, quæ magni et admirabiles viri ignorant, quæ nullius pretii hominibus nota sunt. Cum enim Moyses egressus esset ex Ægypto[1] in desertoque ageret, aderat universa plebs ad sexcenta hominum millia, omniumque lites disceptationesque ille solvebat. Quod ubi vidit socer ejus Jothor, homo imperitus, qui in deserto vitam egerat, nec legum politiæque consuetudinem ullam habuerat, et ad hæc in impietate vivebat, quo quid certius insipientiæ argumentum? Nihil enim gentilibus est insipientius. Verumtamen ille barbarus, impius, insipiens, videns Moysem non ut par erat agere, ipsum reprehendit, sapientem, inquam, illum, prudentem, Dei amicum. Dixitque illi : « Quare illi stant coram te? » et cum causam didicisset, ait : « Non recte tu facis[2] : » consilium cum increpatione conjunctum. Neque tamen ille indignatus est, sed patienter tulit vir ille sapiens, prudens et Dei amicus, qui

[1] Exod. XVIII. — [2] Ibid. 14.

tot myriadibus præerat. Neque enim parvum hoc est, a barbaro et privato homine erudiri : neque edita miracula, neque imperii magnitudo animum ejus extollebant ; neque rubore suffundebatur, quod præsentibus subditis corriperetur, sed cogitans se, etsi signa magna edidisset, humanæ tamen participem esse naturæ, cui multa sæpe ignota sunt, cum modestia consilium accepit. Multi contra, ne alieno videantur consilio egere, sæpe malunt utilitate consilii carere, quam suscepta admonitione peccatum emendare : imo malunt ignorare, quam discere, nescientes non esse crimen discere, sed potius ignorare; non doceri, sed in inscitia degere; non argui, sed peccare sine emendatione. Accidit enim etiam apud vilissimum hominem aliquid boni deprehendi, quod in sapiente magnoque viro plerumque non reperitur. Quod cum perpenderet Moyses, illum consulentem æquo audivit animo, et dicentem : « Fac » tibi millenarios, centenarios, quinquagenarios, et decu» riones; et res graviores ad te referant, leviores autem » ipsi solvant[1]. » His auditis ille non erubuit, non pudefactus est, non est reveritus subditos : non dixit intra se : « Me contemnent subditi, si, dux cum sim, ab alio quid fa» ciendum sitdidicero : » sed obtemperavit, et consilium secutus est, neque præsentes, neque post futuros erubuit; imo tanquam cohonestatus hac soceri correptione, non modo homines illos qui tunc erant, sed etiam eos qui ad hodiernum usque diem fuerunt, et qui in toto orbe futuri sunt usque ad Christi adventum, litteris docuit, et se non potuisse quid facto opus esset videre, et soceri admonitionem amplexum esse. Nos vero si vel unum videamus hominem dum emendamur et corripimur, conturbamur, obstupescimus, et de vita nos excidisse putamus. At ille non item; sed cum videret tot millia hominum præsen-

[1] Exod. XVIII, 21, 22.

tium; imo tot millia hominum, qui tunc erant, et qui post fuerunt per totum orbem usque ad præsentem diem, non erubuit; sed omnibus quotidie per litteras denuntiat ea socerum vidisse, quæ ipse non animadverterat. Cur hoc fecit, et cur rem illam litteris tradidit? Ut nobis auctor esset, ne altum sapiamus, quamvis omnium sapientissimi simus, neque aliorum consilia contemnamus, etiamsi omnium vilissimi sint. Si quid aliquis probe consulat, etsi famulus sit, admonitionem accipe; si quid perniciosum quispiam vel in maxima dignitate positus consulat, sententiam repudies: non enim qualitas personarum consulentium, sed consilii natura spectanda semper est. Illud igitur Moyses fecit ut nos doceret non erubescendum esse cum redarguimur, etiamsi nobis universus populus adesset. Illud enim vere laus est non vulgaris, supremæque philosophiæ præconium, reprehensionem generose ferre. Non enim ita Jothor nunc laudamus et admiramur, quod Moysen correxerit, ut sanctum illum, quod tot præsentibus redargui non erubuerit, et rem gestam memoriæ tradiderit: his omnibus philosophiam suam ostendens, declaransque quantopere inanem hominum gloriam contemneret.

III. At nos dum de proœmiorum prolixitate nos excusamus, rursus majus proœmium fecimus; verum non temere neque sine causa; nam de rebus maximis admodumque necessariis vos alloquimur, ut fortiter feramus cum arguimur; et ut alacriter arguamus corripiamusque eos qui peccant. Verum jam necesse est ut de prolixitate nos defendamus, ostendamusque cur longa faciamus proœmia. Cur ergo id facimus? Tantam multitudinem alloquimur, viros qui uxores habent, qui domibus præsunt, diurno opere vitam parant, in sæcularibus negotiis agunt. Neque illud tantum molestum est, quod perpetuo occupentur,

sed quod semel in hebdomada ipsos hic excipiamus. Ut igitur intellectu facilia reddamus ea quæ dicimus, proœmiis clariorem exhibere doctrinam studemus. Ille enim cui nihil aliud est negotii, quam ut semper Scripturis vacet, non eget proœmiis, non apparatu : statim enim audito doctore, dictorum sensum percipit : is vero qui maxima temporis parte sæcularibus negotiis addictus est, et rarius brevique tempore hic comparet; nisi proœmia majoremque apparatum audiat, quæ sermonem semper præcedant et ipsi viam parent, absque lucro discedit. Neque hæc una nobis causa est prolixitatis proœmiorum, sed et alia non minor. Ex tanta quippe multitudine, alii accedunt, alii sæpe non accedunt. Necesse itaque est eos qui accedunt laudibus ornare; eos vero qui absunt reprehendere; ut illi laudibus studiosiores evadant; hi increpationibus segnitiem ponant. Alia quoque adest proœmiorum necessitas. Argumentum sæpe prolixius tractamus, quod non uno die possumus ad finem deducere, sed et secunda et tertia et quarta sæpe opus est nobis expositione, ad unam eamdemque rem tractandam. Necessario igitur secunda die prioris doctrinæ finis est repetendus, ut ita finis cum principio cohærens clariorem auditori narrationem reddat, ne sine ulla serie posita oratio obscurior evadat. Ut vero discas orationem proœmio carentem a nemine intellectum iri : ecce jam sine proœmiis experimenti causa orationem ordior. « Respiciens autem Jesus dixit : Tu es Simon filius » Jona, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatum, Pe» trus[1]. » Videte num dictum illud intelligatis : an sciatis consequentiam, et qua de causa hæc dicta sint? quia nempe sine proœmio hæc protuli, perinde ac si quis hominem undique obtectum, in theatrum adducat. Age ergo ipsum detegamus, jam dato proœmio. De Paulo autem sermo

[1] Joan. I, 42.

nobis nuper erat, quando de nominibus disserebamus; quærebamusque cur aliquando Saulus, postea vero Paulus vocatus fuerit. Inde vero digressi sumus ad veterem historiam, omnesque qui cognomina habuerant examinavimus, Deinde Simonem commemoravimus, necnon Christum ipsi dicentem : « Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, » quod est interpretatum, Petrus. » Vides-ne quo pacto id quod difficultate plenum videbatur, nunc notius evaserit? Quemadmodum enim corpus capite, arbor radice, et flumen fonte indiget, sic et oratio proœmio. Itaque cum vos in viæ initium constituerimus, et consequentiam ostenderimus, jam historiæ proœmium tangamus. « Saulus autem » adhuc spirans minarum et cædis in Discipulos Domini[1]. » In Epistolis Paulus vocatur : cur ergo illi nomen mutavit Spiritus sanctus? Quemadmodum herus, empto servo, ut illi herilem potestatem indicet, ejus nomen mutat: ita et Spiritus sanctus tunc fecit. Ex captivitate namque Paulum acceperat, et nuper ille erat tali dominio subjectus. Ideo ejus nomen mutavit; ut inde ille dominium edisceret. Nominum quippe impositio dominii est argumentum : quod palam est ex iis quæ quotidie geruntur, manifestius autem erit ex iis, quæ in Adamo fecit Deus. Cum vellet enim illum docere, quod ipse esset omnium princeps et dominus adduxit ad eum omnia animalia, « Ut videret quid vocaret » ea[2], » ostendens nominum impositionem dominium confirmare. Quod si velitis ita quoque apud homines factum fuisse conspicere, discereque in more olim plerumque fuisse, ut servis in captivitatem abductis nomina mutarentur, audite quid fecerit rex Babyloniorum. Nam cum accepisset ex captivitate Ananiam, Azariam et Misaëlem, non reliquit eis priora nomina, sed vocavit eos Sedrac, Misac et Abdenago[3]. Verum quænam causa fuit cur non statim

[1] Act. IX, 1. — [2] Gen. II, 19. — [3] Dan. I, 7.

Sauli nomen mutaret, sed post multum temporis? Quia si statim post Pauli conversionem ipsius nomen mutasset, conversio Pauli ad fidem non fuisset manifesta. Verum quod in famulis usuvenire solet, qui si statim post fugam nomina mutent, occulti manent; idipsum in Paulo contigisset; si mox ut relictis Judæis ad nos venit, nomen mutavisset, nemo scivisset eum, qui persecutor erat, esse Evangelistam, et Apostolum factum esse. Illud enim Judæos cohibebat, quod quem doctorem penes se habuerant, tunc adversarium experirentur. Ne itaque subita nominis mutatio propositi mutationem obtegeret, multo illum tempore cum priori nomine reliquit; ut postquam omnes didicissent eum ipsum esse, qui Ecclesiam antea persequebatur, tunc re omnibus comperta, nomen mutaretur. Et quod ipsa vera sit causa, audi ipsum dicentem : « Veni in » partes Syriæ et Ciliciæ : eramque ignotus facie Ecclesiis » Judææ, quæ in Palestina sunt[1]. » Quod si Ecclesiis Palestinæ, ubi degebat, ignotus erat; multo magis aliis. « Eram, » inquit, ignotus facie, » at non nomine. Quare ignotus erat facie? Nemo enim ex fidelibus vel respicere ipsum audebat, cum nos oppugnaret : tanta cæde, tanto furore plenus erat. Quamobrem omnes resiliebant, omnes fugiebant, sicubi adventantem viderent, neque ipsum vel respicere audebant, ita nempe efferatus contra fideles erat. Id unum audiebant, eum, qui olim ipsos persequebatur, nunc prædicare fidem, quam olim devastabat. Quoniam igitur de facie ipsum non noverant, sed ex auditu tantum, si nomen statim mutasset, ne ii quidem, qui audierant, cognovissent eum, qui fidem persequebatur, nunc Evangelium prædicare. Quoniam enim prius noverant ipsum vocari Saulum, si statim mutato nomine Paulus dictus fuisset; deinde vero quidam ipsis renuntiasset, Paulum qui persequebatur Ec-

[1] Galat. I, 21.

clesiam, jam Evangelium prædicare, ignorassent an idem ipse esset, quia ille non Paulus, sed Saulus vocabatur. Ideo illum multo tempore cum priori nomine reliquit, ut omnibus esset fidelibus notus, etiam iis, qui procul erant, et non ipsum viderant.

IV. Cur ergo non statim ejus nomen mutatum sit, jam satis demonstratum est. Operæ-pretium jam fuerit ut initium sermonis repetamus. « Saulus autem adhuc spirans » minarum et cædis in Discipulos Domini. » Quid sibi vult illud, « Adhuc? » Quid antea fecit, ut dicat, « Adhuc? » Nam illud, « Adhuc, » de homine dicitur, qui antea multa mala fecerit. Quid ergo fecit? Imo quid, quæso, non mali fecit? Sanguine replevit Jerosolyma, fideles interfecit, Ecclesiam devastabat, Apostolos persequebatur: Stephanum occidit; non viris, non mulieribus parcebat. Audi Discipulum; « Saulus autem devastabat Ecclesiam, in domos ingrediens, » trahens viros et mulieres[1]. » Non illi forum satis erat, sed in domos insiliebat: « In domos ingrediens, ait. » Neque dixit: « Ducens, vel evellens viros ac mulieres; » sed, « Tra- » hens viros ac mulieres: » ac si de fera loqueretur: « Tra- » hens viros ac mulieres; » non viros solum, sed etiam mulieres. Neque naturam reverebatur, neque sexus miserebatur, neque ob infirmitatem frangebatur. Zelo namque, non furore motus, hoc agebat. Ideo Judæi hoc ipsum facientes, criminatione digni; hic contra id agens, venia dignus est. Etenim illos palam erat honoris et inanis apud vulgus gloriæ causa, illud agere; hic vero secus, sed zelo erga Deum permotus, etsi non secundum scientiam. Quamobrem illi, relictis mulieribus, viros impugnabant, quia in illos gloriam suam transisse videbant: hic autem, utpote zelo stimulante, universos adoriebatur. Hæc secum omnia reputans Lucas, vidensque illum nondum esse sa-

[1] Act. VIII, 3.

tiatum dicebat : « Saulus autem adhuc spirans minarum et » cædis in Discipulos Domini. » Non satiavit eum cædes Stephani, non ejus explevit animum persecutio Ecclesiæ ; sed ulterius procedebat : neque furendi finem faciebat : zelus quippe erat. Sed nuper reversus a cæde Stephani, Apostolos persequebatur : idipsumque faciebat, ac si quis lupus sæviens in ovile ingressus, rapto agno, oreque discerpto, ex hoc raptu ferocior evaderet. Ita et Paulus Apostolorum chorum invasit, indeque rapuit agnum Christi Stephanum, eoque discerpto, hac cæde ferocior evasit. Propterea dicit, « Adhuc. » Quamvis cujus animum non explevisset cædes hujusmodi? quem non placasset mansuetudo ejus, qui occidebatur; verbaque ejus, qui lapidibus obrutus pro lapidantibus sic precabatur ; « Domine, inquit, » ne statuas illis hoc peccatum[1] ? » Ideo persecutor factus est Evangelista. Nam statim post cædem hic conversus est, illius vocem audivit Deus. Etenim dignus erat Stephanus qui audiretur tum propter futuram Pauli virtutem, tum propter propriam confessionem : « Domine, ne statuas illis » hoc peccatum. » Audiant qui inimicos habent, qui injuria afficiuntur. Etsi enim sexcenta gravia patiaris, nondum lapidatus es, quemadmodum Stephanus. Et vide quid factum sit. Obstruebatur fons unicus Stephani, et aperiebatur alius, ex quo innumera manabant flumina. Postquam enim siluit os Stephani, mox sonuit tuba Pauli. Sic nunquam Deus derelinquit usque in finem ad se currentes, sed dona præbet majora, quam ab inimicis auferantur. Non enim illi talem ab exercitu ejecerunt militem, qualem in ejus locum induxit Christus. « Saulus autem adhuc. » Aliud quiddam significat illud, « Adhuc. » Videlicet, illum adhuc furentem, adhuc ferocientem, adhuc vi furoris commotum, adhuc cæde ferventem attraxit Christus. Non enim expec-

[1] Act. VII, 60.

tavit donec cessaret ægritudo, extingueretur morbus, mansuetiorque fieret ille sic efferatus, et sic illum attraheret. Verum in ipsa furoris vi ipsum cepit, ut ostenderet potentiam suam, quod in medio furore, æstuante animo, persecutorem vicerit et subegerit. Etenim medicum tunc admiramur, quando febrim invalescentem et ferventem in summo fervore extinguere et penitus sedare potest. Quod et in Paulo factum est : in ipsa quippe flammæ vehementia, vox Domini, ceu ros superne manans, ipsum morbo penitus liberavit. « Saulus autem adhuc spirans minarum » et cædis in Discipulos Domini, » dimisit multitudinem, et deinde in principes impetum fecit. Quemadmodum enim is, qui arborem vult exscindere, dimissis ramis, radicem secat; sic et ille Discipulos adortus est, quod radicem prædicationis resecare cuperet. Verum non erant Discipuli radix prædicationis, sed Discipulorum Dominus. Quamobrem dicebat ille : « Ego sum vitis, vos palmites[1]. » Illa vero radix inexpugnabilis est. Idcirco quanto plures resecabant palmites, tanto plures et majores iterum pullulabant. Exsectus itaque est Stephanus, pullulavit Paulus, ac quotquot per Paulum crediderunt. « Factum est autem, inquit, cum » appropinquaret Damasco, subito circumfulsit eum lux de » cœlo : et cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi : » Saule, Saule, quid me persequeris[2] ? » Quare non vox prius allata est, sed lux prius circumfulsit eum ? Ut quiete vocem audiret. Quoniam enim is qui animo furoreque plenus aliquam rem perficere conatur, etiamsi innumeri vocent, non se convertit, totus operi intentus : ne idipsum in Paulo accideret, neve ille gestarum rerum furore ebrius vocem non adverteret, aut non audiret, animo ejus toto ad devastandum intento : excæcatis ante per lucem oculis, sedatoque animo, extincta omnis mentis perturbatione,

[1] Joan. xv, 1. — [2] Act. ix, 3, 4.

factaque ingenti animi tranquillitate, vocem emisit; ut dejecta omni arrogantia, sobria mente dictis attenderet. « Saule, Saule, quid me persequeris? » Verba non tam arguentis, quam sese purgantis sunt. « Quid me persequeris? » In quo aut parvo aut magno accusare me potes? In quo a me læsus fuisti? An quod mortuos vestros suscitaverim? an quod leprosos mundaverim? quod dæmones fugaverim? Sed ideo adorare me, non persequi oportuit. Ut vero discas illud : « Quid me persequeris, » sese purgantis potius esse; audi quomodo Pater ejus iisdem verbis Judæos alloquatur. Quemadmodum enim hic dicit : « Saule, » Saule, quid me persequeris? » sic et ille Judæis dicebat : « Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te[1]? » Saule, Saule, quid me persequeris? » Ecce supinus jaces, ecce sine catena alligatus es. Quemadmodum igitur si herus servum sæpe transfugam multaque operatum mala, comprehensum, et vinctum sic alloquatur : « Quid vis tibi faciam? Ecce jam ad manus venisti; » ita et Christus Paulum correptum prostratumque, trementem videns ac formidantem, nihilque facere valentem, sic alloquitur : « Saule, » Saule, quid me persequeris? » Quorsum ille furor evadet? Quorsum insania? quorsum zelus intempestivus? Quorsum vincula et circuitiones? Quorsum efferatus ille animus? Jam immobilis eris, eumque, quem persequeris, ne videre quidem poteris : et qui festinus undique circumcursabas, nunc ducente opus habes. Ideo namque nunc dicit ei : « Quid me persequeris? » ut disceret etiam præcedenti tempore, ipso concedente omnia facta esse; neque illa infirmitatis fuisse, neque hæc, quæ jam fierent, crudelitatis esse; sed illa clementiæ, hæc providentiæ. Quid igitur Paulus, « Quis es, Domine? » Novit dominium ex concessione illa, virtutem ex cæcitate præsenti : demum potentiam

[1] Mich. VI, 3.

confitetur. «Quis es, Domine?» Vidisti-ne gratum animum? vidisti-ne mentem libertate plenam? vidisti-ne conscientiam sinceram? Non reluctatus est, non contendit; sed statim Dominum agnovit. Non quemadmodum Judæi cum viderent mortuos suscitatos, cæcos visum recipientes, leprosos mundatos, nedum ad tantarum rerum opificem accurrerent, seductorem etiam illum vocabant, omneque insidiarum genus apparabant; non sic utique Paulus, sed statim conversus est. Quid igitur Christus? «Ego sum Je»sus, quem tu persequeris[1].» Cur non dixit: «Ego sum Jesus, qui resurrexi: ego sum Jesus, qui in dextera Dei sedeo;» sed, «Ego sum Jesus, quem tu persequeris?» Ut ejus mentem percelleret, ut ejus animam compungeret. Audi itaque Paulum post multum temporis, post innumera præclare gesta, hoc lamentantem: «Ego enim, inquit, sum »minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apos»tolus, quia persecutus sum Ecclesiam[2].» Si vero post sexcenta præclare gesta, post tantum elapsum tempus, hoc lugebat, quanta verisimile est ipsum esse passum illo tempore, cum nullum opus bonum penes se haberet, et illatæ persecutionis sibi conscius esset, dum illam vocem audiret?

V. Verum insurgunt contra nos quidam: vos autem ne defatigemini, appetente licet vespera: nam pro Paulo loquimur; pro Paulo, qui per triennium nocte dieque Discipulos docuit. Insurgunt itaque jam adversum nos aliqui et dicunt: Ecquid mirum si Paulus accesserit, cum Deus vocem illam quasi funem ad collum ejus injecerit, et sic illum ad se traxerit? Animum diligenter adhibete. Etenim hæc argutatio nobis communis est cum gentilibus et cum Judæis, qui incredulitatis suæ tegumentum id esse putant, si virum justum incusent, ignari se dupliciter peccare, et

[1] Act. IX, 5. — [2] 1 Cor. XV, 9.

quod errorem suum non deponant, et quod sanctum Dei ejusmodi criminationibus impetant. Verum nos Dei gratia fulti, ejus defensionem suscipiemus. Quæ igitur accusatio est? Vi, inquiunt, illum attraxit Deus. Qua vi, mi homo? Superne vocavit eum. Credis omnino quod eum superne vocaverit? Atqui te quoque hodie vocat per illam vocem, et tu non obsequeris. Vides-ne non fuisse illud necessitatis? Nam si necessitatis fuisset, opus erat ut et tu obedires. Quod si tu non obedias, palam est eum ex voluntate obedivisse. Et ut discatis vocationem multum ad Pauli salutem contulisse, quemadmodum et ad aliorum omnium hominum; nec tamen illum bonis operibus, et laudibus, quæ merito voluntatis acquiruntur, vacuum reliquisse, neque liberum ejus arbitrium labefactasse, sed libentem eum proprio bonæ voluntatis motu accessisse; alio exemplo id planum faciam. Audierunt Judæi vocem superne loquentem; non Filii, sed Patris de Christo loquentis ad Jordanis fluenta, « Hic est » Filius meus dilectus [1]; » at illi dicunt: « Hic est seductor » ille [2]. » Vides-ne manifestum bellum? vides-ne apertam pugnam? vides-ne ubique grato et benevolo animo esse opus, animaque sincera, neque affectu præoccupata? Ecce et illic vox, et hic vox; sed ille obtemperabat, hi repugnabant. Neque tantum vox auditur, sed Spiritus in columbæ specie videtur. Cum enim Joannes baptizaret, Christus vero baptizaretur, ne humanam figuram spectantes, baptizantem baptizato præstantiorem existimarent, venit vox quæ hunc ab illo distingueret. Et quia incertum esse videbatur de quonam vox illa loqueretur, venit Spiritus sanctus in specie columbæ, qui vocem in caput Christi duceret. Attamen et per vocem prædicavit, et per Spiritum ostendit, Joannesque postea clamabat, « Non sum dignus, qui » corrigia solvam calceamenti ejus [3]: » multa quoque alia

[1] Matth. III, 17. — [2] Id. XXVII, 63. — [3] Luc. III, 16, et Joan. I, 27.

tam verborum, quam operum testimonia accesserunt, et ad omnia in cæcitate manserunt; imo viderunt omnia, sed neque dictis, neque factis credidere, præjudicatæ vulgi opinionis insania ipsorum mentem occupante. Quod etiam Evangelista dicit, multos nempe Judæorum in illum credidisse; sed metu principum ipsum confiteri non ausos esse, ne a synagoga ejicerentur [1]. Ipse vero Christus dicebat: « Quo» modo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, » et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis [2] ? » Verum non ita Paulus; sed una solum audita voce ejus, quem ille persequebatur, statim accurrit, statim obedivit, et magnam præ se tulit conversionem. Quod si dictorum prolixitate non defatigemini, ad aliud propinquius exemplum propero. Etenim et Filium audierunt, atque ita audierunt ut Paulus audierat, et simili audierunt tempore, atque Paulus; neque tamen sic crediderunt. Nam sicut Paulus cum fureret, cum ferocior esset, cum Discipulos impugnaret, vocem audivit, ita et Judæi. Ubinam, et quando? Egressi sunt noctu, cum facibus et lampadibus ad comprehendendum illum. Putabant enim se merum hominem adoriri. Cum igitur eos suam vellet docere virtutem, seque Deum esse, ipsosque contra stimulum calcitrare, dicit illis: « Quem quæri» tis [3] ? » Coram eo et proxime stabant, neque illum videbant. Verum is ipse, qui quærebatur, ipsos manu ducebat, ut se invenirent; ut ediscerent ipsum non invitum ad patiendum venire; et, si ipse non concessisset, nunquam illos rem perfecturos fuisse. Quomodo enim, cum nec invenire illum possent; imo ne videre quidem præsentem? Non modo autem præsentem videre non potuerunt; sed cum sciscitanti responderent, ne sic quidem sciebant quisnam tunc præsens esset: usque adeo oculos eorum excæcaverat. Imo ne id quidem tantum; sed etiam voce

[1] Joan. XII, 42. — [2] Id. V, 44. — [3] Joan. XVIII, 6.

illos supinos prostravit. Nam ut dixit, « Quem quæritis? » abierunt omnes retrorsum ab hac voce pulsi. Quemadmodum enim vox Paulum dejecit et resupinavit; sic et vox illos omnes prostravit supinos. Et quemadmodum ille non videbat eum, quem persequebatur; ita et illi non videbant eum, quem quærebant : sicut ille tempore furoris sui excæcatus est, ita et illi tempore furoris sui sunt excæcati. Etenim ille cum iret vinctum Discipulos, et hi cum exirent alligatum Christum, eadem passi sunt. Illic vincula, et hic quoque vincula; illic persecutio, hic etiam persecutio; illic cæcitas, hic item cæcitas; illic vox, hic quoque vox : similis utrobique Christi potentiæ demonstratio, similia remedia; at non similis emendatio : inter ægrotantes enim magnum discrimen. Quid enim stupidius, quid ingratius illis? Ceciderunt retrorsum, et rursus surrexerunt, rursus invaserunt. Annon ipsis lapidibus insensibiliores erant? Ut vero discerent hunc ipsum esse, qui dixerat illis, « Quem quæritis? » illosque retrorsum prostraverat; cum surrexissent iterum, dicit illis, « Quem quæritis? » Respondent illi, « Jesum. » Tum ille : « Dixi vobis, quia » ego sum[1] ; » ac si diceret : « Discite me cum ipsum esse, qui antea dixi vobis : Quem quæritis? vosque prostravi. » Verum nihil hoc profuit, sed in cæcitate manserunt. Hæc omnia simul et accurate conferens, disce Paulum non ex necessitate accessisse, sed ex bono animo sinceraque conscientia.

VI. Quod si id feratis patienterque toleretis; aliud longe opportunius dicam, quo ineluctabiliter demonstratur Paulum non ex necessitate ad Dominum accessisse. Venit postea Paulus Salaminem Cypri, ibique invenit magum quemdam sibi obsistentem apud proconsulem Sergium. Paulus vero repletus Spiritu sancto dixit illi : « O plene omni dolo,

[1] Joan. XVIII, 7. — [2] Ibid. 8.

»et omni versutia, fili diaboli : non desines pervertere vias »Domini rectas[1] ?» Hæc persecutoris verba sunt. Gloriam Domino referamus, qui ipsum convertit. Antea audiebatis quod devastaret Ecclesiam, in domos ingrediens, trahensque viros ac mulieres abriperet in carcerem. Videte quanta cum fiducia nunc pro prædicatione loquatur : « Non desi- »nes, inquit, pervertere vias Domini rectas? Et nunc ecce »manus Domini super te : et eris cæcus, et non videns »usque ad tempus[2]. » Idem remedium Mago imposuit, quod sibi ipsi visum restituerat : sed ille mansit in cæcitate; ut discas non vocationem modo Paulum adduxisse, sed etiam ejus propositum voluntatis. Nam si cæcitas sola id effecisset, in Mago etiam idipsum evenire oportuisset : sed non ita factum est. Verum ille quidem excæcatus est. Proconsul autem videns id, quod factum erat, credidit. Alius remedium accepit, et alius visum recuperavit. Videte quantum bonum sit probus animi affectus; quantum vero malum inobsequentia et cordis durities. Excæcatus est Magus, et ille nihil lucratus est, quod inobsequens fuerit; Proconsul vero Christum cognovit. Quod igitur sponte et ex proposito voluntatis accesserit Paulus, id satis jam demonstratum est. Id vero jam volo vos id probe nosse, Deum nempe non vim inferre nolentibus, sed volentes trahere. Ideo namque dicit : « Nemo venit ad me, nisi »Pater meus traxerit eum[3]. » Qui vero trahit, volentem trahit, humique jacentem, ac manum porrigentem. Et ut discatis ipsum nemini vim ferre; et si ipso volente nos nolimus, quæ ad salutem nostram spectant possum ire : non quod ejus voluntas infirma sit, sed quod nemini velit necessitatem inferre; hanc rem disquirere necesse est, quoniam multi sæpe in segnitiei suæ obtentum hac futili utuntur defensione : sæpeque moniti ut illuminationem, seu

[1] Act. XIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Joan. VI, 44.

baptisma suscipiant, vitæ institutum in melius commutent, aliaque similia bona opera exequantur, tunc illi pigritantes et refugientes ita respondent: « Si Deus voluerit, persuadebit mihi et convertar. » Sane non criminor illos, sed admodum approbo, quod ad voluntatem Dei confugiant; sed volo ut ea, quæ penes ipsos sunt, afferant, et sic dicant: « Si Deus voluerit. » Nam si te somno ac segnitiei dedens, non coneris bona edere opera, sed Dei tantum voluntatem objeceris, nihil eorum, quibus opus habes, adipisceris unquam. Nam, ut dicebam, necessitate, ac vi neminem unquam adigit Deus: sed vult quidem omnes salvos fieri, nemini vero necessitatem inducit, quemadmodum et Paulus dicit: « Qui vult omnes homines salvos » fieri, et ad agnitionem veritatis venire[1]. » Quomodo igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos fieri? Quia non omnium voluntas ejus voluntatem sequitur; ille vero nemini vim infert. Sic et ad Jerusalem dicit: « Jerusalem, » Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, et no- » luistis? » Quid igitur? « Ecce relinquetur domus vestra » deserta[2]. » Vides-ne quod etsi Deus velit nos salvos facere, nos autem accedere nolimus, in interitu maneamus? Non enim invitum, non nolentem, ut sæpe repeto, sed libentem et volentem hominem ut salvum faciat Deus paratus est. Homines quidem famulis volentibus nolentibus dominari et imperare volunt, non ad servorum utilitatem, sed ad suam respicientes: Deus vero, qui nemine indiget, cum tibi demonstrare velit se nulla rerum nostrarum indigentem, servitutem nostram expetere; sed ad utilitatem solum nostram respicere; ac non ad usum suum, sed ad emolumentum nostrum se omnia facere; nisi sponte ac volentes gratiamque servitutis ipsi reddentes accedamus, invitos ac resilientes nunquam cogit, nec vi

[1] 1 Tim. II, 4. — [2] Luc. XIII, 34, 35.

adigit; ut ostendat non se nobis gratiam servitutis, sed nos ipsi gratiam habituros esse dominii. Hæc itaque cum sciamus, Domini clementiam considerantes, dignum ejus benignitate, quantum facultas erit, vitæ institutum exhibeamus, ut et regnum cœlorum consequamur, quo nos consortes fieri contingat gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, una cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Reprehensio eorum, qui aberant ab Ecclesia, et cohortatio ad præsentes, ut curam gerant fratrum: et in proœmium Epistolæ ad Corinthios, Paulus vocatus, *et de humilitate.*

I. Cum ad vestram paucitatem oculos meos converto, et collectis in singulis gregem nostrum minorem fieri cerno, mœreo simul et gaudeo. Gaudeo quidem propter vos, qui adestis : mœreo vero propter illos, qui absunt. Nam vos quidem laudibus digni estis, quod nec ipsa paucitas negligentiores vos reddiderit : illi vero criminibus sunt obnoxii, quos neque studium vestrum ad majorem animi promptitudinem excitarit. Propterea beatos vos prædico, et æmulatione dignos censeo, quod nihil vobis illorum nocuerit negligentia : miseros autem illos prædico, et lacrymis prosequor, quod nihil eos studium vestrum potuerit adjuvare. Non enim Prophetam audierunt dicen-: « Elegi abjectus esse in domo Dei magis, quam habare in tabernaculis peccatorum[1]. » Non dixit : « Elegi

[1] Psal. LXXXIII, 11.

habitare in domo Dei mei, neque versari, neque ingredi : » sed, « Elegi abjectus esse. » Licet inter ultimos numerer, boni consulo, hac re contentus sum, si vel intrare vestibulum mihi concedatur, inquit ; magni beneficii loco duco, si vel in numerum referar postremorum in domo Dei mei. Communem Dominum amor ut proprium sibi vindicat : ea siquidem vis est charitatis. « In domo Dei mei. » Qui amat, non eum tantum videre desiderat, quem amat, sed vel solam ejus domum ; sed et vestibulum, neque vestibulum tantum ædium, sed vel angiportum vel vicum, et si vel vestem, vel calceamentum viderit ejus quem amat, ipsum se videre arbitratur quem amat. Sic affecti fuerunt Prophetæ : quoniam Deum incorporeum non videbant, domum videbant, et per domum præsentem illum cernere sibi videbantur. « Elegi abjectus esse in domo Dei mei » magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. » Quivis locus, quodvis spatium cum domo Dei comparatum tabernaculum est peccatorum, sive forum dixeris, sive curiam, sive domum singulorum. Licet enim preces illic fiant, licet supplicationes, tamen illic contentiones et pugnas et convitia, conventusque fieri de sæcularibus curis necesse est : at hic locus ab his omnibus est immunis, propterea peccatorum quidem illa sunt tabernacula, hæc vero domus est Dei : et quemadmodum portus a ventis et fluctibus liber multam navibus in eo stationem eligentibus præbet securitatem : sic nimirum et Dei domus tanquam ab externorum negotiorum tempestate abreptos eos, qui intraverint, in multa tranquillitate collocat, et securitate, sacrorumque Eloquiorum auditionis participes efficit. Hic locus virtutis est occasio, philosophiæ schola, non in collecta solum, dum Scripturæ sacræ recitantur, et doctrina spiritualis porrigitur, ac venerandorum patrum senatus astat : sed quovis etiam reliquo

tempore, vestibula tantum ingredere, tum tu subito sæculare omnes curas depones. Intra in vestibulum, et tanquam aura quædam spiritualis animam tuam afflabit. Hæc tranquillitas horrorem incutit, et philosophari docet: mentem erigit, neque sinit præsentium recordari, a terra in cœlum te transfert. Quod si absque collecta tantum quæstum facis, quod hic verseris, quando undique Prophetæ clamant, quando Apostoli Evangelium prædicant, quando adest Christus in medio, quando quæ fiunt suscipit Pater: quando lætitiam suam Spiritus sanctus impertit, quanta qui adsunt utilitate cumulati recedunt, quanto damno afficiuntur qui absunt? Vellem scire ubinam versentur, qui collectæ interesse negleverunt, quid eos detinuerit, et ab hac sacra mensa revocarit, de quibus inter se colloquantur. Imovero jam probe novi: aut enim de absurdis ac ridiculis rebus colloquuntur, aut sæcularibus curis affixi sunt: utraque perro venia digna non est occupatio, et extremo supplicio est obnoxia. Ac de priori quidem neque verba facere opus est, vel demonstrationem afferre: eos vero qui res domesticas nobis objiciunt, et inde se intolerabili urgeri necessitate causantur, ne istos quidem veniam obtinere posse, cum semel in hebdomada huc vocentur, ac ne tum quidem res spirituales terrenis anteferre dignentur, ex Evangeliis constat. Nam et illi qui ad spiritales nuptias fuerant invitati, ejusmodi excusationes obtendebant, quod hic quidem jugum emisset, ille vero prædium sibi comparasset, ille sponsam duxisset; sed puniti sunt tamen. Necessariæ quidem sunt illæ causæ: sed cum Deus invitat, nulla excusatione sunt dignæ. Deo namque nobis sunt omnia necessaria posthabenda. Ubi ejus honori fuerit satisfactum, tum in alia studium impendatur. Quis enim, quæso, famulus, antequam domino debitum expleverit ministerium, domui suæ unquam providebit? Annon igi-

tur absurdum est inter homines, ubi nudum nomen est dominatus, tantam heris reverentiam exhibere atque obedientiam : verum autem Dominum non nostrum solum, sed supernarum etiam Virtutum, ne eodem quidem, quo conservos nostros, cultu et honore dignari? Atque utinam fieri posset, ut in illorum conscientiam penetraretis, tum vero probe intelligeretis, quot vulneribus scaterent, quot spinas haberent. Ut enim terra, quæ manibus agricolarum exculta non est, deserta fit, et sylvescit : haud secus anima quæ spirituali doctrina non imbuitur, spinas et tribulos producit. Si enim nos, qui quotidie lectione Prophetarum fruimur et Apostolorum, vix impetum animi cohibemus, vix iram frenamus, vix cupiditatem reprimimus, vix invidiæ tabem repellimus, licet assidua carmina ex Scripturis sacris deprompta nostris perturbationibus occinamus, vix impudentes istas belluas cohibemus : illis quibus nunquam ejusmodi est adhibita medicina, neque divinam philosophiam audiverunt, quæ salutis, quæso, spes est reliqua? Vellem mihi liceret animam illorum oculis vestris subjicere, tum illam et sordidam et squallentem, confusam et abjectam ac pudore suffusam cerneretis. Nam quemadmodum quæ balneis non utuntur corpora, squallore ac sordibus multis scatent : ita quæ spirituali doctrina exculta non est anima, multis sordibus peccatorum est obsita. Sunt enim balneum quoddam spirituale quæ hic fiunt, quod calore Spiritus sordes omnes abstergit : imo vero non sordes tantum Spiritus ignis abstergit, sed etiam colorem. « Si enim fuerint, inquit, peccata vestra sicut » phœniceum, sicut nivem dealbabo [1]. » Quamvis non minus tenaciter peccatorum sordes animæ naturæ adhæserint, ac si colorem ex tinctura immobilem contraxisset : ita possum ego contrariam in eam qualitatem inducere.

[1] Isaï. 1, 8.

Sufficit enim solus nutus meus, ut omnia peccata deleantur.

II. Hæc a me non eo fine dicuntur, ut vos audiatis, neque enim vel medicamentis indigetis, ob Dei benignitatem et gratiam; sed ut illi per vos intelligant. Quod si loca scire potuissem, in quibus congregantur, nequaquam molestiam charitati vestræ exhibuissem : sed quoniam fieri nequit, ut ego qui unus sum, tam numerosum populum noverim, vestræ fidei fratrum vestrorum curationem committo : estote de fratribus vestris solliciti, conciliate vobis illos, invitate. Scio vos istud persæpe fecisse, sed nihil est hoc persæpe fecisse, nisi eo usque faciatis, quoad persuaseritis et allexeritis. Scio vos importunos fuisse, scio molestos sæpenumero visos esse, quod non persuaseritis : ideoque negligentiores redditi estis : sed consoletur vos Paulus, qui dicit, « Charitas omnia sperat, omnia credit, charitas nunquam excidit [1]. » Tu quod tui muneris est exequere : quamvis curationem ille non admittat, tu apud Deum mercedem habes. Nam in terram quidem si semen jeceris, neque spicas produxerit, vacuis necesse est manibus inde discedas : at in anima non ita fit : sed si quidem doctrinam jeceris, quamvis illi persuasi non fuerint iis quæ dicuntur, plenam et cumulatam apud Deum habes mercedem, nec minorem, quam si persuasi plane fuissent. Non enim simpliciter rerum exitum, sed animi propositum eorum qui laborant, attendit Deus dum præmia solet decernere. Vos igitur hortor, ut quod faciunt, qui studiis theatrorum insaniunt, et in equorum certaminibus, hoc vos quoque faciatis. Quid illi porro faciunt? Jam ab ipsa vespera coëunt, et conveniunt inter se, et ad aliorum domos veniunt sub auroram, aliaque loca sibi designant, ut simul congregati majori cum voluptate ad

[1] 1 Cor. XIII, 7.

satanicum spectaculum illud ascendant. Quemadmodum illi rei saluti animæ suæ noxiæ diligentem operam navant, seque mutuo deducunt : ita vos animæ vestræ curam gerite, vosque invicem servate : cumque futura erit collecta, ad ædes perge tui fratris, eumque foris pro vestibulo expecta atque egredientem retine : licet ab innumeris necessitatibus urgeatur, ne permittas, neve sinas sæculare aliquod negotium aggredi, prius quam ad Ecclesiam illum adduxeris, et integræ collectæ persuaseris interesse : quamvis contendat, quamvis contradicat, quamvis innumeras excusationes obtendat, ne illi credas, nec acquiescas, sed dicens ac docens fore, ut tum illi cætera magis facilia et expedita reddantur, cum absoluta collecta, postquam particeps precum fuerit, patrumque benedictiones acceperit, deinceps ad illa properarit, atque his ac pluribus aliis verbis cum ipsum devinxeris, ad sacram istam mensam deducito, ut duplicem mercedem obtineas, cum ob tuum, tum ob illius adventum. Omnino si tantum studii tantumque diligentiæ ad illos venandos et alliciendos, qui negligentiores sunt, adhibuerimus, salutem assequemur. Quantumvis enim negligentes sint, et impudentes, et truculenti, assiduitatem propositi vestri reveriti, tandem a negligentia desistent. Neque enim illo judice, qui Deum non noverat, neque homines reverebatur[1], asperiores sunt, quantumvis sint duri ac stupidi : attamen illum crudelem, sævum, ferreum, adamantem illum unius mulieris viduæ constans assiduitas exoravit. Quanam igitur venia digni erimus, si cum mulier vidua crudelem judicem, qui neque Deum timebat, nec homines reverebatur, inflectere potuerit, et ad beneficium conferendum impellere, nos fratres nostros multo illo tolerabiliores multoque modestiores allicere non potuerimus, dum ad propria

[1] Luc. XVIII, 2.

illos commoda capessenda cohortamur? Hæc sæpe dixi, neque dicere cessabo, donec eos sanos videro, qui ægrotant. Singulis diebus illos quæro, donec opera vestra illos inveniam. A vobis etiam summopere contendo, ut eodem cum animi dolore, cum quo hæc a me nunc dicuntur, cum eodem labore negligentiores disquiratis. Non enim mihi tantum, sed a vobis Paulus præcepit, ut membrorum vestrorum curam geratis. « Consolamini enim, inquit, » invicem in verbis istis, sicut et facitis : « et rursus, » Edifi- » cate alterutrum [1]. » Magna quippe merces eos manet, qui de fratribus sunt solliciti, maximumque supplicium illis imminet, qui salutem illorum minime curant et negligunt.

III. Quamobrem valde confido credoque vos ea quæ diximus magna cum animi alacritate præstituros : quam ob causam hic adhortandi finem faciens, ad Pauli mensam deducere vos conabor. « Paulus vocatus Apostolus [2]. » Hæc sæpenumero et a vobis audita, et a nobis sunt lecta : sed non legere tantum, verumetiam intelligere quæ dicuntur oportet : alioqui nullum nobis lucrum ex lectione constabit. Siquidem thesaurus, si superne calcetur, divitias non ostendit : sed effodiendus est prius, et postquam infra descenderis, omnem deinde quæstum invenies : ita quoque fit in Scripturis, non sola sufficit lectio ad reconditos bonorum thesauros indicandos, nisi profundum scruteris. Si lectio sufficeret, non dixisset Eunucho Philippus : « Putas-ne intelligis quæ legis [3] ? » Si lectio sufficeret, Judæis Christus non dixisset : « Scrutamini Scripturas [4] : » at is qui scrutatur, non superficie tenus subsistit, sed ad profundum ipsam usque descendit. Etenim in ipso exordio multum sensuum pelagus cerno. Atque in sæcularibus quidem epistolis salutationes quoquo modo fiunt solum honorem cultumque deferentes : hic vero non ita : sed multa

[1] 1 Thess. v, 11. — [2] 1 Cor. 1, 1. — [3] Act. VIII, 30. — [4] Joan. v, 39.

exordium sapientia redundat. Non enim Paulus est qui loquitur, sed qui animam ejus movet Christus. « Paulus »vocatus. » Hoc nomen, Paulus, unum quidem est nudumque nomen : sed tantum sensuum thesaurum habet reconditum, quantum experientia comperistis. Nam si recordamini, tres integros dies de solo hoc nomine disseruisse me scitis, dum causas afferrem, ob quas cum Saulus antea vocaretur, Paulus deinde vocatus est, et qua de causa non statim ad fidem conversus hanc appellationem accepit, sed ad multum tempus nomen retinuit, quod illi a principio parentes imposuerant : multamque Dei sapientiam et providentiam ex eo demonstravimus cum erga nos, tum erga sanctos illos exhibitam. Nam si liberis suis homines non temere nomen imponunt, sed vel a patre, vel ab avo, vel a majoribus cæteris nomina mutuantur : multo magis Deus servis suis non sine causa, nec sine ratione aliqua appellationes imposuit, sed majori cum judicio ac sapientia. Siquidem homines in honorem defunctorum, vel ad suam consolationem sæpenumero nominibus mortuorum filios suos appellant, eoque pacto per appellationem liberorum solatium sibi doloris excogitant, quem ex obitu defunctorum conceperant : Deus autem memoriam virtutis ac doctrinam tanquam in ærea columna in appellatione sanctorum recondit. Petrum quidem certe a virtute sic vocavit, et in ejus nomine firmitatis fidei argumentum et indicium collocavit, ut appellatione sua, perpetua tanquam magistra quadam ejusmodi firmitatis, utatur[1]. Joannem quoque ac Jacobum a magnitudine vocis in Evangelio prædicando nota vocavit. Sed ne eadem rursus memorando molestiam pariat oratio nostra, his omissis, illud dicam, ipsa sanctorum nomina seorsim semper religiosis et piis viris veneratione digna esse, ac peccatoribus formidanda.

[1] Matth. xvi, 18.

Onesimum quidem certe, qui fugitivus et fur extiterat, et de pecunia herili quippiam interverterat, cum suscepisset Paulus, eumque immutasset, atque ita sacris mysteriis initiasset : cum deinceps eum domino suo redditurus esset, hæc ad illum scripsit : « Propter quod multam fiduciam » habens in Christo imperandi tibi quod ad rem pertinet » propter charitatem, magis obsecro, cum sim talis, ut » Paulus senex, nunc autem et vinctus in Christo Jesu[1]. » Vides illum addidisse tria, vincula propter Christum, conversationem ob ætatem, et nominis reverentiam ? Nam cum unus esset qui obsecrabat, triplicem cum conabatur efficere, qui pro Onesimo supplicabat, vinctum, senem, Paulum. Vides ipsa seorsim nomina veneranda esse fidelibus ac religiosa ? Si enim dilecti filioli nomen usurpatum sæpe vel invitum parentem ad conferendum beneficium inflexit ob nominis amorem ; multo magis in sanctis id habere locum decebat. Porro formidabilia quoque peccatoribus esse, quemadmodum pigris puerulis nomina magistrorum, audi quo pacto Paulus scribens ad Galatas subindicarit. Nam quoniam ad judaïcam infirmitatem declinarant, et de ipsa fide periclitabantur, cum illos vellet erigere ac illis persuadere, ut in evangelicam doctrinam nihil judaïcum introducerent, ita scripsit : « Ecce ego Paulus dico » vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil » proderit[2]. » Dixisti, « Ego : » cur addidisti nomen? Num enim illud, « Ego, » sufficiebat ad eum indicandum qui scribebat? ut nimirum discas ipsum nominis additamentum ad commovendos auditorum animos suffecisse; propterea nomen addit, ut eis memoriam refricet præceptoris. Idem quoque nobis accidit ; cum enim nobis in memoriam sancti revocantur, tametsi desidia torpescimus, excitamur : licet contemnamus, terremur. Paulum quidem certe Apos-

[1] Philem. 8, 9. — [2] Galat. v, 2.

tolum cum audio, animo intueor illum, qui in tribulationibus versabatur, in angustiis, in plagis, in carceribus, qui unius diei noctisque spatio in profundo maris fuit, qui tertium raptus in cœlum fuit, qui in paradiso verba audivit arcana, vas electionis, Christi paranymphum, qui a Christo anathema esse pro fratribus optavit. Itaque tanquam aurea quædam catena recte factorum turba cum nominis memoria sese ingerit iis, qui diligenter attenderint: neque mediocre inde lucrum decerpitur.

IV. Potuissemus his etiam plura de nomine dicere: sed ut secundam quoque dictionem attingamus, hic finita de nomine contemplatione, deinceps gradum ad illam faciemus. Ut enim nomen, « Paulus, » multum nobis lucri comparavit, ita et illud, « Vocatus, » si convenienti studio velimus illud indagare, non minori vel etiam majori nos contemplatione complebit. Et quemadmodum si quis ex mundo aureo vel regio diademate lapillum unum eximat, et domos splendidas, et agros magni pretii, ac famulorum greges aliaque multo his majora coëmere poterit, illa margarita divendita: ita quoque fiet in verbis sacris, si unius dictionis sensum velis evolvere, multam spiritualis tibi quæstus materiam præbebit; non quod domos aut mancipia vel terræ jugera tibi comparet; sed quod pietatis ac philosophiæ occasiones afferat eorum animabus, qui attenti ac seduli fuerint. Ipsum igitur illud, « Vocatus, » considera quantam ad spiritualium rerum historiam nos deducat. Prius autem illud discendum est, quid sit illud ipsum, « Vocatus, » ac deinde scrutandum, quam tandem ob causam ad Corinthios solum et ad Romanos, non ad ullum alium litteras mittens ita scripserit. Neque enim sine causa vel temere id facit. Nam si nos epistolis non temere inscriptiones præfigimus, sed si ad inferiores litteras mittamus, Talis tali, scribimus: cum autem ad æquales, etiam Do-

minum in inscriptione vocamus eum, qui epistolam recipit; cum vero nostram dignitatem longe excedunt, alia quoque plura adjicimus nomina, quæ majorem cultum et honorem præ se ferant. Quod si nos tantam curam adhibemus, neque eodem modo ad omnes scribimus, sed pro varietate personarum, quæ litteras recipiunt, convenientes appellationes præmittimus : multo magis Paulus non temere, aut sine causa hoc modo ad hos, ad illos alio modo scribebat : sed cum aliqua spirituali sapientia. Ac nulli quidem alteri mittentem litteras vocatum eum in exordio epistolæ se ipsum appellasse, decursis ipsis epistolarum initiis discere possumus. Cur autem id ageret, jam nostrum est discere, si prius quid sit, «Vocatus,» demonstraverimus, quidque nos per hanc dictionem docere Paulus voluerit. Quid ergo docere nos vult Paulus, cum se ipsum vocatum appellat? Se nimirum priorem ad Dominum non accessisse, verum vocatum obedivisse : non ipsum quæsivisse atque invenisse, sed cum aberrasset, inventum esse : non ipsum ad lucem respexisse primum, sed lucem radios suos in ejus palpebras vibrasse, et exterioribus oculis orbato, interiores deinde esse reseratos. Cum igitur docere nos vellet se nullum ex suis recte factis omnibus sibi ipsi tribuere, sed Deo qui vocavit, se ipsum vocatum appellat. Nam qui stadii mihi fores aperuit, inquit, et scammatis, ille coronarum etiam est auctor : qui præbuit initium et radicem plantavit, hic mihi fructuum, qui deinde germinarunt, occasiones suppeditavit. Quapropter alibi quoque rursus cum dixisset : « Plus omnibus laboravi, » subjunxit, « Non ego autem, sed gratia, quæ mecum est[1]. » Itaque nomen illud « Vocatus, » aliud nihil indicat, nisi Paulum nihil ex suis recte factis sibi proprium arbitrari, sed omnia Domino Deo tribuere, quod utique Christus Discipulos suos

[1] 1 Cor. xv, 10.

dicens : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos[1] ; » atque Apostolus istud ipsum rursus in eadem innuit Epistola, cum ait : « Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum[2]. » Nunc enim, inquit, non ego prior cognovi, sed prior sum cognitus. Dum enim persequeretur, et popularetur Ecclesiam, Christus eum vocavit dicens : « Saule, Saule, quid » me persequeris[3] ? » propterea vocatum se ipsum appellat. Quam ob causam ad Corinthios ita scribebat? Corinthus hæc metropolis est Achaïæ, ac spiritualibus donis abundabat, et merito sane, siquidem prima Pauli potita est lingua : et quemadmodum vitis, quæ ab optimo ac diligenti agricola excolitur, multis luxuriat foliis, multis fructibus semper oneratur : ita nimirum et urbs illa cum tanquam optimum agricolam Pauli doctrinam prima esset experta, ejusque sapientia longo tempore se oblectasset, bonis omnibus florebat. Neque vero spiritualibus tantum donis abundabat, sed et commoda sæcularia illi affatim suppetebant. Nam et profanæ eruditionis sapientia, et divitiis, et potentia cæteris urbibus antecellebat. Atque his illa inflabatur, et in superbiam efferebatur, et per superbiam in varias partes divisa est. Ea quippe natura est arrogantiæ, charitatis vincula disrumpit et proximum avellit, et efficit ut seorsim apud se degat is, qui ab illa correptus fuerit. Et sicut paries, qui intumuerit, ædificium destruit : sic anima inflata ferre non potest se cum altero copulari : quod et Corintho tum evenit : inter se dissidebant, et in multas partes Ecclesiam dividebant : atque innumeros sibi alios doctores cum præfecissent, in curias et classes distributi dignitatem Ecclesiæ pessumdabant. Dignitas enim est Ecclesiæ, cum illi, qui congregati sunt, optime inter se concordiam pacemque conservant.

V. Hæc autem omnia vobis demonstranda sunt, et Co-

[1] Joan. xv, 16. — [2] 1 Cor. xiii, 12. — [3] Act. ix, 4.

rinthios Pauli doctrina tum excultos fuisse primos, eos donis spiritualibus divites fuisse, et commodis sæcularibus antecelluisse, atque idcirco in superbiam elatos a se invicem esse divulsos, et hos quidem his, illos autem illis sese addixisse. Ut igitur intelligas primos eos doctrina Pauli excultos fuisse, audi quo pacto idipsum indicet Paulus : «Nam si multos, inquit, pædagogos habeatis in Christo, » sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evange- » lium ego vos genui[1]. » Atque is, qui gignit, primus in lucem producit quod genitum est. Et rursus : « Ego plantavi, » Apollo rigavit[2] : » ostendens a se primum sparsam esse doctrinam. Porro donis eos spiritualibus redundasse inde constat : « Gratias ago Deo ob gratiam Dei, quæ data est » vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis » in illo, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia[3]. » Et vero profanæ illos sapientiæ fuisse participes, satis nobis declaravit multis illis longisque sermonibus, quibus in sapientiam illam invehitur. Cum enim alia in Epistola non facile id præstitisse reperiatur, hic prolixa illos accusatione insectatur : ac merito sane. Nam quoniam hinc tumor et fastus exortus est, illic etiam sectionem admovit sic dicens : « Non enim misit me Christus baptizare, sed evan- » gelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux » Christi[4]. » Vide quam acriter profanam sapientiam accuset, quod non modo nihil ad pietatem conferre videatur, sed etiam impedimentum et obstaculum fiat. Ut enim præclara corpora, et formosi pulchrique vultus, si quod ornatus exterius additamentum admittant, suæ pulchritudinis gloriam minuunt, quod fuci et pigmenta, et reliqua ejusmodi lenocinia et artificia formæ laudem divisam ad se trahant : quod si nihil eis addideris, pulchritudinem eorum magis detegis, dum sola forma decertat, et integra laude

[1] 1 Cor. IV, 15. — [2] Id. III, 6. — [3] Id. I, 5. — [4] Ibid. 17.

et commendatione perfruitur : ita fit in religione, et spirituali sponsa, si quid externum illi adjungas, sive divitias, sive potentiam, sive eruditionis vim, gloriam ejus perdis, nec sinis ut integra laus ejus appareat, sed in multas partes ejus gloriam dividis : sin eam solam sinas simplicem nudamque certare, amotis omnibus rebus humanis, tunc maxime pulchritudo ejus omnis apparebit, tunc invicta virtus ejus elucebit, cum neque divitiis indigens, neque sapientia, neque potentia, neque nobilitate, neque aliis ullis rebus humanis, omnia superare potuerit et subigere, dum per homines viles, abjectos, egenos, pauperes, idiotas, impiis oratoribus, philosophis, tyrannis, et universo terrarum orbe superior evadit. Propterea Paulus quoque dicebat : « Non veni per sublimitatem sermonis annuntians » vobis testimonium Dei[1] : Et, Quæ stulta sunt mundi » elegit Deus, ut confundat sapientes[2] : Non simpliciter dixit : « Quæ stulta sunt, » sed, « Quæ stulta sunt mundi; » neque omnino quod, « Quæ stulta sunt mundi, » sint etiam stulta apud Deum : sed multi ex illis qui videntur hic esse insipientes, apud Deum sunt omnibus aliis sapientiores : quemadmodum nimirum multi qui egestate hic premuntur, omnibus apud Deum sunt opulentiores. Quandoquidem Lazarus etiam ille cum omnium pauperrimus esset in mundo, ditissimus omnium erat in cœlis[3]. Stultitiam igitur mundi appellat eos, quibus lingua non est diserta, qui profana sapientia non sunt imbuti, qui eloquentia minime pollent. « Et hos elegit, inquit, Deus, ut sapientes confundat. » Quo vero pacto, quæso, per hos illi confunduntur? per ipsam rerum experientiam. Cum enim foris sedentem ac mendicantem viduam, ac sæpenumero corporis membris mutilatam de immortalitate animæ interrogaveris, de resurrectione corporum, de providentia Dei, de retributione

[1] 1 Cor. II, 1. — [2] Id. I, 27. — [3] Luc. XVI, 20.

pro meritis, de ratione illis reddenda, de tremendo judicio, de repositis eis, qui recte se gesserint, bonis, de suppliciis quæ peccatoribus Deus comminatus est, de aliis omnibus : cumque illa valde accurate magna cum fiducia et securitate responderit; philosophus autem et qui plurimum coma et baculo gloriatur, post multa longaque spatia sermonum, post importunam multamque garrulitatem ne hiscere quidem potuerit, neque de iisdem verba facturus valuerit os diducere : tum probe intelliges, quo pacto Deus elegerit stulta mundi, ut sapientes confunderet. Nam quæ præ nimia superbia fastuque reperire illi minime potuerunt, tum quod se ipsos a disciplina spiritus sejunxissent, tum quod omnia propriis cogitationibus commisissent, hæc mendici et abjecti ac profanæ eruditionis expertes omnia exacte didicerunt, cum a cœlesti disciplina penderent. Neque vero contentus est horum tenus profanam sapientiam incusare, sed et alia plura subjungit, dicens : «Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum[1] : Et auditores rursus adhortans cum contemptu ac vehementia dicebat : «Si quis enim videtur, inquit, inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens[2]. » Et rursus, «Scriptum est : Perdam sapientiam sapientum, et pruden»tiam prudentum reprobabo[3] : » Et rursus : «Dominus »novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt[4]. »

VI. Ac sapientia quidem præditos fuisse Corinthios ex his liquet; eos autem superbos fuisse atque animis inflatos ex eadem Epistola manifestum est. Cum enim uspiam eum, qui fornicatus erat, reprehendisset, adjecit dicens : «Et »vos inflati estis[5]. » Porro præ nimia arrogantia inter se illos contendisse ac jurgatos esse rursus indicavit, cum dixit : « Cum enim sit inter vos contentio, et zelus, et dissidia, nonne carnales estis, et secundum hominem am-

[1] Cor. III, 19. — [2] Ibid. 18. — [3] Id. I, 19. — [4] Id. III, 20. — [5] Id. V, 2.

bulatis[1] ?» Quisnam autem fuit contentionis ille modus? In varios se rectores ac principes dividebant, atque idcirco dicit : «Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: »Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ[2].» Hæc autem dicebat non quod Paulo et Cephæ et Apollo se attribuerent, sed his nominibus obtegere voluit eos, qui seditionis auctores fuerant : ne si eos manifestaret, contentiosiores atque adeo impudentiores redderet. Non enim Paulo et Petro et Apollo se ipsos illos attribuisse, sed aliis quibusdam, ex his quæ sequuntur liquet. Cum enim ipsos propter hoc dissidium castigasset, rursus adjunxit dicens : «Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo »propter vos, ut in vobis discatis, ne supra quam scrip»tum est sapiatis, ne unus adversus alterum infletur pro »alio[3].» Multi enim ex imperitis cum non possent ex domesticis meritis efferri, neque proximos insectari ac mordere, cum sibi quosdam principes ac rectores præfecissent, illorum meritis ac virtutibus ad fastum et insolentiam adversus alios utebantur, et ex eorum, a quibus edocti fuerant, sapientia, occasionem arrogantiæ adversus cæteros arripiebant : quod summi et insani gloriæ amoris fuit, cum ii qui propriis meritis gloriari non possent, aliorum excellentia ad insolentiam contemptumque fratrum abuterentur. Quoniam igitur et in superbiam elati erant, et inter se dissidebant, atque in varias partes se ipsos diviserant, et propter doctrinam gloriabantur, tanquam propria illam industria sibi comparassent, neque cœlitus ac divina ex gratia veritatis dogmata recepissent, volens eorum tumorem ac fastum reprimere, statim a principio se ipsum vocatum appellavit, hoc propemodum dicens : Si ego magister nihil mea industria adinveni, neque prior ipse ad Deum accessi, sed cum vocatus essem, tum de-

[1] 1 Cor. III, 3. — [2] Id. I, 12. — [3] Id. IV, 6.

mum dicto audiens fui, quomodo vos discipuli, quique a me dogmata accepistis, superbire potestis, perinde quasi adinventa hæc a vobis fuissent?» Quocirca prius etiam dicebat illis : «Quis enim te discernit? quid autem habes, quod » non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis[1]?» Nihil igitur aliud est istud vocabulum « Vocatus, » nisi disciplina humilitatis et factus depressio et omnis arrogantiæ repressio : nihil enim est quod nos ita continere ac cohibere possit, ut humilitas, et moderate agere, ac modestum esse, nihilque de se magnum animo fingere. Quod et Christus intelligens ac spiritualem illam doctrinam tradere incipiens, a cohortatione ad humilitatem illam inchoavit, atque os aperiens primum tulit hanc legem ita dicens : «Beati pauperes spiritu[2].» Nam quemadmodum is, qui magnas et magnificas ædes fuerit ædificaturus, conveniens jacit fundamentum, ut eam, quæ postea imponetur, molem ferre possit : ita nimirum etiam Christus, cum ingens illud ædificium philosophiæ in illorum animabus erigeret, tanquam fundamentum, et carinam et basim firmam et immobilem, cohortationem humilitatis ponit prius; cum probe noverit, postquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera ædificari tuto posse. Ut igitur si hæc defuerit, licet reliquas omnes virtutes quis opere ipso exhibeat, frustra et incassum ac sine ullo fructu labores suscepit, illi persimilis, qui domum suam super arenam construxit[3], qui laborem quidem exantlavit, quæstum autem nullum fecit, propterea quod firmum fundamentum minime jecit : ita quisquis absque humilitate quidvis boni peragit, omnia perdit ac destruit. Humilitatem autem dico, non eam quæ in verbis, neque quæ in lingua, sed quæ in mente, in anima, in conscientia sita est, quam solus cernere Deus potest. Sufficit unum is-

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Matth. V, 3. — [3] Id. VII.

tud bonum, si vel solum sæpenumero appareat, ut propitium Deum reddat. Atque hoc Publicanus ostendit : qui cum boni haberet nihil, neque recte factis insignis posset videri, cum solummodo dixisset : «Propitius esto mihi pec-» catori[1] : » potius quam Pharisæus justificatus descendit, tametsi non humilitatis erant illa verba, sed modestiæ et æquitatis tantum. Siquidem humilitatis est, cum quis magnarum a se gestarum rerum conscius nihil de se magnificum animo fingit : modestia vero et æquitas, cum is, qui peccator est, istud ipsum fatetur. Quod si is, qui nihil a se boni gestum noverat, quoniam id quod erat confessus est, ita sibi Dei benevolentiam conciliavit : quantam apud eum fiduciam obtinebunt ii, qui cum multa sua possent commemorare præclara facinora, illorum omnium obliti sese in numerum rejecerint postremorum? Quod utique Paulus quoque fecit. Cum enim justorum omnium primus esset, primum se esse dicebat peccatorum[2]; neque dicebat solum, sed et credebat, cum a præceptore didicisset, postquam omnia fecerimus, debere nos servos inutiles nos vocare[3]. Istud est humilitas, istum imitemini qui recte factis insignes estis, Publicanum vero vos qui peccatorum pleni estis : et confiteamur quod sumus, percutiamus pectus, et menti nostræ persuadeamus, ut nihil magnum de se concipiat. Si enim ita fuerimus affecti, sufficit hoc nobis ad oblationem et sacrificium : sicut et David dicebat : «Sa-» crificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et » humiliatum Deus non despiciet[4]. » Non simpliciter dixit humiliatum, sed et contritum. Quod enim est contritum, confractum est : neque enim potest, quantumvis cupiat, efferri. Ita nos quoque non humiliemus tantum animam nostram, sed conteramus etiam et compungamus : conteritur autem, dum suorum perpetuo peccatorum recordatur.

[1] Luc. XVIII, 13. — [2] 1 Tim. I, 15. — [3] Luc. XVII, 10. — [4] Psal. L, 18.

Si ita illam humiliaverimus, ne si velit quidem in superbiam erigi poterit, dum a conscientia tanquam freno quodam correpta, ne se erigat, reprimetur, et ad modestiam servandam in omnibus compelletur. Ita poterimus et apud Deum gratiam invenire. « Quanto enim major es, inquit, » tanto magis te ipsum humilia, et invenies gratiam apud » Deum [1]. » Porro qui gratiam apud Deum invenerit, nihil sentiet molestiæ, sed et in hac vita poterit cum Dei gratia cuncta illa adversa facile pertransire, ac repositas in altera vita peccatoribus pœnas effugere, præcedente ubique gratia Dei, et omnia illi propitia et placida reddente : quam utinam omnes obtinere possimus in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccli. III, 20.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ XXXII IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

PROOEMIUM

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

I. Dum Epistolarum sancti Pauli lectionem frequenter[1], ac sæpe ter quaterve per singulas hebdomadas audio, quando sanctorum Martyrum memoriam celebramus, gaudeo et exulto, tuba fruens spirituali, desiderioque ardeo, cum amicam mihi vocem ausculto; fereque mihi videor illum præsentem et disserentem conspicere, sed angor ac discrucior, quod non omnes tantum virum ut par esset cognoscant, et usque adeo quidam ignorent, ut nec numerum quidem epistolarum ejus sciant. Illud vero non hinc evenit quod dicere non valeant, sed quod nolint cum sancto viro frequenter versari. Neque enim nos quæ scimus, si qua tamen scimus, ex ingenii acrimonia novimus; sed quod ejus scripta assidue tractemus, illumque affectu maximo complectamur. Nam qui amant, amatorum acta plusquam alii omnes norunt, utpote qui de illis solliciti sint, id quod hic vir beatus ostendens, Philippensibus dicit: « Sicut mihi justum est hoc sentire de vobis, eo quod » vos in corde habeam in vinculis meis, et in defensione » et confirmatione Evangelii [2]. » Itaque si vultis lectioni di-

[1] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 83-85. — [2] Philip. i, 7 et 17.

ligenter attendere, non aliud requirendum vobis erit : verum quippe est Christi dictum illud : « Quærite, et in- » venietis ; pulsate, et aperietur vobis [1]. » Verum quia plerisque ex iis qui huc nobiscum convenere, liberos, uxorem alendam, ædesque curandas suscepere ; nec sese totos huic studio dare possunt ; ad ea, quæ alii collegerunt, excipienda vos comparate, tantumque studium dictis audiendis adhibete, quantum colligendæ pecuniæ. Etsi namque turpe est nihil a vobis plus exigere ; utinam vel tantum adhibeatis. Nam a Scripturarum ignorantia innumera orta sunt mala, hinc multa hæreseon lues : hinc ignava vivendi ratio et infructuosi labores. Sicut enim qui luce privantur, recta incedere nequeunt; sic qui divinarum radiis Scripturarum non fruuntur, necessario peccant et errant frequenter, utpote qui in densissimis tenebris ambulent. Id ne eveniat, ad Apostoli dictorum fulgorem oculos aperiamus : ejus quippe lingua plusquam sol lucet, cæterosque omnes doctrina verbi superat. Quia enim plusquam illi laboravit, magnam sibi attraxit Spiritus gratiam. Idque non ex Epistolis tantum ejus ; sed etiam ex gestis contenderim. Nam si concionandi tempus esset, illas ipsi partes ubique concedebant. Ideoque apud incredulos Mercurius esse putabatur, quod in eloquentia princeps esset. In hanc autem Epistolam ingressuri, necesse est ut tempus quo scripta fuit assignemus. Non enim, ut multi existimant, ante alias omnes scripta fuit ; sed prima quidem est earum, quæ Roma missæ fuere, at posterior aliis, etsi non omnibus. Etenim ambæ ad Corinthios Epistolæ hanc præcesserunt. Id liquidum est ex iis quæ in fine hujus scripsit his verbis : « Nunc autem proficiscor Jerosolymam, ministrans sanc- » tis. Visum est enim Macedoniæ et Achaïæ communica- » tionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt

[1] Luc. xi, 9.

» Jerosolymis [1]. » Corinthiis autem scribens ait : « Quod » si dignum fuerit ut et ego eam, mecum proficiscentur [2], » de iis loquens qui illuc pecunias deportaturi erant. Unde liquet, cum scriberet Corinthiis, incertum fuisse an eo profecturus esset ; cum vero Romanis, rem constitutam et certam fuisse. Qua re comprobata, certum est hanc post illas scriptam fuisse. Epistola vero ad Thessalonicenses videtur mihi præcessisse Epistolam ad Corinthios. Nam cum illis prius scripsisset de eleemosyna his verbis : « De » fraterno autem amore non opus est ut scribamus vobis : » vos enim a Deo docti estis ut diligatis invicem : etenim hoc » facitis erga cunctos fratres [3] ; » tunc ad Corinthios scripsit, id quod ipse probat dicens : « Scio enim ego promptum » animum vestrum pro quo de vobis glorior apud Macedo- » nes ; quoniam et Achaïa parata est ab anno præterito : » et vestra æmulatio provocavit plurimos [4]. » Quibus commonstrat se primum illis hac de re locutum esse. Hæc igitur Epistola, quæ prima est earum quas Romæ scripsit, illis Epistolis posterior est. Nondum enim Romam venerat, cum hanc (postremum) scripsit Epistolam, id quod his verbis indicat : « Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiam » vobis gratiæ spiritualis [5]. » Roma autem ad Philippenses scripsit. Ideo ait : « Salutant vos omnes sancti, maxime » qui de Cæsaris domo sunt [6]. » Hebræis quoque istinc scripsit, aitque salutari ipsos ab iis qui in Italia erant [7]. Epistolam item ad Timotheum Roma vinctus misit, quæ postrema mihi videtur omnium Pauli Epistolarum, ut ex ejus fine liquet : « Ego enim jam immolor, inquit, et tem- » pus resolutionis meæ instat [8]. » Quod autem istic finem vivendi fecerit, nemini non notum est. Epistola quoque ad

[1] Rom. xv, 25, 26. — [2] 1 Cor. xvi, 4. — [3] 1 Thess. iv, 9, 10. — [4] 2 Cor. ix, 2. — [5] Rom. i, 11. — [6] Philip. iv, 22. — [7] Hebr. xiii, 22. — [8] 2 Tim. iv, 6.

Philemonem inter postremas est ; in extrema enim senectute scripsit illam : ideo dicebat : « Ut Paulus senex, nunc » autem vinctus in Christo Jesu [1]. » Hæc porro præcessit Epistolam ad Colossenses, ut ex ejus fine arguitur, ubi sic loquitur : « Tychicus omnia vobis narrabit, quem misi cum » Onesimo fideli et dilecto fratre [2]. » Onesimus autem erat, cujus gratia ad Philemonem scripsit Epistolam. Quod vero non alius esset ipsi cognominis patet ex Archippo : quem enim in Epistola ad Philemonem adjutorem accepit ad rem pro Onesimo impetrandam, hunc quoque in Epistola ad Colossenses excitat his verbis : « Dicite Archippo : » Vide ministerium, quod accepisti, ut illud impleas [3]. » Videtur autem mihi Epistolam ad Galatas eam, quæ ad Romanos est, præcessisse. Si autem in libris alium habent ordinem, nihil mirum : quandoquidem et duodecim Prophetæ non secundum temporis ordinem, sed longe ætate distantes, in Bibliis collocati sunt. Aggæus, Zacharias, et alii, post Ezechielem et Danielem prophetaverunt ; et multi post Jonam et Sophoniam cæterosque omnes, et tamen illis omnibus conjuncti sunt, a quibus tanto temporis spatio sunt dissiti.

II. Nemo hunc laborem extra rem esse, neque hanc disquisitionem superfluam et ex curiositate fieri putet. Nam Epistolarum tempus non parum ad quæsita solvenda confert. Cum enim video Paulum Romanis et Colossensibus, de iisdem rebus scribere, neque tamen simili modo ; sed illis cum indulgentia magna, ut cum dicit : « Infirmum » vero in fide assumite, non in disceptationibus ratiocinio- » rum : alius quidem credit se comedere posse omnia ; qui » autem infirmus est, olera manducat [4]. » Colossensibus autem de iisdem rebus non ita loquitur, sed cum majori libertate : « Si mortui estis, inquit, cum Christo ab ele-

[1] Philem. IX. — [2] Coloss. IV, 7. — [3] Ibid. 17. — [4] Rom. XIV, 1, 2.

» mentis mundi, cur adhuc tanquam viventes in mundo » decernitis : ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris, » quæ sunt omnia in interitum ipso abusu, non in honore » aliquo, ad saturitatem carnis [1]. » Non aliam hujus differentiæ causam invenio, quam rerum et temporis conditionem. Initio quippe indulgentia uti oportebat ; sequenti vero tempore non item. Alibi quoque illum sic agere vides. Sic facere solent medicus et doctor. Neque enim medicus ægrotare incipientes, et eos, qui demum a morbo recreantur ; neque doctor pueruloS simul, et eos qui perfectiori egent doctrina, pari modo curant. Paulus igitur aliis alia de causa, et argumento adductus scribebat : et hoc declarat cum Corinthiis dicit : « De iis autem quæ ad » me scripsistis [2] ; » Galatis vero statim ab exordio et per totam Epistolam idipsum significat ; Romanis vero cur et qua de causa scribat dicit : ac testificari videtur ipsos esse bonitate et scientia omni instructos, qui possent alios monere. Cur ergo Epistolam misit ? « Propter gratiam Dei, » inquit, quæ data est mihi, ut sim minister Jesu Christi [3]. » Ideoque in principio dixit : « Debitor sum, ut pro virili » mea parte vobis, qui Romæ estis, Evangelium prædi- » cem [4]. » Nam dicta ejus, verbi gratia quod possint alios admonere, et similia, laudem præcipue et exhortationem præ se ferunt. At necessaria etiam his erat emendatio per litteras : quia enim nondum istuc venerat, duplici ratione viros instituit, et litterarum utilitate, et adventus sui expectatione. Talis quippe erat sancta illa anima, totum complectebatur orbem, et omnes secum circumferebat, cognationem maximam illam esse putans, quæ secundum Deum est : atque ita illos omnes amabat, ac si peperisset ; imo majorem præ se ferebat, quam quivis pater dilectionem. Talis enim est gratia Spiritus : carnales partus su-

[1] Coloss. II, 20-23. — [2] 1 Cor. VII, 1. — [3] Rom. XV, 14. — [4] Id. I, 14.

perat, et ardentiorem exhibet affectum. Id imprimis videre est in anima Pauli, qui quasi volucris ex charitate factus, omnes frequenter circumit, nusquam manens, vel consistens. Quia enim audierat dixisse Christum : « Petre, amas » me ? pasce oves meas [1], » atque hunc maxime charitatis terminum pronuntiasse ; supra modum exhibebat illum. Hunc igitur et nos æmulantes, si minus orbem, aut integras civitates vel gentes, saltem quisque domum suam, uxorem, filios, amicos, vicinos recte componat. Nec mihi quispiam dixerit : « Imperitus sum et rudis. » Nihil indoctius Petro, nihil imperitius Paulo. Illud ipse quoque fatetur, nec pudet illum dicere : « Etsi imperitus sum sermone, » sed non scientia [2]. » Attamen imperitus hic, indoctus ille, sexcentos vicerunt philosophos, innumeros rhetores ad silentium compulerunt, suo studio et Dei gratia totum peragentes. Quam ergo nos excusationem habebimus, qui ne viginti quidem nominibus seu personis sufficimus, nec contubernalibus utiles sumus. Obtentus hæc sunt et inanes excusationes. Neque enim ignorantia et imperitia doctrinam impediunt ; sed ignavia et somnolentia. Hoc igitur excusso somno, cum omni studio propria membra curemus, ut et hic multa fruamur tranquillitate, dum secundum timorem Dei necessarios nostros instituemus, et illic innumera consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. xxii, 15. — [2] 2 Cor. xi, 16.

HOMILIA I.

CAPUT I.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Spiritu sancto [1].

I. Moyses libris quinque a se scriptis nusquam nomen suum apposuit [2], neque illi qui res post illum gestas scripserunt : sed neque Matthæus, neque Joannes, non Marcus, non Lucas. At beatus Paulus omnibus Epistolis suis nomen suum præmittit. Quare ? Quia illi præsentibus scribebant, et inutile fuisset se præsentes declarare ; hic vero procul litteras mittebat Epistolæ formæ : quapropter necessaria erat nominis additio. Si autem in Epistola ad Hebræos id non faciat, prudenter et consilio facit. Quia enim perosus erat ipsis : ne a principio, audito nomine, sermoni aditum occluderent, illo suppressio, uti se audirent arte pellexit. Si vero Prophetæ et Salomon nomina sua apposuere, vobis exquirendum relinquo cur alii nomen apposuerint, alii secus. Neque enim opus est ut omnia a me ediscatis; sed laborandum et perquirendum vobis est, ut ne segniores evadatis. « Paulus » servus Jesu Christi. » Cur nomen ejus immutavit Deus, et Saulum vocavit Paulum ? Ne hac etiam in parte Apostolis inferior haberetur ; sed ut idipsum prærogativæ haberet quod Discipulorum coryphæus, hincque arctius cœtui jungeretur. Christi vero servum se non sine causa dixit : multi namque sunt servitutis modi : alius secundum

[1] Rom. I, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 85-92.

creationem, de quo dicit : « Omnia serviunt tibi [1] ; » itemque, « Servus meus Nabuchodonosor [2], » opus namque opifici servum est. Alius modus est a fide, de qua ait : « Gratia autem Deo, quia servi eratis peccato, obedistis » autem ex corde, in quam traditi estis doctrinæ formam, » et liberati a peccato, servi facti estis justitiæ [3]. » Alius a vitæ instituto, de quo ait : « Moyses servus meus mortuus » est [4] : » quanquam et Judæi omnes servi erant ; sed Moyses imprimis ex vitæ instituto splendebat. Quoniam igitur Paulus omnibus servitutis modis servus erat, dignitatis maximæ loco ponit illud : « Servus Jesu Christi, » et dispensationis nomina obtendit ab inferioribus ad superiora ascendens. Nomen quippe Jesu ferens Angelus venit de cœlis, quando ille natus est de Virgine : Christus autem ab unctione dicitur, quod etiam carnis erat. Et quo, inquies, oleo unctus est? Oleo quidem non unctus est, sed Spiritu. Solet autem Scriptura hujusmodi unctos vocare Christos. In unctione quippe, quod præcipuum, Spiritus est, ideo et oleum assumitur. Et ubinam Christos vocat eos, qui non sunt oleo uncti? Ubi dicit : « Nolite » tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite ma» lignari [5]. » Tunc enim nullus erat ad unctionem olei apparatus. « Vocatus Apostolus. » Ubique se vocatum appellat, gratum animum exhibens, indicansque se non quærentem invenisse, sed vocatum obedivisse. Fideles vero sic appellat : « Vocatos sanctos. » Illi namque ad fidem vocati sunt ; huic vero aliud concreditum, apostolatus nempe, res innumeris plena bonis, dona omnia superans illaque complectens. Ecquid est ultra dicendum, nisi quod ea quæ Christus veniens fecit, demigrans illis commisit? Id quod etiam Paulus clamans et Apostolorum dignitatem

[1] Psal. CXVIII, 91. — [2] Jerem. XXV, 9. — [3] Rom. VI, 17, 18. — [4] Josuë, I, 2. — [5] Psal. CIV, 15.

extollens dicit : « Pro Christo legatione fungimur, quasi » Deo exhortante per nos [1] ; » id est, vice Christi. « Segre- » gatus in Evangelium Dei. » Quemadmodum in domo ad diversa opera singuli segregati sunt ; sic in Ecclesia diversa sunt distributa ministeria. Videtur porro mihi hic non ipsam sortem significari, sed jam olim ipsum ad hoc deputatum fuisse innui. Quod etiam Jeremias ait de se dixisse Deum : « Antequam exires de vulva sanctificavi te, » Prophetam in gentibus posui te [2]. » Quia enim ad arrogantem et fastu plenam urbem scribebat, his omnibus ostendit Dei esse ordinationem. Etenim ipse vocavit, et ipse segregavit. Hoc autem facit ut fide dignam et acceptam reddat Epistolam. « In Evangelium Dei. » Non ergo Matthæus tantum et Marcus sunt Evangelistæ, ut neque hic solus est Apostolus, sed etiam illi, etsi per excellentiam hic Apostolus ; illi Evangelistæ vocentur. Evangelium vero ipsum vocat non ob jam illata bona tantum, sed etiam ob futura. Quomodo autem Deum per ipsum evangelizari ait ? nam dicit : « Segregatus in Evangelium Dei : » Pater enim ante Evangelia notus erat ? Verum notus erat Judæis tantum, neque etiam omnibus ut par fuisset. Neque enim ipsum esse Patrem sciebant, et multa illo indigna tunc imaginabantur. Ideo dicebat Christus : « Venient veri ado- » ratores ; » et, « Pater tales quærit sui adoratores [3]. » Demum autem ipse cum Filio orbi toti manifestatus est. Quod prænuntians Christus dicebat : « Ut cognoscant te » solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum [4]. » Evangelium autem Dei vocat, ab exordio erigens auditorem. Neque enim venit triste quidpiam nuntiaturus, ut Prophetæ, convitia, accusationes, increpationes ; sed Evangelia et Evangelia Dei, firmorum et immutabilium bonorum thesauros infinitos. « Quod ante promiserat per

[1] 2 Cor. v, 20. — [2] Jerem. i, 5. — [3] Joan. iv, 23. — [4] Id. xvii, 3.

» Prophetas suos in Scripturis sanctis. Dominus enim da-» bit, inquit, verbum evangelizantibus virtute multa[1], » et rursum, « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem[2]. »

II. Vides-ne diserte Evangelii et nomen et modum in Veteri Testamento positum? Non enim verbo tantum, inquit, illud prædicamus, sed etiam operibus; si quidem non humanum erat, sed divinum, arcanum et omnem superans naturam. Quia vero novitatis ipsum accusabant; ostendit illud esse Græcis antiquius, et a Prophetis prius descriptum fuisse. Quod si non ab initio dedit, in causa sunt qui id noluerunt admittere; nam qui voluerunt, audiere: « Abraham pater vester, inquit, exultavit ut videret diem » meum, et vidit, et gavisus est[3]. » Quomodo igitur ait: « Multi Prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos vide-» tis, et non viderunt[4]. » Ita scilicet, inquit, ut vos videtis et auditis, ipsam carnem, ipsa signa, oculis percepta. Tu vero mihi considereres velim, quanto antea tempore hæc prædicta fuerint. Nam cum Deus magna quædam apparaturus est, ea multo ante tempore prænuntiat, aures præparans ad illa excipienda. « In Scripturis sanctis. » Non tantum enim dicebant Prophetæ, sed scribebant etiam illa quæ loquebantur: nec scribebant solum, sed per res figurabant; ut cum Abraham Isaac duceret; et Moyses serpentem exaltaret, manus extenderet adversus Amalec, et agnum paschalem immolaret. « De Filio suo, qui natus est » de semine David secundum carnem[5]. » Quid facis, Paule, cum animos nostros in sublime ducis, ac magna arcanaque imaginationi offers, Evangelium memoras, ac Dei Evangelium, chorum Prophetarum inducis, ostendisque omnes ante multos annos futura prænuntiasse? Quorsum rursus nos adducis ad Davidem? De quonam, quæso,

[1] Psal. LXVII, 12. — [2] Isaï. II, 57. — [3] Joan. V, 35. — [4] Matth. XIII, 17. — [5] Rom. I.

homine loqueris, cui patrem das Jesse filium? Quomodo possunt hæc digna esse iis quæ dicta sunt? Admodum certe digna. Non enim de mero homine, inquit, sermo nobis est. Ideoque illud adjecit, « Secundum carnem, » subindicans etiam secundum Spiritum generationem ejus esse. Et cur hinc incœpit, et non illinc a sublimioribus? Quoniam hinc etiam et Matthæus et Lucas et Marcus. Nam is qui ad cœlum ducturus est, ab inferioribus ad superiora necessario ducet. Hoc enim ordine res constituta fuit. Primo igitur viderunt illum hominem in terra, et hinc intellexerunt esse Deum. Qua igitur ipse doctrinam impertiit, eadem ratione Discipulus ejus viam secat illuc ferentem. Primo igitur generationem secundum carnem memorat, non quod prima sit, sed quia ab hac ad illam vult auditorem ducere. « Qui definitus est Filius Dei in » virtute et Spiritu sanctificationis ex resurrectione mor» tuorum Jesu Christi [1]. » Ex verborum complicatione obscurum est quod dicit; quapropter distinguamus oportet. Quid sibi vult ergo? Eum qui ex Davide natus est prædicamus, inquit, sed hoc quidem apertum est. Sed undenam? Quia hic incarnatus Filius Dei est. A Prophetis primum discitur, ideo ait: « Quod ante promiserat per » Prophetas suos in Scripturis sanctis. » Non parva autem demonstrandi ratio hæc est. Deinde, ex modo etiam generationis; quod et ipse declarat his verbis. « Ex semine » David secundum carnem: » naturæ quippe legem solvit. Tertio a miraculis quæ patravit, magnæ potentiæ argumentum præbens; hoc enim sibi vult illud, « In virtute. » Quarto, a Spiritu quem dedit credentibus in se, et per quem omnes sanctos effecit; ideo ait, « Secundum Spi» ritum sanctificationis. » Dei enim solius erat talia dona largiri. Quinto, a resurrectione Domini. Hic enim primus

[1] Rom. I, 4.

et solus se ipsum a mortuis excitavit. Quod et ipse ait signum omnium maxime idoneum esse ad impudentiores confutandos. Nam ait : « Solvite templum hoc, et in tribus » diebus excitabo illud [1] ; et cum exaltaveritis me de terra, » tunc cognoscetis quia ego sum [2] ; » et rursum, « Generatio » hæc signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi sig- » num Jonæ [3]. » Quid sibi vult illud, « Definitus? » Ostensus, declaratus, indicatus, confessus, omnium judicio et calculo, a Prophetis, ab inexpectato ortu secundum carnem, a potentia signorum, a Spiritu, per quem sanctificationem dedit, a resurrectione, qua mortis tyrannidem solvit. « Per » quem accepimus gratiam et apostolatum in obedientiam fi- » dei [4]. » Vide gratum famuli animum : nihil suum esse vult, sed omnia Domini. Atqui hunc quoque Spiritum dedit ; ideo dicebat : « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis por- » tare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, du- » cet vos in omnem veritatem [5]. » Et rursum, « Segregate » mihi Paulum et Barnabam [6]. » Et in Epistola ad Corinthios ait : « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii » sermo scientiæ. » Et, « Ipse omnia dividit sicut vult [7]. » Et Milesiis concionans dicit : « In quo posuit vos Spiritus » sanctus pastores et episcopos [8] (1). » Vides-ne quomodo ea quæ Spiritus sunt, Filii esse dicat ; et quæ Filii sunt, Spiritus? « Gratiam et apostolatum ; » id est, non nos hoc effecimus ut essemus Apostoli. Non enim labore et opera nostra hanc dignitatem sortiti sumus ; sed gratiam accepimus, et ex superno dono hoc munus datum nobis est. « In » obedientiam fidei. »

III. Non ergo Apostoli hæc efficiebant, sed præveniens illos gratia. Illorum quippe erat circuire et prædicare ; persuadere autem Dei erat, in illis operantis, ut et Lucas di-

[1] Joan. II, 19. — [2] Id. VIII, 28. — [3] Matth. XII, 39. — [4] Rom. I, 5. — [5] Joan. XVI, 12. — [6] Act. XIII, 2. — [7] 1 Cor. XII, 8-11. — [8] Act. X, 28.

cit : « Aperuit cor ipsorum ; » et rursum, « Quibus datum » erat audire Verbum Dei. In obedientiam. » Non dixit in perquisitionem vel in argumentum ; sed in obedientiam. Neque enim missi sumus, inquit, ut syllogismos afferamus, sed ut quod accepimus reddamus. Cum enim Dominus aliquid pronuntiat, non debent auditores curiose scrutari vel indagare, sed solum accipere. Nam Apostoli ideo missi sunt, ut quæ audierunt dicant, non ut aliquid de suo addant : et nos solum ut credamus. Quid credamus ? « De » nomine ejus, » non ut de substantia ejus curiose perquiramus, sed in nomen ejus credamus : illud enim signa faciebat ; nam ait : « In nomine Jesu Christi surge et » ambula [1]. » Et in hoc fide opus est, nihilque eorum ratiocinio capere possumus. « In omnibus gentibus, in » quibus estis et vos vocati Jesu Christi [2]. » Quid ergo ? An omnibus gentibus prædicavit Paulus ? Quod enim ab Jerosolymis ad Illyricum peragraverit, indeque rursum ad extrema terræ pervaserit, palam est ex iis quæ Romanis scripsit. Etsi vero non ad omnes pervenerit, ne sic quidem falsum est quod dicit. Non enim de se tantum loquitur ; sed etiam de duodecim Apostolis, et de iis qui cum illis verbum annuntiaverunt. Alioquin autem etiamsi de Paulo id intelligendum arguas, non contradicere possis, si fervorem ejus consideres ; et quod ne post mortem quidem cesset ubique terrarum prædicare. Perpendo quomodo extollat donum, ostendatque magnum illud esse et priori sublimius. Vetera siquidem gentem unam spectabant ; hoc autem donum terram et mare attraxit. Hoc item mihi considereres velim, quomodo Pauli anima omni expers sit adulatione. Romanos enim quasi in vertice totius orbis constitutos alloquens, nihil amplius illis concedit, quam cæteris gentibus ; neque, etiamsi cæteris imperarint, ac regna-

[1] Act. III, 6. — [2] Rom. XV, 19.

rent, in spiritualibus plus habere dicit; sed sicut gentibus omnibus, inquit, prædicamus, ita et vobis, cum Scythis et Thracibus ipsos enumerans. Quandoquidem nisi hoc significare voluisset, supervacaneum esset dixisse, « In »quibus estis et vos. » Hæc autem facit illorum fastum et superbiam deprimens, ipsosque cæteris pares esse docens. Quapropter hæc subjungit : « In quibus estis et vos vocati »Jesu Christi[1]; » id est, cum quibus estis et vos. Et non dixit : « Alii vobiscum; » sed, « Vos cum aliis. » Si enim in Christo Jesu non est servus neque liber; multo magis neque rex, neque privatus. Etenim et vos vocati estis, neque sponte vestra accessistis. « Omnibus qui sunt Romæ »dilectis Dei, vocatis sanctis, gratia vobis et pax a Deo »Patre nostro et Domino Jesu Christo[2]. » Vide quam frequenter nomen vocati usurpet, « Vocatus Apostolus, dicens, »in quibus estis et vos vocati; omnibus qui sunt Romæ vo»catis. » Illud autem non superflue repetens facit, sed ut illis beneficium in memoriam revocet. Quia enim verisimile erat inter credentes ex præfectis et consularibus quosdam fuisse, itemque pauperes et privatos, dignitatum inæqualitatem tollens, omnibus unam mittit compellationem. Si vero in rebus magis necessariis, et spiritualibus, servis et liberis communia omnia prostant; ut charitas Dei, vocatio, Evangelium, adoptio, gratia, pax, sanctificatio, cæteraque omnia; quomodo non extremæ dementiæ fuerit, eos quos Deus conjunxit et in majoribus pares fecit, a terrenis negotiis distinguere? Ideoque ab exordio hic vir beatus gravem hunc depellens morbum, in matrem bonorum omnium humilitatem ipsos inducit. Hoc servos meliores efficiebat, quod ediscerent nihil sibi damni ex servitute fore, cum vera libertate fruerentur : hoc etiam dominos instituebat, cum edocerentur nihil sibi emolumenti a libertate

[1] Rom. I, 6. — [2] Ibid. 7.

ferri, nisi quæ fidem spectabant præcederent. Atque ut discas Paulum hoc facientem, non confusionem inducere, nec omnia miscere, sed optimam distinctionem novisse, non simpliciter scripsit : « Omnibus qui Romæ estis ; » sed cum distinctione, « Dilectis Dei. » Hæc enim optima est distinctio, ostendique unde sit sanctificatio.

IV. Unde ergo est sanctificatio? A dilectione. Cum dixisset enim, « Dilectis, tunc addidit, vocatis sanctis. » Ostendens hunc nobis esse fontem bonorum omnium. Sanctos autem vocat fideles omnes. « Gratia vobis et pax. » O salutationem innumera bona afferentem! Hoc Christus Apostolos in domos intrantes primo pronuntiare verbum jubet. Ideoque Paulus sic ubique orditur. A gratia nempe et pace. Neque enim Christus modicum perfecit bellum, sed varium, omnimodum et diuturnum; idque non ex laboribus nostris, sed per gratiam suam. Quoniam igitur dilectio gratiam, gratia pacem dedit : hæc salutationis forma prolata, precatur manere perpetua et immota, ne rursus aliud excitetur bellum, et datorem rogat, ea firma conservet, his verbis : « Gratia vobis et pax a Deo Patre » nostro, et Domino Jesu Christo. » Ecce hoc loco illud, « a, » commune est Patri et Filio; quod perinde est ac si diceret, ex quo. Neque enim dixit : « Gratia vobis et pax a Deo Patre per Dominum nostrum Jesum Christum; » sed, « A Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. » Papæ quantum potuit Dei dilectio! inimici et reprobi repente sancti et filii sunt effecti. Cum enim Patrem vocat, filios indicat; cum filios dicit, omnem bonorum thesaurum revelat. Perseveremus bono tanto dignam vitam exhibentes, et pacem sanctitatemque servantes. Cæteræ quippe dignitates temporaneæ sunt, ac cum præsenti vita avolant; pecunia quaque venduntur : unde non dignitates quis dixerit; sed dignitatum nomina tantum, quæ in vestium

magnificentia et satellitum adulatione vim habent. Hoc autem, utpote a Deo collatum, donum sanctificationis et adoptionis, morte non tollitur; sed et hic splendidos efficit, et ad futuram vitam nobiscum demigrat. Nam qui adoptionem servat, et sanctificationem accurate custodit, illo qui diademate redimitur et purpura induitur longe splendidior feliciorque est, atque in præsenti vita tranquillitate fruitur magna, spe bona fretus, nullamque habens tumultus et perturbationis occasionem, sed voluptate perpetua gaudens. Hilaritatem enim et lætitiam, non imperii magnitudo, non vis pecuniarum, non potentiæ fastus, non robur corporis, non lauta mensa, non vestium ornatus, non aliud quidpiam humanum parere solet; sed recte factum spirituale tantum et bona conscientia. Qui puram illam servat, etiamsi laceris pannis induatur, etsi cum fame luctetur, lætior est iis, qui in summis deliciis versantur; ut vice versa, qui malorum sibi conscius est, etiamsi omnibus opibus circumfluat, omnium miserrimus est. Ideoque Paulus in assidua fame et nuditate versans, flagellis quotidie cæsus, plusquam reges gaudebat et lætabatur. Achab vero regnans et lautis fruens deliciis, quia peccatum illud admiserat, gemebat, anxius erat, et vultus ejus conciderat, et ante peccatum et post peccatum. Si velimus ergo voluptate frui, ante omnia nequitiam fugiamus, virtutemque sectemur, quod non possimus alio modo voluptatem assequi, etiamsi in ipsum solium regium ascendamus. Quamobrem Paulus dicebat : « Fructus autem » Spiritus est, charitas, gaudium, pax[1]. » Hunc ergo fructum apud nos servemus, ut hic lætitia fruamur, et futurum regnum assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Galat. v, 22.

HOMILIA II.

CAPUT I.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in toto mundo[1].

I. Beatæ animæ congruens exordium quod possit omnes instituere[2], ut operum et sermonum bonorum initia Deo offerant; neque solum pro suis, sed etiam pro alienis recte factis gratias agant; quod animam invidia et livore vacuam et puram reddit, Deique majorem benevolentiam gratias agentibus attrahit. Quamobrem alibi ait : « Benedictus » Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit » nos in omni benedictione spirituali[3]. » Gratias autem agant oportet, non divites tantum, sed etiam inopes; non sani, sed et ægroti; non ii solum qui prospere agunt, sed ii quoque quibus adversa contingunt : Deo enim gratias agere cum secundo cursu res feruntur, nihil mirum; sed cum gravi suborta tempestate, jactata navis periclitatur, tunc patientiæ et grati animi significatio accepta admodum est. Ea de causa Job coronatus est, et os impudens diaboli obturavit, clareque ostendit se cum prospere ageret, non pecuniarum causa, sed Dei amore motum gratias egisse. Vide autem qua de causa Paulus gratias agat; non de imperio, de potentia de gloria; hæc enim nihili habenda sunt; sed de iis quæ vere bona sunt, de fide, de loquendi libertate. Et quanto cum affectu gra-

[1] Rom. I, 8. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 92-102. — [3] Ephes. I, 3.

tias agit : non enim dixit, Deo; sed, « Deo meo ; » quod etiam Prophetæ faciunt, id quod commune est sibi vindicantes. Ecquid mirum si hoc Prophetæ faciunt ? Ipse namque Deus erga servos suos idipsum agit, se Deum Abraham, Isaac et Jacob seorsim dicens : « Quia fides vestra annun- » tiatur in toto mundo. » Quid ergo ? Universa-ne terra Romanorum fidem audivit ? Universa ab illo, et nihil non verisimile. Non enim obscura urbs erat ; sed quasi in quodam culmine sita, clara undique erat. Tu vero mihi perpende vim prædicationis, quo pacto brevi tempore publicanorum et piscatorum opera urbium caput invaserit ; ac Syri homines Romanorum doctores præceptoresque fuerint. Duo igitur ipsis recte facta testificatur, et quod crediderint, et quod cum fiducia crediderint, et quidem tanta, ut rei fama per totum volaret orbem. « Fides enim » vestra, inquit, annuntiatur in toto mundo. » Fides, non disceptationes, non quæstiones, non syllogismi. Atqui multa illic erant, quæ doctrinam impedirent. Etenim Romani, qui nuper imperium orbis adepti erant, altum sapiebant, in divitiis ac voluptatibus vitam agentes : prædicationem vero afferebant piscatores Judæi et ex Judæis orti, quæ gens invisa et execranda omnibus erat, et crucifixum adorare jubebant, qui in Judæa educatus fuerat. Ac cum doctrina vitam duram præscribebant doctores hominibus voluptati deditis, et ad præsentia solum inhiantibus. Ad hæc, qui ista nuntiabant, pauperes erant, idiotæ, ignobiles ex ignobilibus orti. At horum nihil Verbi cursum impedivit : tanta erat Crucifixi potentia, ut Verbum undique spargeret. « Annuntiatur, inquit, in toto mundo. » Non dixit : « Manifestatur, » sed, « Annuntiatur, » ac si omnes in ore ferrent. Id vero Thessalonicensibus testificans aliud addit ; cum dixisset enim : « A vobis personat » Verbum Dei, » subdit, « Ita ut non opus sit nobis loqui ali-

» quid[1].» Discipuli namque in doctorum gradu, cum fiducia loquendi omnes instituebant et ad se trahebant. Nusquam prædicatio sistebat, sed igne vehementius totum pervadebat orbem. Hoc autem loco solum dicitur quod annuntiatur. Bene dixit : « Quia annuntiatur ; » ostendens nihil addendum dictis esse, nihil demendum. Nuntii enim hoc opus est, ut ea solum quæ dicta sunt afferat. Ideoque sacerdos nuntius seu angelus vocatur, quia non sua, sed ea, quæ mittentis sunt, annuntiat. Atqui Petrus illic prædicavit ; sed ipsius acta, sua esse ducit. Sic, ut supra dixi, ab invidia omnimoda liber. « Testis enim est mihi Deus, » cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus[2].»

II. Ex apostolicis visceribus hæc verba proficiscuntur, paternæ curæ sententia est : quid vero sibi vult, et qua de causa Deum vocat testem? De affectu suo sermo erat. Quia igitur nondum illos viderat ; ideo nullum hominem, sed eum, qui in corda penetrat vocavit testem. Postquam enim dixerat, « Amo vos, » et signum attulerat quod frequenter precaretur, et quod vellet ipsos adire ; cum hoc palam non esset, ad fide dignum testimonium confugit. An poterit quisquam vestrum gloriari, quod memoriam faciat domi precans plenitudinis Ecclesiæ? Non puto. Sed Paulus non pro una civitate, sed pro toto orbe Deum precabatur ; idque non semel, non bis, non ter ; sed assidue. Quod autem quis assidue in memoria quempiam circumferat, nonnisi ex charitate magna fieri possit. Nam in precibus circumferre, idque indesinenter, cogita quanti sit affectus et amoris. Cum autem dicit : « Cui servio in spiritu meo, » in Evangelio Filii ejus, » Dei gratiam simul, et humilitatem suam nobis exhibet ; Dei gratiam, quod tantam rem ipsi commiserit ; humilitatem suam, quia non studio suo, sed Spiritus auxilio totum ascribit. Cum autem Evangelium

[1] 1 Thess. 1, 8. — [2] Rom. 1, 9.

addit, ministerii genus indicat. Nam multi et diversi sunt ministerii modi, cultusque similiter. Quemadmodum enim apud reges, omnes sub uno sunt principe, sed non idem omnes ministerium exercent. Alius enim exercitui imperat; alius urbes regit; alius in penuariis pecunias servat, sic et in spiritualibus, alius per fidem Deum colit ipsique servit, vitamque suam recte instituit; alius hospites excipit; alius inopum curam gerit; quemadmodum etiam apud Apostolos, Stephanus per viduarum præsidium et curam Deo serviebat, alius per doctrinam Verbi; ex quorum numero Paulus erat, qui in prædicatione Evangelii Deo serviebat: et hic erat ipsius servitutis modus: hoc enim ipsi commissum fuerat. Ideo, non modo Deum testem vocat; sed id sibi concreditum esse dicit, declarans se cui talia commissa fuerant, committentem sibi in testem pro re falsa nunquam vocaturum fuisse. Ad hæc etiam, illud vult ostendere, charitatem et curam quam de illis gerebat necessariam esse. Ne dicerent enim: « Tu quis es et unde » civitatis tantæ ac regiæ curam te suscipere dicis? » Ostendit illam suam sollicitudinem necessariam esse: siquidem hic illi servitutis modus constitutus est, ut Evangelium annuntiet. Nam is cui hoc munus traditum est, necessario debet eos, qui Verbum suscepturi sunt, semper in mente habere. Aliud etiam significat cum dicit: «In spiritu meo.» Quia longe sublimior erat hæc religio quam gentilis et judaïca. Nam gentilis et erronea et carnalis erat; judaïca autem, vera quidem, sed carnalis et ipsa erat. Ecclesiæ porro cultus, gentili contrarius; judaïco autem longe sublimior est. Non enim oves, vitulos, fumum et nidorem cultus noster adhibet; sed per animam spiritualem fit: quod ostendens Christus dicebat: « Spiritus est Deus, et » eos qui illum adorant, in spiritu et veritate adorare

» oportet. In Evangelio Filii ejus[1]. » Cum superius dixisset Evangelium Patris esse, hic Filii esse dicit; ita indifferenter Patris et Filii dicitur. Edidicit enim a beata illa voce, quæ Patris sunt Filii esse, et quæ Filii item Patris. « Omnia » enim, inquit, tua mea sunt, et mea tua sunt[2]. Ut inde» sinenter memoriam vestri faciam in precibus meis[3]. » Hoc germanæ charitatis est. Et videtur quidem unum dicere, dum quatuor ponit; quod memor sit, quod indesinenter, quod in precibus, quodque pro magnis rebus precetur : « Orans, si quo modo aliquando prospere possim, volente » Deo, venire ad vos. Desidero enim videre vos[4]. » Videsne summe optantem illos videre, neque id facere præter Dei placitum volentem? sed amorem Dei timore mixtum gerebat. Amabat quippe illos et ad illos festinabat; sed licet amaret, non præter Dei placitum videre cupiebat. Hæc est germana charitas. Non sicut nos qui utrinque a charitatis legibus excidimus : nam vel neminem amamus, vel si amemus, id præter Dei placitum facimus; utrumque contra divinam legem facientes. Si hæc dicta onerosa, onerosiora certe sunt si fiant.

III. Et quomodo, inquies, præter Dei placitum amamus? Quando Christum fame tabescentem despicimus, filiis autem, amicis et cognatis plus quam necesse est elargimur. Imo potius quid opus est sermone ulterius progredi? Nam si suam quisque conscientiam examinaverit, plurimis in rebus hoc a nobis factum esse deprehendet. At beatus vir ille non talis erat, sed amare, et ut par est amare sciebat, atque etsi omnes in amore vinceret, charitatis tamen modum non transgrediebatur. Vide ergo utrumque eximie in illo abundare, et Dei timorem et Romanorum dilectionem. Nam quod indesinenter precaretur, et re non impetrata non tamen desisteret, ardentis erat amoris; quodque

[1] Joan. IV, 24. — [2] Id. XVII, 10. — [3] Rom. I, 9. — [4] Ibid. 10, 11.

amando persisteret Dei nutui obsequens, summæ pietatis erat. Alibi etiam cum ter Dominum rogasset, nec impetrasset[1], imo contrarium sibi accidisset, gratias egit maximas quod repulsam tulisset. Sic ille in omnibus ad Deum se convertebat. Hic autem accepit quidem, sed non quando petebat, sed tardius, nec moleste tulit. Hæc porro dico, ut non ægre feramus quando non exaudimur, vel cum tardius exaudimur. Non enim sumus Paulo meliores, qui de utroque gratias egit, et quidem jure merito. Quia enim manui omnia gubernanti se semel dediderat, et cum tanta subjectione quanta lutum figulo; quo ducebat Deus, illo sequebatur. Cum dixisset ergo precari se ut illos videret, causam desiderii addit. Quænam illa est? « Ut aliquid im» pertiam vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos[2]. » Non enim sine causa, ut multi jam superfluas inutilesque peregrinationes suscipiunt, illo se conferre volebat; sed pro necessariis urgentibusque negotiis : id quod ille clare non enuntiat, sed ænigmatice. Neque enim dixit, ut doceam vos, ut instituam, ut quod deest impleam; sed, « Ut quid » impertiam; » indicans se non sua dare illis; sed quæ accepit tradere. Hic etiam modeste loquitur, cum dicit : « ut aliquid. » Paululum, inquit, et secundum meum modulum. Et quidnam est illud paululum, quod jam daturus est? Illud est, inquit, ad confirmandum vos. Ergo ex gratia illud est, non vacillare, sed firmiter stare. Gratiam vero cum audis, cave putes excludi mercedem illam ex proposito voluntatis. Gratiam enim dicit, non quod propositi laborem reprobet, sed ut arrogantiæ fastum succidat. Ne itaque, quia Paulus illud gratiam vocavit, animo concidas. Grati enim animi causa solet recte facta gratiam vocare, quoniam in hisce nos multa egemus superna gratia. Cum dixit autem : « Ad confirmandos vos, » latenter indicat egere

[1] 1 Cor. XII, 8. — [2] Rom. I, 11.

illos magna correctione ; hoc enim vult significare : « A multo tempore desiderabam et in optato habebam vos videre, non alia de causa, quam ut vos confirmarem et probe stabilirem in timore Dei, ut ne perpetuo vacilletis. » At non ita dixit ; sic enim illos perstrinxisset ; sed alio modo remissiusque idipsum subindicat. Certe cum dixit : « Ad confirmandos vos, » hoc ipsum significat ; deinde quia illud valde molestum erat ; vide quomodo per ea quæ addit illud mitiget. Ne dicerent enim : « Quid ergo ? An vacillamus ? an circum agimur, et tua egemus lingua ut firmiter stemus ? » hanc prævertit objectionem his verbis : « Hoc est autem simul consolari in vobis per mutuam fidem, vestram et meam[2]. » Ac si diceret : « Ne suspicemini me accusandi causa id vobis dixisse : non hac mente locutus sum. Sed quid volui dicere ? Multas passi estis ærumnas ab iis qui vos sunt persecuti. Vos ergo videre desideravi, ut consolarer ; imo potius non ut consolarer tantum ; sed etiam ut ipse consolationem acciperem. »

IV. Vide sapientiam doctoris. Dixit : « Ad confirmandos » vos. » Noverat grave et onerosum discipulis esse illud quod dixerat, et addit, « Ad consolandum vos. » Sed illud quoque molestum erat, non perinde tamen atque illud quod prius dixerat. Asperitatem itaque mitigat, ut sermonem reddat acceptum. Non enim simpliciter dixit : « Consolari ; » sed, « Simul nos consolari. » Neque id illi satis fuit ; sed et illam mitigationem addidit, dicens : « Per mutuam fidem, vestram » et meam. » Papæ, quanta humilitas ? Se ipsum his egere indicavit, seque illis indigere, nec illos solum ipso opus habere, atque discipulos magistrorum loco habuit, nullam sibi prærogativam relinquens. Sed æqualitatem magnam ostendens. Communis est utilitas, inquit, consolatione egemus, ego vestra, vos mea. Et quomodo hoc ? Per fidem

[2] Rom. I, 12.

mutuam vestram et meam. Quemadmodum si quis multas simul accendat lucernas, splendidam edit flammam; sic apud fideles evenire solet. Cum enim disjuncti et dispersi sumus, animo minus valemus : quando autem nos mutuo conspicimus, et quasi membris nos complectimur, multam accipimus consolationem. Ne mihi autem præsens tempus illi conferas, quo per Dei gratiam in vicis, in urbibus, in ipsoque deserto multi sunt credentium cœtus, omnisque inde expulsa est impietas. Sed illud cogita tempus, quam optandum tunc esset magistro videre discipulos, et fratres alia ex urbe advenientes conspicere. Ut autem id quod dico clarius evadat, exemplo utamur. Si contingeret, quod absit, nos translatos in terram Persarum aut Scytharum, barbarorumve aliorum, dispergi binos vel ternos in illis urbibus; deindeque aliquem ex his locis venientem derepente videre, cogita quanta repleremur consolatione. Annon videtis eos qui in carceribus sunt, si quem familiarium viderint, exurgere, et præ gaudio exilire? Si porro captivitati et carceri illa tempora conferam, ne mireris; longe enim graviora patiebantur illi, dispersi, pulsi, in fame et bellis viventes, quotidianas mortes timentes, amicos, familiares, cognatos suspectos habentes, orbem terrarum quasi extraneum sibi incolentes, imo graviori in statu versantes, quam ii qui in aliena terra degunt. Ideo ait : «Ad confirmandos vos per mutuam fidem.» Hoc vero dicebat, non quasi ipse illorum commilitio opus haberet : absit; quomodo enim Ecclesiæ columna, ferro et petra fortior, spiritualis ille adamas, qui innumeris sufficiebat civitatibus, illis opus haberet? Sed ut ne molestus sermo, neve correctio vehementior esset, se illorum consolatione opus habere dicebat. Quod si quis hic consolationem et lætitiam ex fide et incremento illorum ortam, opus habuisse Paulum dixerit; hic certe non aberraverit. Si ergo,

inquies, id desideras et optas, et consolationem accepturus daturusque es, quid impedit quominus venias? Hanc ergo solvens suspicionem adjicit : « Nolo autem vos ignorare, » fratres, quod sæpe desideraverim venire ad vos, et impe» ditus sim usque ad hunc diem [1]. » Vide servilis obedientiæ modum, et admodum grati animi significationem. Quod præpeditus sit ait ; qua de causa, non item. Neque enim examinat Domini mandatum, sed obsequitur tantum : quanquam par erat dubitare, cur tantam tam splendidam urbem, ad quam totius orbis oculi convertebantur, quominus doctore tanto frueretur, tandiu impediret Deus. Nam qui imperantem urbem vicit, subditos ejus facile invadit ; qui autem illa dimissa, subditis incumbit, ille caput negligit. At nihil horum Paulus curiose indagat, sed incomprehensibili providentiæ cedit, tum animi sui moderationem ostendens, tum erudiens nos omnes ne unquam a Deo gestorum rationem repetamus, etiamsi illa multos turbare videantur. Nam Domini tantum est imperare, servorum obsequi. Ideo dicit se impeditum fuisse : qua de causa, minime. Neque enim ego novi, inquit. Ne me igitur interroges quæ sit voluntas aut sententia Dei. Neque enim figmentum opifici dicet : « Cur me sic fecisti [2] ? » Cur, quæso, id ediscere cupis ? An nescis illum omnium curam habere, sapientem esse, nihil sine causa aut temere fecisse, quod te plusquam parentes tui amet, quod Patris erga te affectum matrisque curam longe superet? Nihil ergo ultra quæras, neque ulterius procedas. Hæc quippe tibi ad consolationem satis sunt. Siquidem et tunc res Romanorum sapienter regebantur. Quod si modum ignoras, ne id ægre feras. Illud enim maxime ad fidem pertinet, si is qui œconomiæ modum ignorat, providentiæ tamen rationem admittat.

[1] Rom. I, 13. — [2] Id. IX, 20.

V. Cum igitur Paulus ea quæ curabat recte composuisset, quid autem illud erat? ostendere se si non illos adiret, non ex contemptu id facere, sed id maxime cupientem præpediri tamen; et cum segnitiei crimen a se removisset, suasissetque se non minore desiderio illorum videndorum teneri, quam illos; rursum aliis modis amorem suum ostendit. Neque enim quia impeditus sum, inquit, a conatu destiti; sed semper tentabam, semper prohibebar : nec unquam destiti, voluntati quidem Dei non resistens, et charitatem servans. Nam cum proponeret, nec desisteret, amorem exhibebat; quod autem impediretur, nec resisteret, summam erga Deum charitatem ostendebat. « Ut ali» quem fructum habeam etiam in vobis[1]. » Etsi superius desiderii causam attulerit, et sibi congruere ostenderit; attamen hic quoque illam affert, illorum suspicionem admodum corrigens. Quia enim conspicua urbs erat, et sola in terra et mari tantæ pulchritudinis, atque ejus tantum videndæ desiderio permoti multi illo commigrarant; ne quid simile de Paulo etiam opinarentur, neve suspicarentur, ideo illorum conspectum desiderare Paulum, quod ex illorum consortio se clariorem fore putaret, frequenter desiderii causam apponit. Et supra quidem dixit: « Ut ali» quid impertiam vobis gratiæ spiritualis, videre desidera» bam : » hic vero clarius, « Ut aliquem fructum habeam » etiam in vobis. Quemadmodum et inter reliquas gentes. » Principes cum subditis annumerat; post mille tropæa, victorias, post consulum claritatem, cum Barbaris ponit illos; et jure quidem. Nam ubi fidei nobilitas est, nemo Barbarus, nemo Græcus, nemo peregrinus, nemo civis; sed in unum dignitatis fastigium omnes ascendunt. Vide porro illum hic modestius agentem. Non enim dixit, « Ut doceam et instituam : » sed quid? « Ut aliquem fructum habeam; » non

[1] Rom. I, 13.

simpliciter fructum, sed aliquem fructum. Rursus ea quæ se spectant comprimens, ut superius dixit : « Ut aliquid » impertiam. » Deinde illos quoque, ut jam dixi, comprimens, ait : « Quemadmodum et inter reliquas gentes. » Non enim quia divites estis, et plus quam cæteri habetis, minus erga reliquos studium adhibeo. Non divites quærimus; sed fideles. Ubi nunc sunt sapientes illi Græcorum, densas habentes barbas, palliis amicti et magnopere tumescentes? Græciam et barbarorum terram omnem tentoriorum artifex convertit. Ille vero qui apud illos proponitur et circumfertur Plato, ter in Siciliam profectus cum tanto illo verborum fastu, cum illa tanta, quam de ipso habebant, opinione, ne unum quidem tyrannum superavit; imo tam misere ille elapsus est, ut etiam a libertate exciderit. At tentoriorum artifex non Siciliam modo, non Italiam tantum, sed totum peragravit orbem, ac neque dum prædicaret artem intermisit; sed etiam tunc pelles consuebat, et officinæ præerat : neque illud consularibus offendiculo fuit; idque jure merito. Non enim artes ac studia, sed mendacium et conficta dogmata despicabiles reddunt doctores. Ideoque illos quidem jam derident Athenienses; huic vero attendunt barbari, inculti homines et idiotæ. Communis quippe omnibus doctrina prostat : non dignitatis discrimen novit, non gentis excellentiam, non aliud quidpiam simile. Fide namque tantum eget, non syllogismis. Ideoque maxime admiranda est, non modo quod utilis et salutaris sit, sed etiam quia facilis, et ab omnibus nullo negotio excipitur. Id quod maxime Dei providentiæ opus est, qui sua omnibus communia proponit. Nam quod in sole, luna, in terra, in mari cæterisque fecit, non plura ex illis tribuens divitibus et sapientibus, nec pauciora pauperibus; sed æqualem omnibus usumfructum proponens; hoc et in prædicatione fecit, imo multo majus, quoniam

hoc magis necessarium quam illa est. Ideoque Paulus frequenter ait, « Omnibus gentibus. » Deinde ostendens se nihil illis largiri; sed præceptum Domini implere, et remittens illos ad reddendas Deo universorum gratias, ait: « Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor » sum[1]. » Quod et ad Corinthios scribens ita dicebat, omnia Deo attribuens: « Ita quantum in me est et vobis, qui » Romæ estis, evangelizare[2]. »

VI. O generosam animam! rem tot periculis plenam suscipiens, marinam peregrinationem, tentationes, insidias, seditiones; nam in tanta urbe concionanti, sub impietatis tyrannide posita tentationum grandines expectandæ erant; sic et in ista urbe vitam clausit, jussu tyranni tunc regnantis, capite truncatus; attamen cum tot tantaque se passurum expectaret, non ideo segnior reddebatur; sed festinabat, parturiebat, promptusque erat. Ideoque ait: « Quantum in me est paratus sum vobis quoque qui Romæ estis » evangelizare. Non enim erubesco Evangelium[3]. » Quid ais, Paule? Cum oporteret dicere: « Glorior, mihi gratulor; » non hoc dicis; sed quod illo minus est, quod non erubescas; id quod in rebus insignibus dicere non solemus. Quid igitur dicit? Cur sic loquitur, etsi magis de Evangelio, quam de cœlo glorietur? Ad Galatas enim scribens ait: « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu » Christi[4]. » Cur ergo hic non dicit, « Glorior; » sed, « Non » erubesco? » Romani ad res hujus mundi inhiabant, ob divitias, ob imperium, ob victorias, ob imperatores, quos diis pares existimabant. Sicque illos vocabant; unde et templis et aris et sacrificiis illos colebant. Cum igitur ita fastu pleni essent, et Paulus prædicaturus esset Jesum, qui fabri filius esse putabatur, in Judæa natus, et in domo tenuis mulieris educatus fuerat; qui satellites non habuerat,

[1] Rom. I, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Galat. VI, 4.

non divitias; sed etiam ut damnatus mortuus fuerat cum latronibus, multasque alias ignominias passus fuerat; ac verisimile erat Romanos tunc pudore suffusos fuisse cum nihildum scirent rerum arcanarum et magnarum; ideo ait, « Non erubesco, » illos interim docens ne erubescerent. Sciebat enim eos si id tandem assequerentur, cito eo usque perventuros esse ut gloriarentur. Et tu igitur si audieris quempiam dicentem : Crucifixum-ne adoras? ne erubescas, nec oculos demittas; imo gloriare et tibi gratulare, liberisque oculis et erecta facie, confessionem admitte. Si rursum dixerit : « Crucifixum-ne adoras? » Repone illi : « Sed non mœchum, non parricidam, non filiorum interfectorem; tales enim sunt omnes illorum dii; sed eum qui per crucem dæmonibus ora obstruit, atque innumeras illorum præstigias abstulit. » Etenim crux propter nos, ineffabilis benignitatis opus, magnæque curæ symbolum est. Ad hæc vero, quia eloquentiam suam venditant, et externa philosophia muniti altum sapiunt; ego, inquit Paulus, his syllogismis longum valere jussis, crucem prædicatum venio, neque ideo erubesco. « Potentia enim Dei est ad salutem. » Quia enim potentia Dei est etiam ad pœnam inferendam; nam cum Ægyptios puniebat, dixit : « Hæc est potentia mea magna; et potestas ad exitium; » nam ait : « Timete eum » qui potest et animam et corpus perdere in gehennam[1]; » ideo ait : « Hæc veniens affero, non quæ ad pœnam et supplicium, sed quæ ad salutem. » Quid ergo? Nonne hæc annuntiabat etiam Evangelium, de gehenna, de tenebris exterioribus, de verme venenato? atqui non aliunde hæc novimus, nisi ex Evangelio. Quomodo igitur, inquies, potentia Dei ad salutem? sed audi sequentia. « Omni credenti, » Judæo primum et Græco. » Non enim omnibus, sed suscipientibus. Etiamsi enim Græcus sive gentilis fueris,

[1] Matth. x, 28.

etiamsi nequitiam omnem adieris; etsi Scytha, barbarus, imo fera fueris, ratione omnino destitutus, et mille peccatorum sarcinis onustus, simul atque sermonem de cruce suscepisti, et baptizatus es, omnia illa delevisti. Cur autem hic dicit: «Judæo primum, et Græco?» Quid sibi vult illa differentia? Atqui sæpe dixit, «Neque circumcisio quidquam » est, neque præputium.» Quomodo igitur hic distinguit, Judæum Græco anteponens? Ecquid hoc? Neque enim quia primus est, majorem accipit gratiam; idemque enim ipsum donum et huic et illi tribuitur, sed ordinis solum est illud, «Primum.» Neque id plus habet quod majorem acceperit justitiam; sed in hoc solum honoratur, quod primus acceperit. Nam ii qui illuminantur; scitis, initiati, quod dicitur; omnes ad baptisma currunt; sed non omnes eadem hora; sed alius primus, alius secundus. Neque tamen primus plus accipit, quam secundus, neque secundus quam tertius; sed omnes iisdem fruuntur. Primus igitur hic, nominis solum est honor, non gratia major. Deinde, postquam dixit, « Ad salutem,» rursus auget donum, ostendens non præsentis temporis solum esse, sed et ulterius progredi; hoc enim significavit his verbis: « Justitia enim » Dei in ipso revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, » Justus autem ex fide vivet[1]. » Qui ergo justus effectus est, non in præsenti solum sæculo, sed in futuro vivet. Neque hoc solum; sed et aliud subindicat, hujusmodi nempe vitæ splendorem, et claritatem. Quia enim potest quis cum dedecore servari; ut multi ex regia clementia a supplicio eripiuntur; ut ne quis salutem audiens hoc suspicetur; addidit, « Et justitiam; et justitiam, non tuam, sed Dei; » ejus largitatem et facilitatem subindicans. Neque enim ex sudore et labore, illam perficis; sed ex superno dono accipis, hoc unum ex te ipso afferens, quod credas.

[1] Rom. I, 17.

Deinde quia vix credibilis sermo videtur esse, quod mœchus, mollis, sepulcrorum effossor, præstigiator, confestim non modo a supplicio eripiatur, sed etiam justus fiat, et justus suprema justitia; a Veteri Testamento sermonem confirmat; ac primo quidem brevi dicto immensum historiarum pelagus intueri valenti aperit. Cum dixisset enim, «Ex fide in fidem,» auditorem remisit ad œconomias illas, a Deo in Veteri Testamento factas, quas ad Hebræos scribens, cum multa sapientia enarrat, atque etiam tunc et justos et peccatores justificatos ostendit. Quapropter et Raab et Abraham memoravit. Postea autem cum hic solum id subindicasset; nam ad aliam contemplationem cursu veloci festinabat, a Prophetis rursus sermoni fidem conciliat, in medium adducens Habacuc clamantem et dicentem non posse vivere eum, qui victurus est, nisi per fidem. «Nam justus, inquit, »ex fide vivet[1],» de futura loquens vita. Quia enim quæ Deus elargitur omnem cogitationem superant, jure fide opus habemus. Vir autem pervicax, contemptor et arrogans, nihil perficiet. Audiant hæretici spiritualem vocem. Talis est enim cogitationum natura. Labyrintho cuidam et gryphis similis est, nullum finem habens, nec sinens in petra cogitationem consistere, principiumque habens ab arrogantia. Cum enim pudeat illos fidem accipere, ne videantur ignorare cœlestia, sese in mille cogitationum pulverem conjiciunt. Ita-ne, miser et infelix, atque infinitis dignus lacrymis, si quis te interroget, quomodo cœlum factum sit, quomodo terra; quid dico cœlum et terram? quomodo ipse natus sis, quomodo nutritus et auctus, non te pudet ignorantiæ? si vero de Unigenito sermo sit, præ pudore te in barathrum perniciei conjicis, quod te indignum putes non omnia scire? Atqui indigna potius res est contentio et intempestiva curiositas. Ecquid de dogmatibus

[1] Habac. II, 5.

loquor? Ex præsentis vitæ nequitia non alio modo liberamur, quam per fidem. Sic omnes prisci illi viri claruere, sic Abraham, sic Isaac, sic Jacob, sic et meretrix salutem consecuta est, et in Veteri et in Novo Testamento. Nam ait : «Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, explo» ratores excipiens[1].» Non dixit in semetipsa : « Et quomodo poterunt hi captivi, fugitivi, et errones, qui Nomadum more vivunt, nos superare, qui urbem, mœnia et turres habemus?» Si vero hæc apud se dixisset, et se ipsam et illos perdidisset : ut et fecere majores eorum, qui tunc servati sunt. Illi enim conspectis viris magnis et proceris, victoriæ modum quæsiere, ac sine bello et acie omnes perierunt. Vidisti-ne quantum sit incredulitatis barathrum, et quantus fidei murus? Illa enim innumera millia pessumdedit; hæc vero meretricem non modo servavit, sed tanti populi patronam effecit. Hæc et multo plura cum sciamus, a Deo factorum rationem nunquam exigamus, sed quidquid ille jusserit excipiamus; non curiose inquiramus vel exploremus, etiamsi id quod jubetur secundum humana ratiocinia absurdum videatur. Quid enim, quæso, absurdius videatur, quam cum pater unigenitum filium occidere jubetur? Attamen Justus ille jussus, non curiose jussum exploravit; sed ob jubentis dignitatem mandatum accepit et obedivit. Alius quoque jussus a Deo Prophetam percutere, quia rem absurdam esse putans, curiose perquisivit, nec simpliciter obsecutus est, extremas dedit pœnas; qui vero percussit, acceptus fuit[2]. Et Saül qui præter Dei placitum homines servavit, a regno excidit, et intolerabilia passus est. Multo plura exempla quis invenire possit, quibus omnibus docemur mandatorum Dei nunquam rationem esse quærendam, sed cedendum et obsequendum esse. Si autem illa quæ præcipit scrutari, periculosum est, et

[1] Hebr. II, 31. — [2] 3 Reg. XX, 35-37.

extremum supplicium scrutantibus est deputatum, qui ea, quæ sunt illis longe secretiora et horribiliora scrutantur, nempe quomodo genuit Filium, et qua ratione: et quænam sit substantia, quam defensionem habebunt? Hæc cum sciamus, fidem bonorum omnium matrem cum omni benevolentia suscipiamus, ut quasi in tranquillo portu navigantes, recta dogmata servemus, et vitam nostram cum securitate dirigentes, æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor et adoratio una cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAPUT I.

Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent[1].

I. Vide Pauli prudentiam[2], quomodo a mitioribus hortatus, ad terribiliora sermonem vertat. Cum dixisset enim Evangelium salutis et vitæ causam esse, itemque Dei potentiam, et salutem justitiamque operatam esse, jam dicit ea quæ non attendentibus terrorem incutere possint. Quia enim solent plerique hominum non tam promissione bonorum, quam tristium timore, ad virtutem pertrahi; utrinque ipsos allicit. Idcirco Deus non modo regnum promisit, sed etiam gehennam comminatus est: et Prophetæ Judæis ita loquuntur, mala bonis perpetuo admiscentes. Ideoque Paulus sic sermonem variat; non utcumque, sed

[1] Rom. I, 18. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 102-107.

mitia primum, deindeque tristia adhibet ; ostendens illa quidem ex prævia Dei sententia manare ; hæc vero ex negligentium nequitia. Sic et Propheta primo bona profert dicens : « Si volueritis et audieritis me, bona terræ come-» detis ; si nolueritis, nec audieritis me, gladius vos absu-» met[1]. » Ita et Paulus hic sermonem profert : venit Christus, inquit, remissionem ferens, justitiam, vitam ; nec simpliciter, sed per crucem affert. Quodque maximum et admirandum est, non quod talia largitus sit solum, sed quod talia passus sit. Si igitur ipsa dona contumelia affeceritis, tunc tristia vos manebunt. Et vide quomodo sermonem extollat ; « Revelatur enim, inquit, ira Dei de cœlo. » Undenam hoc liquet ? Si fidelis hoc dixerit, Christi sententias proferemus ; si vero infidelis, a sequentibus illi Paulus os obstruit, ubi de judicio Dei agitur, ex gestis ipsorum insuperabile argumentum in medium adducens : id quod maxime stupendum est ; cum eos qui veritati adversantur, ex iis quæ quotidie dicunt et faciunt, veritatis dogmata probare declarat. Verum hæc in sequentibus ; interimque propositam rem tractemus. « Revelatur enim ira Dei de cœlo. » Atqui in hac vita id sæpe accidit in fame et peste et bellis : nam privatim singuli et in communi omnes puniuntur. Quid igitur tunc novi erit ? Quod majus futurum sit supplicium, quod commune et non earumdem rerum causa. Nunc enim ad emendationem hæc fiunt, tunc autem ad ultionem ; quod significans Paulus dicebat : « Corripimur nunc, ut non cum » mundo damnemur[2]. » Et nunc quidem non ex superna ira, sed ab hominum injuria hæc a multis accidere putantur. Tunc vero manifesta erit Dei ultio, quando judex sedens in tremendo solio, alios ad caminos trahi jubebit, alios ad tenebras exteriores, alios ad alia inevitabilia et intoleranda supplicia. Et cur non sic aperte dicit, Filium Dei venturum

[1] Isaï. I, 19. — [2] 1 Cor. II, 32.

esse cum innumeris Angelis, et rationem a singulis repetiturum ; sed ait, « Revelatur ira Dei ? » Neophyti adhuc erant auditores : ideoque ab iis quæ omnino in confesso erant apud eos primum ipsos allicit. Præterea vero gentiles alloqui mihi videtur, ideoque hinc orditur, postea autem de judicio Christi sermonem inducit. « Super omnem impietatem et in- » justitiam hominum, qui veritatem in injustitia detinent. » Hic ostendit multas esse impietatis vias, veritatis autem unam. Etenim varia, multiformis et confusa res est error; veritas autem una. Postquam vero de dogmatibus dixit, de vita loquitur, injustitiam hominum memorans. Etenim injustitiæ variæ sunt. Et alia quidem circa pecunias est, ut cum quis in iis proximum lædit : alia mulieres spectat ; ut quando quis relicta uxore, alterius nuptias dirimit. Hoc certe fraudem vocat Paulus dicens : « Ne quis opprimat » vel fraudet in negotio fratrem. » Alii rursum non uxorem vel pecuniam, sed gloriam proximi labefactant, et hoc injustitia est. Nam « Melius est nomen bonum, quam » divitiæ multæ. » Quidam vero dicunt hoc de dogmatibus a Paulo intelligi : cæterum nihil vetat de utroque dictum fuisse. Quid autem sit, veritatem in injustitia detinent, ex sequentibus disce. « Quia quod notum est Dei, manifestum » est in illis, Deus enim illis manifestavit [1]. » Sed hanc gloriam lignis attribuerunt et lapidibus.

II. Quemadmodum igitur is, cui regiæ pecuniæ creditæ sunt, jussus illas in regis gloriam impendere, si in fures, in scorta et in præstigiatores illas impenderit, exque regiis opibus splendidos illos reddiderit, tanquam qui maxime regem offenderit, pœnas dat ; ita et hi cum notitiam Dei et gloriæ ejus accepissent, deindeque idolis illam attribuissent, veritatem in injustitia detinuerunt, et, quantum in ipsis erat, cognitionem injuria affecerunt, non ut par erat

[1] Rom. I, 19.

illa utentes. An vobis clarum est id quod dictum fuit, an clarius denuo explicandum est ? Forte necessarium fuerit ultra progredi. Quid ergo est illud quod dicitur? Cognitionem sui Deus hominibus a principio indidit; sed illam cognitionem gentiles lignis et lapidibus attribuentes, veritatem quantum in ipsis fuit injuria affecerunt. Illa enim immutabilis manet, gloriam suam habens immotam. Et unde notum est; o Paule, quod Deus ipsis cognitionem indiderit? Quia, inquit, quod notum est ejus manifestum est in illis. At hoc sententia est, non demonstratio. Tu vero mihi proba et ostende cognitionem Dei manifestam fuisse illis; sed sponte illos prætermisisse. Unde ergo manifesta erat? Vocem-ne illis emisit? Minime : verum id effecit quod magis illos quam vox quælibet attrahere poterat; creatum orbem in medio posuit; ita ut sapiens, idiota, Scytha, barbarus ex solo visu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset. Ideo ait : « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ » facta sunt intellecta, conspiciuntur[1]. » Quod etiam Propheta dicit : « Cœli enarrant gloriam Dei[2]. » Quid enim dicent in illa die gentiles? Ignoravimus te? Ita-ne cœlum non audistis ex solo aspectu vocem emittens? Rerum omnium harmoniam et concentum, clarius quam tuba clamantem? Noctis et diei leges, immotas perpetuo manentes? Hyemis, et veris et aliarum tempestatum ordinem firmum et immotum? Maris commodum in tot procellis et fluctibus? Omnia in ordine manentia ac per pulchritudinem et magnitudinem Creatorem prædicantia? Hæc quippe omnia, et etiam his plura compendio Paulus dixit : « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ » facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque » ejus potentia et Divinitas, ita ut sint inexcusabiles[3]. »

[1] Rom. I, 19. — [2] Psal. XVIII, 2. — [3] Rom. I, 20.

Etsi non in eum finem fecerit illa Deus, quamvis ita acciderit. Neque enim ut illos excusatione privaret, doctrinam tantum in medium protulit; sed ut ipsum cognoscerent. Ingrati autem cum essent, se ipsi defensione privarunt. Deinde ostendens quomodo defensione careant, ait: «Quia » cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, » aut gratias egerunt[1]. » Unum hoc crimen maximum est; alterum quod idola adoraverint, qua de re accusans illos Jeremias dicebat : « Duo mala fecit populus hic : me de- » reliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas » dissipatas[2]. » Deinde signum affert quod Deum cognoscant, nec cognitione sua ut par esset utantur; quod scilicet Deos cognoverint; quare intulit : « Quia cum cogno- » vissent Deum, non ut Deum glorificaverunt. » Causamque apponit cur in tantam amentiam delapsi sint. Quænam illa est? Ratiociniis suis omnia commiserunt. At non ita dicit; sed longe vehementiori modo. « Evanuerunt enim in » cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eo- » rum. » Sicut enim in nocte illuni, si quis peregrinum iter carpere conetur, vel in mari navigare, non modo non pervenit ad finem, sed cito perit; sic et isti viam ad cœlum ferentem aggressi, sibique lucem adimentes, et illius loco ratiociniorum suorum tenebris sese committentes, in corporeis incorporeum, in figuris figura expertem quærentes, naufragium gravissimum fecerunt. Cum iis autem quæ dicta sunt, aliam erroris illorum causam ponit cum ait : « Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt[3]. » Magnum enim quidpiam de se imaginantes, nec sustinentes hanc, quam jusserat Deus, viam ingredi, in amentiæ cogitationibus demersi sunt. Deinde tempestatem illam describens, quam gravis fuerit, et omni venia indigna, subjunxit; « Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in

[1] Rom. I, 21. — [2] Jerem. II, 13. — [3] Rom. I, 22.

» similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum » et quadrupedum et serpentium [1]. »

III. Prima accusatio quod Deum non invenerint; secunda, quod occasiones magnas et conspicuas habentes; tertia, quod cum se sapientes dicerent; quarta, quod non modo non invenerint, sed etiam cultum illum ad dæmonas, ad lapides et ligna derivarint. Illorum vero fastum deprimit in Epistola ad Corinthios; sed non perinde illic ut hic. Illic enim a cruce plagam ipsis infligit dicens: « Quia quod » stultum est Dei, sapientius est hominibus [2]. » Hic vero sine comparatione sapientiam eorum in se ipsa traducit, ostendens stultitiam esse et arrogantiæ tantum ostentationem. Deinde ut discas illos Dei notitiam habentes, sic illam prodidisse, dicit, « Mutaverunt. » Qui vero mutat, ut aliud habens mutat. Voluerunt enim quid amplius invenire, datis terminis non contenti. Ideoque etiam his exciderunt : novitatem enim desiderabant. Etenim hujusmodi omnia Græcorum fuere. Ideoque sibi mutuo adversati sunt, Aristoteles insurrexit contra Platonem : Stoïci in hunc infremuere, et alter alteri hostis fuit. Itaque non ita admirandi sunt ob sapientiam, ut aversandi et odio habendi, quia ob hoc ipsum stulti facti sunt. Nisi enim ratiociniis et syllogismis atque sophismatibus sua commisissent, non in talia incidissent. Deinde criminationem augens illorum, idololatriam totam traducit. Certe vel quod mutaverint, ridiculum est : quod autem in talia mutaverint, omni excusatione caret. In quænam ergo mutaverint, et qua in re gloriam posuerint perpinde. Cogitandum de illo erat, quod esset Deus; quod omnium Dominus; quod eos, qui non erant, fecerit; quod provideat et curam gerat. Hæc gloria Dei sunt. Quibusnam ipsi illam attribuerunt? Non hominibus, sed similitudini imaginis corruptibilis hominis. Ne-

[1] Rom. I, 23. — [2] 1 Cor. I, 25.

que hic steterunt : sed et ad bruta animalia delapsi sunt ; imo et ad illorum imagines. Tu vero mihi Pauli sapientiam perpendas velim : quomodo duo extrema posuerit ; Deum supremum omnium, et reptilia, infima ; imo non reptilia, sed reptilium similitudines, ut apertam illorum insaniam clare ostenderet. Cognitionem enim illam, quam habere oportebat circa eum qui sine comparatione omnium excellentissimus est, hanc omnium haud dubie vilissimo applicuerunt. Et quid hæc, inquies, ad philosophos? Ad hos maxime omnia supra dicta spectant. Nam hi Ægyptios horum inventores magistros habent. Et Plato, qui cæteris præstantior esse videtur, de hisce gloriatur. Ejusque doctor idolis istis addictus fuit : qui gallum jubet Æsculapio sacrificari (2). Hic videas brutorum et reptilium imagines, et cum his Apollinem et Bacchum pari cultu dignatos. Quidam vero philosophi in cœlum invexere tauros, scorpios, dracones et hujusmodi quisquilias. Ubique enim diabolus curavit ad reptilium similitudinem homines demittere, et irrationabilioribus eos subjicere, quos Deus supra ipsum cœlum extollere voluit. Neque hinc tantum, sed et aliunde illorum coriphæum videbis supra dictis obnoxium. Cum enim poëtas in unum colligit, et dicit oportere illis habere fidem in iis quæ de Deo dicunt, utpote qui probe norint nihil aliud quam nugarum congeriem inducit, et res tam ridiculas, veras existimandas esse dicit : « Ideo tradidit illos Deus in desideria cordis sui, in » immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in » semetipsis [1]. » Hinc ostendit impietatem violatarum legum fuisse causam. Illud vero, «tradidit,» hic significat, permisit. Quemadmodum enim dux exercitus si ingravescente pugna discesserit, milites hostibus tradit, non ipse impellens, sed auxilio suo privans; sic Deus eos, qui noluerunt

[1] Rom. I, 24.

sua accipere, sed primi resilierunt, dimisit, postquam sua omnia impleverat. Perpende autem, pro doctrina mundum in medio posuit; mentem et cogitationem dedit, quæ posset id quod conveniens erat intelligere. Nullo horum homines qui tunc erant usi sunt ad salutem; sed in contrarium quod acceperant inverterunt. Quid igitur facere oportebat? Vi et necesitate trahere? At non est hoc facere virtute præditos. Reliquum erat ut desereret, quod et fecit; ut vel sic illa quæ concupierant experti, turpitudinem fugerent. Nam si quis regis filius, contempto patre, cum prædonibus, sicariis et sepulcrorum effossoribus se conferat, et illorum consortium paternæ domui præferat, relinquit eum pater, ut stultitiæ suæ magnitudinem experientia ediscat.

IV. Cur autem nullum aliud memoravit peccatum, ut cædem, avaritiam et alia similia; sed intemperantiam. Auditores tantum, et eos qui Epistolam accepturi erant, indicare mihi videtur. « In immunditiam, ut corpora sua » contumelia afficiant in semetipsis. » Vide emphasim maxime perstringentem. Non aliis egebant, inquit, quibus contumelia afficerentur; sed quæ inimici intulissent, eadem contra se patrabant. Deinde causam resumens ait: « Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: ac » cultum præstiterunt et servierunt creaturæ potius quam » creatori [1]. » Quæ admodum ridicula erant in specie ponit; quæ vero graviora erant, generaliter: ac per hæc omnia ostendit creaturæ cultum ad gentiles pertinere. Et vide quomodo sermonem explicaverit: non enim simpliciter dixit: « Coluerunt creaturam, » sed addidit: « Potius » quam Creatorem. » Ubique hac ratione crimen attollens, et hoc additamento illos venia privans. « Qui est bene- » dictus in sæcula. Amen [2]. » Verum hoc nihil illi nocuit,

[1] Rom. I, 25. — [2] Ibid.

inquit : est enim ille benedictus in sæcula. Hic ostendit illum non ut se ulcisceretur deseruisse ipsos, quandoquidem nihil passus est. Etiamsi enim illi ipsum contumelia affecerint ; at ille contumeliam non passus est, neque gloria ejus imminuta fuit, sed manet semper benedictus. Nam si plerumque, vir qui philosophatur, nihil patitur ab iis qui contumeliam inferunt, multo minus Deus, immortalis et immutabilis illa natura ; invariabilis et immota gloria. Etenim homines hac in re Deo similes fiunt, cum nihil patiuntur ab iis qui molestiam inferre volunt, nec contumeliam accipiunt, percussi non percutiuntur, aliis irridentibus non vere irridentur. Et quomodo, inquies, hoc fieri possit ? Potest, utique potest ; si non doleas de iis quæ accidunt. Et quomodo, inquies, possum non dolere ? At quomodo potes dolere ? Dic enim mihi : Si puerulus tuus te contumelia afficeret, an illud pro contumelia haberes ? An doleres ? Minime. Si doleres, annon ridiculus esses ? Sic erga proximum affecti simus, et nihil ingrati patiemur. Ex pueris enim qui contumeliam inferunt, insipientiores sunt. Ne quæramus contumeliis non affici, et iis affecti, fortiter feramus. Hic est enim verus honor : quare ? quia tu hujus honoris dominus es, illius vero alius. Annon vides adamantem cum percutitur repercutientem ? Sed hæc est, inquies, ejus natura. At potes tu ex proposito voluntatis talis effici, qualis ille ex natura est : Quid autem ? Annon vidisti pueros in fornace non adustos ; Danielem in lacu nihil mali patientem ? Idipsum jam fieri potest. Adsunt etiam nobis leones, ira, concupiscentia, acerrimis dentibus instructi, qui obvia discerpunt. Esto igitur similis Danieli, et ne sinas passiones dentes infigere in animam tuam. At ille, inquies, gratiam totam habuit secum operantem. Bene, quia hanc ducebat propositum voluntatis. Itaque si velimus nos tales comparare, adest et nunc gratia. Etiamsi feræ esuriant, non

latus tuum tangent. Nam si servile corpus videntes reve ritæ sunt ; cum membra Christi videbunt, hoc enim nos fideles sumus, quomodo non quiescent ? Si vero non quiescant, id ex culpa eorum qui injecti fuerint eveniet. Etenim multi sunt qui leonibus hisce sumptum suppeditant, meretrices nutrientes, nuptias violantes, vindictam in inimicos exercentes. Ideoque prius quam ad solum perveniant, dilacerantur. At non id Danieli contigit, at nec nobis continget si velimus, imo et quid melius quam tunc accidet. Illic enim leones non nocuerunt ; nobis autem, si vigilemus, utiles erunt ii qui injuriam inferunt. Ita et Paulus splendidus evasit ab iis qui ipsi molestias et insidias inferebant ; sic Job a multis plagis ; sic Jeremias a lacu luti ; sic Noë a diluvio ; sic Abel ab insidiis ; sic Moyses a sanguinariis Judæis ; sic Elisæus, sic magnorum illorum singuli, non a quiete et voluptate, sed ab ærumnis et tentationibus, splendide coronati sunt. Ideo Christus hanc cum nosset rei eximiæ gerendæ rationem Discipulis dicebat : « In » mundo tribulationem habebitis ; sed confidite, ego vici » mundum [1]. » Quid ergo, inquies, annon multis ab ærumnis subversi sunt ? Non ob tentationum naturam, sed ob suam ignaviam. Qui autem facit cum tentatione proventum, ita ut possimus sustinere, ipse adsit omnibus nobis, et manum porrigat, ut splendide celebrati, æternas consequamur coronas, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. XVI, 33.

HOMILIA IV.

CAPUT I.

Ideo tradidit illos Deus in passiones ignominiæ : nam fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum in eum qui est contra naturam. Similiter et masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem[1].

I. Passiones omnes ignominiosæ sunt [1], maxime vero insania erga masculos : etenim anima plus patitur et rubore suffunditur in peccatis, quam corpus in infirmitatibus. Perpende autem quomodo hic illis veniam deneget, perinde atque in dogmatibus ; de mulieribus quidem dicens : « Mutaverunt naturalem usum. » Non enim dicere possunt, inquit, se prohibitas ab eo, qui secundum legem est, coïtu, ad hoc processisse ; neque se cum non possent concupiscentiam suam implere, ad hanc alienam rabiem impegisse : nam mutatio eorum est, qui jam tenent : quod etiam de dogmatibus loquens dicebat : « Mutaverunt veri» tatem Dei in mendacium. » De masculis quoque idipsum alio modo significavit dicens : « Relicto naturali usu fœ» minæ ; » pari modo his et illis nullum relinquit sese purgandi modum : accusans illos, non modo quod suum habentes fruendi modum, illo relicto ad alium venissent ; sed etiam quod spreto illo qui secundum naturam erat, ad alium contra naturam confugerent. Difficiliora autem et ingratiora sunt illa contra naturam ; ita ut non possint voluptatem prætendere. Genuina quippe voluptas, secun-

[1] Rom. I, 26, 27. — [a] Vide D. Guillon, tom. XI, 108, 109.

dum naturam est; sed cum Deus derelinquit, omnia susdeque vertuntur. Ideo non dogma tantum ipsorum satanicum erat; sed etiam vita diabolica. Cum igitur de dogmatibus dissereret, mundum et humanam mentem in medium attulit, dicens ex prudentia a Deo sibi data, potuisse homines per visibilia ad Creatorem duci : deindeque nolentes, venia indignos mansisse. Hic autem mundi loco voluptatem, quæ secundum naturam est, posuit, qua poterant cum libertate ac majori lætitia frui, atque a turpitudine liberari; sed noluerunt; unde ab omni venia exclusi sunt, ipsam naturam dehonestantes : quodque turpius est, cum mulieres eos appeterent coïtus, quos cum majori pudore adire par erat, quam si cum viris coïssent. Hic vero admiratione digna est Pauli prudentia : quo pacto cum in res duas contrarias incideret, utramque cum omni accuratione perfecerit. Volebat enim et caste loqui, et mordere auditorem : hæc autem ambo facere non licebat; sed alterum alteri officiebat. Si enim caste loquaris, non poteris perstringere auditorem; sin velis vehementer incessere, rem quam dicis nude et clare proferre cogeris. Verum prudens illa et sancta anima, utrumque potuit cum accuratione facere, in naturæ nomine et accusationem augens, et quasi involucro quodam illo utens, ut castus esset loquendi modus. Deinde postquam mulieres primum perstrinxerat, ad viros procedit dicens : « Similiter et masculi, relicto naturali » usu fœminæ : » quod extremæ pernicici exemplum est, cum uterque sexus corruptus est : et cum vir qui mulieris magister est constitutus, et fœmina, quæ adjutrix viri esse jussa est, quæ inimicorum sunt utrinque mutuo agunt. Perpende autem cum quanta emphasi verba adhibent. Non enim dixit ipsos se mutuo amasse et concupivisse; sed « Exarserunt in desideriis suis in invicem. » Vides-ne totum fuisse ex nimia concupiscentia, quæ non poterat intra

terminos suos contineri. Quidquid enim excedit leges a Deo positas, aliena concupiscit, nec stat in constitutis terminis. Sicut enim multi sæpe, relicto alimentorum appetitu, terram et lapides parvos comedunt, et alii ardenti correpti siti, lutum plerumque appetunt ; sic et illi in amorem illum iniquum exarserunt. Quod si dixeris : « Et unde illud tantum concupiscentiæ argumentum? » Ex eo quod Deus dereliquerit. Dei autem derelictio unde? Ex iniquitate eorum qui dereliquerunt eum : « Masculi in masculos tur» pitudinem operantes. »

II. Ne quia audisti, « Exarserunt, » putes in concupiscentia tantum sisti morbum. Nam ut plurimum ab eorum ignavia accenditur concupiscentia. Ideoque non dixit : « Pertracti, præoccupati, » ut alibi ait, sed quid? « Operantes. » In opus deduxere peccatum; et non solum in opus, sed etiam cum studio et fervore. Nec dixit, concupiscentiam; sed proprie turpitudinem : nam et naturam deturparunt, et leges conculcavere. Et vide confusionem multam, ex utraque parte ortam. Neque modo enim caput inferne positum est, sed etiam pedes superne, atque inimici, et sui et mutuo facti sunt, gravem quamdam, multiplicem, variam, ac quovis bello civili iniquiorem pugnam inducentes. Etenim in quatuor illam species vanas et iniquas diviserunt : non enim duplex aut triplex, sed etiam quadruplex hoc bellum erat. Perpende autem : oportebat duos, virum et mulierem, unum esse ; nam ait : « Erunt duo in carne » una [1]. » Illud porro efficiebat consortii concupiscentia, et sexus mutuo jungebat. Hac autem sublata diabolus concupiscentia, et in alium modum derivata, sic sexus a mutuo consortio divisit, et id effecit ut quod unum erat duæ essent partes, idque contra Dei legem ; ipse namque dixit : « Erunt duo in carne una ; » ille vero unam in duas divisit :

[1] Gen. II, 24.

Ecce bellum unum. Rursusque has duas partes ut bellum et sibi ipsis et mutuo inferrent effecit. Mulieres enim contumeliam inferebant mulieribus, nec modo viris; viri quoque contra viros insurrexerunt, et contra muliebrem sexum, quasi in quadam nocturna pugna. Vidisti-ne secundum et tertium bellum, imo et quartum et quintum? est enim et aliud: nam cum supradictis, in ipsam quoque naturam inique egerunt. Ubi vidit enim diabolus ipsam concupiscentiam sexus maxime copulare, hoc vinculum discindere nisus est; ita ut non tantum ex defectu seminis genus dissolveretur, sed etiam ex eo quod bellum sibi mutuo inferrent et altercarentur. « Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. » Vide quomodo rursum ad fontem mali veniat, impietatem nempe ex dogmatibus, et hanc mercedem esse dicit iniquitatis illius. Quia enim de gehenna et supplicio loquens, impiis et ita vivere volentibus non videbatur nunc fide dignus esse, imo potius ridiculus, ostendit in ipsa voluptate hoc supplicium esse. Quod si id non sentiant, imo sibi placeant, ne mireris: nam furentes et qui phrenitide capti sunt, se multum lædentes, et miserabilia facientes, dum aliorum lacrymas excitant, rident ac de gestis a se lætantur. Sed non ideo dicimus illos a supplicio exemptos; sed ideo in graviore damno et pœna versari, quia quo in statu sint nesciunt. Non enim ab ægris sed a benevalentibus calculum ferri oportet. Quandoquidem jam ab antiquo, res in legem versa videbatur, et quidam legislator apud illos jusserat ne quis servus apud illos vel unctione sicca uteretur (3), vel pueros amaret; liberis tantum hanc prærogativam, vel potius hanc turpitudinem concedens. Attamen illi non turpitudinem esse putabant; sed rem honestam et majorem quam ferret servorum conditio, liberis illam concesserunt: et hoc sapientissimus Atheniensium populus,

et magnus apud illos Solon. Et alios quoque multos philosophorum libros hoc morbo plenos reperias. Neque tamen ideo rem esse statutam dicimus; sed eos, qui hanc accepere legem, miseros et lacrymis dignos esse multis. Eadem enim hi patiuntur quæ mulieres fornicantes; imo et miserabiliora. Illarum enim coïtus, etsi illegitimus, secundum naturam tamen est : hic vero et illegitimus et contra naturam. Etiamsi enim nec gehenna esset, nec supplicii comminatio, hæc omni supplicio pejus esset. Quod si id ipsis placeat, augmentum supplicii narras mihi. Neque enim si quem viderem nudum currentem toto corpore fœdatum ex luto, nec pudore affectum, sed sibi gratulantem, gratularer et ego ipsi : imo potius illum deplorarem, quod non ipse sentiret se turpiter agere. Ut autem contumeliam evidentiorem reddam, liceat mihi aliud vobis exemplum afferre. Si quis virginem thalamo versantem damnaret ut cum brutis animalibus commisceretur, illa vero in tali coïtu delectaretur; annon ideo lacrymis dignior esset, quod non posset ab hoc morbo liberari, imo nec illum sentire ? id certe nemini non palam est. Si autem grave illud sit, hoc non minus grave. Nam a suis contumelia affici, miserabilius est, quam ab alienis. Hos ego homicidis pejores dico. Melius quippe est mori, quam sic contumelia affectum vivere. Homicida enim animam a corpore separat; hic vero animam cum corpore perdit; et quodcumque dixeris peccatum, non æquale dixeris huic iniquitati : et si ii qui hæc patiuntur rei sensum haberent, millies mori præoptarent, ne hoc paterentur.

III. Nihil est, nihil utique est hac contumelia irrationabilius et gravius. Si enim de fornicatione loquens Paulus dicebat : « Omne peccatum quodcumque fecerit homo,

» extra corpus est, qui vero fornicatur, in proprium corpus » peccat[1]; » quid dixerimus de hac insania, quæ tanto deterior est fornicatione, quanto dici nequit. Neque enim hoc tantum dico, quod factus sis mulier, sed etiam quod cesses esse vir, neque mutatus sis in istam naturam, neque illam serves quam habuisti; sed utriusque communis proditor effectus sis, et dignus qui a viris et mulieribus expellaris et lapideris, utpote qui utrumque sexum injuria affeceris. Et ut ediscas quantum hoc sit: si quis accedens offerret tibi, se ex homine te canem esse facturum, annon illum ut perniciosum effugeres? atqui te non canem ex homine fecisti, sed animal cane longe vilius. Canis quippe utilis est; amasius vero ad nihil utilis. Quid autem, quæso te, si quis comminaretur effecturum se ut viri parerent, annon ira repleremur? At nunc ecce longe graviora faciunt, qui tantopere insaniunt. Non enim par res est in mulierem mutari, et virum manentem mulierem fieri; imo neque hoc neque illud. Quod si aliunde mali tanti magnitudinem scire velis, interroga cur legislatores puniant illos qui eunuchos faciunt; et disces non alia de causa, quam quod naturam excindant et minuant: etsi illi non tantum injuriæ inferant; nam exsecti illi plerumque post excisionem utiles fuerunt. Viro autem in meretricem converso nihil inutilius fuerit. Neque enim anima solum, sed etiam corpus viri talia passi, ignominia plenum est, et dignum quod undique pellatur. Quot gehennæ illis sufficient? Si vero gehennam audiens rides et incredulus es, recordare ignis illius Sodomorum. Vidimus enim, vidimus et in præsenti vita gehennæ imaginem. Quia enim multi iis quæ resurrectionem sequentur fidem habituri non erant, nunc audientes ignem inextinguibilem esse, Deus illos a præsentibus ad sanam mentem reduxit. Talis igitur est Sodomorum ignis et incendium. Et sciunt

[1] 1 Cor. VI, 18.

illi qui eo se contulerunt, et plagam illam divinitus immissam et supernorum fulminum opus viderunt. Cogita quantum sit peccatum, quod vim fecerit, ut ante tempus gehenna appareret. Quia enim multi verba illa despiciebant, gehennæ imaginem novo modo ostendit illis Deus. Etenim stupenda erat pluvia illa, quia coïtus ille præter naturam erat; et inundavit terram, quia illorum etiam animas concupiscentia inundaverat. Ideo consuetudini contraria erat pluvia. Non modo enim terræ viscera non excitavit ad fructus proferendos, sed illam ad seminum susceptionem ineptam reddidit. Talis enim erat coïtus virorum in terra Sodomorum, tale corpus inutilius reddens. Quid enim viro meretricem agenti execrabilius et infamius? O furorem! o stuporem! Quomodo hæc concupiscentia grassata est, quæ humanam naturam quasi hostes bello invasit; imo hostibus ipsis tanto molestior, quanto anima melior est corpore? O vos irrationabilibus irrationabiliores, et canibus impudentiores! Nusquam enim apud illos talis coïtus, sed natura suos terminos agnovit; vos vero genus vestrum ignobilius effecistis per injuriam tantam. Unde nam hæc orta sunt mala? A voluptate, ab eo quod Deum non cognoscerctis : cum enim quidam ejus timorem ejecerint, omnia demum bona avolant.

IV. Ne igitur id accidat, timorem Dei assidue præ oculis habeamus. Nihil enim, nihil ita hominem perdit, ut cum a tali excidit ancora, neque ita illum servat, ut si perpetuo illuc respiciatur. Nam si hominem præ oculis habentes, segniores sumus ad peccata admittenda; imo sæpius famulos modestiores reverentes nihil absurdi facimus, cogita quanta fruemur securitate si Deum præ oculis habeamus. Nusquam enim nos diabolus ita affectos invadet, utpote qui inutiliter laboraret. Si vero extravagantes, et sine freno circumeuntes viderit, a nobis arrepto initio

ubique nos deinceps a grege dejicere poterit. Et quod inter servos ignavi in foro patiuntur, qui ministeria necessaria relinquunt, pro quibus ab heris missi fuerant, temere et sine causa iis qui superveniunt hærentes, et otium ibi consumentes; hoc et nobis accidit, cum a præceptis Dei discedimus. Stamus enim deinceps divitias admirationi habentes et pulchritudinem corporis, et cætera quæ nihil ad nos attinent. Quemadmodum illi servi, mendicantibus, qui mirabilia patrant, attendunt; deinde cum tardius redeunt, domi plagis excepti extremas dant pœnas. Multi vero propositam viam prætermittunt, alios qui indigne se agebant sequentes. Sed nos ne hoc faciamus: etenim missi sumus ad multa quæ urgent perficienda. Et si missis illis stemus inutilia illa hianti ore respicientes, omni tempore nobis frustra insumpto, extremas dabimus pœnas. Si enim te exercere velis, habes quæ mirari debeas, et ad quæ inhiare omni tempore possis, quæ non risu, sed admiratione et laudibus multis digna sunt. Contra vero is, qui ridicula admiratur, ipse talis erit, et risum movente deterior. Quod ne tibi accidat, cito resilias. Quid, quæso, stas divitiis inhians? Quid admirabile vides, quod possit oculos tuos detinere? Equos auro ornatos, famulos, alios barbaros, alios eunuchos, splendidas vestes, animam in his emollitam, sublatum supercilium, circumcursationes, tumultus? An hæc admiratione digna? In quo autem differunt hi a mendicis saltantibus et sibilantibus in foro? Nam et hi multa virtutis fame detenti, choream ducunt illa ridiculiorem, acti et circumacti, nunc ad lautas mensas, nunc ad diversorium amasiarum mulierum, nunc ad adulatorum et parasitorum agmina. Si vero aurum gestant, ideo maxime miserabiles sunt, quia illa quæ nihil ad se attinent, magis sibi curæ sunt. Ne mihi vestimenta illorum respicias, sed eorum animam retege, et perpende annon mille sit

vulneribus confossa, et laceris pannis induta, annon sit deserta et sine patrocinio. Quæ utilitas illius externæ insaniæ? Multo melius est pauperem esse et in virtute vitam ducere, quam cum nequitia regem esse. Pauper enim apud se omni secundum animam voluptate fruitur, neque in sensum venit illius externæ paupertatis, ob internas divitias. Rex vero in deliciis vivens in iis, quæ non ipsi congruentia sunt, in iis quæ maxime ad ipsum attinent cruciatur, in anima, in cogitationibus, in conscientia, quæ una secum illo commigrabunt. Hæc igitur cum sciamus, vestimenta quidem aurea deponamus, virtutem assumamus et voluptatem ex illa partam. Sic enim et hic et illic multa fruemur voluptate, et promissa consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAPUT I.

Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Dominus in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt [1].

I. Ut ne videretur illos subindicare [2], postquam diu circa puerorum amorem versatus fuerat, ad alia deinde peccatorum genera transivit. Ideoque ad alias personas totum sermonem transfert. Et ac si semper fideles de peccatis alloqueretur, ut illa fugienda esse commonstret,

[1] Rom. I, 28. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 109-113.

gentes in medium producit dicens : « Non in passione de-» siderii, sicut et reliquæ, gentes, quæ Deum non nove-» runt [1] : » et rursum, « Ne contristemini, sicut et cæteri, » qui spem non habent [2]. » Sic et hoc loco illorum peccata exhibet, illosque ab omni venia deturbat. Non enim per ignorantiam admissa, sed meditata dicit esse facinora. Quapropter non dicit : « Et sicut non cognoverunt ; » sed, « Sicut non probaverunt Deum habere in notitia ; » ex corrupto judicio et ex contentione potius quam ex rapina dicens esse peccatum, et ostendens non ex carne ; ut quidam hæreticorum dicunt, sed ex animo et mente malæ concupiscentiæ peccata proficisci, et hunc esse malorum omnium fontem. Postquam enim mens reproba facta est, auriga corrupto, omnia demum labefactantur et subvertuntur. « Repletos omni iniquitate, nequitia, avaritia, ma-» litia [3]. » Vide, omnia confertim. Nam « Repletos » illos dicit et « Omni ; » et cum malitiam in genere nominasset ; jam partes ejus prosequitur, cum hyperbole dicens : « Ple-» nos invidia, cæde. » Hoc enim ex illo oritur, ut in Abele et in Joseph monstratum est. Deinde cum dixisset : « Con-» tentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo » perosos, contumeliosos [4] ; » etiam ea quæ multis indifferentia esse videntur in criminum ordine ponens, auget rursus accusationem, postquam in arcem malorum ascendit, et dixit « Arrogantes. » Gravius est enim altum sapere post peccatum, quam peccare. Ideo Corinthios incusat his verbis : « Et vos inflati estis [5]. » Nam si qui de recte facto inflatus est, totum perdit, qui cum peccatis inflatur, quo non dignus fuerit supplicio ? Qui enim talis est resipiscere non poterit. Deinde ait : « Inventores malorum. » Significans non sat ipsis fuisse illa quæ jam extabant ; sed et

[1] 1 Thess. IV, 5. — [2] Ibid. 12. — [3] Rom. I, 29. — [4] Ibid. 30. — [5] 1 Cor. V, 2.

alia invenisse : quod meditantium et studentium erat, qui a nullis subriperentur et attraherentur. Cum autem malitiam minutatim dixisset, et ostendisset ipsos in eadem ipsa stetisse natura ; nam ait : « Parentibus non obedientes, » ad pestis tantæ radicem sic demum pergit : « Sine affec- » tione, absque fœdere [1] » dicens illos. Hanc enim et Christus causam esse nequitiæ dicit : « Cum abundaverit ini- » quitas, refrigescet charitas multorum [2]. » Hoc igitur hic dicit Paulus : « Incompositos, sine affectione, absque fœ- » dere, sine misericordia » vocans, ostendensque ipsos hoc naturæ donum prodidisse. Habemus enim naturalem quemdam ad invicem affectum, ut et ipsæ feræ habent. « Nam » omne animal, inquit, sibi simile diligit, et homo proximum » suum [3]. » At illi feris ferociores fuere. Morbum igitur, qui ex pravis dogmatibus orbem invasit, his nobis ostendit, et declaravit utrumque morbum ex ægrorum negligentia prodire. Significat demum ut de dogmatibus jam fecerat, etiam illos venia carere ; ideo ait : « Qui cum jus- » tificationem Dei cognoscerent, quoniam qui talia agunt, » digni sunt morte ; non solum ipsi faciunt, sed etiam fa- » cientibus consentiunt [4]. » Cum duas posuisset antitheses, hic ambas de medio tollit. Quid enim dixeris, inquit, te nescire ea quæ facienda sunt ? Certe si non nosses, tu in causa esses, relicto Deo, qui tibi hæc nota fecerat. Nunc vero multis probamus te illa scire, et sponte peccare. Sed ab affectu traheris ? Cur ergo cooperaris et laudas ? « Non » solum enim illa faciunt, inquit, sed et facientibus con- » sentiunt. » Priore igitur posita, quæ venia indigna est, ut illam de medio tollat ; peccante enim is qui peccatum laudat longe nocentior est ; hoc, inquam, primum posito, hinc vehementius in sequentibus illum arguit et carpit his verbis : « Propterea inexcusabilis es, o homo, quisquis

[1] Rom. I, 31. — [2] Matth. XXIV, 12. — [3] Eccli. XIII, 59. — [4] Rom. I, 32.

» judicas : in quo enim alterum judicas, te ipsum condem-» nas [1]. » Hæc principes respiciens dicit : quia urbi illi tunc temporis imperium in totum orbem traditum fuerat. Sic igitur ordiens ait : « Defensionem tibi aufers, quisquis sis. Dum enim mœchum damnas, et tu ipse mœcharis, etiamsi nullus homo te judicet et damnet, sententiam illam quam in sontem tulisti, in te ipsum tulisti. « Scimus enim quo-» niam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui » talia agunt [2]. » Ne quis enim diceret : « Interim effugi ; » ut terreat, ait non ita se rem habere apud Deum ut apud nos : hic enim alius punitur, alius effugit, qui eadem admiserat. Illic vero non item. Quod ergo justa noverit is qui judicat, dixit ; unde vero noverit, non item ; superfluum enim fuisset. Circa impietatem quidem utrumque demonstrat, et quod ille Deum cognoscens, impie egerit ; et unde noverit, nempe ex rebus creatis. Quia enim non omnibus notum erat, causam etiam dixit : hic vero, quia res in confesso erat, præterit. Cum autem dicit : « Omnis qui judi-» cat, » non principibus loquitur tantum, sed etiam privatis et subditis.

II. Etenim omnes homines, etiamsi thronum non habeant, non carnifices, nec lignum, attamen et ipsi de iis qui peccant judicant in colloquiis et cœtibus, ex conscientiæ nempe calculo : et nemo dicere ausit mœchum non esse dignum punitione. Sed alios, inquit, damnant, non se ipsos. Ideo in illos vehementer insurgit dicens : « Existi-» mas autem hoc, o homo, qui judicas illos qui talia agunt, » et facis ea, quod tu effugies judicium Dei [3] ? » Quia enim ostendit ingens peccatum orbis et a dogmatibus et a facinoribus ; nempe quod sapientes cum essent (id fecissent), quod cum haberent creaturas se manu ducentes ; quod non modo Deum reliquissent, sed etiam elegissent imagines

[1] Rom. II, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

reptilium; quod etiam virtutem spernerent, et quod alliciente natura ad nequitiam se sponte conferrent, quodque contra naturam agerent; ad illud deinde se confert, ut ostendat eos qui talia perpetrant supplicio tradi. Jam memoravit supplicium cum de facinore ageret. Nam mercedem, inquit, erroris sui in se ipsis recipiunt. Verum quia non sentiunt illam, addit et aliam, quam maxime timebant : jamque illam ostenderat. Cum enim dicit judicium Dei secundum veritatem esse, nihil aliud, quam hoc, declarat. Attamen illud hic pluribus probat sic dicens : « Existimas » autem hoc, o homo, qui judicas illos qui talia agunt : et » facis ea, quod tu effugies judicium Dei? « Tuum non effugisti, et judicium Dei effugies? Et quis hoc dixerit? Atqui tu te ipsum judicasti : verum postquam tanta fuit hujus tribunalis auctoritas, nec tu tibi parcere potuisti, quomodo Deus, qui impeccabilis est, summe justus, non multo magis hoc faciet? Sed tu te ipsum damnasti, et Deus te approbabit et laudabit? Ecqua ratione hæc dicantur? Atqui tu longe supplicio et quidem majore dignior illo quem damnasti. Non enimi dipsum est simpliciter peccare, et postquam alium peccantem punivisti, in eadem peccata incidere. Vides-ne quomodo crimen auxerit? Si enim tu, inquit, eum qui minus peccavit plectis, etiamsi te ipsum deturbaturus sis, quomodo Deus te majora peccantem, neque sibi pudorem illaturus, non magis et gravius damnabit te, qui jam a tuis cogitationibus damnatus es? Quod si dixeris : Novi quidem me supplicio dignum esse, sed propter Dei patientiam despicis, et quia non statim pœnas das, confidis. Hinc certe jure timere ac tremere debueris. Non enim ut non pœnas des, sed ut des graviores differtur, si inemendabilis maneas, quod utinam ne tibi contingat; ideo subjungit : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ et longanimitatis » contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam

»te adducat[1] ?» Postquam Dei patientiam laudavit, et ostendit ex ea maximum lucrum attendentibus accedere; hoc autem erat peccantes ad pœnitentiam trahere, timorem auget. Sicut enim iis qui ejus patientia ut par est usi fuerint, causa salutis sic est, contemnentibus majus supplicium affert. Hoc enim est quod circumfertur, Deum benignum et patientem pœnas non repetere. Cum autem hoc dicis, nihil dicis aliud, quam quod supplicium augeatur. Nam benignitatem Deus exhibet, ut a peccatis te eximas, non ut peccata accumules; si non id feceris, terribilior erit ultio. Quamobrem quia patiens est Deus, ideo peccare non oportet, neque beneficium ingrati animi causam efficere. Etsi enim patiens sit, at omnino punit. Undenam hoc liquet? Ex iis quæ sequuntur. Si enim ingens nequitia est, nec pœnas improbi dederunt, procul dubio dabunt. Etenim si hæc non negligunt homines, quomodo negliget Deus? Itaque inde sermonem de judicio induxit. Nam cum ostendat multos esse noxios, nisi pœnitentiam egerint, et non hic puniri, judicium certe futurum, et gravissimum esse statuit; ideo ait: «Secundum autem du»ritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram[2].» Cum enim neque mansuetudine emolliatur, nec timore flectatur, quid illo durius fuerit? Postquam autem Dei benignitatem ostendit, tunc supplicium exhibet; quod nempe sit intolerabile ei, qui neque sic conversus sit. Et vide quam proprie verbis utatur; thesaurizas, inquit, tibi iram, omnino repositam iram ostendens, et non judicem, sed eum qui judicatur, illius causam esse. Tibi ipsi, inquit, thesaurizas, non Deus tibi. Ille enim omnia quæ par erat præstitit, et tibi bonorum malorumque cognitionem impertiit, patientiam suam exhibuit, ad pœnitentiam te vocavit, diem terribilem comminatus est, per omnia te ad

[1] Rom. II, 4. — [2] Ibid. 5.

resipiscentiam alliciens; quod si inflexus maneas; « The- » saurizas tibi iram in die iræ et revelationis et justi judicii » Dei. » Ne putes enim audita ira, passionem esse, addit, « Justi judicii Dei : » ac recte dixit : « Revelationis. » Tunc enim hoc revelat, cum secundum meritum singuli accipiunt. Nam hic sæpe multi præter jus molestiam inferunt et insidias struunt : illic vero non item : « Qui reddet uni- » cuique secundum opera ejus; iis quidem qui secundum » patientiam boni operis[1]. »

III. Postquam se terribilem et severum exhibuit, cum de judicio et de futuro supplicio loqueretur, non se statim ad supplicium, ut expectandum videbatur, conjecit, sed ad rem suaviorem, nempe retributionem bonorum, sermonem convertit hoc pacto : « Iis quidem qui secundum » patientiam boni operis gloriam et honorem, et incorrup- » tionem quærunt, vitam æternam[2]. » Hic eos, qui in tentationibus animo defecerant, erigit, ostenditque non oportere in fide sola fiduciam habere : nam tribunal illud acta examinat. Perpende illum, cum de futuris loquitur, non posse clare bona illa explicare, sed gloriam et honorem dicere. Quia enim bona humana longe superant, nullam habet imaginem quam possit adhibere; sed ab iis quæ apud nos splendidiora videntur, illa utcumque exprimit, a gloria, ab honore, a vita : illa enim inter res humanas expetuntur. Verum cœlestia non hujusmodi sunt; sed his eo sunt præstantiora, quod sint incorruptibilia et immortalia. Vides-ne ut nobis de resurrectione corporum fores aperuerit, cum incorruptionem dicit? Incorruptio enim illa corrupti corporis est. Deinde quia hoc non satis erat, addidit gloriam et honorem. Omnes enim resurgemus incorrupti; sed non omnes ad gloriam; sed alii ad supplicium, alii ad gloriam. « Iis vero qui ex contentione, » inquit. Rursus enim venia

[1] Rom. II, 6. — [2] Ibid. 7.

privat eos qui in nequitia vivunt, et ostendit eos ex contentione quadam et ignavia ad nequitiam decidisse. « Et »non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati[1]. » Ecce aliam rursus accusationem. Quam enim excusationem habuerit is qui lucem fugit et tenebras deligit? Neque dicit vi impulsos, vel tyrannide, sed obtemperantes iniquitati; ut ediscas voluntatis esse lapsum, non necessitatis crimen. « Tribulatio et angustia super omnem animam ho»minis operantis malum[2]. » Id est, licet opulentus quis fuerit, licet consul, licet rex, neminem reveretur judicii ratio : non hic locum habent dignitates. Cum ergo morbi vehementiam exhibuisset, et causam addidisset, nempe ægrotantium ignaviam; et finem quoque, quod scilicet pernicies illos exceptura sit, necnon emendationis facilitatem; Judæum rursus in supplicio aggravat. « Judæo pri»mum et Græco. » Nam qui majore imbutus fuit doctrina, majori supplicio dignus fuerit, si inique agat. Itaque quanto prudentiores potentioresque sumus, tanto magis punimur si peccemus. Etenim si dives es, plures a te exigentur pecuniæ, quam a paupere; si prudentior, major obedientia; si potentia valeas, illustriora opera. In aliisque omnibus pari ratione pro virili et pro modulo conferes. « Gloria, »honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et »Græco[3]. » Quem Judæum hic memorat; et de quibus Græcis loquitur? De iis qui ante Christi adventum fuere: nondum enim ad gratiæ tempus pervenit sermo, sed de superiori tempore loquitur, jam prius de medio tollens differentiam Græcum inter seu gentilem et Judæum; ut cum in gratiæ tempore id faceret, non res nova aut onerosa videretur. Si enim in prisco illo tempore, cum nondum tanta gratia effulserat; cum res Judæorum honorandæ, illustres et celebres apud omnes habebantur, nullum erat

[1] Rom. II, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10.

discrimen; quam demum rationem afferre poterant post tantam gratiæ exhibitionem? Ideoque magno cum studio id probat. Etenim auditor edoctus id jam priscis temporibus valuisse, multo magis post acceptam fidem id admissurus erat. Græcos autem seu gentiles hic vocat, non idololatras, sed eos qui Deum colebant, qui naturali legi parebant, qui præter judaïcas observationes, omnia, quæ ad piam religionem spectarent, observabant : quales erant Melchisedech et Job; quales erant Ninivitæ, qualis Cornelius. Jam itaque distinctionem inter circumcisionem et præputium suffodere incipit, et procul illam differentiam aggreditur; ita ut et sine ulla suspicione id faciat, et ex alia necessitate in eam rem se conjiciat, quod apostolicæ prudentiæ semper proprium fuit. Nam si id gratiæ temporibus ita se habuisse docuisset, multa suspicione plenus sermo habitus fuisset. Quod autem de malitia et perversitate loquens, quæ tunc mundum occupabat, ex quadam serie in hunc sermonem incidisset, non suspectam doctrinam reddebat.

IV. Quod autem illud in scopo habeat Paulus, et sic ideo rem composuerit, hinc palam est. Nisi enim id probare studuisset, postquam dixerat: « Secundum duritiam » tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, » id satis fuisset, et, re perfecta, claudendum erat hoc argumentum. Verum quia non illi in proposito erat de futuro judicio tantum agere : sed ostendere volebat nihil plus habere Judæum, quam Græcum hujusmodi, ne Judæus altum saperet, ultra progreditur, et ordine utitur. Perpende autem : auditorem terruit; tremendam illam diem quasi intonuit : dixit quantum esset malum in nequitia vivere, ostendit neminem ex ignorantia peccare, neque impune; sed etiamsi nunc pœnas non det, daturum omnino esse. Hinc demum probare vult legis doctrinam non esse rem

admodum urgentem : nam in operibus sita est pœna, situm præmium, non in circumcisione et præputio. Postquam igitur dixerat Græcum omnino pœnam esse subiturum, idque in confesso fuit, et inde probavit etiam honorandum esse, superfluam deinde ostendit legem et circumcisionem. Nam hic Judæos maxime impugnat. Quia enim illi contentiosiores erant; primo præ fastu non dignantes se cum gentilibus annumerare; secundo irridentes eos qui dicerent fidem peccata omnia delere; ideo prius Græcos incusavit, de quibus agebatur, ut sine suspicione et cum fiducia Judæos adoriretur. Deinde cum ad supplicii examen venit, ostendit Judæum non modo nihil utilitatis a lege accipere, sed etiam aggravari, et hoc jam superius probare incœpit. Si namque Græcus ideo inexcusabilis est, quia et natura et cogitationibus ipsum inducentibus, melior non evasit; multo magis Judæus qui cum his doctrinam quoque a lege accepit. Cum persuasisset ergo illi, ut in aliorum peccatis hoc ratiocinium admitteret, vel invitum cogit illum deinceps ut in iis, quæ ad ipsum spectarent, idem faceret. Et ut facilius sermo accipiatur, ad mitiora illum ducit his verbis : « Gloria, honor et pax » omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. » Hic enim quantacumque quis habeat bona, cum perturbatione magna habet; licet dives sit, licet potens, licet rex; etsi non cum alio, secum saltem sæpe dissidet, et multum vel in cogitationibus habet bellum. Illic autem nihil simile; sed omnia tranquilla, et a perturbatione libera, cum vera adjuncta pace. Cum ex supra dictis ergo probasset etiam eos, qui legem non habent, eadem ipsa bona assecuturos esse, ratiocinando pergit. « Non enim est personarum ac- » ceptio apud Deum[1]. » Cum enim dicit et Judæum et Græcum peccantes puniri, non habet ratiocinio opus;

[1] Rom. II, 11.

cum vero statuere vult honorari Græcum, tunc probatione opus habet. Nam mirum et stupendum videbatur esse, si is qui nec legem nec Prophetas audierat, bona operans honoraretur. Ideo, ut jam dixi, in temporibus gratiam præcedentibus illorum auditum exercet, ut facilius deinceps cum fide, illorum in his consensum induceret. Hic enim suspectus minime est, utpote qui non intentum suum probet. Cum dixisset ergo, « Gloria, honor » et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco; » pergit, « Non est enim personarum acceptio apud Deum. » Papæ! quanta cum exuberantia vicit! ostendit enim, re in absurditatem adducta, non secundum Deum fore si res ita non esset; nam id personarum acceptio esset: quod in Deum cadere non potest. Neque dixit: « Nisi res ita se habeat, personarum acceptor est Deus; » sed dignius loquens, « Non est personarum acceptio apud Deum; » id est, non personarum qualitatem, sed rerum differentiam examinat: hinc vero declarat non re, sed persona Judæum a Græco differre. His consequens erat dicere: « Non » enim, » quia ille quidem Judæus, hic Græcus; ideo ille quidem honoratur, hic vero contumelia afficitur: sed ex operibus utrumque fit. Verum non ita dixit; Judæi enim animum concitasset; sed quid amplius addidit, illorum fastum dejiciens ac comprimens, ut illud admitterent. Quid illud est? Id quod sequitur. « Quicumque enim, inquit, » sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, et quicumque » in lege peccaverunt, per legem judicabuntur[1]. » Hic, ut jam dixi, non modo æqualitatem inter Judæum et Græcum indicat, sed etiam Judæum a lege valde gravatum esse demonstrat. Græcus enim sine lege judicatur. Hic autem « Sine lege, » non gravius, sed minus quidpiam indicat; id est, non habet accusantem se legem. Illud enim,

[1] Rom. II, 12.

« Sine lege ; » id est, sine damnatione ex lege facta, et ex naturalibus solum ratiociniis condemnatur ; Judæus vero ex lege ; id est, lege cum natura incusante : quanto enim majore cura dignatus est, tanto majores dabit pœnas.

V. Vides-ne quanto majorem Judæis necessitatem intulerit, ut ad gratiam accurreret? Quia enim dicebant se non egere gratia, per legem solam justificatos ; ostendit ipsos magis quam Græcos illa egere, siquidem magis puniendi sunt. Deinde aliud inducit ratiocinium, quo jam dicta propugnet. « Non enim auditores legis justi sunt apud » Deum [1]. » Recte addidit, apud Deum : nam apud homines fortasse possunt honorandi videri, et sese magnopere jactitare ; apud Deum vero contra omnino, « Factores legis » tantum justificantur. » Vides cum quanta rationum vi sermonem in contrarium vertat? Si enim per legem, inquit, servari rogas, te hac in re præcedet gentilis, qui ea quæ scripta sunt executus videtur. Et quî fieri potuit, inquies, ut qui auditor non fuerit, factor fuerit? Potest, inquit, fieri, non hoc tantum, sed et aliud longe majus. Non solum enim sine auditione potest esse « Factor ; » sed etiam post auditionem potest non factor esse ; id quod postea clarius exprimit cum majore vi verborum : « Qui doces » alium, te ipsum non doces [2] ? » Hic autem interim primum illud probat. « Cum enim gentes, inquit, quæ legem non » habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt ; hi legem non » habentes sibi ipsis sunt lex [3]. » Non ejicio legem, inquit, sed hinc gentes justifico. Vides-ne quomodo judaïsmi gloriam suffodiens, nullam sui accusandi ansam præbet, quasi legem dehonestet, imo contra, quasi exaltans et magnam ostendens illam, sic totum probat? Cum autem dicit ; « Na- » turaliter, » secundum naturalia ratiocinia intelligit : et ostendit alios esse meliores ; et, quod majus est, ea de

[1] Rom. II, 13. — [2] Ibid. 21. — [3] Ibid. 14.

causa meliores, quod non acceperint legem, nec habeant illam, qua videntur Judæi præstare. Ideo enim, ait, mirabiles sunt, quia lege non opus habuere, et quæ legis sunt omnia exhibuere : opera, non litteras, animis suis inculpantes. Hoc enim ait : « Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis : testimonium reddente illis conscientia : et cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. In die quo judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum [1]. » Vides-ne quomodo repræsentet illum diem et prope adducat, illorum mentem exagitans, et ostendens illos potius honorandos esse, qui sine lege quæ legis erant perficere conati sunt? Quod autem maxime admirandum est in apostolica illa prudentia, id nunc merito dicatur. Cum enim probatione allata demonstrasset majorem esse Græcum Judæo, in collectione et conclusione rationum hoc non ponit, ut ne Judæum exasperet. Ut autem id quod dixi clarius reddam, ipsa verba referam apostolica. Quia enim dixit : « Non enim auditores legis, sed factores legis justificabuntur; » consequens erat ut diceret : « Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hinc meliores sunt illis qui a lege docentur. » Verum non hoc dicit, sed in gentilium laude consistit, neque interim sermonem per comparationem prosequitur, ut et sic Judæus quod dicitur admittat. Ideo non sic locutus est, ut dixi; sed quomodo? « Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; hæ legem non habentes, sibi ipsis sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia. » Sufficit enim pro lege conscientia et cogitatio. His ostendit rursum Deum fecisse hominem ad virtutem eligendam et vitium fugiendum sibi

[1] Rom. II, 15, 16.

sufficientem. Et ne mireris si aut bis, aut ter aut pluries id probet. Admodum enim ipsi hoc caput necessarium erat propter eos qui dicebant : « Cur nunc Christus advenit? Et ubinam priscis temporibus tanta illa providentia erat? » Adversus hos nunc cum carptim pugnasset, ostendit etiam quod priscis temporibus, et antequam lex daretur, hominum natura omnimoda providentia gaudebat. « Nam quod » notum est Dei, manifestum erat in illis; » sciebantque quid bonum, quid malum esset, per quæ de aliis judicabant. Id illis exprobrans dicebat : « In quo judicas alium, » te ipsum condemnas. » Quantum ad Judæos, cum iis quæ supra dicta sunt, lex aderat, nec solum ratiocinatio, vel conscientia. Cur autem hoc affert, « Accusantibus vel » etiam excusantibus? » Si enim legem habent scriptam, et opus exhibent, quid est quod accusare possit ratiocinium? At non de illis tantum dicitur illud, « Accusantibus, » sed etiam de tota natura. Tunc enim adsunt ratiocinia; alia accusant, alia defendunt : atque in illo tribunali non habet opus homo alio accusatore. Deinde timorem augens, non dixit peccata hominum, sed « Occulta hominum. » Postquam enim dixit : « Existimas qui judicas eos qui talia fa- » ciunt, et facis ea, quod effugies judicium Dei? » Ut ne talem accipias calculum, qualem ipse fers, sed intelligas sententiam Dei tua longe exactiorem esse, subjunxit, « Occulta hominum, » et adjecit, « Secundum Evange- » lium meum per Jesum Christum. » Homines enim rerum manifestarum tantum judices sedent. Atqui supra de Patre tantum loquebatur : cum autem illos timore emollivisset, de Christo sermonem induxit; neque hunc simpliciter, sed etiam hic cum Patrem memorasset, sic illum induxit, et prædicationis dignitatem per illos attollit. Hæc enim, inquit, prædicatio hæc prænuntiat, quæ antevertens natura exhibuit.

VI. Vidisti-ne quam prudenter ipsos et Evangelio et Christo admovens alligaverit, et ostenderit nostra non esse præsentium limitibus circumscripta, sed ultra procedere? id quod etiam supra probavit dicens: « Thesaurizas tibi iram in » die iræ; » et hic rursum, « Judicabit Deus occulta homi- » num. » Unusquisque igitur in suam conscientiam veniens, et peccata recogitans, rationem accurate ab se repetat, ne tunc cum mundo damnemur. Horrendum quippe est judicium illud, tremendum tribunal, terroris plenæ rationes reddendæ, fluvius ignis manat. « Frater non redimit, redimet » homo [1]? » Recordare eorum quæ in Evangelio dicuntur, Angelorum circumcursantium, clausi thalami, lampadum non extinctarum, potestatum in fornaces trahentium. Et illud tecum reputa, si nostrum cujuspiam occultum facinus aliquod in medium hodie afferretur in Ecclesia tantum, annon mallet interire et terram sibi dehiscere potius, quam tot nequitiæ testes habere? Quid ergo tunc patiemur, cum coram orbe toto omnia afferentur in tanto, tam splendido theatro, et notis et ignotis omnia conspicientibus? At væ mihi, undenam territare vos cogor? ab hominum existimatione, cum a timore Dei oporteret, et ab ejus condemnatione? Quinam, quæso te, erimus, cum vincti, dentibus stridentes, in exteriores tenebras ducemur? Imo quid faciemus, quod omnium terribilissimum est, cum Deo occurremus? Si quis enim sensum et mentem habeat, certe jam gehennam sustinuerit, cum a facie Dei expulsus erit. Quia vero id illi grave non est, ideo ignem comminatus est. Etenim oporteret, non cum punimur, sed cum peccamus, dolere. Audi ergo Paulum dolentem et flentem de peccatis, pro quibus pœnas daturus non erat. « Non » enim sum dignus, inquit, vocari Apostolus, quia perse- » cutus sum Ecclesiam [2]. » Audi etiam et Davidem, a

[1] Psal. XLVIII, 8. — [2] 1 Cor. XV, 9.

supplicio quidem exemptum, sed quia se putabat Deum offendisse, ultionem in se evocantem et dicentem : « Sit ma- » nus tua super me et domum patris mei [1]. » Gravius quippe est offendere Deum, quam puniri. Nunc autem tam misere affecti sumus, ut nisi gehennæ timor adsit, quid boni facere vix eligamus. Quapropter etsi non alia de causa, ideo gehenna digni fuerimus, quod illam magis quam Christum timeamus. Verum non ita beatus Paulus, sed contrario modo. Quia vero nos aliter affecti sumus, ideo ad gehennam damnamur. At si Christum ut par est amaremus, sciremus utique gehenna gravius esse amatum offendere. Quia vero non amamus, supplicii tanti magnitudinem non novimus. Et hac de re maxime doleo et lugeo. Atqui quid non fecit Deus ut diligeretur a nobis ? Quid non molitus est ? quid prætermisit ? Ipsum nihil nos lædentem contumelia affecimus, imo mille beneficiis ab illo acceptis, vocantem et undique attrahentem aversati sumus ; et neque sic ille nos ultus est ; verum accurrit ipse, ac fugientes detinuit ; at nos excussimus, et ad diabolum transfugimus. Neque tamen ille ita destitit ; sed sexcentos misit, qui nos advocarent, Prophetas, Angelos, Patriarchas. Nos autem non modo legationem illam non admisimus, sed venientes contumelia affecimus. Neque tamen ille nos respuit : sed instar vehementissimorum amatorum, qui despiciuntur, circuiens apud omnes conquerebatur, apud cœlum, terram, Jeremiam, Michæam ; non ut oneri esset, sed ut sese purgaret : ac cum Prophetis ipse illos adibat, qui sibi adversabantur, rationes reddere paratus, et rogans ut secum rationes inirentur, et surdos ad colloquium alliciens. « Populе mi, inquit, quid feci tibi ? aut in quo contristavi » te ? responde mihi [2] ? » Post hæc omnia Prophetas occidimus, lapidavimus, innumera alia perpetravimus mala.

[1] 2 Reg. XXIV, 17. — [2] Mich. VI, 3.

Quid ergo horum causa fecit? Non ultra Prophetas, non Angelos, non Patriarchas, sed ipsum Filium misit. Veniens Filius occisus est : neque tamen ille amorem extinxit, sed magis accendit, et post occisum Filium hortando perseverat, precatur, nihilque non agit, ut ad illum convertamur. Clamat vero Paulus dicens : « Pro Christo legatione » fugimur tanquam Deo per nos exhortante : reconciliamini Deo [1]. »

VII. At nihil horum nos reconciliavit. Ille vero neque sic nos dereliquit, sed pergit semper et gehennam comminari, et regnum polliceri, ut nos vel sic attrahat. Nos autem quasi stupidi adhuc manemus. Quid hac feritate deterius? Si enim homo talia fecisset, annon in servitutem ejus sæpe versi essemus? Deum autem id facientem aversamur. O ignaviam! o ingratum animum! qui semper in peccatis et sceleribus vivimus; si vero quandoque tantillum boni faciamus, instar ingratorum servorum, accurate illud examinamus et computamus pro mercede accipienda, si tamen id mercedem mereatur. Atqui major est merces, cum non mercedis causa hoc facis. Nam illa dicere et accurate computare, mercenarii potius est, quam grati famuli. Oportet enim omnia propter Christum facere, non propter mercedem : ideo enim gehennam comminatus est, et regnum promisit, ut a nobis amaretur. Amemus itaque illum ut amare oportet. Hoc magna merces est, hoc regnum et voluptas, hoc deliciæ et gloria, et honor; hoc lux, hoc immensa beatitudo, quam nec oratio declarare, nec mens capere possit. Verum nescio quo pacto in hujusmodi sermonem deductus sim, qui jubeam homines, nec principatum nec gloriam præsentem despicientes, regnum præsens propter Christum despicere ; etiamsi illi magni et generosi viri, ad hanc amoris mensuram pertigerint. Audi

[1] 1 Cor. v, 20.

igitur quomodo Petrus pro illo ardeat, illumque et animæ et vitæ suæ, et omnibus præferat. Et cum illum abnegasset, non propter supplicium lugebat ; sed quia dilectum negaverat, quod omni supplicio acerbius ipsi erat. Hæcque omnia ante Spiritus gratiam exhibuit : sæpeque instabat dicens : « Quo vadis [1] ? » et antea, « Ad quem ibimus [2] ; » ac rursus, « Sequar te quocumque ieris [3]. » Omnia enim ipse illis erat, ac neque cœlum neque regnum cœlorum dilecto præferebant. Tu enim mihi illa omnia es, inquit. Et quid miraris si Petrus ita affectus erat? nam audi quid Propheta dicat : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid » volui super terram [4] ? » Id est, non eorum quæ sursum, nec quæ deorsum sunt aliud volo præter te. Hoc amor est, hoc dilectio. Si ita amemus, nec præsentia, nec futura quidquam esse præ amore illo putabimus, et hinc regnum consequemur, in ejus amore lætantes. Et quomodo, inquies, hoc erit ? Si cogitemus quomodo illum contumelia affecerimus, post innumera collata bona : ipse vero hortando perseveraverit : quoties illum prætereamus ; ipse vero nos non negligat, sed accurrat et alliciat, atque ad se trahat. Si enim hæc et similia cogitaverimus, hunc succendere amorem poterimus. Nam si qui ita amat esset homo vilis, qui vero ita amatur rex esset ; nonne hic amoris magnitudinem reveretur ? Certe maxime. Cum vero contra, ineffabilis illa pulchritudo, et gloria, et divitiæ ejus qui nos amat tales sint, nos vero admodum viles, quomodo non mille suppliciis digni fuerimus ita viles et abjecti, qui a tanto et tam admirando supra modum amamur, et illius amorem sic repudiamus ? Ille nullo nostrorum eget ; nec tamen nos amare desinit ; nos ejus bonis admodum egemus, ac neque sic ejus amorem retinemus ; sed divitias illis præferimus et hominum amicitias, corporis requiem, po-

[1] Joan. XIII, 36. — [2] Id. VI, 69. — [3] Luc. IX, 59. — [4] Psal. LXXII, 25.

tentiam, gloriam ; dum ille nihil nobis anteponit ? Unum quippe Filium habuit unigenitum et genuinum, neque illi pepercit in nostri gratiam : nos autem multa illi præferimus. Annon ergo gehennam et supplicium meremur, etsi illud duplo, triplo, imo sexcenties majus esset ? Quid enim dicere possimus quando Satanæ præcepta Christi legibus præferimus, et saluti nostræ non parcamus, dum nequitiæ opera ei qui omnia pro nobis passus est præferimus. Et qua venia hæc digna fuerint ? qua defensione ? Nulla. Stemus igitur deinceps, non per præcipitia acti ; sed resipiscamus, et hæc omnia nobiscum reputantes, gloriam referamus ei per opera, verbis enim tantum non sufficit ; ut et gloria ab illo manante fruamur, quam utinam nos consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

CAPUT II.

Ecce tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem, et probas utilia, institutus ex lege [1].

I. Postquam [2] dixerat nihil deesse Græco seu gentili ad salutem, dummodo legem servet, et admirandam illam comparationem fecerat, quæ honorabilia apud Judæos erant ponit, ex quibus adversus Græcos efferebantur. Et primo ipsum nomen admodum honorabile erat, ut est nunc

[1] Rom. II, 17, 18. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 113-115.

christianismus : ab appellatione enim multa differentia tunc erat : quare et hinc orditur. Et vide quomodo illud decutiat. Non enim dixit : « Tu Judæus es, » sed, « Cog- » nominaris, et gloriaris in Deo ; » id est, quasi dilectus ab illo, et præ aliis hominibus honoratus. Hic autem mihi videtur illorum arrogantiam et vanam gloriam perstringere ; quod dono illo non ad salutem suam, sed ut in alios insurgant, atque illos despiciant, abusi sint. « Et nosti voluntatem et probas utilia. » Atqui hoc sine opere est vitium ; attamen prærogativa videbatur esse ; ideoque accurate illud apponit. Non enim dixit, « Facis ; » sed, « Nosti et probas, non aggrederis nec agis. Confidis te esse ducem cæcorum [1]. » Rursum hic non dicit illum ducem esse cæcorum ; sed confidis, inquit, te venditas. Multa enim erat Judæorum arrogantia. Ideo eadem fere verba usurpat, quæ illi sese jactitantes : vide namque quid in Evangelio dicant : « In » peccatis natus es totus, et tu doces nos [2] ? » et altum sapiebant adversus omnes : id quod Paulus arguendo perseveravit : hos attollens, illos dejiciens, ut magis illos perstringeret, et graviorem proferret accusationem. Ideo progreditur hoc augens et amplificans diverse narrando. « Confidis enim te esse ducem cæcorum, lumen eorum » qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum » infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in » lege [3]. » Non dixit iterum : « In conscientia, et in operi- » bus, in recte factis ; » sed, « In lege. » Et his dictis, quod circa gentiles fecit hic facit. Sicut enim illic ait : « In quo » enim judicas alium, te ipsum condemnas ; » sic et hoc loco dicit : « Qui ergo doces alium, te ipsum non doces ? » Verum illic rigidius, hic mitius sermonem temperat. Non enim dicit : « Atqui ideo majori es supplicio dignus, quia cum tot tibi sint concredita, nullo eorum ut par est ute-

[1] Rom. II, 19. — [2] Joan. IX, 34. — [3] Rom. II, 20.

ris ; » sed per interrogationem agit, pudorem incutiens sic et dicens : « Qui ergo doces alium, te ipsum non doces. » Perpende autem mihi etiam aliunde Pauli prudentiam : eas enim Judæorum prærogativas ponit, quæ non ex eorum studio, sed ex superno dono erant, ostenditque non modo superfluas esse, ipsis negligentibus, sed etiam supplicii additamentum afferre. Non enim bonum opus eorum est quod Judæi vocentur, neque quod legem acceperint, neque alia quæ numeravit, sed ex superna gratia erant. Ac principio quidem dixit nihil juvare si lex audiatur, nisi opus addatur : « Non enim auditores legis, inquit, justi » sunt apud Deum. » Nunc autem multo magis ostendit, non modo auditionem ; sed etiam quod illa majus est, doctrinam, non posse docenti patrocinari, si non faciat illa quæ docet ; nec modo non patrocinabitur, sed etiam majorem attrahet ultionem. Recte autem illis dictionibus usus est : non enim dixit, « Accepisti legem ; » sed, « Requiescis » in lege. » Neque enim laboravit Judæus circumeundo, ut quæreret ea quæ agenda erant ; sed facile habuit legem, quæ viam ostenderet ad virtutem. Etiamsi enim gentes naturæ ratiocinium habeant, unde illos superant, utpote qui sine auditione omnia faciant ; attamen illic major facilitas erat. Quod si dicas, non solum audio, sed etiam doceo ; illud quoque additamentum supplicii est. Quia ergo hac in re altum sapiebant, hinc maxime illos ridiculos ostendit. Cum vero dicit : « Ducem cæcorum, eruditorem insi- » pientium, magistrum infantium, » illorum fastum exprimit : magnopere enim proselytis abutebantur, et hoc illos nomine vocabant.

II. Ideo Paulus varie illas quæ videbantur esse laudes eorum refert, sciens illas majoris accusationis esse causam. « Habentem formam scientiæ, et veritatis in lege. » Quemadmodum si quis regiam imaginem habens, nihil in illa

depingit ; ii vero, quibus illa concredita non est, sine prototypo accurate illam imitantur ; postquam enarravit prærogativas, quas a Deo habebant, illorum vitia recenset, eadem ipsa in medium afferens, de quibus Prophetæ accusabant : « Qui ergo doces alium, te ipsum non doces ; qui » prædicas non furandum, furaris ; qui dicis non mœchan- » dum, mœcharis ; qui abominaris idola, sacrilegium fa- » cis [1] ? » Etenim valde prohibitum erat, ne quis res idolorum contingeret ob execrationem, et amatæ pecuniæ tyrannis, inquit, hanc conculcare legem vobis persuasit. Deinde quod gravius erat demum intulit dicens : « Qui in » lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhono- » ras [2] ? » Duo crimina posuit, imo potius tria, quod dehonestent, quod per ea quibus honorati sunt : quod se honorantem inhonorent : quod erat animi summe ingrati. Deinde ne videretur ex se accusare, prophetam accusatorem inducit ; nunc quidem paucis et summatim, deinde vero per partes : nunc Esaïam, postea Davidem, quando plures retulit confutationes. Quod enim non ego vobis exprobrans hæc proferam, inquit, audi quid dicat Esaïas : « Nomen Dei » propter vos blasphematur in gentibus [3]. » Ecce aliam duplicem accusationem. Non solum enim ipsi, inquit, contumelia afficiunt, sed et alios ad id apparant. Quæ igitur doctrinæ utilitas, quando vos ipsos non docetis ? verum hoc tantum superius dixit ? hic vero in contrarium vertit ; non solum non vos ipsos, sed nec alios docetis ea quæ agenda sunt : et quod longe gravius est, non solum ea quæ legis sunt non docetis ; sed contraria docetis, blasphemare Deum, quod legi contrarium est. At circumcisio, inquies, magna res est, id fateor ; sed tunc cum circumcisio intus habetur. Et vide prudentiam ; quam opportune ejus mentionem intulerit. Non enim statim ab illa orsus est, quo-

[1] Rom. II, 21, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 24, et Isai. LII, 5.

niam magna erat de illa opinio : sed postquam ostendit illos a majori offendisse, et blasphemiæ in Deum causam esse; tunc demum auditorem habens jam illos damnantem, et illis a primatu exclusis, de circumcisione agit, confidens neminem fore qui illi suffragetur, et ait : « Circum» cisio quidem prodest, si legem observes [1]. » Atqui poterat aliter illam ejicere, dicereque : « Quid enim est circumcisio ? Num opus bonum est ejus qui illam habuerit ? num boni propositi argumentum ? Atqui in ætate fit immatura : et qui in deserto erant, multo tempore manserunt incircumcisi : atque aliunde multisque ex locis videre est illam non fuisse valde necessariam. » Attamen non ideo illam rejicit, sed unde maxime oportebat, ab Abrahamo : nam hinc victoria celebrior est, si inde despicabilis videatur, unde ipsis venerabilis erat : quanquam dicere poterat, Prophetas Judæos vocare incircumcisos; verum non est hoc circumcisionis vitium, sed eorum qui illa male utebantur. Id quod quæritur est ut ostendatur illam in optima vita nihil roboris habere : hoc autem ille deinceps probat. Et hic quidem Patriarcham non adducit, sed alia ex parte prius illam dejiciens, postea illum observat, cum de fide verba facit sic dicens : « Quomodo igitur imputata » est fides Abrahæ ? cum esset in circumcisione ? an cum » esset in præputio ? » Donec enim hæc adversus gentilem et præputiatum decertat, nihil horum vult dicere, ne valde onerosus sit : cum autem circumcisio adversus fidem pugnat, tunc contra illam accingitur. Interim adversus præputium pugna est. Quapropter mitius loquitur, et ait : « Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si » autem prævaricator legis fueris, circumcisio tua in præ» putium versa est. » Duas enim hic ait circumcisiones et duo præputia, ut et duas leges. Est enim lex naturalis,

[1] Rom. II, 25.

et lex scripta; sed est etiam media inter duas, lex per opera. Et vide quomodo has tres leges ostendat, et in medium adducat. « Cum enim gentes quæ legem non » habent, inquit. » Quam, quæso, legem? Scriptam; « Naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt. » Cujus? ejus quæ per opera. « Hi legem non habentes, » Quam? scriptam; « Sibi ipsis sunt lex. » Quomodo? naturali lege usi. « Qui ostendunt opus legis. » Cujus? ejus quæ per opera est. Lex litteris scripta, exterior est; hæc autem interior, quæ per naturam est; alia vero in actibus. Et illam quidem litteræ dictant, aliam natura : tertiam, actus. Hac autem tertia est opus, propter quam aliæ duæ, naturalis et litteralis. Quod si hæc non adsit, illarum nullus usus est; sed nocumentum maximum. Et hoc ostendit de naturali quidem dicens : « In quo enim judicas alium, te » ipsum condemnas; » de Scriptura vero, « Qui prædicas » non furandum, furaris? » Sic et præputia duo : naturale unum; alterum ex opere. Et circumcisio una in carne, altera a voluntate; exempli causa, circumcisus quis est octavo die : hæc est carnalis circumcisio; executus est quis legalia omnia? hæc est spiritualis circumcisio, quam maxime quærit Paulus, imo et ipsa lex.

III. Vide igitur ut verbo illam concedens, re illam sustulerit. Non enim dixit : « Superflua circumcisio, inutilis, infructuosa. » Sed quid? « Circumcisio enim utilis est, si » legem serves. » Admisit interim illam dicens : « Confiteor, et non contradico, bonam esse circumcisionem. » Sed quando? cum legis observationem habet. « Si vero præva- » ricator legis fueris, circumcisio tua præputium facta » est. » Non dixit : « Non ultra prodest, » ne videatur illam contumelia afficere. Sed ubi in illa Judæum denudavit, tunc demum illam impetit; quod non jam est circumcisionis contumelia, sed ejus, qui ob ignaviam illam amisit.

Sicut igitur viros in dignitatibus constitutos, deinde in magnis sceleribus deprehensos, judices, prius ablato dignitatum honore, tunc supplicio tradunt; sic et Paulus fecit. Cum enim dixisset : « Si autem prævaricator legis fueris, » addidit, « Circumcisio tua præputium facta est ; » et cum incircumcisum ostendisset, illum sine metu damnat. « Cum » igitur præputium justificationes legis servat, nonne præ- » putium ejus in circumcisionem convertetur[1]. » Vide quid faciat : non dicit quod præputium circumcisionem vincat; hoc enim valde molestum auditoribus esset; sed quod præputium circumcisio factum sit. Ac deinde quærit quid sit circumcisio, quid præputium, et dicit circumcisionem esse opus bonum, et præputium rem malam. Et cum prius in circumcisionem mutasset præputiatum bonis operibus instructum, et circumcisum corrupte viventem, in præputium impulisset; sic victoriam dat præputiato. Nec dicit tamen præputiato; sed ad ipsam rem transit sic dicens : « Nonne præputium tuum in circumcisionem con- » vertetur? » Non dicit : « Imputabitur, » sed, « Converte- » tur, » quod majorem emphasim habet. Sicut nec superius dixit : « Circumcisio tua præputium reputatur, sed facta est. « Et judicabit quod est ex natura præputium[2]. » Vides-ne illum duo nosse præputia, aliud ex natura, aliud ex voluntate? Hic vero illud quod ex natura est dicit, neque hic gradum sistit, sed addit : « Legem consummans, te, qui » per litteram et circumcisionem transgressor es legis[3] ? » Vide subtilissimam ejus prudentiam. Non dicit præputium quod ex natura est, circumcisionem judicaturum esse; verum ubi victoria erat, eo præputium introducit; ubi vero vincitur, non ultra circumcisionem victam esse dicit, sed circumcisum Judæum, cavens ne auditorem percellat. Nec dixit : « Te, qui legem habes et circumcisionem, » sed

[1] Rom. II, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid.

adhuc mitius, « Qui te per litteram et circumcisionem » transgressor es legis; » hoc est, et circumcisionem ulciscitur tale præputium; nam illa læsa est, et auxiliatur legi; incommodum enim passa est; splendidumque erigit tropæum. Victoria enim tunc splendida est, cum non a Judæo Judæus, sed a præputiato vincitur; ut cum ait : « Viri Ni» nivitæ surgent, et condemnabunt generationem hanc [1]. » Itaque non legem inhonorat; illam enim magnopere veneratur : sed cum, qui legem contumelia afficit. Deinde postquam hæc clare probavit; fidenter definit quid sit Judæus : ostenditque non se Judæum, nec circumcisionem, sed non Judæum et incircumcisum ejicere. Ac videtur quidem illam defendere, ejusque existimationem solvit, a rei eventu calculum ferens. Ostendit enim non modo nullum esse discrimen inter Judæum et præputiatum; sed etiam superiorem esse præputiatum si sibi attendat, eumdemque vere esse Judæum : ideo ait : « Non enim qui in manifesto, » Judæus est, nec quæ in manifesto in carne, est circum» cisio [2]. » Hic illos perstringit, utpote qui ad ostentationem omnia facerent. « Sed qui in abscondito, Judæus est; et » circumcisio cordis in spiritu, non littera [3]. »

IV. His excludit corparolia omnia. Nam circumcisio in manifesto erat, necnon sabbata, sacrificia, purgationes; quæ omnia uno verbo subindicavit : « Non enim qui in ma» nifesto, Judæus est. » Verum quia circumcisionis magna ratio erat, quandoquidem ipsi sabbatum cedebat, jure pluribus circa illam extenditur. Cum dicit autem, in spiritu, viam præparat deinceps ad Ecclesiæ institutum, et fidem inducit. Etenim illa in corde et spiritu laudem a Deo habet. Et cur non ostendit bene agentem gentilem bene agente Judæo non esse inferiorem; sed bene agentem gentilem transgressore Judæo esse meliorem? Ut indubitatam red-

[1] Matth. XII, 41. — [2] Rom. II, 28. — [3] Ibid. 29.

deret victoriam. Hoc enim cum in confesso est; circumcisio carnis necessario excluditur : et ostenditur ubique esse bonavita opus. Cum enim gentilis sine his salvus sit, et Judæus cum his puniatur, cessat judaïsmus. Gentilem vero dicit non idololatram, sed pium et virtute præditum, a legalibus observationibus liberum. « Quid ergo amplius Ju» dæo est[1]. » Quia omnia exclusit, conciones, doctrinam, nomen Judæi, circumcisionem et cætera omnia, cum dixit : « Qui in manifesto, Judæus non est, sed qui in abs» condito; » Videt deinceps objectionem exurgentem, et adversus illam stat. Quænam illa objectio? si hæc nihil juvant, cur vocata gens fuit, cur circumcisio data? Quid ergo facit? et quomodo illam solvit? Ut superiora solvit. Sicut enim illic non illorum laudes prædicavit, sed Dei beneficia, non illorum recte facta; nam quod Judæi vocarentur, quod voluntatem Dei nossent, quod examinarent utilia, non illorum, sed Dei gratiæ opus erat, quod illis exprobrans Propheta dicebat : « Non fecit taliter omni na» tioni et judicia sua non manifestavit eis[2] ; » Et Moyses rursum : « Interrogate, inquit, si fuit secundum verbum hoc, » si audivit gens vocem Dei viventis ex medio ignis, et » vixit[3] ; » hoc ipsum hic quoque facit. Sicut enim cum de circumcisione loqueretur, non dixit : « Hæc circumcisio » sine bona vita nihil prodest, » sed, « Circumcisio cum bona vita prodest, » idipsum significans, sed mitius; ac rursum : « Si autem prævaricator legis fueris, » non addidit : « Nihil proficis tu qui circumcisus es; » sed, « Circumcisio tua » præputium facta est. » Et post illud rursus, « Judicabit, » inquit, præputium non circumcisionem, sed te prævari» catorem legis; » legalibus parcens, et homines feriens ; ita et hic facit. Cum enim hoc objecisset sibi, et dixisset : « Quid amplius habet Judæus? » non dixit : « Nihil, » sed id

[1] Rom. III, 1. — [2] Psal. CXLVII, 20. — [3] Deut. V, 26.

sermone innuit, et per sequentia hoc ipsum sustulit, ostenditque illos ob hujusmodi prærogativam plexos fuisse; et quomodo? ego dicam, ipsa objectione in medium adducta. « Quid enim amplius Judæo est, aut quæ utilitas » circumcisionis? Multum per omnem modum. Primo, » quia concredita sunt illis eloquia Dei[1]. » Vides-ne, ut jam dixi, illum nusquam eorum recte facta, sed Dei beneficia enumerare? Quid sibi vult illud, « Concredita sunt? » Quia illis tradita est lex, quod tanti illos fecerit Deus, ut superna illis oracula concrederet. Et scio quosdam, illud, « Con- » credita sunt, » non de Judæis, sed de Eloquiis dictum putare; hoc est, quia commissa est lex. Sed quod sequitur non permittit ut sic intelligatur. Primo enim, accusans illos hoc dicit, et ostendens illos multa a Deo beneficia accepisse, sed ingratum valde animum exhibuisse. Sequentia quoque illud indicant, nam subjungit, « Quid enim si qui- » dam non crediderunt[2]? » Si non crediderunt, quo pacto, dicunt quidam, ipsis concredita sunt Eloquia? Quid ergo ait? quod Deus ipsis illa crediderit: non quod ipsi verbis crediderint: nam quomodo staret id quod sequitur, « Quid » si quidam non crediderunt? » adjicit enim; « Numquid in- » credulitas eorum iram Dei evacuabit? Absit[3]. » Hoc igitur ipsum quod illis concreditum est, Christi donum prædicat. Tu vero mihi etiam hic Pauli prudentiam perpende. Accusationem enim illorum rursum non a se ipso inducit, sed quasi ex objectione; ac si diceret: At fortasse dices: Ecqua utilitas circumcisionis hujus? neque enim illa ut par erat usi sunt. Concredita illis lex est, et non crediderunt. Atque interim non vehemens accusator est, sed quasi Deum a criminatione vindicans, totam illam in ipsos convertit. Cur accusas, inquit, quod non crediderint? Et quid hoc ad Deum? Num ejus beneficentiam subvertit illorum qui be-

[1] Rom. III, 1, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid.

neficia acceperunt ingratus animus? aut facit ut honor, non sit honor? id enim indicat illud : « Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? Absit. » Ac si quis diceret : Ego illum talem honore affeci. Si vero honorem ille non admisit : hinc accusandus non sum; neque id benignitatem meam lædit, sed illius stupiditatem arguit. Paulus vero non hoc solum dicit, sed longe amplius, quodnon modo criminationem Deo non inferat incredulitas eorum; sed majorem ostendat ejus honorem et benignitatem, cum eum qui se inhonoraturus est honore afficit.

V. Vidisti-ne quomodo illos criminibus obnoxios effecerit ex iis de quibus gloriabantur? Siquidem Deus tantum illis intulit honorem, ut etsi futura prævidens, a benevolentia sua non desisteret. Illi vero se honore afficientem, per ipsum illatum honorem contumelia affecerunt. Deinde quia dixit : « Quid ergo si quidam non crediderunt? » Et omnes non credidisse videntur, ne secundum historiam loquens, vehemens illorum accusator, ut inimicus, esse videatur, modo ratiocinii et syllogismi ponit id quod in rei veritate factum est, his verbis : « Sic autem Deus verax, omnis autem homo mendax, » id est : non dico quod quidam non crediderint, sed si vis, pone omnes fuisse incredulos, quod vix factum fuerat concedens, ut nec molestus nec suspectus esse videretur. Nam sic, inquit, magis justificatur Deus. Quid est, « Justificatur? » Si judicium statuatur et examen eorum quæ ipse Judæis contulit et quæ Judæi ipsi retulerunt, victoria penes Deum erit, et in omnibus justus ille apparebit. Ac cum id clare ostendisset ex iis, quæ prius dicta sunt, tunc Prophetam attulit his suffragantem et dicentem : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris [1]. » Ipse enim omnia sua fecit : illi vero neque sic meliores evasere. Deinde objec-

[1] Psal. L, 6.

tionem aliam hinc exurgentem in medium adducit : et ait : « Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid » dicemus? Numquid iniquus est Deus qui infert iram ? » secundum hominem dico, absit[1]. » Absurdum per absurdum demum solvit. Quia vero hoc obscurum est, necesse est clarius exponere. Hoc est autem id quod dicit : « Ju- » dæos Deus honoravit : illum ipsi contumelia affecerunt. » Hoc illi victoriam parat, et magnam ejus benignitatem demonstrat, quod tales cum essent honoraverit. Igitur quandoquidem, ait, quia nos contumelias et injurias ipsi intulimus, ideo Deus vicit, et justitia ejus splendida fuit, cur, inquit, punior, qui per contumeliam ipsi victoriæ causa fui? Quomodo solvit illud? Alia rursum, ut dixi, absurditate. Si enim tu, inquit, victoriæ causa fuisti, et postea puniris, injustum illud est. Si autem ille non injustus est, et tamen puniris, jam non illi victoriæ causa fuisti. Et vide pietatem apostolicam. Cum enim dixisset : « Num » iniquus est Deus, qui infert iram? » adjecit, « Secundum » hominem loquor. » Ac si quis, ait, secundum humanum ratiocinium dissereret. Justum quippe Dei judicium ea, quæ nobis justa esse videntur, longe superat, et alias quasdam arcanasque rationes habet. Deinde quia illud obscurum erat, secundo idipsum dicit. « Si enim veritas Dei in » meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et » ego tanquam peccator judicor[2]? » Si enim Deus, inquit, benignus, justus et bonus visus est ob idipsum quod tu non obtemperasti, non modo debes non puniri, sed etiam mercede donari. Si autem hoc sit, illud absurdum sequetur, quod a multis circumfertur : « Ex malis nempe bona fieri, et mala causas esse bonorum. » Ex duobus autem alterum necessario consequetur ; aut eum si punit injustum videri ; si vero non punit, ex malis nostris victoriam obtinuisse :

[1] Rom. III, 5, 6. — [2] Ibid. 7.

quod utrumque supra modum absurdum est. Id quod et ipse declarans hujusmodi dogmatum patres induxit Græcos, satis esse putans ad dictorum confutationem, personarum hæc dicentium qualitatem. Tunc enim illi nobis illudentes dicebant: « Faciamus mala ut veniant bona. » Ideoque clare illud posuit ita dicens : « Et non sicut blas» phemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere : Faciamus » mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est[1]. » Quia enim dicebat Paulus : « Ubi abundavit peccatum, su» perabundavit gratia[2], » traducentes illum, et ad alium sensum dicta detorquentes, dicebant oportere malitiam sectari, ut fruamur bonis. Paulus vero non ita loquebatur : illud autem corrigens dicebat : « Quid ergo? perseverabi» mus in peccato, ut gratia abundet? Absit. » Nam de præteritis temporibus dixi : non ut hæc meditemur et exerceamus. Ab hac igitur amovens suspicione, dixit illud impossibile esse. Qui enim, inquit, mortui sumus peccato, quomodo adhuc in eo vivemus?

VI. In gentiles ergo facile invectus est ; illorum quippe vita admodum corrupta erat. Judæorum vero, etsi vita neglecta videretur, at illis tegmina erant magna, lex et circumcisio, et quod Deus cum illis versatus et collocutus esset, quodque omnium essent doctores. Ideo illis hæc velamenta abstulit, et illos magis ea de causa plecti demonstravit, qua in re hic sermonem conclusit. Nam si talibus patratis, inquit, non puniuntur, necesse est ut blasphemum illud dictum circumferatur : « Faciamus mala, ut veniant » bona. » Si autem illud impium est, et si qui illud dicunt pœnas dabunt; id enim declaravit his verbis, « Quorum » damnatio justa est; » palam est illos puniri. Nam si qui hoc dicunt supplicio digni sunt, multo magis qui faciunt. Si autem supplicio digni, utique quod peccaverint. Neque

[1] Rom. III, 8. — [2] Id. V, 20. — [3] Id. VI, 1.

enim homo est qui punit, ut quis de calculi veritate dubitet; sed Deus, qui omnia juste facit. Si vero juste puniuntur, injuste illi supra memorata dicebant, nos traducentes. Omnia enim Deus faciebat et facit ut vitæ institutum nostrum elucescat et undique rectum sit. Ne itaque ignavi simus; ita enim gentiles poterimus ab errore removere. Nam si verbis philosophemur, et operibus turpiter agamus, quibus oculis ipsos respiciemus? Quo ore de dogmatibus disputabimus? Dicet enim singulis nostrûm: « Qui ne minimum quidem opus bonum fecisti, quomodo audes de majori erudire? qui nondum didicisti avaritiam esse malum, quomodo de cœlestibus philosopharis? At malum esse nosti? Ergo majus crimen est, quia gnarus peccas. » Ecquid gentilem dico? Neque enim leges nostræ sinunt nos frui hac dicendi libertate, quando vita nostra corrupta est. Nam ait: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras » justitias meas[1]? » Judæi abducti sunt aliquando captivi, et instantibus rogantibusque Persis, ut illa divina cantica canerent, dicebant: « Quomodo cantabimus canticum Do- » mini in terra aliena[2]? » Quod si in barbarorum terra non licebat eloquia Domini canere, quanto minus licebat animæ barbaræ? Barbara enim est immisericors anima. Si enim captivos et servos hominum in aliena terra lex in silentio sedere jussit; multo magis servos peccati, et in alieno vitæ instituto versantes os claudere par est. Atqui et organa tunc illi habebant. « Nam in salicibus in medio ejus, inquit, » suspendimus organa nostra[3]. » Sed neque ita licebat. Igitur neque nobis, etsi et os habeamus et linguam, quæ sunt organa verbi, licet cum fiducia loqui, quandiu peccato, barbarorum omnium sæviori, servimus. Dic enim mihi, quid gentili dices, dum rapinæ deditus es et avaritiæ? Abscede ab idololatria: Deum agnosce, ne argentum et

[1] Psal. XLIX, 16. — [2] Id. CXXXVI, 16. — [3] Ibid. 5.

aurum quæras? Annon ille ridebit dicetque : « Hæc tibi prius dicito? » Neque enim par res est gentilem esse idololatram, et Christianum idem ipsum scelus admittere. Quomodo enim poterimus alios ab idololatria illa abducere, dum nos ab illa non resilimus? Nos enim nobis propinquiores quam proximo sumus. Si ergo nobis ipsis non persuadeamus, quomodo aliis persuadebimus? Si enim is qui domui suæ non bene præest, neque Ecclesiæ curam habebit; quomodo ille qui nec animæ suæ præest, alios emendare poterit? Ne mihi dixeris te non aureum idolum adorare. Sed hoc mihi probato, te non illa facere quæ aurum jubet. Nam diversi sunt idololatriæ modi : et alius quidem putat mammonam esse dominum; alius ventrem esse deum; alius aliam cupiditatem gravissimam. Sed non immolas ipsis boves ut gentiles? verum, quod longe deterius est, tuam mactas animam. Sed non flectis genua, nec adoras? verum cum majori obsequentia omnia facis, quæ venter et aurum et concupiscentiæ tyrannis imperant. Etenim Græci ideo abominandi sunt, quia animi morbos deos fecerunt; cupiditatem, Venerem; iram, Martem; ebrietatem Bacchum appellantes. Quod si tu non idola sculpis ut illi; at cum studio multo iisdem ipsis te subjicis animi morbis, membra Christi membra meretricis faciens, et in alias te immergens iniquitates. Ideo quæso ut tantæ absurditatis excessum cogitantes, fugiamus idololatriam; ita enim Paulus vocat avaritiam. Fugienda autem est non modo ea avaritia, quæ circa pecunias versatur; sed etiam ea quæ in concupiscentia mala, quæ in vestibus, quæ in mensa, quæ in aliis omnibus. Nam multo graviores dabimus pœnas nos, si non parcamus Christi legibus. « Servus enim, » inquit, qui scit voluntatem domini sui, et non facit, va» pulabit multis[1]. » Ut ergo pœnam illam effugiamus, et

[1] Luc. XII, 47.

aliis et nobis utiles simus, nequitiam omnem ab anima ejicientes, virtutem deligamus. Ita enim et futura consequemur bona, quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

CAPUT III.

Quid ergo? Præcellimus nos? Nullo modo. Causis enim ante allatis probavimus Judæos et gentiles omnes sub peccato esse; sicut scriptum est: Non est justus, neque unus: non est qui intelligat, aut requirat Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose egerunt; venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio et infelicitas in viis eorum; et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum[1].

I. Accusavit gentiles, accusavit Judæos, consequens erat ut deinceps loqueretur de justitia, quæ est per fidem. Si enim lex naturalis nihil juvit, nec quid amplius fecit lex scripta; sed utraque iis, qui illis non ut par erat usi sunt, oneri fuit, et majori dignos supplicio illos ostendit; necessaria demum est salus illa, quæ per gratiam paritur. Dic

[1] Rom. III, 9-18.

igitur illam, Paule, et ostendito. Sed nondum audet, Judæorum petulantiam suspectam habens. Verum ad illos accusandos rursus sermonem convertit: et primo Davidem hæc multis dicentem accusatorem inducit, quæ omnia paucis tetigit Esaïas, validum ipsis frenum apparans, ut ne resiliant, neve a sermonibus de fide quidam auditores abscedant, jam prius a Prophetarum accusationibus præpediti. Etenim tria summe gravia ponit Propheta; quod omnes mala perpetrarent dicens; et quod non admiscerent mala bonis, sed nequitiam solum exercerent, quodque illam cum grandi conatu. Deinde ne dicerent: Quid ergo si adversus alios hæc dicta sunt? subjunxit. « Scimus autem » quod quæcumque lex dicit, iis qui in lege sunt dicit[1]. » Idcirco post Esaïam, qui, ut in confesso erat, illos respiciebat, Davidem induxit, ut ostenderet hæc quoque illis annecti debere. Quæ enim necessitas, inquit, alios incusare eum Prophetam qui ad vestram emendationem missus erat? Neque enim lex aliis data fuerat, quam vobis. Cur autem non dixit: « Scimus quod quæcumque Propheta dicit; » sed, « Quæcumque lex loquitur? » Quia Vetus omne Testamentum legem vocare solet Paulus. Nam alibi dicit: « Legem » non auditis, quia Abraham duos filios habuit[2]? » et hic quoque Psalmos legem vocavit dicens: « Scimus quod quæ- » cumque lex dicit, iis qui in lege sunt dicit. » Deinde ostendit non accusandi tantum causa hæc dici, sed etiam ut fidei lex viam pararet. Tantus Veteris cum Novo Testamento consensus erat; quod accusationes et redargutiones ideo haud dubie fierent, ut apud auditores splendida ad fidem janua aperiretur. Quia enim hoc maxime Judæos perdidit, quod altum de se saperent, quod utique progressus ille dixit, quod nempe ignorantes Dei justitiam, et suam statuere justitiam quærentes, justitiæ Dei non se sub-

[1] Rom. III, 19. — [2] Galat. IV, 24.

miserint; ipsos antevertens lex et Propheta, ipsorum fastum depressit, atque tumorem, ut sua cogitantes peccata, et arrogantiam omnem deponentes, seque videntes de extremis periclitari, cum studio multo ad illum accurrerent qui sibi peccatorum remissionem præberet, et gratiam per fidem acciperint. Hoc ipsum Paulus hic subindicans dicebat: « Scimus quod quæcumque lex dicit, iis qui in lege » sunt dicit; ut omne os obstruatur, et totus mundus Deo » subditus sit. » Hic enim ostendit eos bonorum operum fiducia destitutos, verbisque tantum arrogantes et impudentes esse. Idcirco proprie dictionem usurpavit, sic loquens: « Ut omne os obstruatur, » impudentem illorum et effrenem jactantiam declarans, et linguam accurate refrenatam significans: illa namque quasi torrens violentus ferebatur. Sed refrenavit illam Propheta. Cum vero dicit Paulus, « Ut omne os obstruatur; » non hoc ait, quod ideo peccaverint, ut os ipsorum obstrueretur; sed ideo confutabantur, ut ne ignorarent se peccavisse. « Et totus mun- » dus Deo obnoxius fiat. » Non dixit, Judæus; sed tota natura. Illud namque, « Ut os omne obstruatur, » illos subindicat, licet non manifeste, ne asperior sermo esset. Illud autem, « Ut totus mundus obnoxius fiat Deo, » simul et de Judæis et de gentilibus dictum est. Non parum autem confert ad illorum arrogantiam comprimendam; cum nihil hic plus habeant quam gentiles; sed simul tradantur secundum salutis verbum. Nam obnoxius proprie dicatur is, qui non sibi satis esse possit ad defensionem, sed alterius indigeat ope: qualia erant nostra omnia, cum ea quæ ad salutem tenderent amisissemus. « Per legem enim cogni- » tio peccati[1]. » Rursus in legem insilit, remissius tamen; neque enim id quod dicitur legem incusat, sed Judæorum ignaviam. Attamen hic contendit, quia de fide locuturus

[1] Rom. III, 20.

est, demonstrare legem valde infirmatam esse. Nam si de lege gloriaris, inquit, ipsa te magis pudore afficit: hæc peccata tua traducit. Verum non ita aspere loquitur, sed remisse rursus, «Per legem enim, cognitio peccati.» Igitur et supplicium majus, sed a Judæis subeundum. Nam lex quidem id effecit, ut peccatum tibi patefieret; tuum erat effugere; cum vero non fugeris, majus tibi attraxisti supplicium legisque opus viaticum tibi fuit ad majorem ultionem.

II. Postquam igitur timorem auxit, tunc ea quæ ad gratiam spectant inducit, multum ingerens remissionis peccatorum desiderium; atque ait: «Nunc autem sine »lege justitia Dei manifestata est[1].» Magnam hic rem profert, multaque probatione opus habentem. Si enim ii, qui in lege vixerunt, non modo supplicium non effugerunt, sed et graviori plexi sunt, quomodo potest sine lege non modo supplicium effugi, sed etiam justitia acquiri? Duo hic summa posuit, et justificari, et sine lege hæc bona assequi. Ideo non simpliciter, «Justitia,» dixit, sed, «Justi»tia Dei;» a dignitate personæ majus ostendens donum, et promissionem impleri posse demonstrans: omnia quippe ipsi possibilia sunt. Neque dixit: «Data est,» sed, «Mani»festata est,» innovationis accusationem resecans. Nam quod manifestatum est, et vetus et absconditum fuisse declaratur. Neque hoc solum, sed etiam sequentia ostendunt hoc novum non esse. Cum enim dixisset, «Manifestata est,» subjunxit, «Testificata a lege et Prophetis.» Etenim, ne quia nunc data est, inquit, neve quasi res nova et peregrina sit, turberis. Jam olim enim illam et lex et Prophetæ prædixerunt. Et alia quidem probavit hoc argumento, alia probaturus est. In superioribus Habacuc adduxit dicentem: «Justus ex fide vivit;» in sequentibus vero Abraha-

[1] Rom. III, 21.

mum et Davidem, de iisdem nos alloquentes. Personarum quippe magna apud illos erat auctoritas. Ille namque erat Patriarcha et Propheta; hic vero rex et propheta. Ac promissiones his de rebus emissæ, ad utrumque factæ fuerant. Ideoque Matthæus Evangelium ordiens, amborum primo mentionem facit, ac deinde seriem ac progenitores adducit. Cum dixisset enim, « Liber generationis Jesu » Christi[1]; » non expectavit ut post Abraham diceret, Isaac et Jacob : sed cum Abrahamo Davidem memoravit. Quodque mirabile est; ante Abrahamum Davidem posuit, ita dicens : « Filii David, filii Abraham, » et tunc cœpit enumerare Isaac, Jacob, et sequentes omnes. Quapropter Apostolus hic illos frequenter versat et dicit : « Justitia au- » tem Dei testimonium habens a lege et Prophetis. » Ne quis vero diceret: « Et quî fieri potest, ut cum nihil ad rem propositam contulerimus, salutem consequamur? » ostendit, nos non parum ad eam rem conferre, fidem nimirum. Cum dixisset ergo : « Justitia Dei, » addidit, « Per fidem in omnes » et super omnes qui credunt[2]. » Rursus hic turbatur Judæus, nihil prærogativæ præ cæteris habens, et cum orbe toto annumeratus. Ut igitur ne hoc patiatur, illum timore rursus reprimit, addens : « Neque enim est distinctio : omnes » enim peccaverunt[3]. » Ne mihi dixeris : « Ille Græcus est, ille Scytha, ille Thrax : « omnes quippe eadem conditione sunt. Etiamsi enim legem acceperis, unum tantum a lege accepisti, ut peccatum cognosceres, non ut illud fugeres. Deinde ne dicerent : « Si peccavimus : » at non perinde atque illi, subjunxit : « Et destituuntur a gloria Dei. » Itaque etiamsi non tantum quantum alii peccaveris : attamen perinde gloria privaris; es quippe ex offendentium numero: qui autem offendit, non inter glorificatos, sed inter pudore suffusos censendus est. Verum ne timeas, ideo enim hæc

[1] Matth. I, 1. — [2] Rom. III, 22. — [3] Ibid. 23.

dixi, non ut te in desperationem conjicerem; sed ut tibi Domini benignitatem ostenderem; quare subdidit : « Justifi- » cati gratis per ejus gratiam, per redemptionem, quæ est » in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem » per fidem in sanguine ejus, in ostensionem justitiæ ipsius [1]. » Vide quod probationes afferat illius quod dictum est. Primo a dignitate personæ. Non enim homo est is, qui hæc facit, ut deficiat; sed Deus qui omnia potest. Dei est enim justitia, inquit; secundo a lege et Prophetis. Ne enim, quod, « Absque lege, » audieris, timeas : nam ipsi legi ita videtur. Tertio, a sacrificiis Veteris Testamenti. Ideo namque sic dixit, « In sanguine ejus, » in mentem revocans illis oves illas et vitulos. Etsi enim brutorum cædes, inquit, peccata solvebant, multo magis hic sanguis. Nec simpliciter dixit : Liberationis; sed, redemptionis; ut non ultra redeamus in illam ipsam servitutem : et ideo vocat propitiationem, ostendens, si typus tantam vim habuerit, multo magis veritatem id præstituram esse. Ac rursus ostendens id non novum nec recens esse, ait, « Proposuit. » Et postquam dixit : « Proposuit Deus, et ostendit Patris esse opus, » idem ipsum declarat esse Filii. Nam Pater proposuit; Christus vero in sanguine suo totum perfecit. « In » ostensionem justitiæ suæ [2]. » Quid est ostensio justitiæ? Ut divitiarum ostensio; quatenus non ipse solus dives sit, sed alios quoque divites reddat; et vitæ pariter; quod non ipse solus vivat, sed etiam mortuos vivificet; et potestatis; quod non ipse solum potens sit, sed etiam infirmos corroboret. Sic et ostensio justitiæ est, quod non solus ipse sit justus; sed etiam alios in peccatis corruptos, statim justos faciat. Hoc igitur et ipse interpretans, subjunxit quæ sit ostensio. « Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu. »

III. Ne itaque dubites. Non enim ex operibus; sed ex

[1] Rom. III, 24, 25. — [2] Ibid. 26.

fide : neque a Dei justitia fugias : duplex enim illius bonum est, quod videlicet et leve sit, et omnibus propositum. Ne te pudeat, nec erubescas. Nam si ipse hoc facere ostenditur, et ut ita dicam, ostendat se, et sibi gratulatur, quomodo tu erubescis et te occultas, in qua re Dominus tuus glorificatur? Cum ergo erexisset auditorem dicendo ea quæ facta sunt esse ostensionem justitiæ Dei, rursum segnem et recusantem timore ad accedendum impellit, his verbis : « Propter remissionem præcedentium peccatorum. » Vides-ne quam frequenter illis peccata in memoriam revocet? superius quidem cum dicit : « Per legem enim peccati cognitio ; » postea vero, « Quia omnes peccaverunt ; » hic autem vehementius. Non enim dixit : « Propter peccata ; » sed, « Propter relaxationem, » hoc est, propter mortificationem. Non enim ultra spes sanitatis erat ; sed quasi corpus paralyticum superna egebat manu : sic et anima mortificata. Quodque gravius est, et quod in causa esse dicit, majorem accusationem mereri indicat. Quid illud est? Quod in tolerantia Dei illa remissio facta sit. Neque enim dicere potestis, inquit, vos non multam tolerantiam ac benignitatem nactos esse. Illud autem, « In præsenti tempore, » ejus est qui magnam tolerantiam et humanitatem exhibuit. Cum enim in desperationem acti essemus, inquit, ac sententiæ tempus adesset, malaque aucta essent ac peccata ad cumulum ascendissent ; tunc ille potestatem suam exhibuit, ut discas quanta apud illum sit justitiæ copia. Neque enim illud, si in principio factum fuisset, tam mirum ac stupendum visum fuisset, ut nunc, cum medicinæ omnis modus superatus est. « Ubi igitur gloriatio? Exclusa est, inquit : » per quam legem? Factorum? Non ; sed per legem fidei[1]. » Magnopere laborat Paulus ut ostendat tantum valuisse fidem, quantum lex nunquam vel imaginari potuit. Post-

[1] Rom. III, 27.

quam enim dixit quod Deus hominem justificet a fide, legem rursus assumit. Neque dicit : « Ubi ergo præclara » Judæorum opera? ubi justitiæ exercitium? » sed, « Ubi » gloriatio? » Ubique ostendens illos sese magnifice jactantes, quasi quid plus haberent quam alii, sed nullum opus proferre. Ac cum dixisset : « Ubi ergo gloriatio? » non respondit : « Abscessit et periit; » sed, « Exclusa est; » quod extra tempus suum esse denotat. Non ultra tempus ejus est. Ut enim adveniente judicio non ultra tempus habent ii qui pœnitentiam agere vellent; sic sententia demum prolata, cum omnes perituri essent, illeque advenisset qui mala illa per gratiam sublaturus erat, non ultra tempus habuerunt illi, ut emendationem ex lege faciendam obtenderent. Si enim oportuisset his se confirmare, id ante adventum ejus factum oportuit. Veniente autem illo qui per fidem servat, sublatum tandem erat certaminum tempus. Utpote enim confutatis omnibus, sic per gratiam salutem dat. Quapropter nunc ille venit; ut ne dicerent, si in principio venisset, potuisse fieri ut per legem salus obtineretur propriis laboribus et operibus. Hanc igitur illorum impudentiam cohibens, diuturno tempore distulit; ita ut postquam per omnia deprehensum esset ipsos non sibi sufficere, tunc per gratiam suam salutem illis daret. Ideo cum supra dixisset, « Ad ostensionem justitiæ, » intulit, « In præsenti tempore. » Quod si quidam contradixerint, idipsum faciunt, ac si quis post multa admissa peccata, cum non possit in judicio sese purgare, sed damnatus supplicio tradendus sit, ac deinde per regis gratiam dimissus, impudenter postea glorietur dicens se nihil peccavisse. Oportuisset enim id demonstrare antequam gratia veniret; postquam venit autem, non ultra tempus est gloriandi. Id quod etiam apud Judæos accidit. Quia enim ex se ipsi proditi erant, ideo venit, et adventu suo illorum jactantiam sustulit. Qui enim

se dicit infantium præceptorem, et in lege gloriatur, ac se stultorum magistrum appellat, perinde atque illi doctore ac servatore indigens, nullam gloriandi causam habuerit. Si enim antea circumcisio præputium facta est; multo magis nunc. Nam illa ab utrisque temporibus ejecta est. Cum dicit autem illam exclusam esse, ostendit quomodo id factum sit. Quomodo ergo exclusa est? Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.

IV. Ecce fidem appellavit legem, libenter in hisce nominibus versans, ita ut emolliat eam, quæ novitas esse videbatur. Quænam autem est fidei lex? Ut per gratiam salus obtineatur. Hic Dei potentiam ostendit; quod non solum servaverit, sed etiam justificarit, et in gloriationem deduxerit, non egens operibus, sed fidem tantum requirens. Hæc autem dicit etiam ut credentem Judæum ad modestiam præparet, et non credentem reprimat; ita ut illum pertrahat. Nam qui salutem nactus est, si legi attendens altum sapiat, audiet quod illa ipsi os obturet, ipsa illum accuset, ipsa ejus salutem impedierit, et gloriationem excluserit. Qui vero non credidit, per hæc ipsa humilis effectus, ad fidem accedere poterit. Vidisti-ne quanta fidei vis? quomodo a prioribus removerit, in illis gloriari non sinens? « Arbitramur ergo per fidem justificari homi-» nem sine operibus legis[1]. » Ubi ostendit eos a fide, sine operibus legis, Judæis esse superiores; tunc demum cum multa fiducia circa illam edisserit, et ei, quod hic turbare videbatur, medelam affert. Etenim hæc duo Judæos turbabant; unum quidem, si ii qui cum operibus servati non fuerant, possent sine operibus servari; aliud vero, si justum esset præputiatos iisdem ipsis frui, quibus ii qui tanto tempore in lege enutriti erant; id quod longe magis illos turbabat, quam prior illa difficultas. Ideo postquam illud

[1] Rom. III, 28.

probaverat, ad hoc demum procedit. Quod certe sic Judæos turbabat, ut post acceptam fidem Petrum hac de causa incusarent, ob Cornelium et ea quæ ad ipsum spectabant. Quid ergo ait?» Arbitramur ergo fide justificari »hominem sine operibus legis. » Non dixit Judæum, vel eum qui sub lege esset : sed orationem in latius spatium educens, et orbi salutis portas aperiens, dicit, « Hominem,» commune naturæ nomen usurpans; deinde occasione hinc sumpta, non positam objectionem solvit. Quia enim verisimile erat Judæos, omnem hominem a fide justificari audientes, id ægre ferre et hinc offendi, adjecit : « Num »Judæorum Deus tantum[1] ?» Ac si diceret : « Cur enim hoc tibi absurdum esse videtur, quod omnis homo salutem consequatur? Num Deus parti uni tantum favet?» Hinc ostendens illos dum gentibus molesti esse volunt, Dei gloriam potius labefactare, si non sinunt illum omnium esse Deum ; si autem omnium Deus est, omnibus etiam providet ; si omnibus providet, omnes similiter per fidem servat; ideo ait : « Num Judæorum Deus tantum? Nonne et gen»tium? imo et gentium[2]. » Non est enim partim Deus, ut Græcorum fabulæ ferunt ; sed communis omnium et unus; ideo subjungit : « Quoniam unus est Deus[3]. » Hoc est idem ipse et horum et illorum Dominus. Si autem vetera mihi dicis, tunc quoque providentia communis erat, etsi diverso modo. Etenim tibi lex scripta data fuit, illis vero lex naturalis ; et hi nihil minus habebant, si voluissent, sed vincere poterant : quare idipsum subindicans adjecit : « Qui justifi» cabit circumcisionem ex fide, et præputium per fidem[4]. » Priora de præputio et circumcisione dicta illis in mentem revocans, quibus demonstravit nullam esse differentiam. Quod si tunc nulla erat differentia, multo magis nunc : id quod clarius jam probans, ostendit utrumque similiter fide

[1] Rom. III, 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 30. — [4] Ibid.

opus habere : « Legem ergo, inquit, destruimus per fidem? » Absit. Imo legem statuimus[1]. » Vides-ne prudentiam variam et ineffabilem? Nam cum dicit, « Statuimus, » ostendit eam non stare, sed solutam esse. Et vide quanta sit Pauli virtus et vis ingenii, et cum quanta facilitate ea quæ vult probet. Hic enim ostendit fidem non modo a lege non labefactari, sed etiam ab illa juvari, atque etiam legem fidei viam parare. Sicut enim lex prævertens fidei testificata est; nam ait, « Testificata a lege et Prophetis, » sic et fides legem deficientem stabilivit. Et quomodo, inquies, stabilivit? Quodnam erat legis opus, et cur omnia faciebat? ut hominem justum faceret. Verum lex id non potuit : nam, « Omnes peccaverunt, » inquit. Fides autem veniens id præstitit; simul enim ut quis credidit, justificatus est. Igitur legis voluntatem stabilivit, et id cujus causa omnia lex faciebat, gratia ad finem deduxit. Non ergo illam abrogavit, sed perfectam reddidit. Tria igitur hic demonstravit, et quod sine lege possit homo justificari; et quod id lex non potuerit, quodque fides cum lege non pugnet. Quia enim hoc maxime Judæos turbabat, quod fides legi contraria videretur; plus ostendit, quam Judæus velit, quod non modo non sit contraria, sed etiam cum illa pugnet et cooperetur, quod maxime illi cupiebant audire.

V. Sed quia post gratiam hanc, per quam justificati sumus, bona vita opus est, dignum dono tanto studium exhibeamus. Exhibebimus autem si matrem bonorum omnium charitatem cum magna diligentia servemus. Est autem charitas non nuda verba et salutationes; sed præsidium et exhibitio operum; verbi gratia, paupertatem solari, ægris opitulari, a periculis liberare, in calamitate versantibus adesse, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus : nam et hoc ex charitate proficiscitur : etsi parvum

[1] Rom. III, 31.

quid videatur esse, gaudere cum gaudentibus; magnum id certe est, et animi philosophi opus. Multosque invenias, qui quod molestius est probe faciant; sed hoc lenius officium vix præstent. Multi namque flent cum flentibus; nec gaudere volunt cum gaudentibus; sed aliis gaudentibus lacrymantur, id quod ex invidia et livore proficiscitur. Non parvum fratre gaudente gaudere; sed et altero præstantius; non tantum illo officio flendi cum flentibus: sed etiam illo alio, ergo officium est, quo fratres in periculo constitutos juvamus. Multi namque cum periclitantibus periculum subeunt; sed fratribus prospere agentibus mordentur et cruciantur: tanta est invidiæ tyrannis. Licet illud cum labore et sudore perficiatur; hoc autem ex proposito et ex sola voluntate proficiscatur. Attamen multi quod molestius est ferentes, quod facilius erat non perficiunt, sed tabescunt et pereunt cum vident alios clare et prospere agentes; cum Ecclesiam cernunt totam aut verbo aut alio quodam modo juvari et rem bene gerere; quo quid deterius fuerit? Neque enim cum fratre tantum, sed etiam cum voluntate Dei pugnat qui talis est. Hoc ergo considerans, compesce morbum hunc: et si non proximum vis, saltem te ipsum a sexcentis erue malis. Cur bellum infers in cogitationes tuas? Cur tumultu animam reples? cur tempestatem excitas et res susdeque vertis? Quomodo sic affectus peccatorum veniam petere valebis? Nam si Deus peccata non remittit iis, qui sibi illatas injurias non remittunt, quam veniam dabit iis, qui nihil se lædentibus damna inferre conantur? Illud certe extremæ nequitiæ argumentum est: qui tales sunt cum diabolo Ecclesiam oppugnant. Fortasse vero longe deterius malum est: a diabolo enim cavere possumus; hi autem amicitiæ larvam ferunt, clam ignem succendunt, seque primos in caminum injiciunt, et morbo premuntur, qui non modo misericordiam movere nequeat; sed etiam

multum risum excitet. Cur pallescis, quæso, tremis et formidolosus es? Quid mali accidit? Quod clarus frater sit, quod splendidus et probatus? Atqui te coronam assumere oportebat, gaudere, Deo gloriam referre, quod membrum tuum splendidum et illustre sit. Sed doles quod Deus glorificetur. Vides-ne quo tendat bellum? At non doleo, inquies, quod Deus, sed quod frater gloria afficiatur. Verum per hunc ad Deum gloria ascendit, et bellum etiam a te exortum. At non hoc mihi displicet, inquies, sed per me vellem Deum gloria affici. Ergo gaude florente fratre, et per te Deus glorificabitur, omnesque dicent: « Benedictus Deus qui tales habet famulos, invidia omni liberos, qui de aliorum bonis mutuo gaudent. Et quid dico fratrem? Si enim inimicus esset et hostis, ac Deus per illum glorificaretur, ob id amicum illum tibi facere oporteret. Tu vero amicum facis tibi inimicum, quia Deus per illius clara gesta glorificatur. Si quis corpus tuum ægrum curaverit, etsi inimicus fuerit, inter præcipuos amicos illum postea habebis. Illum vero, qui corpus Christi, id est, Ecclesiam, ornat, amicum tibi, inimicum ideo reputas? Et quomodo possis clarius contra Christum bellum suscipere? Ideo etsi quis miracula patret, etsi virginitatem et jejunium servet, humi cubet, et sic ob virtutem ad Angelos usque perveniat; si hoc vitio laboret : omnium scelestissimus erit, et mœcho, fornicatore, fure, sepulcrorum effossore pejor.

VI. Et ne quis me damnet, quod rem ultra modum tollam, illud libens vos interrogaverim : Si quis ignem et ligonem tenens, hanc ædem incenderet, aramque suffoderet, annon ut sacrilegus et scelestus lapidibus obrueretur? Quid vero si quis flammam ferat hoc igne voraciorem, invidiam dico, quæ non ædificia diruit, non auream aram suffodit; sed quod et parietibus et ara longe pretio-

sius est, doctorum ædificium subvertit et possumdat, qua ille venia dignus erit? Ne mihi quis dixerit, quod sæpe conatus non potuerit. Nam a voluntate res judicantur. Quandoquidem Saül Davidem interfecit, etiamsi rem non perfecerit. Annon cogitas, quæso, te ovibus Christi insidiari, quando cum pastore pugnas, ovibus, inquam, pro quibus sanguinem suum Christus effudit, et omnia nos facere et pati jussit? Non recordaris, quod Dominus tuus gloriam tuam quæsierit, non suam? Tu vero non illius gloriam, sed tuam quæris. Atqui si illius gloriam quæreres, tunc tuam consequereris: dum vero illa posthabita tuam quæris, nunquam hanc assequeris. Quænam erit hujus morbi medela? Conjunctim omnes precemur, unamque pro illis emittamus vocem, quasi pro energumenis. Nam hi miserabilius affecti sunt quam illi: quia furor ille ex proposito manat. Precatione quippe opus habet hic morbus, et multa supplicatione. Nam si is qui fratrem non amat, si pecunias effundat, si martyrio illustretur, nihil magis proficit; qui bellum infert ei, qui nihil sibi mali intulit, cogita quanto sit supplicio dignus. Hic gentilibus deterior est. Nam si, cum nos amantes diligimus, nihil plus habemus, quam illi: qui amantibus se invidet, quo, quæso, in loco erit? Bello namque perniciosior est invidia. Nam qui bellum gerit, causa belli sublata, inimicitiam deponit; invidus autem nunquam possit amicus esse. Ille quidem manifesto bello impetit, hic occulto; ille causas multas et probabiles suscepti belli proferre potest; hic nonnisi furorem et satanicam voluntatem. Cui ergo talem animam comparaveris? cui viperæ? cui aspidi? cui vermi? cui cantharo? Nihil enim scelestius, nihil deterius hujusmodi anima. Hoc enim, hoc, inquam, Ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam armavit manum et effecit ut in sanguine Justi dextera mergeretur, legesque naturæ

pessumdo lit, et morti portas aperuit, ac maledictionem illam ad opus deduxit; nec permisit ut infelix ille recordaretur partus sui, neque parentum, neque alterius cujusquam, et tanto furoris insaniæque œstro movit, ut hortante Deo ac dicente : « Ad te erit appetitus ejus et tu » dominaberis illius[1], » ne sic quidem cederet : atqui et crimen illi remisit, et fratrem ipsi subjecit. Verum ita insanabilis est hic morbus, ut etiam mille adhibitis pharmacis, saniem semper emittat. Cur enim doles, o omnium miserrime! quod honoratus sit Deus? At hoc est animi satanici. An quod frater admodum acceptus fuerit? sed licet tibi eum superare. Itaque sincere velis, ne occidas, ne de medio tollas; sed sine manere, ut certaminis occasio servetur, et viventem supera. Sic enim splendida tibi corona futura est. Nunc autem si occidas, majorem contra te calculum feres, quam si victus esses. At nihil horum invidia novit. Cur autem gloriam amas in tanta solitudine? Ipsi namque soli tunc terram habitabant. At nihil horum ipsum cohibuit; sed omnibus ex animo rejectis, cum diabolo stetit et aciem instruxit : nam ille tunc dux erat cum Caïno. Quia enim non sufficiebat illi quod homo mortalis esset effectus, ex mortis etiam modo majorem tragœdiam efficere tentabat, et persuasit illi ut fratrem occideret. Festinabat enim et desiderabat videre sententiam in opus deductam, qui nunquam nostris satiatur malis; ac si quis inimicum vinctum habens, et sententia damnatum ad mortem videns, antequam ex urbe exeat, festinet ut illum intus mortuum videat, nec congruens tempus expectet. Sic et diabolus tunc : etsi audisset hominem in pulverem esse reversurum[2], cupiebat aliquid amplius videre, filium nempe ante patrem morientem, et fratrem occidentem fratrem suum, immaturam item et violentam mortem.

[1] Gen. IV, 7. — [2] Ibid. III, 19.

VII. Vides-ne ad quantas res inservierit invidia? Quomodo insatiabilem diaboli animum impleverit, tantamque illi mensam apposuerit, quantam ille videre cupiebat? Fugiamus ergo hunc morbum. Non possumus enim, non possumus utique ignem illum effugere paratum diabolo, nisi ab hac ægritudine liberemur. Liberabimur autem si cogitemus quantum Christus nos amaverit, qui præcepit ut nos invicem diligeremus. Quo igitur modo nos amavit? Pretiosum sanguinem suum dedit pro nobis inimicis, qui ipsi ingentes intuleramus injurias. Ita et tu facito erga fratrem tuum : ideo dicit ille, « Mandatum novum do vobis, » ut diligatis invicem sicut dilexi vos [1]; » imovero non in his ille terminis consistit. Ipse namque pro inimicis hoc fecit. Sed non vis sanguinem tuum dare pro fratre; cur ergo etiam ejus sanguinem effundis, præceptum ex diametro violans? Etiamsi ipse Christus non ex debito hoc fecerit; tu vero si facias, debitum imples. Quando et ille qui cum decem milia talenta accepisset, centum denarios exigebat, non ideo solum punitus fuerit quod exigeret, sed etiam quod ex accepto beneficio non melior evaserit, quodque cum dominus suus cœpisset, ille debitum non remiserit. Nam debitum erat illud a servo præstitum, si modo præstitum fuisset. Etenim quæcumque facimus, debitum implentes facimus. Ideo et ipse dicebat : « Cum omnia fe- » ceritis, dicite : Servi inutiles sumus, quæ enim debuimus » facere fecimus [2]. » Licet ergo charitatem exhibeamus, licet pecunias egentibus erogemus, debitum implemus. Non modo quod ille prior beneficia conferre cœperit, sed quod nos quæ ipsius sunt distribuamus, si erogemus. Cur igitur te illis privas, quorum ille te dominum esse vult? Ideo enim te jussit illa dare alteri, ut tu illa possideas. Donec enim illa retines, nec tu ipse habes : cum vero das

[1] Joan. XIII, 34. — [2] Luc. XVII, 10.

alteri, tunc ipsa recepisti. Num quidquam est, quod hunc amorem exæquare possit? Ipse sanguinem pro inimicis effudit; nos vero ne pecunias quidem pro benefactore; ipse sanguinem suum, nos neque pecunias, quæ nostræ non sunt; ipse ante nos, nos autem nec post ipsum; ipse pro salute nostra; nos nec pro nostra utilitate. Neque enim illi quidquam accedit ex nostra benignitate; at lucrum totum ad nos revertitur. Ideo jubemur illa dare, ne ab illis excidamus. Sicut enim cum quispiam argentum dat puerulo, jubet illum accurate servare, vel famulo tradere custodiendum; ut ne cuilibet volenti liceat abripere: sic et Deus facit. Da egenti, inquit, ut ne quis illa a te auferat, aut sycophanta, aut diabolus, aut fur, aut post omnes mors. Donec eas detines, non tuto detines; si autem illas mihi per pauperes dederis, ego tibi omnia accurate custodiam, et opportuno tempore tibi illas magno cum fœnore restituam. Non enim ut auferam accipio, sed ut augeam, et tuto custodiam, et tibi ad illud usque tempus asservem, quo nullus erit, qui fœnori det, nec qui misericordia moveatur. Quid immanius est nobis, qui post tot promissiones, ne quidem ipsi mutuo dare volumus? Ideo deserti, nudi et pauperes ad ipsum migramus, ea quæ nobis concredita sunt non habentes, quia non illa apud eum qui accuratius omnibus servat, deposuimus. Ideoque extremas dabimus pœnas. Quid enim accusati dicere poterimus pro pernicie vitanda? Quam defensionem afferre, quam purgationem? Cur enim non dedisti? diffidis te rursus eas accepturum? Qui id ratione constare possit? Qui enim dat ei qui non dedit, quanto magis dabit cum acceperit? Verum earum te aspectus delectat? Ergo multo magis ideo largire, ut illic magis delecteris, cum nemo illas auferre poterit; cum contra si nunc retineas, innumera passurus sis mala. Nam velut canis diabolus in divites insilit, ac si

cibum aut placentam velit de manu puelli abripere. Demus itaque illa patri. Quod si id viderit diabolus, statim aufugiet. Illo autem recedente, tunc tibi pater illa omnia tuto dabit, cum non poterit ille turbas dare in futuro sæculo. Nunc vero a puerulis quibus catelli infesti sunt, nihil differunt divites, omnibus circa illos latrantibus, discerpentibus, trahentibus non hominibus tantum, sed etiam affectibus, gula, ebrietate, adulatione, lascivia omni. Jam si quid mutuo dare velimus, diligenter exploramus eos, qui multum dare parati et grati animi sint. Hic vero secus facimus : Deo namque relicto liberalissimo, qui non centesimam (4), sed centuplum dat, eos requirimus, qui ne sortem quidem reddant.

VIII. Quid enim nobis reddet venter, qui maximam absumit partem ? Stercus ac corruptionem. Quid vana gloria ? Invidiam et livorem. Quid parcimonia ? Curam et sollicitudinem. Quid lascivia ? Gehennam et vermen venenatum. Hi sunt divitum debitores, qui de ipsa sorte hæc nobis fœnora solvent, præsentia damna et futura mala. His-ne, quæso, fœnori dabimus, tantum supplicium relaturis, et Christo non credemus, qui cœlum offert et immortalem vitam, arcana illa bona ? et quam habebimus defensionem ? Cur non das reddituro, et plurima reddituro ? Fortasse quia post multum temporis redditurus est ? Atqui et in hac quoque vita dat ; mentiri enim nequit ille qui dicit : « Quæ» rite regnum cœlorum et hæc omnia adjicientur vobis[1]. » Vides-ne liberalitatem ingentem ? Illa, inquit, tibi asservantur, nec minuentur ; hæc vero præsentia, quasi additamentum adjicio. Ad hæc diuturnitas expectationis auget tibi divitias ; nam crescit fœnus : apud fœneratores enim id fieri videmus, qui libentius illis commodant, qui post diuturnum tempus soluturi sunt. Nam qui statim sortem red-

[1] Matth. VI, 33.

dit, fœnoris cursum intercipit : qui vero diuturnius retinet, quæstum majorem efficit. Ita-ne apud homines moram non ægre ferimus, sed majorem fieri curamus, et apud Deum ita pusillanimes erimus, ut ideo segnes simus et tergiversemur, etsi, ut dixi, et hic det, ea, qua dixi, de causa, et aliud quiddam majus præparans in cœlo totum recondat ? Magnitudo quippe doni, et pulchritudo ejus, vitæ præsentis vilitatem longe superat. Non enim fieri potest ut in mortali et fluxo corpore, immarcessibiles illæ coronæ accipiantur, neque in hac præsenti et tumultu plena vita, mutationibusque plurimis obnoxia, immota illa stabilisque sors obtineri potest. Jamvero si quis tibi in aliena terra degenti, ubi nullos haberes famulos, neque posses in patriam quid transferre, fœnora dare pollicerétur, obnixe precareris, ne id tibi in peregrina terra, sed domi reversum numeraret; bona vero illa spiritualia et arcana hic vis recipere? Et quanta isthæc amentia? Nam si hic accipis, mortalia prorsus accipis ; si vero tempus illud expectes, incorruptibilia et non fluxa dabit tibi. Si hic accipias, plumbum accepisti; si illic, aurum probatum. Verum neque præsentibus bonis te privavit. Post illam enim promissionem, aliam addidit sic dicens : « Quisquis » cœlestia amat, centuplum recipiet in hoc sæculo, et vi» tam æternam possidebit[1]. » Si vero centuplum non accipimus, nos in causa sumus, qui non mutuo damus ei qui tantum dare potest : quotquot enim dederunt, tot tantaque receperunt, licet pauca dederint. Quid enim magni, quæso, dedit Petrus? Nonne rete scissum, et calamum et hamum? sed tamen Deus ipsi universi orbis domos aperuit, terram et mare expandit, et omnes illum ad sua evocabant; imo sua vendentes ad illius pedes afferebant, non ad manus conjicientes, neque enim audebant, tantum

[1] Matth. IX, 29.

illi cum munificentia honorem tribuentes. Sed ille Petrus erat, inquies. Et quid hoc, o homo! Neque enim Petro tantum hæc pollicitus est; neque dixit: « Tu vero, Pe» tre, centuplum recipies solus, » sed, « Quicumque re» liquerit domum, vel fratres, centuplum recipiet. » Neque enim personarum differentiam ille novit, sed rerum merita. At me, inquies, liberorum chorus circumsistit, cupioque illos divites relinquere. Cur ergo illos pauperes reddis? Si enim illis omnia reliqueris, non tutæ custodiæ tua omnia committis; si vero Deum constituas ipsorum cohæredem et curatorem, infinitos illis thesauros relinquis. Sicut enim cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit; cum vero nos ipsi committimus, plus quam expectabamus accipimus; sic et in pecuniis accidit. Si nos illas curemus, desinet ipse illarum curam habere; si in illum totas conjiciamus, et ipsas et filios in omni securitate constituet. Ecquid miraris si id in Deo usuveniat, cum apud homines idipsum videas? Nam si moriens propinquorum neminem liberorum curatorem advoces; pudore et verecundia plerumque detinetur is, qui admodum cupit in tutelam illam involare; sin autem in illum curam hujusmodi rejeceris, utpote maximo cultus honore, maximam et ipse reddet vicem.

IX. Si vis ergo liberis divitias multas relinquere, Dei providentiam illis relinquito. Qui enim, nihil te agente, animam tibi dedit et corpus efformavit, vitamque largitus est, cum videbit te tantam liberalitatem exhibere, et bona cum filiis ipsi tradere, annon illis divitias omnes aperiet? Si enim Elias modica farina nutritus, quia vidit mulierem illam ipsum filiis suis prætulisse, areas et torcularia in domuncula viduæ exhibuit; cogita quantam tibi Eliæ Dominus benevolentiam exhibiturus est. Ne igitur illud spectemus, quo pacto filios divites relinquemus, sed quomodo

virtute præditos. Nam si illi in divitiis confidant, nihil aliud curabunt, utpote qui morum improbitatem sub pecuniarum copia quasi sub umbra tegere possint. Si autem viderint se opum solatio destitutos, nihil non agent, ut ex virtute multam sibi in paupertate consolationem pariant. Ne igitur opes illis relinquas, ut relinquas virtutem. Nam extremæ dementiæ fuerit dum vivimus nullum ipsis tradere facultatum omnium dominium, et post mortem nostram, juventuti multam parare licentiam. Atqui dum vivimus possumus ab illis rationes repetere, et male facultatibus usos, emendare frenareque; post mortem vero, si illi, nobis vita functis, juventuti divitias reliquerimus, in sexcenta præcipitia miseros impellimus, ignem in ignem conjicientes, et in caminum ardentem oleum infundentes. Itaque si vis illos sine periculo divites relinquere, relinque ipsis debitorem Deum, ipsique trade chirographum. Illi namque si pecunias accipiant, cui tradant nescient, et in multos incident sycophantas atque ingratos. Si vero tu prævertens illa, Deo mutuo dederis, tutus manebit thesaurus, ac multa cum facilitate reddetur. Etenim gratiam nobis habet Deus cum debitum reddit, ac fœneratores suos libentius quam eos qui non fœnerati sunt videt, eosque maxime diligit, quibus maxime debet. Itaque si vis illum perpetuo amicum habere, multorum illum debitorem constitue. Neque enim ita gaudet fœnerator qui debitores habet, ut lætatur Christus de fœneratoribus suis : ab illis aufugit quibus nihil debet; ad illos accurrit, quorum debitor est. Nihil ergo non agamus, ut illum habeamus debitorem : hoc enim tempus fœnorum tempus est, et nunc illa in usu sunt. Si ergo nunc illi non dederis, post tuum ex hac vita exitum te opus non habebit. Hic enim sitit, hic esurit; sitit salutem tuam; ideoque mendicat, ideo nudus circuit, ut tibi vitam immortalem negotietur. Ne

itaque illum despicias. Non enim ali vult, sed alere; non indui, sed induere, et aureum illum vestimentum tibi parare stolam regiam. Non vides medicorum studiosiores, cum ægrotos lavant, et ipsos quoque lavari, etsi lotione non egeant? Sic et ipse propter te laborantem nihil non agit. Ideo a te nulla cum violentia exigit, ut tibi copiosius retribuat; ut discas illum non opus habentem postulare, sed ut necessitati tuæ provideat. Ideo vili in habitu te adit, et dexteram extendit. Si obolum des, non aversatur; si contemnas, non abscedit; sed rursus se admovet: amat enim valde, amat certe salutem nostram. Pecunias ergo contemnamus, ut ne a Christo contemnamur: pecunias contemnamus, ut et ipsas pecunias assequamur. Nam si illas hic servemus, illas omnino et hic et illic perdimus; si distribuamus liberaliter, in utraque vita multa fruemur opulentia. Qui vult ergo dives fieri, sit pauper, ut fiat dives; expendat, ut colligat; spargat, ut congreget: si autem hæc nova et inexpectata sunt, serentem respice, et tecum reputa non posse illum alio modo plura colligere nisi quæ habet spargat, et quæ parata habet effundat. Seramus itaque et nos, et cœlum ut agrum colamus, ut cum multa copia metamus et æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

CAPUT IV.

Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Nam si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum[1].

I. Postquam dixerat quod mundus obnoxius factus sit Deo[2], quod omnes peccaverint, et quod non possit salus obtineri aliunde, quam per fidem, probare studet salutem illam non dedecoris, sed gloriæ causam esse, et majoris ea quæ per opera acquiritur. Quia enim cum dedecore quopiam salutem consequi aliquam affert tristitiam, hanc quoque deinceps suspicionem tollit; quanquam et hoc jam subindicavit, cum illam vocavit, non salutem modo, sed et justitiam. « Justitia enim Dei, inquit, in ipso revelatur[3]. » Qui enim ita servatur, ut justus cum fiducia salvus est. Nec justitiam solum dicit, sed et ostensionem Dei. Deus enim in gloriosis ostenditur, in splendidis et magnis. Cæterum etiam ex propositis hoc probat, per interrogationem disserere pergens; uti semper solet facere tum perspicuitatis causa, tum quod dictis confidat. Nam ita fecit et supra, dicens : « Quid igitur amplius habet Judæus, » et, « Quid igitur amplius habemus? » ac rursum, « Ubi gloria» tio? Exclusa est. » Et hic, « Quid igitur dicemus Abraham » patrem nostrum? » Quia enim Judæi hoc susdeque versabant, quod Patriarcha et Dei amicus circumcisionem primus accepisset, vult ostendere ipsum quoque ex fide justi-

[1] Rom. IV, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 113-123, et tom. XIX, p. 206-213. — [3] Rom. I, 17.

ficatum esse : quod magnæ victoriæ exuberantia erat. Quod enim aliquis sine operibus ex fide justificetur, non absimile vero est : quod vero in recte factis eximius, non hinc, sed ex fide fiat justus, illud mirabile est, et fidei vim demonstrat. Quare aliis prætermissis omnibus, in hunc sermonem convertit : illumque patrem secundum carnem vocavit, ejiciens illos ex germana ejus cognatione, et viam parans gentibus ad propinquitatem cum illo habendam. Deinde ait : « Si enim Abraham ex operibus justifi-» catus est, habet gloriam, sed non apud Deum. » Cum dixisset igitur, quod Deus circumcisionem ex fide justificet, et præputium item per fidem, et cum illud in præmissis sufficienter probasset; per ipsum quoque Abraham melius illud demonstrat, quam promiserat, et quamdam efficit pugnam inter fidem et opera; totumque certamen circa ipsum Justum statuit, nec sine causa. Ideoque magnopere honorat illum, progenitorem vocans, necessitatemque illis imponens ut in omnibus ipsi obtemperent. Ne mihi, ait, Judæum dixeris, neve hunc vel illum in medium adducas. Ego enim ad ipsum fastigium, et unde initium accepit ipsa circumcisio, ascendo. Si enim « Abraham ex » operibus justificatus est, inquit, habet gloriam, sed non » apud Deum. » Obscurum est dictum illud; ideoque necessarium est ipsum clarius reddere. Duæ enim sunt gloriationes; alia ab operibus, alia a fide. Cum dicit ergo, « Si » ex operibus justificatus est, habet gloriam, sive gloria-» tionem, sed non apud Deum, » ostendit illum etiam a fide posse gloriationem habere, et multo majorem. Magna enim Pauli vis in hoc maxime ostenditur, quod in contrariam partem rem propositam verterit, ita ut quod salus illa per opera habet, ut glorietur et fidenter agat, id longe magis fidem habere ostendat. Nam qui in operibus gloriatur, labores suos proferre potest; qui autem sibi gratula-

tur quod Deo credat, multo majorem gloriandi ansam ostendit; utpote qui Dominum glorificet et magnificet. Quæ enim non dictavit rerum visibilium natura, a fide in Deum accipiens, sinceram etiam erga eum charitatem exhibuit, et splendidam ejus potentiam prædicavit. Illud vero generosissimi est animi, philosophicæ sententiæ, mentisque sublimis. Illud enim non furari, non occidere, vulgarium hominum est; credere vero quod impossibilia possit Deus, magno admodum animo eget, et erga ipsum optime affecto : etenim germanæ charitatis hoc signum est. Deum certe colit qui præcepta implet; multoque magis hic qui per fidem philosophatur. Ille quidem ipsi obedivit; hic vero convenientem de illo opinionem accepit, et magis quam per operum ostensionem ipsum glorificavit et admiratus est. Illa ergo gloriatio recte operantis est; hæc vero Deum glorificat, totaque ipsius est. Gloriatur enim quod magna de illo concipiat, quod in illius gloriam transit. Ideo ait illum habere gloriationem in Deo : non hac vero solum, sed et alia de causa. Gloriatur enim rursum fidelis, non modo quod Deum sincere amet, sed quod magno ejus honore et amore fruatur. Sicut enim ipse illum amavit, magna de illo imaginatus; hoc enim amoris argumentum est; sic et Deus illum amavit sexcentis peccatis obnoxium, nec modo a supplicio liberavit, sed etiam justum effecit. Habet igitur gloriandi causam, utpote qui magna dilectione dignatus sit. « Quid enim dicit Scrip» tura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad jus» titiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur » secundum gratiam, sed secundum meritum[1]. » Ergo, inquies, hoc majus est? Nequaquam : nam et credenti imputatur. Non imputaretur autem, nisi ipse aliquid attulisset.

II. Itaque hic etiam debitorem habet Deum, nec vulga-

[1] Rom. IV, 3, 4.

rium rerum debitorem : sed magnarum et sublimium. Postquam enim ostendit illius animi sublimitatem et spiritualem mentem, non simpliciter dixit, credenti, sed « Credenti in eum qui justificat impium[1]. » Imputatur fides ipsius in justitiam. Cogita enim quantum hoc sit, credere et certiorem fieri, quod possit Deus eum, qui in impietate vixerit, repente non a supplicio tantum liberare ; sed etiam justum facere, et immortalibus illis dignari honoribus. Ne itaque putes hunc minorem esse, quoniam illi non secundum gratiam imputatur. Hoc enim ipsum facit ut fidelis sit splendidus, quod tanta fruatur gratia, quod tantam exhibeat fidem. Et vide majorem quoque retributionem. Illi enim merces datur ; huic vero justitia : multo autem major est justitia mercede : multas quippe complectitur justitia mercedes. Cum ergo ex Abrahamo hoc ostendisset, Davidem deinde inducit dictis astipulantem. Quid ergo dicit David, et quem beatum prædicat ? Eum-ne qui in operibus gloriatur, an eum qui gratiam accepit, ac qui remissionem et donum sortitus est ? Beatitudinem cum dico, culmen bonorum omnium dico. Sicut enim mercede major est justitia, sic justitia major est beatitudo. Cum ostendisset ergo justitiam majorem esse, non quod Abraham illam acceperit tantum ; sed etiam a ratiociniis ; habet enim gloriationem, inquit, sed non apud Deum ; alio etiam modo illam honorabiliorem demonstrat, Davidem adducens ipsi suffragantem : nam hic, inquit, eum qui ita justificatus est beatum prædicat his verbis. « Beati quorum remissæ sunt iniquitates[2]. » Ac videtur quidem non congruens testimonium proferre. Neque enim dixit : « Beati quorum fides in justitiam reputata est. » Id quod ille prudens facit, non ignorans, ut majorem ostendat hyperbolen : si enim beatus est hic, qui remissionem acce-

[1] Rom. IV, 5. — [2] Ibid. 7, ex Psal. XXXI, 1.

pit per gratiam; multo magis qui justificatus est, qui fidem exhibuit. Ubi autem beatificatio est, dedecus omne sublatum est, et magna est gloria; nam beatificatio augmentum est et mercedis et gloriæ. Quapropter id in quo ille præstat, non scripto exprimit cum dicit : « Ei enim qui ope» ratur, merces non imputatur secundum gratiam. » Illud vero in quo fidelis præcellit, ex scripto testimonio probat dicens : sicut dixit David : « Beati quorum remissæ sunt » iniquitates, et quorum tecta sunt peccata[1]. » Quid enim dicit, inquies, quod non secundum debitum, sed secundum gratiam remissionem accipias? Sed ecce, hic est qui beatificatur : non beatum dixisset autem, nisi illum videret gloria frui multa. Nec dicit : « Remissio autem hæc in circumcisionem : » sed quid? « Beatitudo autem hæc; » quod majus est; « In circumcisionem, an in præputium[2]? » Quæritur enim deinceps, utrum hoc bonum et magnum cum circumcisione an cum præputio consistat. Et vide hyperbolen : ostendit enim illud non solum non a præputio removeri, sed libenter cum illo consistere ante circumcisionem. Quandoquidem qui beatum dicit, nempe David, circumcisus erat, et circumcisus disserebat, vide quam studuerit Paulus dictum illud ad præputiatum deducere. Cum enim justitiæ beatificationem junxisset, ostendissetque utrumque unum esse, quærit quomodo justificatus sit Abraham. Si enim beatitudo justi est, et Abraham justificatus est, videamus quomodo justificatus sit, an cum præputiatus, an cum circumcisus esset : cum præputiatus, inquit, « Quomodo ergo reputatum est ei, circumciso-ne an præ» putiato? Non circumciso, sed præputiato : dicimus enim » quod imputata est Abrahæ fides in justitiam[3]. » Superius ex Scriptura locutus est, « Quid enim ait Scriptura? » dicit : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi in justitiam. »

[1] Psal. xxxi, 1. — [2] Rom. iv, 9. — [3] Ibid. 10.

Hic enim loquentium quoque judicium assumit, et ostendit in præputio justitiam extitisse. Deinde hinc objectionem aliam insurgentem solvit. Si enim præputiatus cum esset, inquit, justificatus est, cur circumcisio introgressa est? « Signum accepit, inquit, et signaculum justitiæ, quæ » est per fidem, quæ cum præputiatus esset, inerat ipsi[1]. » Vidisti-ne ut ostenderit Judæos quasi in parasitorum ordine esse, vel ipsos præputiatos ipsis adjectos fuisse? Si enim ille præputiatus justificatus est et coronatus, posteaque circumcisionem accepit, postremoque Judæi introgressi sunt; ergo præputiatorum primo pater est Abraham, eorum, inquam, qui per fidem cognati ejus sunt, et tunc eorum qui in circumcisione erant : duplex enim est progenitor. Vidisti-ne fidem splendentem? Donec enim illa accessit, Patriarcha ille non justificatus est. Vidisti-ne præputium impedimentum non afferre? Nam ille præputiatus erat, nec impedivit illud quominus justificaretur : fide ergo posterior est circumcisio.

III. Et quid miraris si fide posterior sit circumcisio, quando et præputio quoque? Nec posterior tantum est fide, sed etiam admodum inferior, et tanto inferior, quanto signum re significata inferius est, verbi gratia, quanto insigne militis, inferius est milite. Cur, inquies, signaculo egebat? Non ipse egebat. Cur ergo illud accepit? Ut esset pater communis credentium per præputium et eorum qui in circumcisione erant; sed non simpliciter eorum qui in circumcisione, ideo subjungit. « Non iis tantum qui ex circum- » cisione. » Si enim præputiatorum, non quia præputiatus erat, ideo pater est, etsi in præputio justificatus, sed quia illi fidem ejus sunt æmulati; multo minus circumcisorum, licet circumcisus sit, progenitor erit, nisi fides accesserit: circumcisionem enim accepit, inquit, ut utrique illum

[1] Rom. IV, 11.

haberemus progenitorem, nec præputiati circumcisos expellant. Vide quomodo illi ipsum progenitorem primi habuerint. Si autem veneranda circumcisio est, quia justitiam prædicat, non parvam præputium prærogativam habet, quod ante circumcisionem acceperit fidem. Tunc illum poteris progenitorem habere, cum in fidei vestigiis incedes, neque contendes, vel tumultuaberis legem introducens. Quam, quæso, fidem dicis? « Quæ est in præputio[1]. » Rursus Judæorum fastum reprimit, justitiæ tempus in memoriam revocans. Et bene dixit, « Vestigiis, » ut perinde atque ille credas in resurrectionem corporum mortuorum. Etenim ille circa hanc rem fidem exhibuit. Itaque si præputium ejicis, disce clare nihil tibi ex circumcisione utilitatis accedere. Nisi enim fidei vestigiis insistas, etiamsi millies circumcisus esses, non esses ex Abrahæ filiis. Quandoquidem ideo ille circumcisionem accepit, ne te præputiatus ejiceret. Ne tu quoque id ab illo exigas. Id tibi auxilio fuit, non illi erit. Sed illud signum justitiæ est, et hoc propter te : quando nunc ne hoc quidem est. Tunc enim tu corporeis indigebas signis ; nunc non opus illis est. Num a fide, inquies, poterat ejus animæ virtus agnosci? Poterat utique, sed tu egebas hoc additamento. Quia enim animæ virtutem non æmulatus es, nec videre potuisti, data est tibi sensibilis circumcisio, ut postquam in hac re corporea exercitatus esses, paulatim ad animi philosophiam ducereris, atque illa cum studio magno excepta, ut maxima dignitate, docereris imitari et venerari progenitorem. Idque non in circumcisione modo Deus instituit, sed etiam in aliis omnibus, ut in sacrificiis, in sabbatis et festis. Quod autem propter te circumcisionem acceperit, audi in sequentibus : cum dixisset enim ipsum accepisse signum et signaculum, causam apponit, dicens : « Ut ipse esset pater

[1] Rom. IV, 12.

» circumcisionis, » iis qui illam spiritualem assumunt; si enim hanc solum habueris, nihil tibi plus accedet. Nam tunc signum est, cum ipsa res cujus est signum, apud te conspicitur, id est, fides; ita ut si hanc non habeas, signum non possit ulterius signum esse. Cujus enim erit signum? cujus signaculum, cum non sit qui obsignetur? ac si nobis marsupium ostenderes signo munitum, in quo nihil esset. Itaque ridicula circumcisio est, cum fides intus non habetur. Si enim sit justitiæ signum, et justitiam non habeas, neque signum habes. Ideo namque signum accepisti, ut rem quæreres, cujus signum habes. Itaque si signum sine re exquireres, non illo opus haberes. Circumcisio autem non modo justitiam prædicat, sed etiam justitiam illam quæ in præputio est. Nihil aliud ergo circumcisio prædicat, quam quod non opus sit circumcisione. « Si enim ii » qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est » promissio[1]. » Ostendit necessariam esse fidem circumcisione vetustiorem, fortiorem lege, quod legem stabiliat. Si enim omnem peccavere, necessaria; si ille præputiatus justificatus est, vetustior est; si per legem cognitio peccati, sine lege autem manifestata est; fortior, si legis testimonio probatur, et legem firmat; non adversaria, sed amica et socia in bello. Ostendit iterum et aliunde non posse per legem hæreditatem accipi. Cumque comparasset illam cum circumcisione, ac victoriam reportasset, eamdem rursus legi opponit, sic inquiens: « Si enim qui ex lege, sunt hæ- » redes, exinanita est fides. » Ne quis enim dicat fieri posse ut quis fidem habeat, et legem servet; demonstrat impossibile illud esse. Qui enim legi adhæret, quasi ea salutem afferat: is vim fidei dehonestat. Ideo ait: « Exinanita est » fides; » id est, non est opus salute, quæ per gratiam obtinetur: neque enim potest illa vim suam ostendere; et

[1] Rom. IV, 14.

abolita est promissio. Etenim Judæus fortasse dixerit: » Quid mihi opus est fide? » Ergo si hoc verum est, cum fide, quæ ad promissionem spectant sublata sunt.

IV. Vide ut in omnibus ostendat illos a Patriarcha ab initio impugnari. Cum ostendisset enim justitiam fidei consortem esse, jam declarat promissionem similiter se habere. Ne diceret enim Judæus: « Quid mea interest, si Abraham ex fide justificatus est? » dicit Paulus, ne id quidem quod ad te maxime pertinet, nempe promissionem hæreditatis, posse sine illa ad opus duci, quod maxime illis timorem incutit. Quam, inquies, promissionem? ut mundi hæres sit, et in illo omnes benedicantur. Et quomodo abolita sit illa promissio dicit: « Quia lex iram operatur, cujus » enim lex non est, hujus neque transgressio[1]. » Si vero iram operatur, et transgressioni obnoxios reddit; etiam, ut liquet, maledictioni. Qui vero maledictioni, supplicio et transgressioni sunt obnoxii; hi non digni sunt qui hæreditatem accipiant; sed qui pœnas dent et ejiciantur. Quid fit igitur? Venit fides per gratiam attracta; ita ut promissio ad opus deducatur. Ubi enim est gratia, ibi et remissio; ubi remissio, ibi nullum supplicium. Sublato autem supplicio, et justitia a fide accedente, nihil impedit, quominus nos hæredes simus promissionis, quæ a fide est. « Ideo igitur ex fide, ait, ut secundum gratiam, et ut firma » sit promissio Dei universo semini, non ei quod ex lege » est tantum, sed etiam ei quod ex fide Abrahæ, qui est » pater omnium nostrum[2]. » Vides-ne quod fides non solum legem stabiliat; sed etiam quod promissionem Dei non sinat excidere; lex vero contra, fidem etiam irritam faciat, ultra tempus observata, et promissionem impediat? His ostendit non modo non supervacaneam esse fidem; sed ita necessariam, ut non possit sine illa salus obtineri. Lex

[1] Rom. IV, 15. — [2] Ibid. 16.

enim iram gignit; quia omnes illam transgressi sunt. Fides autem non sinit iram vel initio consistere. « Cujus enim » non est lex, inquit, hujus neque transgressio. » Vides-ne quo pacto non modo peccatum deleat; sed ne quidem oriri sinat. Ideo ait, « Secundum gratiam. » Qua de causa? Non ut nos pudeat; sed « Ut firma sit promissio universo » semini. » Duo bona hic ponit, quod firma sint quæ data sunt, et quod data sint universo semini, eos qui ex gentibus accesserunt colligens, Judæosque ostendens extra positos esse, si contra fidem contendant. Hoc namque firmius illo est : non enim fides tibi damno est; ne contendas; sed te ex lege periclitantem serva. Deinde quia dixit, « Universo » semini, » determinat cuinam semini; « Quod est ex fide, » inquit, connectens cognationem cum gentibus, et ostendens non posse consentire eum Abrahamo illos, qui non credunt ut ille. Ecce aliud tertium fides operata est : nam cognationem cum Justo accuratiorem fecit, et plurium nepotum progenitorem illum declaravit. Ideo non simpliciter dixit Abrahami; « Sed patris nostrum fidelium : » deinde testimonio dictum obsignans; « Sicut scriptum est, » inquit, multarum gentium patrem te constitui[1]. » Vides-ne hæc jam olim dispensata? Quid ergo, inquies, si de Ismaëlitis, de Amalecitis et de Agarenis hæc dicat? Progressus certe ulterius, clarius ostendit non de illis dici; sed interim ad aliud festinat, quo illud quoque ostendit, talis cognationis modum definiens, et magno cum consilio id probans, quid enim dicit? « Ante Deum, cui credidit; » id est, ut Deus non est unius partis Deus, sed omnium pater; sic et ipse. Ac rursum; ut Deus pater est, non secundum naturalem cognationem; sed secundum fidei necessitudinem; sic et ille. Obedientia enim facit illum patrem omnium nostrum. Quia enim illam cognationem nihil esse puta-

[1] Rom. IV, 17.

bant, crassiorem illam retinentes, ostendit hanc esse magis propriam, sermonem ad Deum adducens. Atque cum his hoc etiam declarat, quod hanc fidei retributionem acceperit. Itaque nisi hoc affuerit, etiamsi pater sit omnium, qui terram incolunt; illud, « Ante, » locum non habet, sed succisum et imminutum est Dei donum. Illud enim, « Ante, » significat, similiter. Quî, quæso, mirum fuerit quod pater sit eorum qui ex ipso sunt? Hoc enim singulorum hominum est : quod stupendum est, quos non habuit ex natura, hos ex Dei dono illum accipere.

V. Itaque si vis credere honoratum fuisse Patriarcham, crede ipsum omnium esse patrem. Cum dixit autem, « Ante » Deum, cui credidit, » non hic substitit, sed adjecit : « Qui » vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea » quæ sunt. » Cum nempe jam de resurrectione agere cœpisset, quod ei ad præsens institutum utile erat. Nam si potest mortuos ad vitam revocare, et ea quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt, producere, potest etiam eos qui illo nati non sunt filios ipsius facere. Ideo non dixit : « Qui producit ea quæ non » sunt, » sed, « Qui vocat ; » majorem facilitatem significans. Sicut enim nobis facile est ea quæ sunt vocare, ita et ei facilius, et longe facilius est ea quæ non sunt producere. Cum Dei donum magnum et ineffabile memorasset, et de ejus potentia disseruisset, ostendit Abrahæ fidem dono dignam esse, ne putes eum immerito honoratum fuisse. Et postquam auditorem excitaverat, ut ne turbaretur, neve Judæus hæc objiceret : et quî fieri potest ut ii qui filii non sunt, filii efficiantur? sermonem transfert in Patriarcham, et ait : « Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater » multarum gentium; secundum quod dictum est ei, sic » erit semen tuum[1]. » Quomodo contra spem in spem credidit? Contra spem humanam, in spem Dei. Ostendit enim

[1] Rom. IV, 18.

rei magnitudinem, nec sinit dicto fidem abrogari : quæ inter se contraria sunt fide ipsa temperante. Si vero de iis qui ex Ismaële orti erant locutus fuisset, superfluus hic sermo esset. Illi namque non secundum fidem, sed secundum naturam orti sunt. Sed etiam Isaac in medium adducit. Non enim pro illis gentibus credidit ; sed pro eo qui ex sterili muliere nasciturus erat. Si ergo merces est quod multarum gentium pater fiat, de illis gentibus intelligitur pro quibus credidit. Ut enim discas ipsum de illis loqui, audi ea quæ sequuntur : « Et non infirmatus est fide : nec » consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere cen» tum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ[1]. » Videsne ut impedimenta ponat, et altum Justi animum omnia superantem? Præter spem, inquit, quod promissum erat. Hoc primum impedimentum. Neque enim habuit ille alterum Abrahamum, quem videret ita suscepisse filium. Nam qui post illum fuere, ad illum respexere ; ille autem ad nullum, sed ad Deum solum. Ideoque præter spem dixit. Deinde corpus emortuum ; hoc secundum est ; et emortua vulva Saræ, hoc tertium et quartum. « In repromissione » autem Dei non hæsitavit diffidentia[2]. » Neque enim demonstrationem dedit, neque signum fecit Deus, sed verba erant simplicia solum, promittentia ea, quæ natura non pollicebatur. Attamen non hæsitavit, inquit ; non dixit : « Non credidit ; » sed, « Non hæsitavit ; » id est, non dubitavit, etiamsi tot impedimenta essent. Hinc discimus quod etiamsi Deus innumera impossibilia promittat, nec qui audit admittat illa ; infirmitas illa non ex rerum natura, sed a non admittentis stultitia proficiscatur. « Sed confortatus » est fide. » Vide Pauli philosophiam. Quia enim de operantibus et credentibus sermo erat ; ostendit eum qui credit, magis operari, quam illum, et majori virtute opus

[1] Rom. IV, 19. — [2] Ibid. 20.

habere, multaque fortitudine, nec parvum subire laborem. Etenim illi fidem vilipendebant, ut quæ laborem non sustineret. Adversus illud stans ergo ostendit eum qui temperantiam servat, aut aliquid simile, etiamque eum qui fidem exhibet, majori virtute opus habere. Sicut enim ille fortitudine opus habet, ut lasciviæ cogitationes depellat; ita et hic forti animo, ut incredulitatis cogitationes eliminet. Quomodo igitur fortis effectus est? Fide, inquit, neque ratiociniis rem permisit; nam ita concidisset. Quomodo autem credidit? « Dans gloriam Deo, inquit, » plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est » et facere[1]. » Ergo non curiose scrutari, est Deum glorificare; ut curiose inquirere, est scelus perpetrare. Si vero cum inferiora disquirimus, et scrutamur, Deum non glorificamus; multo magis cum Domini generationem curiose scrutamur, ut qui contumeliam inferamus, extrema patiemur. Si enim resurrectionis formam exquirere non oportet, multo minus arcana illa et horrenda. Nec dixit credens simpliciter; sed plenissime sciens. Nam hujusmodi fides est, clarior, quam demonstratio per syllogismos, magisque persuadet: neque potest aliud accedens ratiocinium illam submovere. Etenim is qui verbis suadetur, potest sententiam mutare: qui vero fide firmatus est, auditum suum munivit adversus illa pestifera ratiocinia. Cum dixisset ergo illum ex fide justificatum fuisse, ostendit illum per fidem gloria affecisse Deum; quod per bonam vitam maxime fieri solet: « Nam, luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum, qui in cœlis est[2]. » Ecce hoc ad fidem pertinere visum est. Rursus sicut opera virtute et robore opus habent, ita et fides. Hic enim plerumque corpus etiam in partem sudoris venit; illic vero animæ solius

[1] Rom. IV, 21. — [2] Matth. V, 16.

est opus. Ita ut major sit labor, corpore non simul pugnante.

VI. Vides-ne ut omnia quæ in operibus extant cum majori copia in fide esse demonstret; exempli causa, gloriari apud Deum, fortitudine et labore opus habere, Deum rursus glorificare ? Cum dixit autem posse Deum quod promiserat facere, videtur mihi futura prænuntiare : non enim præsentia solum, sed et futura promisit. Hæc enim illorum typus erant. Non credere ergo mentis est infirmæ, exiguæ et miseræ. Itaque si nobis quidam fidem vitio vertant, illis contra vitio vertamus incredulitatem, ut miseris, pusillanimibus, stultis et infirmis, et asinis nihilo melius habentibus. Sicut enim credere, est sublimis et magni animi; sic non credere, irrationabilis et vilissimi, et ad jumentorum amentiam dejecti. Ideoque, missis illis, Patriarcham imitemur, et glorificemus Deum, ut ipse Deo gloriam dedit. Quid sibi vult illud: « Dedit illi gloriam ? » Illius justitiam cogitavit, immensam potentiam, et convenientem de illo sententiam sibi assumpsit ; sic certior factus est de promissis. Et nos igitur illum glorificemus et per fidem et per opera, ut et in mercedem ab illo glorificemur : nam ait : « Eos qui me glorificant, glorificabo. » Quanquam etsi nulla proposita esset merces, hoc ipsum, quo dignaremur Deum glorificare, gloria esset. Nam si ii homines qui reges laudibus celebrant, hoc ipso ornantur et ipsi, etsi nihil aliud carpere valeant : cogita quanta gloria fuerit, si Dominus noster propter nos glorificetur ; et contra quantum supplicium mereamur, si propter nos ille blasphemetur, Quanquam ille in nostri gratiam vult glorificari : ille quippe glorificatione non eget. Quantum enim esse putas Deum inter et homines discrimen ? an quantum inter homines et vermes ? Verum nihil dixi tantum afferens discrimen : neque enim dici potest quantum. An velles tu a vermibus glo-

riam accipere magnam? Minime. Si ergo tu qui gloriam amas, non hoc velles; qui ab hoc affectu liber est, et hoc longe superior, quomodo tua egeat gloria? Attamen etsi illa non egeat, se dicit illam propter te cupere. Si enim servus propter te fieri dignatus est, quid miraris si eadem de causa alia suscipit? Nihil enim indignum se putat, quod ad nostram salutem conducat. Hæc cum sciamus, omne peccatum, per quod ille blasphematur, fugiamus. Nam ait: « Ut a facie serpentis, a peccato fuge [1]. » Si ad illud accedas, mordebit te: neque enim illud ad nos venit, sed nos illud sponte adimus. Deus quippe id ita providit, ut ne diabolus per suam tyrannidem superet; alias enim nemo contra illius robur staret: ideo illum semovit, quasi latronem quemdam et tyrannum; ac nisi quempiam inveniat nudum et solum in latibulis suis, non audet irruere: nisi nos per desertum iter facientes viderit, non audet accedere. Desertus autem ille diaboli locus, nihil aliud est quam peccatum. Opus ergo habemus scuto fidei, galea salutis, gladio Spiritus; non modo ne malum patiamur; sed etiam ut si insilire velit, ejus caput abscindamus. Frequentibus egemus precibus, ut sub pedibus nostris conteratur. Impudens enim est et execrandus, etsi ab inferiori loco pugnet; attamen sic etiam vincit. In causa autem est, quod nos non studeamus plagis illius esse superiores. Neque enim potest admodum efferri, sed deorsum repit: hujusque figura est serpens. Si autem illum sic a principio constituit, multo magis nunc. Si ignoras autem quid sit ex inferiore loco pugnare, ego tibi hujusce belli modum explicare conabor. Quid ergo est ex inferiore loco pugnare? a rebus inferioribus decertare, a voluptate, a divitiis, a sæcularibus omnibus. Ideo si quempiam viderit ad cœlum volantem; primo quidem in illum insilire non poterit; secundo etiamsi

[1] Eccli. XXI, 2.

id tentet, cito cadet; neque enim pedes habet, ne formides; non habet alas, ne timeas : supra terram repit et supra res terrenas. Nihil ergo tibi cum terra sit commune, nec labore indigebis. Neque enim adversam pugnam novit, sed tanquam serpens in spinis occultatur, in divitiarum fallacia frequenter latitans. Si spinas excideris, formidolosus facile fugiet; si incantare in illum scias divinas illas incantationes, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis, sunt inquam, incantationes spirituales, nomen Domini nostri Jesu Christi, crucis potentia. Hæc incantatio non modo draconem a latibulo ejicit et in ignem conjicit, sed etiam vulneribus medetur.

VII. Quod si multi hoc dicentes sanati non sunt, id ex illorum modica fide, non ex dicti infirmitate provenit. Nam ipsum Jesum multi pellebant et premebant, nec quidpiam lucrabantur. At quæ sanguinis fluxu laborabat, nec tacto quidem corpore, sed tantum fimbria, diuturnos sanguinis fontes cohibuit. Hoc nomen et dæmonibus et passionibus et morbis est terribile. Hoc igitur nomine ornemur, hoc nos muniamus. Sic Paulus magnus effectus est, etsi eadem quæ nos natura constans; sed fides illum alium ex alio fecit: et tanta erat potestate, ut vestimenta etiam ejus magnam haberent virtutem. Qua igitur excusatione digni fuerimus, si cum illorum umbra et vestimenta mortem depellerent, nec orationes quidem nostræ passiones reprimant? Quid igitur in causa est? Magna animi differentia, licet quæ ad naturam spectant æqualia et communia sint. Nam eodem ille quo nos modo natus et educatus est, et in terra habitavit aëremque respiravit. At in illo alia longe meliora et præstantiora erant quam nostra, zelus, fides, charitas. Imitemur ergo illum : id agamus ut per nos loquatur Christus, id ille maxime a nobis desiderat : atque ideo hoc organum apparavit, nec vult ut inutile maneat; sed semper

manibus tractare cupit. Cur ergo non apparas illud ad manum artificis ; sed etiam chordas demittis , et voluptate molliores efficis, atque inutilem ipsi paras totam citharam, cum oporteret illam stringere et ad cantus tendere , ac spirituali sale constipare ? Si enim hac ratione aptatam Christus viderit, per nostram animam pulsabit. Quo facto, Angelos videbis saltantes, et Archangelos et Cherubim. Digni ergo inculpatis manibus efficiamur. Rogemus eum in corde nostro pulset. Imo neque rogatu opus habet , tactu solum dignum efficito illud, et ipse prior ad te accurret. Nam si procrastinantibus occurrit ; Pauli enim nondum talis effecti encomium texuit ; cum paratum viderit, quid non faciet? Quod si Christus insonuerit, Spiritus omnino adveniet, crimusque cœlo præstantiores, non solem et lunam habentes corpori impressos, sed solis, lunæ et Angelorum Dominum inhabitantem et ambulantem in nobis. Hæc autem dico, non ut mortuos suscitemus, non ut leprosos mundemus ; sed ut signum his omnibus majus exhibeamus, charitatem : ubicumque enim hoc bonum fuerit, statim Filius adest cum Patre, et Spiritus gratia advenit. Nam ait : » Ubi duo vel tres congregati fuerint in » nomine meo, ibi sum in medio eorum [1] : » Quod magni affectus est admodum amantium, cum amati utrinque adsunt. Ecquis ita miser est, inquies, qui nolit Christum medium habere? Nos qui mutuo rixamur. Et fortasse me quispiam irridebit ac dicet : Quid ais ? Non omnes vides intra eosdem parietes, in uno eodemque Ecclesiæ septo, in eodem ovili concordissime versantes, neminem pugnantem, sub eodem pastore, simul clamantes, simul dicta audientes, simul orationes emittentes, et pugnam seditionemque memoras? Pugnam memoro, nec insanio. Video enim illa quæ video, scioque nos in eodem septo esse, unaque

[1] Matth. XVIII, 20.

pastorem. Ideoque maxime lugeo, quia cum tot res nos una congregent, seditionem excitamus? Ecquam seditionem, inquies, hic vides? Hic quidem nullam : sed concione soluta alius alium accusat, alius aperte contumeliam infert, alius invidet, alius vel avarus et rapax vel violentus est, alius turpi amore tenetur, alius sexcentos consuit dolos. Et si possent animæ nostræ detegi, tunc hæc omnia accurate nosseris, ac me non insanire videretis.

VIII. Annon videtis in exercitibus, pacis tempore milites arma ponentes, iis nudatos et inermes et ad hostium castra transmeantes? at ubi armis sese muniunt, tunc custodiæ et speculæ insomnes noctes, assidui ignes; hæc non pacem indicant, sed bellum. Idipsum apud nos videre est : nos enim invicem custodimus, et alii ab aliis cavemus, ad aurem proximo loquimur, et alio superveniente tacemus, ac de medio omnia tollimus et supprimimus, quod non fidentium, sed admodum caventium est. Verum hoc facimus, inquies, non ut injuriam inferamus, sed ut ne patiamur. Ideo lugeo, quod cum inter fratres vivamus, custodia opus habeamus, ne lædamur, et tot ignes accendamus, ac custodias speculasque ponamus. In causa autem est, mendacium frequens, dolus, charitas de medio sublata, inexpiabile bellum. Ideo multos inveneris, gentilibus magis fidentes, quam Christianis. Atqui hæc quanto pudore digna, quantis lacrymis? quantis ejulatibus? Et quid faciam, inquies, moribus asper ille talis est et improbus? Et quorsum abiit philosophia tua? quorsum apostolicæ leges, qui jubent alterum alterius onera portare? Nam si fratre uti nescis, quo pacto bene uti poteris alieno? Si membrum tuum contrectare nescis, quomodo extraneum attrahere tibique conjungere valeas? Sed quid faciam? ex amaritudine ad lacrymas fundendas mire propensus sum, fontes ex oculis emitto secundum Prophetam illum, bella innu-

mera hoc in campo videns externis bellis graviora. Ille namque barbaros irruentes videns dicebat : « Ventre meo » doleo. » Ego vero sub uno imperatore instructos videns, deinde contra se mutuo stantes, mordentes, discerpentes alios aliorum membra, alios pecuniarum, alios gloriæ causa ; alios sine causa ac temere irridentes ac subsannantes, et mille vulnera sibi mutuo infligentes, mortuos iis, qui in bello, gravius cæsos, fratrumque nomen nudum et vacuum relictum, lamentum nullum reperio hac tragœdia dignum. Revereamini igitur, revereamini hanc mensam, cujus participes sumus omnes, Christum pro nobis occisum, sacrificium huic mensæ impositum. Prædones unius salis participes, non ultra prædones sunt erga eos quibuscum communicant, sed mensa mores mutat, et feris ipsis efferatiores, ovibus mansuetiores reddit. Nos vero qui talis mensæ, talis cibi participes sumus, alii adversus alios arma sumimus, cum oporteret contra diabolum, nos omnes oppugnantem, armis instrui. Ideoque nos infirmiores, ille fortior quotidie evadit. Non enim mutuo omnes contra illum armamur : sed cum illo contra fratres stamus, et illo duce in tali acie utimur, cum oporteret illum solum oppugnare. Nunc autem, illo relicto, contra fratres tela vertimus. Quæ tela, inquies ? Quæ ab ore et lingua proficiscuntur. Non enim sagittæ et tela tantum, sed etiam verba, acerbiora quam sagittæ vulnera infligunt. Et quomodo, inquies, poterimus hoc bellum solvere? si cogitaveris te, cum contra fratrem loqueris, lutum ex ore effundere ; si cogitaveris quod membrum Christi calumniaris, quod carnes tuas comedis, quod tibi tribunal illud horrendum et incorruptum, acerbius reddis ; quod telum non eum qui ictus est, sed te qui emisisti occidat. Verum me injuria et malo affecit ? Ingemisce, nec male loquaris ; lacrymare, non ob injuriam acceptam, sed ob illius perni-

ciem, ut Dominus tuus Judam lacrymatus est, non quod ipse crucifigeretur, sed quod ille proderet. Injuria et contumelia te affecit? Deum precare ut illi cito propitius fiat. Frater est tuus, eodem partu natus, membrum tuum, ad eamdem vocatus est mensam. Sed magis, inquies, mihi insultat? Igitur major et amplior erit merces. Hac de causa maxime iram deponere par est, quia letalem ille plagam accepit, quia vulneravit illum diabolus.

IX. Ne igitur tu quoque ferias, neque te cum illo dejicias. Donec enim stas, potes et illum servare. Si vero te dirumpas ut contumeliam contumelia ulciscaris, quis vos deinceps eriget? Ille-ne vulneratus? at non poterit jacens. An tu, qui cum illo cecidisti? Et quomodo qui tibi non potuisti manum porrigere, alteri poteris? Sta igitur generose, clypeum opponens, et mortuum fratrem per patientiam ex pugna extrahe. Ira confodit illum, ne tu quoque confodias; sed prius telum avelle. Si namque sic mutuo versemur, cito sani omnes erimus; si vero alter contra alterum armetur, non jam diabolo opus erit ad perniciem nostram. Omne quippe bellum perniciosum est; sed maxime intestinum. At hoc bellum intestino deterius est, quanto majora sunt hujus nostræ vitæ rationis imo etiam cognationis jura. Occidit olim Abelem frater, et cognatum effudit sanguinem. At hæc cedes illa est iniquior, quanto et major est affinitas, et mortis gravior ratio. Ille namque corpus confodit; tu vero contra animam gladium acuisti. Sed tu prior male passus es? Verum non pati, sed facere, male pati est. Attende autem: jugulavit Caïn, jugulatus est Abel. Uter ergo mortuus erat? Qui post mortem clamabat: « Nam vox sanguinis Abel fratris tui clamabat ad me [1], » inquit; an is qui vivus tremebat timebatque? Hic enim, hic quovis mortuo miserabilior erat. Vides-ne quod melius sit injuria

[1] Gen. IV, 10.

affici, etiam ad cædem usque? Disce quomodo pejus sit injuria afficere, etiamsi usque ad sanguinem quis prævaleat. Percussit et prostravit fratrem suum ille; sed ille quidem coronabatur; ille contra puniebatur. Præter jus occisus et jugulatus est Abel. Sed ille moriens accusabat, occidebat, et comprehendebat; ille vivens tacebat, pudore afficiebatur, comprehendebatur: et contra quam volebat res cecidit. Interficiebat enim, quia illum dilectum videbat, expectans illum a dilectione depellere. Auxit magis dilectionem, et morientem Deus magis requirebat cum diceret: « Ubi est Abel frater tuus? » Non enim amorem per invidiam extinxisti, sed potius incendisti. Non ex cæde honorem minuisti, sed auxisti. Antea enim illum tibi subdiderat Deus; postquam vero illum occidisti, etiam mortuus ille te ulciscetur: tanta est mea erga illum dilectio. Uter ergo damnatus est, qui punivit, an qui punitus est? qui tantum a Deo honorem assecutus est, an qui novo cuidam et inexpectato supplicio traditus est? Illum, inquit, vivum non timuisti, ergo time mortuum; non inhorruisti gladium impacturus? tremore perpetuo corripieris postquam sanguinem effudisti. Vivens servus tuus erat, jam tremendus tibi dominus effectus est. Hæc ergo cogitantes, dilecti, fugiamus invidiam, extinguamus malitiam, charitatem mutuo retribuentes, ut bona illius decerpamus, et in præsenti et in futura vita; gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

CAPUT IV.

Non Scriptum est autem propter illum tantum, quia reputatum est illi ad justitiam; sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mortuis[1].

I. Postquam multa magnaque de Abrahamo dixerat[2], necnon de fide ejus, de justitia, deque honore quem a Deo acceperat; ne auditor diceret : « Et quid hoc ad nos? ille namque est qui justificatus est : » nos ille prope Patriarcham collocat; tanta est spiritualium verborum vis. Nam eum qui ex gentibus, qui recens accesserit, qui nihil fecerit; non modo nihil minus habere dixit, quam Judæus fidelis, sed nec quam Patriarcha. Imovero si quid admirabile sit dicendum, etiam multo magis. Tanta est enim nostra nobilitas, ut illius fides nostræ fidei sit typus. Nec dixit, si autem illi reputatum est, verisimile est ut etiam nobis, ne id in syllogismum verteret; sed ex auctoritate divinarum Legum loquitur, efficitque ut id totum Scripturæ sententia sit. Cur enim scriptum est, inquit, nisi ut discamus, quod nos quoque sic justificati simus? eidem quippe Deo credidimus pro iisdem rebus, etsi non in iisdem personis. Cum autem fidem nostram dicit; Dei quoque ineffabilem benignitatem dicit, quam semper circumversat, crucem in medium afferens; quod et nunc declaravit his verbis : « Qui traditus » est propter peccata nostra, et resurrexerit propter justifica-

[1] Rom. IV, 23, 24. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 123-127.

» tionem nostram[1]. » Vide quomodo postquam causam mortis dixit, eamdem resurrectionis causam afferat. Cur, inquit, crucifixus est? Non ob proprium peccatum, ut liquet ex resurrectione. Si enim peccator erat, quomodo resurrexit? Si resurrexit, palam est non peccatorem fuisse; si peccator non fuit, cur crucifixus est? Pro aliis. Si pro aliis, omnino resurrexit. Ne diceres enim, quomodo tot peccatis obnoxii, possumus justificari? ostendit eum qui peccata omnia delevit; ut et ex fide Abrahæ, per quam ille justificatus est, et ex fide salutaris passionis, per quam a peccatis liberati sumus, sermonem confirmaret. Postquam autem ejus mortem dixerat, de resurrectione loquitur. Non enim ideo mortuus est, ut supplicio obnoxios haberet, et damnatos, sed ut benefaceret; ideo enim mortuus est et resurrexit, ut justos efficeret. « Justificati ergo ex fide, pacem habeamus » ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum[2]. » Quid sibi vult illud, « Pacem habeamus. » Quidam ita explicant: Ne seditiones moveamus contendentes, ut legm introducamus. Mihi autem videtur de vivendi ratione nobiscum hic disseri. Quia enim ubi plura de fide disseruerat, et de justitia per opera, hanc adjecit; ne quis putaret hæc dicta ignaviæ occasionem fore, ait: « Pacem habea- » mus; » id est, ne ultra peccemus, nec ad priora revertamus: hoc enim est bellum habere contra Deum. Et quomodo, inquies, fieri potest, ut ne ultra peccemus? Quomodo illud prius fieri potuit? Si enim tot peccatis obnoxii, ab omnibus per Christum liberati sumus; multo magis illius ope fiet ut in hoc statu maneamus. Non par enim res est pacem, quæ non erat, accipere, et datam servare; quia acquisitio difficilior est, quam conservatio. Attamen quod difficilius erat, facile fuit, et in opus exiit. Ergo id quod facilius est nullo negotio perficiemus, si hæ-

[1] Rom. IV, 25. — [2] Id. V, 1.

reamus ei qui illa nobis perfecit. Hic vero non facilitatem tantum mihi indicare videtur; sed etiam id quod rationabile sit. Si enim nos debellatos reconciliavit, in reconciliatione persistere par est, et hanc illi vicem rependere, ut ne videatur ille pravos et ingratos cum Patre reconciliasse. « Per ipsum enim, inquit, habuimus accessum » ad fidem [1]. » Si ergo procul positis accessum præbuit, multo magis prope stantes retinebit.

II. Tu vero mihi consideres velim, quomodo ubique duo illa ponit et quæ ab ipso, et quæ a nobis sunt. Sed quæ ab ipso sunt varia et multa et diversa. Nam mortuus est propter nos, reconciliavit nos, adduxit, gratiam dedit ineffabilem; nos vero fidem solam attulimus; ideo ait: « In fide; in hanc gratiam in qua stamus. » Quam, quæso, gratiam? Qua dignamur Dei cognitione, qua ab errore liberamur, qua veritatem cognoscimus, qua omnia per baptismum bona consequimur. Ad hoc enim nobis accessum præbuit, ut hæc accipiamus dona. Neque enim fecit tantum ut peccatorum remissionem obtineremus, sed et ut innumeras consequeremur dignitates. Neque hic stetit, sed etiam alia promisit, ineffabilia illa mentem et rationem superantia bona. Ideo utraque posuit; cum enim dicit, gratiam, præsentia significavit, quæ accepimus; cum autem dicit: « Et gloriamur in spe gloriæ Dei, » futura revelavit omnia: ac bene dixit: « In qua stamus. » Talis quippe est gratia Dei; finem non habet, non novit terminum; sed ad majora semper procedit, quod apud homines non est. Exempli causa: accepit quis principatum et gloriam et potentiam; sed non in hac perpetuo stetit, verum cito ab illa excidit; atque etiamsi nemo auferat, mors superveniens omnino tollet. Quæ vero Dei sunt, non talia. Non enim homo, non tempus, non rerum conditio, non ipse

[1] Rom. v, 2.

diabolus, non mors adveniens, ab iis nos depellere poterit. Sed quando morimur, tunc illa firmius tenemus, et in progressu semper pluribus fruimur. Quapropter, si non credis futuris, a præsentibus et ab iis quæ jam accepisti, crede illis. Ideo enim ait : « Et gloriamur in spe gloriæ Dei, » ut discas quam oporteat esse fidelis hominis animam. Neque enim de datis tantum, sed etiam de iis quæ danda sunt, ac si jam data essent, certiorem esse oportet : gloriatur enim quis super iis quæ jam accepit. Quia igitur et futurorum spes ita firma et explorata est, ut eorum quæ jam data sunt ; in illa quoque similiter gloriamur. Ideoque illa gloriam vocavit. Si enim ad Dei gloriam conferant, omnino evenient ; etsi non propter nos, propter ipsum tamen. Et quid dico, inquies, futura bona digna esse ut ob ea gloriemur? Ipsa quoque præsentia mala satis sint, ut de iis nos congratulari oporteat ; ideo subjunxit : « Non solum » autem, sed et gloriamur in tribulationibus [1]. » Cogita igitur quanta sint futura, quando de iis quæ tristia esse videntur altum sapimus. Tantum est Dei donum, et sic in illo nihil ingratum est. In rebus namque exterioribus, certamina laborem habent, dolorem et miseriam ; coronæ vero et præmia in voluptatem conjiciunt ; hic vero non sic, sed certamina non minorem quam præmia voluptatem afferunt. Quia enim multæ tunc erant tentationes, regnum autem in spe erat, et graviora præ manibus, bona autem in expectatione ; hoc autem infirmiores frangebat ; ideo ante coronas, jam illis præmia largitur, dicens oportere in tribulationibus gloriari. Nec dixit : « Oportet vos gloriari ; » sed, « Nos gloriamur, » inquit, in propria persona adhortationem inducens. Deinde quia dictum illud novum inopinatumque esse videbatur, quod cum fame luctantem, cum catenis, cum tormentis, cum contumeliis et

[1] Rom. v, 3.

opprobriis gloriari oporteret, illud demum probat; quodque majus est, hac gloriatione digna dicit; non tantum propter illa futura, sed propter præsentia. Nam ipsæ per sese tribulationes bonæ sunt. Quare? quia ad patientiam excitant. Quapropter cum dixisset, « Gloriamur in tribu» lationibus, » causam adjecit dicens : « Scientes quod tri» bulatio patientiam operatur. » Vide rursum contentionem Pauli, quomodo in contrarium sermonem vertit. Quia enim tribulationes efficiebant, ut illi animum despondcrent circa futura, et desperarent, dicit propter illas ipsas fidendum, nec de futuris desperandum esse : « Tribulatio » enim patientiam operatur, inquit, patientia vero proba» tionem, probatio vero spem, spes autem non confun» dit[a]. » Non modo enim tribulationes spem hujusmodi non tollunt, sed etiam astruunt. Ante futura enim magnum fructum tribulatio habet, nempe patientiam, et quod probatum faciat eum qui tentatur. Confert autem etiam aliquid ad futura : facit enim ut spes in nobis vireat. Nihil quippe ita apparat ad bene sperandum, ut bona conscientia.

III. Nemo itaque eorum qui probe vixerunt, de futuris desperat; ut et multi qui bonam vitam non curant, mala gravati conscientia, neque judicium neque retributionem esse vellent. Quid ergo? An in spe nobis bona sunt? In spe certe; sed non humana, quæ cadit, et sæpe sperantem pudefacit; illo a quo præsidium sperabatur vel mortuo, vel vivente quidem, sed mutato animo. Verum nostra non sunt talia : sed firma semper et immota spes est. Qui enim promisit, semper vivit; nos vero qui bonis illis fruemur, etsi moriamur; at resurgemus : et nihil omnino est quod nos confundere possit, ut qui frustra et temere fluxam spem amplexi simus. Cum ergo his dictis ab omni prorsus dubitatione illos liberasset, hic non sistit gradum; sed fu-

[a] Rom. v, 3-5.

tura rursum inducit; gnarus infirmiores, qui præsentia quærunt, neque his contentos esse. Illis autem futuris fidem facit per ea quæ jam data sunt. Ne quis enim dicat : Quid ergo si nobis nolit Deus gratificari? Quod enim possit, et maneat et vivat omnes scimus. Unde vero scimus quod etiam velet? Ab iis quæ facta sunt. Quænam facta sunt? Amor ille, quem circa nos exhibuit. Quid fecit, inquies? Spiritum sanctum dedit. Quapropter cum dixisset, « Spes non confundit, » hujus rei demonstrationem addidit dicens : « Quia gratia Dei diffusa est in cordibus nostris [1]. » Non dixit : « Data est, » sed, « Diffusa est in cordibus nostris, » largitatem indicans. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit; non cœlum, terram et mare; sed quod his omnibus pretiosius erat; Angelos ex hominibus, filios Dei et fratres Christi fecit. Quid hoc est? Spiritus sanctus. Nisi autem vellet nos post labores magnis donare coronis, non ante labores tot bona dedisset. Nunc vero amoris sui fervorem per hæc indicat, quod non sensim et pedetentim nos honoraverit; sed fontem bonorum simul dederit, et hoc ante certamina. Quapropter, etiamsi non sis admodum dignus, ne desperes, cum apud judicem patronum habeas, nempe charitatem. Ideo ille cum dixisset, « Spes non confundit, » non operibus nostris, sed Dei dilectioni totum retulit. Postquam Spiritum datum dixit, transit rursus ad crucem, sic dicens; « Adhuc enim Chris» tus, cum infirmi essemus, secundum tempus pro impiis » mortuus est. Vix enim pro justo quis moritur : nam pro » bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem cha» ritatem suam Deus erga nos [2]. » Id est, si enim pro viro virtute prædito nemo forte mori velit, cogita Domini tui dilectionem, qui non pro virtute præditis, sed pro peccatoribus et inimicis crucifixus visus est; id quod etiam pos-

[1] Rom. v, 3-5. — [2] Ibid. 6-8.

tea dicit : « Quia si, cum nos peccatores essemus, Chris-
» tus pro nobis mortuus est ; multo magis nunc justificati
» in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si
» enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per
» mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus
» in vita ipsius[1]. » Hæc dicta repetita videntur, non sunt tamen, si quis attente consideret. Considera autem : vult illis fidem facere de futuris, et primo a justi sententia illos pudefacit, cum dicit, adhuc certior factus est ille, quia quod promisit Deus potest exequi ; deinde, a gratia data ; postea, a tribulationibus, quia possunt illæ nos in spem inducere ; ac rursum a Spiritu, quem accepimus ; demumque a morte, et a pristina nequitia nostra illud probat. Et videtur quidem, ut dixi, unum idemque esse quod dicitur, sed duo, et tria et multo plura reperiuntur. Primum, quod mortuus sit ; secundum, quod pro impiis ; tertium, quod reconciliaverit, salutem dederit, justificaverit, immortales reddiderit, quod filios et hæredes fecerit. Non igitur a morte tantum corroborari oportet, ait, sed etiam a dono per mortem nobis collato, quanquam, si mortuus esset tantum pro nobis qui tales sumus, maximum amoris argumentum esset, id quod factum est ; cum autem constet illum morientem dona, et tanta dona largitum esse, talibus hominibus, omnem hyperbolem superant ea quæ facta sunt, et vel stupidissimum ad fidem deducant. Neque enim alius salutem nobis daturus est, quam is qui nos peccatores sic amavit, ut et se ipsum traderet. Vides-ne quantam locus hic probationem afferat ad spem futurorum astruendam? Antehac enim duo nobis erant ad salutem difficilia ; quod peccatores essemus, et quod per mortem Domini salutem consequi oporteret. Quod creditu difficile erat antequam fieret, multaque opus habebat charitate ut

[1] Rom. v, 9, 10.

fieret. Nunc vero postquam hæc evenere, reliqua faciliora sunt. Etenim amici facti sumus : nec ultra morte opus est. Qui igitur inimicis ita pepercit, ut Filio suo non parceret, nunc amicis non patrocinabitur, cum jam nulla sit necessitas ut Filius tradatur? Vel enim quis salutem non affert, quod non velit; vel quod sæpe, etiamsi velit, non possit : neutrum vero possit de Deo dici : nam quod voluerit inde liquet quod Filium suum tradiderit : quod vero possit etiam demonstravit, quando peccatores justificavit. Quid igitur prohibet, quominus nos futura consequamur? Nihil. Deinde rursus, ne peccatores, inimicos, infirmos, impios audiens, pudore afficiaris et erubescas, audi quid dicat : « Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per » Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc re» conciliationem accepimus[1]. » Quid est illud, « Non solum » autem? » Non solum salutem consecuti sumus, inquit, sed etiam de hoc ipso gloriamur, de quo quispiam putaverit nos erubescere. Quod autem in tanta nequitia viventes salvi fuerimus, signum est nos multum diligi ab eo qui salvos nos fecit. Non enim per Angelos aut Archangelos, sed per Unigenitum salutem nobis contulit. Itaque et quod salutem dederit, et quod talibus dederit, quodque per Unigenitum, neque modo per Unigenitum, sed per sanguinem ipsius, id mille nobis gloriæ coronas nectit. Nihil enim ad gloriam et fiduciam excitandam ita confert, quam quod amemur a Deo, et quod illum vicissim amemus. Hoc Angelos splendidos reddit, hoc Principatus et Potestates; hoc regno majus est. Ideo Paulus hoc præferebat regno. Idcirco incorporeas Potestates beatas dico, quod ament eum et in omnibus ei obediant. Hinc igitur illas Propheta mirabatur dicens : « Potentes virtute, fa» cientes verbum illius[2] : » hinc et Seraphinos Esaïas cele-

[1] Rom. v, 11. — [2] Psal. cii, 20.

brabat, ac magnam ipsorum virtutem, quod starent prope gloriam illam; id quod dilectionis maximæ signum erat.

IV. Imitemur ergo et nos supernas illas Potestates, et non modo prope solium stare curemus, sed etiam eum qui in solio sedet in nobis habitantem habere. Ille namque et se odientes amavit et amare perseverat. « Etenim » solem oriri facit super malos et bonos, et pluit super » justos et injustos[1]. » Tu ergo te amantem ama; te quippe amat. Et quomodo, inquies, ille qui amat, gehennam, pœnam et supplicium comminatus est? Ex eo ipso quod amet. Nam malitiam rescindens, et timore tanquam freno tuum coërcens ad pejora impetum, nihil non agit, ut per bona et molesta pronum tuum ad infima animum retineat, et ad se reducat et abducat ab omni nequitia, quæ est gehenna gravior. Quod si de jam dictis rideas, et omnino malis in nequitia vivere, quam uno affligi die, nihil mirum. Nam hoc imperfecti animi tui signum est, et ebrietatis insanabilisque morbi. Nam et pueruli, cum vident medicum ignem vel sectionem inducentem, fugiunt et resiliunt, ejulantes et sese lacerantes, maluntque in perpetua corporis purulentia perire, quam temporaneum sustinendo dolorem, sanitatem postea assequi. At qui mente valent, sciunt gravius esse ægrotare, quam aliqua sectione affici, quemadmodum etiam improbum esse pejus est, quam puniri. Hoc enim est curari, et postea bene valere, illud vero perire et in perpetua ægritudine versari. Quod autem bona valetudo ægritudini sit præferenda nemini non notum est. Quandoquidem et fures, non quando ipsorum latera perfodiuntur, sed quando muros perfodiunt et occidunt, lacrymis digni sunt. Si enim melior est anima corpore, ut revera melior est; illa mortua magis lugendum et gemendum est; quod si illa minime sentiat, ideo magis lugenda

[1] Matth. v, 45.

est. Nam qui impuro amore amant magis sunt deplorandi, quam ii qui febri laborant, similiterque ebriosi magis, quam ii qui tormentis applicantur. At si illa graviora, inquies, cur potius illa eligimus? Quia plerisque hominibus secundum proverbium pejora placent, illaque diligunt, meliora prætermittentes : id quod etiam in cibis videre est, atque in vitæ institutis, in æmulatione, et in voluptatibus, in mulieribus, in domibus, in mancipiis, in agris, in aliisque omnibus. Utrum enim dulcius, quæso te, cum fœminis an cum masculis congredi, cum fœminis an cum mulabus? Attamen multos invenimus, qui cum brutis coëant, et masculorum corpora deturpant : quanquam ea, quæ secundum naturam sunt, iis quæ contra naturam suaviora sint. Attamen multi sunt, qui risu digna, injucunda, et supplicium habentia, ut suavia persequuntur. Illis enim hæc suavia videntur esse, inquies. At hac ipsa de causa miseri sunt, quod suavia putent ea esse quæ minime suavia sunt. Sic etiam supplicium peccato deterius esse putant. At non sic est, sed contrarium omnino. Nam si supplicium peccatis inflictum malum esset, Deus mala malis non addidisset, neque illos pejores reddere voluisset. Qui enim omnia facit ut malitiam extinguat, non illam augeret. Ergo non malum est delinquenti quod puniatur; sed eidem malum est, si non puniatur; ut ægrotanti malum si non curetur. Nihil enim ita malum est ut absurda concupiscentia; cum absurdum dico, de deliciis loquor, de gloria intempestiva, de principatus amore, deque omnibus uno verbo, quorum necessitas nulla est. Nam qui talis est, qui mollem et solutam vitam agit, videtur quidem omnium felicissimus esse, sed est omnium miserrimus : qui molestas et duras dominas inducit in animam suam. Ideo laboriosam nobis Deus hanc vitam reddidit, ut nos a tali servitute liberaret, et in puram libertatem adduceret. Ideo

supplicium comminatus est, et vitam nostram laborum consortem fecit, mollitiem constringens. Sic Judæi cum luto et lateritio operi astricti essent, mansueti erant, Deumque frequenter invocabant; postquam autem libertatem adepti sunt, murmuravere, et Deum irritaverunt; sexcentisque se malis involverunt. Quid igitur dixeris, inquies, de iis, quos sæpe ærumna transversos egit? Illud non ex ærumna provenisse; sed ex illorum infirmitate. Neque enim si quis stomachum infirmum habens acre pharmacum accipiat, quo purgari possit; sed ab illo atteratur; non id pharmaco tribuemus, sed membri infirmitati; idipsum quoque de animi debilitate dicemus. Nam qui ab ærumna subvertitur, id multo magis a desidia patietur; si enim is vinctus cadit, hoc quippe ærumna est, multo magis solutus ceciderit; si constrictus subvertitur, multo magis relaxatus. Et quomodo, inquies, potero non subverti si adsit ærumna? Si cogites te, velis nolis, illam laturum esse; sed si cum gratiarum actione, magnum quidpiam lucraturum esse; sin invitus, mœrens et blasphema proferens, non minorem reddes calamitatem, sed majorem facies tempestatem. Hæc cogitans, id quod necessario accidit, ex proposito voluntatis admittamus; exempli causa, filium qui genuinum amisit; alius facultates omnes; si cogites id vitari non posse, sed ex inevitabili calamitate fructum decerpi posse, illam generose ferendo, et blasphemiæ loco laudem Domino referas, sic mala te non volente illata, in propositi et voluntatis merita vertentur. Vidisti-ne filium immaturæ ætatis abreptum? Dic, «Dominus dedit, Dominus abstulit[1].» Viditis-ne facultates pessumdatas? Dic, «Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar[2].» Vidisti improbos prospere agentes, et justos infeliciter rem gerere, et innumeris af-

[1] Job. I, 21. — [2] Ibid.

fligi malis, nec potes horum causam explorare? dic : « Ut » jumentum factus sum apud te: ego tamen semper tecum[1]. » Si vero causam quæras, cogita diem a Deo constitutum esse, quo judicaturus est orbem; et omnem excutiet dubitationem : tunc enim unusquisque secundum meritum accipiet; ut Lazarus et dives. Recordare Apostolorum : illi enim flagellati, pulsi, et millia patientes, gaudebant, quod dignati essent pro nomine Christi contumeliam ferre. Et tu itaque si ægritudine labores, id fortiter feras, et Deo gratias reddas; sicque eamdem quam illi mercedem accipies. Quomodo autem in morbo, in doloribus poteris gratiam habere? Si illum sincere ames. Nam si tres pueri in fornacem conjecti; et alii vinculis constricti, vel innumeris afflicti malis, non destiterunt a gratiarum actione; multo magis ii qui morbis, et duris infirmitatibus afflictantur, hoc facere poterunt. Nihil enim est, nihil certe, quod amor non vincat. Cum porro Dei amor est, omnibus est sublimior, neque ignis, neque ferrum, non paupertas, non infirmitas, non mors, non quidvis aliud grave videbitur ei, qui hoc amore detentus est; sed omnia irridebit, et ad cœlum volabit; nec alio modo affectus erit quam ii qui illic degunt; nihil aliud respiciens, non cœlum, non terram, non mare, sed unam attendens pulchritudinem, gloriæ nempe illius : neque præsentis vitæ ærumnæ illum deprimere, neque prospera et voluptatem ferentia inflare poterunt. Hunc ergo diligamus amorem, cui par nihil est, et propter præsentia et propter futura; imovero et imprimis, propter ipsam amoris naturam. Sic enim liberabimur et a præsentis et a futuræ vitæ suppliciis, et regno fruemur. Cæterum neque liberatio a gehenna, neque regni illius possessio magnum quidpiam est, si comparetur cum illo, quod dicturi sumus. Illis omnibus majus est, Chris-

[1] Psal. LXXII, 22.

tum et amatum et amatorem habere. Si enim apud homines hic amor mutuus omni voluptate superior est; cum apud Deum hic mutuus amor concurrit, quis sermo, quæ mens possit istius animæ felicitatem declarare? Nulla id potest mens; sed experientia tantum. Ut ergo et spiritualem hanc lætitiam, et beatam vitam, et mille bonorum thesaurum experientia ediscamus, relictis omnibus, hunc amorem amplectamur, et ad lætitiam nostram et ad amati Dei gloriam. Quia ipsi gloria et imperium cum Unigenito et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

CAPUT V.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors; sic et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt[1].

I. Quemadmodum[2] optimi medici radicem semper morborum explorant, et ad ipsum mali fontem semper veniunt; sic et beatus Paulus. Cum dixisset enim nos justificatos fuisse, idque ostendisset a Patriarcha, a Spiritu, et a morte Christi; neque enim mortuus fuisset, nisi justificaturus esset; probat demum aliunde ea quæ per hæc demonstraverat, et a contrariis propositum statuens, id est, a morte et a peccato, quærit quomodo et unde mors intraverit, et qua ratione dominata fuerit. Quomodo ergo intravit mors, et dominata est? Per peccatum unius. Quid sibi vult illud, « In quo omnes peccaverunt? » Illo lapso, ii

[1] Rom. v, 12. — [2] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 127.

etiam qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales. « Usque ad legem enim peccatum erat in » mundo : peccatum autem non imputatur, cum non est » lex[1]. » Illud, « Usque ad legem, » quidam tempus illud ab ipso indicari putant, quod ante legem datam fuit ; nempe quo Abel, Noë et Abraham vixerunt, donec Moyses natus est. Quod ergo tunc erat peccatum ? Quidam dicunt : illud quod in paradiso admissum est significari. Nondum enim erat solutum, inquit, sed ejus fructus florebat : nam communem illam mortem attulit, quæ dominabatur et tyrannidem exercebat. Cur ergo subjungit, « Peccatum au- » tem non imputatur, cum non est lex ? » Ex objectione Judæorum, inquit, ii qui nobiscum sentiunt et loquuntur, hoc ipsum posuisse dicunt ; quod si non sit peccatum sine lege, quomodo mors omnes qui ante legem erant absumpsit ? Mihi autem videtur id quod dicturi sumus, rationi magis consentaneum esse, et cum apostolica mente consentire. Quid illud est ? cum dixisset, « Usque ad legem peccatum fuisse in » mundo, » hoc mihi videtur dicere, quod post datam legem peccatum ex transgressione ortum, dominatum sit, et tandiu dominatum sit donec lex esset. Neque enim consistere potest peccatum, inquit, cum lex non est. Si ergo, inquies, hoc peccatum ex legis transgressione mortem peperit, quomodo qui ante legem fuerunt omnes mortui sunt ? si enim ex peccato mors radicem habuit, et si non extante lege peccatum non imputatur, quomodo mors dominabatur ? Unde palam est non peccatum illud quod est legis transgressio, sed illud Adami peccatum inobedientiæ, ipsummet fuisse quod omnia perdidit. Et quænam hujus rei probatio est ? Quod ante legem omnes morerentur. « Reg- » navit enim mors, inquit, ab Adam usque ad Moysem, » etiam in eos qui non peccaverunt. » Quomodo regnavit ?

[1] Rom. v, 13.

« In similitudinem prævaricationis Adæ, qui est figura » futuri[1]. » Ideo enim typus est Christi Adam. Quomodo, inquies, typus? Quia sicut ille ex se ortis, licet non comederint de ligno, causa fuit mortis per cibum illum inductæ, ita et Christus suis, licet non juste egerint, justitiæ conciliator fuit, quam per crucem nobis omnibus largitus est. Quapropter semper et ubique huic rei insistit, et frequenter hoc in medium adducit dicens : « Sicut per unum ho- » minem mors intravit in mundum ; » et, « Si unius peccato » multi mortui sunt, » et, « Non sicut per unum peccatorem, » ita donum ; » et, « Judicium ex uno in condemnationem ; » et rursus, « Si enim per unius delictum mors regnavit per » unum ; » et, « Itaque si per unius delictum ; » et rursum, « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores effecti » sunt multi : » neque ab hoc uno desistit : ut cum tibi dixerit Judæus? « Quomodo uno Christo recte operante, orbis salutem est adeptus? » possis ipsi dicere : « Quomodo uno inobediente Adamo, orbis condemnatus est? « Quanquam non par sit peccatum gratiæ, nec par sit mors vitæ, nec diabolus Deo, sed immensum sit discrimen. Cum igitur et ex natura rei, et a rem suscipientis potestate, et ab ipso decoro; Deo quippe multo decentius est servare, quam punire, cum ex his, inquam, præstantia et victoria pariatur, quam, quæso, incredulitatis rationem habeas? Quod igitur id quod factum est ratione nitatur, ostendit dicens : « Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim » unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei » et donum in gratia unius hominis Jesu Christi, in plures » abundavit[2]. » Id est, si peccatum tantum valuit, atque unius hominis peccatum ; gratia, imo Dei gratia, nec modo Patris, sed etiam Filii, quomodo non longe superabit? Hoc enim multo magis rationi consonum. Alterum enim

[1] Rom. v, 14. — [2] Ibid. 15.

pro altero pœnas dare, non æquum videtur; alterum vero propter alterum servari, id certe magis decorum et consentaneum. Si ergo illud, multo magis hoc factum est.

II. Quod ergo id decorum et congruens sit, his ille probavit. Illo autem commonstrato, hoc postea facile admittebatur; imo etiam necessario sequebatur, ut ex sequentibus probat. Quomodo id probat? «Non sicut per »unum peccantem, ita et donum, inquit : Nam judi»cium quidem ex uno in condemnationem; gratia autem »ex multis delictis in justificationem [1]. » Ecquid hoc sibi vult? quod peccatum mortem et damnationem inducere potuerit; gratia vero non illud modo peccatum abstulerit; sed alia quoque omnia quæ post illud admissa sunt. Ne enim illud, « Sicut, » et illud, « Ita, » parem inducerent bonorum et malorum mensuram; neve putares audita Adami voce, ipsius duntaxat peccatum abstersum esse, dicit ille delicta multa sublata fuisse. Undenam hoc liquet? Quia post innumera illa peccata, quæ post illud in paradiso admissum secuta sunt, in justificationem res deducta est : ubi autem est justitia, ibi vita et infinita bona necessario consequuntur; sicut ubi est peccatum, ibi mors quoque est. Justitia enim plus est quam vita, quandoquidem radix vitæ est. Quod igitur plurima inducta sint bona, neque illud modo peccatum, sed etiam cætera omnia sublata sint, id ipse declarat, « Gratia ex multis delictis ad justifi»cationem : » unde necessario illud quoque ostensum est, mortem radicitus avulsam fuisse. Probandum vero restat, quoniam secundum primo majus esse dixit, ut hoc quoque astruatur. Primo quippe dixit : « Si unius peccatum omnes »morti tradidit; multo magis unius gratia servare poterit. » Postea ostendit non illud modo peccatum per justitiam sublatum fuisse, sed etiam cætera omnia; neque solum

[1] Rom. v, 16.

abstersa peccata fuisse, sed datam quoque fuisse justitiam; nec modo tantum peofuisse Christum, quantum Adam nocuerat; sed longe magis. Quia igitur tanta pronuntiavit, hic majore opus est probatione. Quomodo igitur illud astruit? « Si enim unius delicto, inquit, mors regnavit per » unum, multo magis ii, qui abundantiam gratiæ et dona- » tionis et justitiæ acceperunt, in vita regnabunt per unum » Jesum Christum[1]. » Id est : quid mortem contra mundum totum armavit? Quod unus tantum homo de ligno comedisset. Si ergo mors ex uno delicto tantam vim accipit; cum quidam inventi sint qui multo majorem peccato illo gratiam et justitiam acceperunt, quomodo poterant deinde morti esse obnoxii? Ideo non hic dixit : « Gratiam, » sed, « Abundantiam gratiæ. » Non modo enim quantum opus erat ad peccatum tollendum, ex gratia illa accepimus; sed multo amplius. Nam a supplicio liberati sumus, et nequitiam omnem exuimus, ac primo regenerati, resurreximus, sepulto veteri homine : redempti sumus, et sanctificati, atque in adoptionem adducti, justificati, ac fratres Unigeniti effecti, et cohæredes ejusdem corporis et carnis consortes, sicut caput corpori, ita ipsi juncti sumus. Hæc itaque omnia abundantiam gratiæ Paulus vocavit, ostendens nos pharmacum accepisse non modo par vulneri; sed etiam sanitatem, pulchritudinem, honorem, gloriam, et dignitates longe naturam nostram superantes. Quæ singula sola poterant mortem solvere : cum autem omnia simul concurrunt, neque vestigium, neque umbra illius videri potest, cum radicitus deleta fuerit. Quemadmodum ergo si quis hominem obolos sibi decem debentem in carcerem tradat; neque ipsum solum, sed etiam uxorem, filios et famulos propter ipsum; alius vero accedens, non decem tantum obolos numeret, sed etiam decies

[1] Rom. v, 17.

mille talenta auri, et vinctum in regias ædes inducat, atque in solium celsissimum collocet, consortemque supremi honoris et splendoris reddat; qui decem obolos commodaverat, eorum ultra reminisci non poterit; sic et in nobis contigit. Longe plura enim quam debeamus solvit Christus, et tanto plura, quanto immensum pelagus ad stillam aquæ collatum majus est. Ne itaque dubites, o homo, cum tantas bonorum divitias videas : nec quæras quomodo illa mortis, et peccati scintilla extincta sit, cum in illam tot charismatum mare immissum fuerit. Hoc enim et Paulus subindicavit dicens eos, qui abundantiam gratiæ et justitiæ acceperunt, in vita regnaturos esse : et postquam illud clare commonstravit, rursus primum syllogismum refert, et repetitione confirmat dicens, si propter delictum illius omnes dedere pœnas, hinc posse illos justificari : quamobrem ait; « Igitur sicut per unius delictum » in omnes homines ad condemnationem; sic et per unius » justificationem in omnes homines ad justificationem » vitæ[1]. » Et hac de re iterum concertat his verbis : « Sicut » enim per unius hominis inobedientiam homines multi » peccatores effecti sunt, sic et per unius obedientiam » justi constituentur multi[2]. » Ac videtur quidem dictum illud non parvam inferre quæstionem. Si quis vero studiose attenderit, illa facile solvetur. Quænam igitur illa quæstio est? nempe dicere, per inobedientiam unius multos effici peccatores. Quod enim illo peccante, et mortali facto, qui ex illo orti sunt tales efficiantur, id a verisimili non abhorret; quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Invenietur quippe ille non pœnas debere, nisi ex se peccator fuerit.

III. Quid igitur hic significat illud, « peccatores? » Mihi quidem videtur supplicio obnoxios, et ad mortem

[1] Rom. v, 18. — [2] Ibid. 19.

damnatos. Quod igitur Adamo mortuo, omnes simus mortales effecti, id clare et pluribus ostendit. Quod quæritur autem est, cur ita factum sit ; sed nondum illud adjicit; neque enim id ad rem præsentem pertinet. Nam contra Judæum decertatur, qui dubitat ac deridet illam per unum hominem justitiam. Ideo postquam ostendit supplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum sit non addit : neque enim superflue loquitur ; sed circa necessaria tantum instat. Hoc enim non magis illum, quam Judæum, dicere cogebat certaminum lex : quapropter rem insolutam reliquit. Quod si quis vestrum quærat, hoc dicemus, nos a morte hujusmodi ac condemnatione non modo nihil læsos fuisse, si advigilemus ; sed etiam lucratos esse cum mortales effecti sumus : primo quod in corpore immortali peccemus ; secundo quod innumeras philosophiæ ansas hinc mutuemur. Nam ut modum servemus, ut temperantes simus et nos reprimamus, utque ab omni nequitia abstineamus, et præsens et expectata mors suadet. Ad hæc vero, imo potius ante hæc, alia plurima nobis intulit bona. Hinc enim Martyrum coronæ, Apostolorum bravia : sic Abel justificatus est ; sic Abraham mactato filio ; sic Joannes propter Christum occisus ; sic tres pueri ; sic Daniel. Si enim velimus, nec mors, nec quidem ipse diabolus nobis nocere poterit. Ad hæc illud quoque dici potest, immortalitatem nos excepturam esse, et ad modicum tempus admonitos, futuris nos fruituros esse bonis : postquam in hac vita quasi in litterario ludo, ex morbis, ærumnis, tentationibus, paupertate, et aliis, quæ gravia videntur esse, instituti et idonei facti fuerimus ad futurorum bonorum adeptionem. « Lex autem subintravit, ut abundaret delictum[1]. » Postquam enim ostendit ab Adamo damnatum orbem, et a Christo salute donatum, atque a supplicio li-

[1] Rom. v, 20.

beratum; opportune de lege quærit, opinionem quam de illa habebant deprimens. Non modo enim, inquit, nihil profuit, nec juvit; sed etiam illa subintrante auctus est morbus. Illud vero, ut, hic non causam indicat, sed eventum. Non enim ideo data est ut abundaret; sed ut minueret et tolleret peccatum: sed contrarium evenit; non ex naturæ lege, sed ex accipientium ignavia. Cur vero non dixit, «Lex data est;» sed, «Lex subintravit?» Temporaneum ostendens illius usum; non autem proprium vel præcipuum: quod etiam in Epistola ad Galatas diverso modo dicit: « Ante» quam enim veniret fides, a lege, inquit, custodiebamur, » conclusi ad fidem quæ revelanda erat [1]. » Itaque lex non sibi, sed alteri gregem custodiebat. Quia enim Judæi illiberales erant ac dissoluti et ad ipsa dona supini, ideo lex data est, ut illos magis coargueret, et clare doceret quo in statu essent, atque accusationem augens, illos magis constringeret. Verum ne timeas: neque enim ut majus supplicium esset id factum est; sed ut major appareret gratia. Ideo subjicit: « Ubi abundavit peccatum, superabundavit » gratia; » non dixit: « Abundavit; » sed « Superabundavit. » Non modo enim a supplicio liberavit, sed etiam peccatorum remissionem et vitam dedit, aliaque etiam, quæ sæpe diximus; ac si quis febricitantem non solum a morbo liberaret, sed etiam formosum, fortem, honoratum redderet; aut esurientem non modo aleret; sed multis pecuniis donaret, atque ad imperium maximum eveheret. Et quomodo, inquies, abundavit delictum? Innumera dedit lex præcepta: quia ergo illa omnia transgressi sunt, abundavit delictum. Vides-ne quantum intersit gratiam inter et legem? Lex enim additamentum damnationis facta est: gratia vero doni redundantia.

IV. Postquam immensum Dei erga nos studium dixerat,

[1] Galat. III, 23.

rursus quærit principium et radicem mortis et vitæ : quænam igitur mortis radix est? Peccatum : ideo dixit : « Ut » sicut regnavit peccatum in mortem ; ita et gratia regnet » per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Do» minum nostrum [1]. » Hæc autem dixit, ostendens peccatum quidem quasi regem fuisse, mortem vero quasi militem sub ipso stantem et ab ipso armatum. Ergo si peccatum mortem armavit, palam est justitiam, quæ peccatum tollit, quæque per gratiam inducitur, mortem non modo armis spoliare ; sed etiam de medio tollere, et illius regnum totum auferre, quatenus ipsius regnum majus illo est ; quæ non per hominem vel per diabolum ; sed per Deum et per gratiam inducitur, et ad meliorem finem vitam nostram adducit, cum sit infinitum bonum : neque enim finem habebit; ut hinc magis ediscas. Illud quidem nos a præsenti vita ejecit : gratia autem veniens, non præsentem, sed immortalem et æternam nobis vitam donavit. Horum autem omnium conciliator nobis est Christus. Ne itaque de vita dubites, cum justitiam habeas : justitia quippe major est quam vita, quia mater ejus est. « Quid ergo ? Manebimus » in peccato ut gratia abundet? Absit [2] ? » Rursus ad moralem transit sermonem, non quasi data opera illum inducens, ne videatur onerosus et molestus multis esse ; sed ex dogmatum serie. Nam si sermonem ita varians cavebat, ne forte isti ægre ferrent ; ideoque dicebat : « Audacius » autem vobis scripsi ex parte [3] ; » nisi hoc fecisset, asperior illis visus fuisset. Postquam ergo monstravit magnam esse gratiam peccata gravia curandi ; cum hinc insipientibus videretur hoc dictum adhortationem esse ad peccandum ; si enim ideo, aiebant, major visa est gratia, quia magna peccata admisimus, peccare ne desinamus, ut amplior gratia ostendatur; ne igitur hæc dicerent vel opi-

[1] Rom. v, 21. — [2] Id. vi, 1. — [3] Id. xv, 15.

narentur, vide quomodo objectionem subvertat, primo negatione, dicens, absit; ut solet in iis, quæ absurda esse in confesso est. Deinde ratiocinium adhibet, cui repugnari nequeat. Quale illud. « Qui mortui sumus, inquit, pec-» cato, quomodo adhuc vivemus in illo [1]? » Quid est illud, « Mortui sumus? » an quod, quantum ad illud spectat, sententiam accepimus omnes? an quod mortui sumus illi, credentes, et illuminati? id quod certe potius dicendum. Hoc enim ostendit id quod sequitur. Quid autem est, mortuos esse peccato? In nullo deinceps ipsi obsequi. Hoc enim semel fecit baptisma; nos peccato mortuos reddidit. Oportet autem hoc studio nostro in perpetuum exequi; ut quantacumque imperet, non ultra dicto audientes simus, sed quasi mortui, immoti maneamus. Atqui alibi quoque ait ipsum peccatum mortuum esse; sed ibi ut facilem ostendat virtutem hoc profert. Hic vero quoniam auditorem excitare festinat, ad ipsum mortem transfert. Deinde, quia dictum illud obscurum erat, illud explicat vehementiore utens sermone. At enim: « An ignoratis, fratres, » quod quicumque in Christum baptizati sumus, in mortem » ipsius baptizati sumus? Consepulti igitur ipsi sumus per » baptismum in mortem [2]. » Quid sibi vult illud, « In mor-» tem ipsius baptizati sumus? » Ut ipsi moriamur sicut et ille. Baptisma enim crux est. Quod igitur Christo fuit crux et sepulcrum, hoc nobis baptisma fuit: etsi non iisdem in rebus. Ipse namque carne mortuus ac sepultus est; nos autem peccato utrumque. Quapropter non dixit: « Com-» plantati cum morte; » sed, « Cum similitudine mortis. » Mors enim est et hoc et illud, sed non ejusdem subjecti. Mors enim carnis, Christi est; mors peccati, nostra; ac quemadmodum illa, sic et hæc vera est. At etsi vera sit, ea quæ penes nos sunt conferamus oportet. Ideo subjungit:

[1] Rom. VI, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

« Ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis per glo-» riam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus[1]. » Hic cum recte vivendi studio, resurrectionem quoque subindicat. Quomodo? Credidisti, inquit, Christum mortuum fuisse et resurrexisse; ergo et quod ad te pertinet credito. Hoc enim illi simile est. Nam ad te quoque spectat et crux et sepulcrum. Nam si in morte et in sepulcro consors ipsi fuisti; multo magis in resurrectione et vita. Soluto namque majore, nimirum peccato; de minore, nempe mortis exitio, non est quod dubitetur. Verum hæc interim Paulus auditorum conscientiæ considerandæ relinquit. Ipse vero proposita futura resurrectione, aliam a nobis resurrectionem exigit, novum institutum in præsenti vita, quod ex morum mutatione fiat. Nam cum fornicator castus efficitur; avarus, misericors; asper, mansuetus, hic tunc resurrectio fit, quæ futuræ proœmium est. Et quomodo resurrectio est? Mortuo peccato, et justitia exurgente; pristina vita deleta, nova autem hac et angelica vigente. Cum audis vitam novam, multam quære diversitatem et mutationem magnam. Verum in lacrymas erumpo et in gemitus magnos, cum cogito quantam a nobis philosophiam exigat Paulus, et in quantam nos ignaviam conjecimus, post baptismum ad priorem senectutem reversi, atque in Ægyptum redeuntes, et post manna, alia in memoriam revocantes. Decem enim aut viginti diebus post baptisma mutati, pristina rursum aggredimur. At non statutum dierum numerum, sed totam vitam expetit Paulus ad hoc vivendi institutum.

V. Nos autem ad pristinum vomitum reversi, post juventutem a gratia acceptam, a peccatis senectutem paramus. Nam pecuniarum amor, et absurdarum cupiditatum servitus, omneque tandem peccatum, senectutem operanti afferre solet; quod autem ad vetustatem senectutemque

[1] Rom. VI, 4.

declinat, interitui proximum est. Neque enim ita potest corpus per senectutem dissolvi, ut anima peccatis corrupta ac delapsa ; ad extremas enim tunc nugas deducitur, futilia loquens, quemadmodum senes et deliri, atque pituita referta ; necnon stupore atque oblivione, lippis instructa oculis, hominibus abominanda, et diabolo captu facilis est. Tales enim sunt peccatorum animæ ; justorum vero animæ contra juvenescunt ac vigent, et in ipso ætatis flore sunt semper ad pugnam et luctum semper paratæ. Peccatorum vero animæ in quam minimo conflictu statim cadunt et pereunt : id quod declarans Propheta dicebat : « Tanquam » pulvis quem projicit ventus a facie terræ [1]. » Ita sunt versatiles, et damnum parantibus aditu faciles, qui in peccatis vitam agunt. Neque enim clare vident, nec sincere audiunt, nec articulatim loquuntur : singultu multo gravantur ; ingentem in ore salivam circumferunt ; atque utinam salivam ; non enim id absurdum esset, sed jam cœno putidiora verba proferunt : quodque gravius est, ne spuere quidem hujusmodi verborum spumam possunt ; sed manu excipientes execrando modo rursus illam atterunt, cum sit densa, nec facile solvi possit. Forte cum nausea et fastidio narrationem hanc excipitis ; quanto magis rem ipsam fastidiretis. Nam si in corpore hæc ingrata et insuavia sunt, multo magis in anima. Talis erat juvenis ille, qui omnia sua consumpserat, et in extremam nequitiam devenerat ; ita ut deliro omni et ægrotante debilior esset. At quando voluit, derepente novus factus est ex una animi voluntate ac mutatione. Postquam enim dixerat : « Rever- » tar ad Patrem meum [2] : » hæc una vox omnia ipsi contulit bona ; imovero non verbum tantum ; sed opus cum verbo conjunctum. Non enim dixit : « Revertar, » et ibi mansit ; sed, « Revertar, » et reversus, ac viam totam illam emen-

[1] Psal. I, 4. — [2] Luc. XVII, 18.

sus est. Sic et nos faciamus : etiamsi extra patriæ fines deportati fuerimus, ad paternam tamen domum redeamus : nec nos longioris viæ pigeat. Nam si voluerimus, facilis erit reditus ac celerrimus. Alienam peregrinamque terram deseramus : hoc enim ipsum est peccatum, quod nos a paterna domo abducit. Illam itaque relinquamus, ut ad paternam revertamur domum. Nam prolis amans est pater, nec nos immutatos minus diliget, quam eos, qui vitæ probitate florent, imo plus amabit. Siquidem illum pater plus in honore habuit, magisque delectatus est filio recuperato. Et quomodo revertar, inquies? Rem incipe tantum, et totum factum est. Peccare desine, nec ultra procedas, et jam totum accepisti. Sicut enim iis qui morbo laborant, non pejus habere initium est convalescendi; sic et in nequitia contingit. Ne ulterius progrediaris, et nequitia finem habebit. Si per biduum hoc feceris, tertio die facilius abstinebis : ac tribus diebus decem addes; hinc viginti, postea centum ; denique totam vitam. Quanto enim magis progressus fueris, faciliorem cernes viam, et ad ipsum culmen adductus, complurium simul bonorum fructum decerpes. Nam tunc quoque, cum prodigus ille reversus est, et tibiæ, et citharæ et chori, thaliæ, et celebritates aderant. Atque is qui a filio de tam intempestivo sumptu, deque diuturna fuga rationes repetiturus esse videbatur, nihil hujusmodi fecit, imo illum quasi præclare se gessisset conspexit : nec modo illum verbis non increpavit, nec pristinæ vitæ mentionem fecit; sed perfusus gaudio osculatus est, vitulum mactavit, et stola ipsum induit, multumque addidit ornatum. His ergo exemplis instructi, confidamus et ne desperemus. Neque enim ille ita lætatur cum dominus, ut cum pater vocatur; mavultque filium, quam servum habere. Propterea illa omnia fecit, Unigenito suo non pepercit, ut

filiorum adoptionem reciperemus [1] ; » utque illum non modo ut dominum, sed etiam ut patrem diligeremus. Id quod si a nobis obtineatur, ac si gloriam adeptus hoc effert, omnibusque lætabundus declarat, qui nullo nostrorum indiget. Hoc erga Abrahamum effecit, qui passim dicit : « Ego Deus Abraham, et Isaac et Jacob. » Atqui in his servos gloriari oportebat ; at nunc ipse Dominus hac de re gloriatur. Idcirco Petro dicit : « Diligis me plus his [2] ? » ostendens se nihil perinde a nobis expetere. Ideoque Abrahamum jussit filium suum immolare, ut omnibus palam faceret se multum a Patriarcha amari. Illud porro quod se multum amari cupiat, ipsum etiam multum amare significat. Idcoque Apostolis dicebat : « Qui amat patrem » et matrem plus quam me, non est me dignus [3]. »

VI. Idcirco quod omnium nobis charissimum est, animam nempe, jubet secundam in amore poni ; quia ipse majorem in modum et super omnia vult a nobis amari. Etenim et nos cum non admodum erga aliquem afficimur, illius amorem non multum curamus, etsi magnus sit et illustris ; cum vero quempiam sincere amamus, etsi vilis tenuisque sit, ejus mutuum amorem magni facimus. Ideo ille non solum a nobis amari, sed etiam pro nobis contumeliosa illa pati, gloriam vocabat. Verum illa ob dilectionem tantum gloria erant. Quæ autem nos pro ipso passi fuerimus, non propter amorem tantum, sed etiam propter amati gloriam et dignitatem ; gloria vere vocentur et fuerint. Quasi ergo ad coronas maximas, ad pericula pro ipso subeunda curramus : nec paupertatem, vel morbum, vel molestiam, vel sycophantiam, vel ipsam mortem gravem et molestam esse putemus, cum hæc propter illum sustinenda sint. Nam si sapiamus, magnum inde fructum decerpemus ; quemadmodum nisi sapiamus, ne a contrariis

[1] Rom. VIII, 23. — [2] Joan. XXI, 17. — [3] Matth. X, 37.

quidem aliquid boni lucrabimur. Perpende autem : tibi quispiam molestus est, et adversatur? Ad vigilandum te ille provocat, occasionemque tibi præbet, ut sis Deo similis. Si insidiantem tibi diligas, similis eris ei, «Qui solem »oriri facit super malos et bonos[1]. » Alius tibi pecunias abripit? si generose feras, eamdem recipies mercedem, quam si qui omnia pauperibus largiuntur. « Nam rapinam »facultatum vestrarum, inquit, cum gaudio excepistis, scien»tes vos meliorem habere et manentem in cœlis substan»tiam[2]. » Maledictis et convitiis te quispiam incessit? Seu vera, seu falsa illa sint, coronam tibi maximam nexuit, si æquo animo feras : nam sycophanta magnam nobis mercedem conciliat. «Gaudete, inquit, et exultate, cum omne »malum dixerint adversum vos mentientes; quia merces »vestra copiosa est in cœlis[3]. » Cum vera dicit etiam, multum prodest, si tamen dicta patienter feramus. Etenim Pharisæus ille vera contra Publicanum proferebat; at de Publicano justum effecit[4]. Quid opus est singula prosequi? nam Jobi certamina perpendenti licet hæc omnia accurate discere. Ideoque Paulus dicebat : «Si Deus pro »nobis, quis contra nos[5]. » Ut ergo si studium adhibeamus, ab iis qui nobis molestiam inferunt, lucrum reportamus; sic si ignavi simus, ne ab iis quidem qui prodesse volunt, meliores efficimur. Quid Judæ, quæso, profuit Christi contubernium? Quid Judæis lex? Quid Adamo paradisus? Quid iis, qui in deserto erant, Moyses? Quamobrem his dimissis, id unum spectare debemus; quomodo nostra recte componamus. Si hoc faciamus, ne ipse quidem diabolus nobis unquam superior erit; sed magis nobis proderit, dum nos ad vigilandum inducit. Sic Ephesios Paulus excitavit, dum diaboli feritatem narraret[6]. Verum

[1] Matth. v, 45.— [2] Hebr. x, 34.— [3] Matth. v, 11, 12.— [4] Luc. xviii, 11. — [5] Rom. viii, 31. — [6] Ephes. vi.

nos somno dediti stertimus, cum rem habeamus contra tam malignum hostem : sane si serpentem prope lectum nostrum latitare sciremus, nihil non ageremus ad illum occidendum. Diabolo autem in ipsis animis nostris latitante, nihil nos adversi pati putamus, sed concidimus : cujus rei causa est, quod ipsum oculis corporis non videamus : atqui ideo magis vigilare et cavere oporteret. Nam a sensibili hoste facile quis caverit : ab invisibili vero, nisi undique armati simus, facile effugere non poterimus ; maxime autem quia ille non recta via nos aggredi solet ; alias enim cito caperetur ; sed sæpe sub amicitiæ specie, crudelitatis venenum immittit. Sic Jobi uxorem induxit, ut assumpta dilectionis larva, perniciosum illud consilium proferret. Sic Adamum alloquens, se curam et patrocinium ipsius suscipere simulat dicens : « Aperientur oculi » vestri, qua die de ligno comederitis[1]. » Sic pietatem simulans Jephthæ suasit ut filiam immolaret, et iniquum sacrificium offerret. Vides-ne ejus insidias? Vides-ne ejus varium bellum? Cave igitur, et te undique munito spiritualibus armis, illiusque machinamenta accurate disce ; ut ne te ille capere valeat, et tu illum capias. Quandoquidem Paulus sic illum devicit, hæc probe edoctus ; ideo dicebat : « Non enim illius cogitationes ignoramus[2]. » Nos itaque illius insidias ediscere et effugere curemus, ut reportata de illo victoria, et in præsenti et in futuro sæculo victores prædicemur, et immortalia assequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. III, 5. — [2] 2 Cor. II, 11.

HOMILIA XI.

CAPUT VI.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus [1].

I. Quod jam supra dixi [2], nunc etiam dicam, ipsum frequenter in moralem orationem digredi, non ut in aliis Epistolis, quas in duo dividit : ac priorem partem dogmatibus deputat, alteram morum curæ. Hic vero non item. Per totam enim Epistolam permixtim de utroque agit, ut accepta sit oratio. Duas ergo hic ait mortificationes duasque mortes; et aliam quidem a Christo factam esse in baptismate, alteram vero a nobis fieri oportere per subsequens studium. Nam quod priora peccata sepulta fuerint, ex illius dono factum est; quod autem post baptismum peccato mortui maneamus, id studii nostri opus esse debet; etsi videamus Deum in hisce nos multum juvare. Baptisma enim non modo priora delicta delere potest; sed etiam adversus futura firmare. Quemadmodum ergo ibi fidem adhibuisti ut illa delerentur; sic et in sequentibus studii mutationem exhibe, ne rursus te ipsum contaminaveris. Hæc et similia consulens dicit : «Si enim complantati facti » sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis » erimus. » Vides-ne quomodo auditorem erigat, ad Dominum suum statim illum adducens, et multam conatus ostendere similitudinem? Propterea non dixit : «Morti, » ut ne contradicas; sed, «Similitudini mortis. » Neque enim substantia hæc mortua est; sed homo ex peccatis natus,

[1] Rom. VI, 5. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 128.

id est, malitiæ. Nec dixit : « Si enim participes facti sumus » similitudinis mortis ; » sed quid ? « Si enim complantati su- » mus : » plantationis nomine, fructum ejus in nobis subindicans. Sicut enim corpus ejus sepultum in terra, fructum orbis salutem attulit ; ita et nostrum in baptismate sepultum, fructum tulit, justitiam, sanctificationem, adoptionem, innumera bona : feret etiam demum resurrectionis donum. Quia igitur nos in aqua, ipse in terra ; nos per peccati rationem, ille per corporis sepultus est ; ideo non dixit : « Com- » plantati morti, » sed, « Similitudini mortis. » Mors enim et hoc et illud est, sed non ejusdem suppositi. « Si ergo, in- » quit, in morte complantati facti sumus, et resurrectionis » erimus. » Resurrectionem hic futuram dicit. Nam cum superius de morte disserens, ac dicens : « An ignoratis, » fratres, quod quicumque in Christo baptizati sumus, in » mortem ipsius baptizati sumus[1] ? » nihil de resurrectione clare disseruerit, sed de vitæ instituto post baptisma, jubens in novitate vitæ ambulare ; ideo hic eodem resumpto sermone, illam nobis demum resurrectionem prænuntiat. Et ut discas illum non de hac loqui, quæ ex baptismo est, sed de illa, ubi dixit : « Si complantati facti sumus simili- » tudini mortis ejus, » non addidit, « Similitudinis resurrectionis erimus ; sed, ipsius resurrectionis. » Ne diceres enim : « Quomodo nisi moriamur ut ille mortuus est, resurgemus ut ille resurrexit ? » cum mortem memoravit, non dixit : « Complantati morti ; » sed, « Similitudini mortis ; » cum autem de resurrectione loquitur, non dicit : « Similitudini resurrectionis, sed, ipsius resurrectionis erimus. » Nec dixit : « Facti sumus, » sed, « Erimus ; » hinc declarans illam nondum factam resurrectionem, sed futuram. Deinde ut fide dignum sermonem constituat, alteram ostendit resurrectionem, quæ ante illam hic facta est, ut a

[1] Rom. VI, 3.

præsenti futuræ fidem habeas. Cum dixisset enim nos complantatos fore resurrectioni, addit : « Hoc scientes, quod » vetus homo noster simul crucifixus est, ut destrueretur » corpus peccati[2] ; » simul et causam et demonstrationem futuræ resurrectionis ponens. Nec dixit : « Crucifixus est, » sed, « Simul crucifixus est, » proxime admovens baptisma cruci. Ideo superius dicebat : « Complantati facti sumus si- » militudini mortis ejus, ut destrueretur corpus peccati ; » non hoc corpus sic appellans, sed universam malitiam. Sicut enim veterem hominem dicit universam malitiam, sic et corpus hominis illius vocat malitiam diversis nequitiæ partibus constantem. Quod autem id non est conjectura dicatur, a Paulo hoc ipsum deinceps explicante audi : cum dixisset enim, « Ut destruatur corpus peccati, » subjunxit : « Ut non ultra serviamus peccato. » Huic enim ipsum volo esse mortuum, non ita ut deleatur et moriatur ; sed ut non peccet. At progressus, illud adhuc clarius efficit. « Qui enim mortuus est, inquit, justificatus est a peccato[1]. » De omni homine hoc dicit, quod quemadmodum qui mortuus est, a peccando demum desistit, mortuus cum jaceat ; sic qui ascendit a baptismo. Quia enim illic semel mortuus est, oportet ut omnino mortuus peccato maneat.

II. Si ergo mortuus es in baptismo, mane mortuus : etenim quisquis mortuus est, non ultra peccare potest. Si autem pecces, Dei donum labefactas. Postquam ergo tantam a nobis philosophiam exegit, coronam statim adjecit dicens : « Si autem mortui sumus cum Christo[3]. » Atqui et hæc ante coronam magna corona est, communicare cum Domino. Verumtamen et aliud, inquit, do tibi præmium. Quodnam illud? Vitam æternam. Nam ait : « Credimus quia » simul etiam vivemus cum illo. » Et undenam hoc liquet? « Scientes quod Christus qui resurrexit ex mortuis, jam

[1] Rom. VI, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

» non moritur[1]. » At vide rursus illius contentionem, et quomodo a contrariis illud probet. Quia enim verisimile erat quosdam a cruce et morte conturbandos fore, ostendit ob hoc ipsum habendam fiduciam esse. Ne putes enim, inquit, quia semel mortuus est, ipsum esse mortalem. Ideo namque immortalis permanet. Mors quippe ejus, mors mortis facta est. Et quia mortuus est, ideo non moritur; etenim illa morte, « Peccato mortuus est[2]. » Quid est illud, peccato? Id est, non illi peccato obnoxius erat; sed propter peccatum nostrum: nam ut illud tolleret, et ejus nervos vimque omnem abscinderet, ideo mortuus est. Vides-ne quomodo terruerit? Si enim non secundo moritur, secundum lavacrum non est. Si secundum lavacrum non est, cave ne ad peccatum declines. Hæc enim omnia dicit, ut contra illud pugnet: « Faciamus mala, ut veniant » bona; » et illud quoque: « Perseveremus in peccato, ut » abundet gratia. » Hanc igitur opinionem radicitus evellens, hæc omnia ponit. « Quod autem vivit, vivit Deo, » inquit; hoc est, indissolubiliter, ut non ultra dominetur illi mors. Nam si priorem mortem insons subiit, certe propter aliorum peccatum: multo magis nunc non morietur, cum peccatum solverit. Id quod etiam in Epistola ad Hebræos dicebat: « Semel enim in consummatione sæcu- » lorum ad abrogationem peccati per hostiam suam mani- » festatus est[3]. » Et quatenus statutum est hominibus semel mori; sic et Christus semel oblatus, ut multorum abstolleret peccata, secundo sine peccato apparebit iis, qui ipsum ad salutem expectant. Ostendit autem et vitæ secundum Deum actæ vim, et peccati item potentiam. Vitæ secundum Deum actæ, quia non ultra morietur; peccati vero, quia si impeccabilem ad mortem deduxit, sibi obnoxios quomodo non perdet? Deinde quia de ipsius vita

[1] Rom. VI, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Hebr. IX, 27.

locutus est, ne quis dicat : « Quid ad nos dictum illud? » subjungit : « Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse » peccato, viventes autem Deo[1]. » Bene dixit, « Existimate, » quia id quod dictum est aspectu repræsentare jam non licet. Et quid, inquies, existimamus? Nos mortuos esse peccato, « Viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. » Nam qui ita vivit, omnem apprehendet virtutem, ipsum habens belli socium Jesum : hoc enim significat illud, « In Christo. » Nam si nos mortuos suscitavit, multo magis viventes continere poterit. « Non ergo regnet peccatum in » vestro mortali corpore, ut obediatis ei in concupiscentiis » ejus[2], » Non dixit : « Ne ergo vivat caro, neque operetur; » sed, « Ne regnet peccatum. » Neque enim venit ut naturam destrueret; sed ut propositum voluntatis dirigeret. Deinde ostendens nos non vi et necessitate a malitia detineri, sed sponte agere, non dixit : « Ne tyrannidem exerceat, » quod necessitatis esset; sed, « Ne regnet. » Etenim absurdum esset ad regnum cœlorum ductos regem peccatum habere, et vocatos ad regnandum cum Christo, peccati captivos esse malle; ac si quis diadema projiciens ex capite, dæmoniacæ mulieri, mendicæ et pannosæ servire velit. Deinde quia grave est peccatum superare, vide quam facile illud esse ostendat, et laborem emolliat, dicens : « In mortali » vestro corpore. » Hoc enim declarat temporanea certamina esse, et cito transitura. Simulque pristina mala in mentem nobis revocat, ipsiusque mortis radicem. Hinc enim et ab ipso initio mortale fuit. At fieri potest, ut qui mortale corpus habet non peccet. Vides-ne gratiæ Christi potentiam? Adam cum nondum mortale corpus haberet, lapsus est, tu vero mortuum cum acceperis, coronari poteris. Et quomodo, inquies, regnat peccatum? Non ex propria virtute, sed ex ignavia tua. Ideo, cum dixisset,

[1] Rom. VI, 11. — [2] Ibid. 12.

« Ne regnet, » regni hujusce modum ostendit, hæc adjiciens, « Ut obediatis ei in concupiscentiis ejus. » Non est enim honor corpori omnia cum potestate concedere, imo potius extrema servitus, et ingens ignominia. Nam cum ea quæ vult facit, tunc libertate omni privatur. Cum autem cohibetur, tunc maxime suam servat dignitatem. « Ne- » que exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, » sed arma justitiæ[1]. »

III. Itaque medium corpus est inter malitiam et virtutem, quemadmodum et ipsa arma : utraque autem opera fiunt ab iis qui ipsis utuntur ; quemadmodum miles pro patria decertans, et fur contra habitatores domus armatus, iisdem utuntur armis : non enim armaturæ culpa est, sed eorum qui illa ad malum utuntur ; id quod etiam in carne videre est, quæ hoc vel illud efficitur secundum animi sententiam, non secundum propriam naturam. Si enim alienam pulchritudinem curiosius intueatur, arma iniquitatis factus est oculus ; non a propria operatione ; oculi enim est videre, non male videre ; sed a jubentis cogitationis nequitia ; si vero illum refrenaveris, tunc justitiæ telum erit. Sic de lingua dicendum, de manibus et de reliquis omnibus. Recte autem peccatum iniquitatem vocavit. Peccator enim aut sibi aut proximo iniquus est ; imo potius sibi ipsi quam proximo. Postquam igitur a malitia abduxit, ad virtutem ducit his verbis : « Sed exhibete vos » Deo, tanquam ex mortuis viventes[2]. » Vide quomodo nudis verbis hortatur ; illic peccatum dicens, hic Deum. Cum ostendisset enim quantum esset inter regnantes discrimen, militem illum omni venia exclusit, qui Deo relicto, sub regno peccati mereri concupivit. Non hinc tantum, sed etiam ex sequentibus hoc astruit dicens : « Tanquam ex » mortuis viventes. » His enim ostendit et peccati perniciem

[1] Rom. VI, 13. — [2] Ibid.

et doni Dei magnitudinem. Cogitate enim, inquit, et qui fueritis et qui facti sitis. Quinam ergo eratis? Mortui et perditi pernicie nullo modo emendabili: non erat enim qui opem ferre posset. Et quinam ex illis mortuis facti estis? viventes vita immortali: et cujus opera? Per eum qui omnia potest Deus. Ergo æquum est ut sub illo militetis, cum tanta animi alacritate, quanta par est eos, qui ex mortuis viventes facti sunt. «Et membra vestra arma justitiæ Deo.» Ergo non malum est corpus, siquidem arma justitiæ fieri possit. Arma autem dixit, ostendens bellum instare gravissimum. Quapropter armatura forti opus habemus, generosoque animo, rei militaris hujusce perito; præ omnibus autem duce. Verum dux ille semper adest, ad commilitium paratus, inexpugnabilis manens: is arma fortia apparavit nobis. Opus est demum proposito voluntatis, quo illa ut par est tractentur; ita ut duci pareat, et arma pro patria sumat. Postquam ergo ad magna illa hortatus est, et arma, pugnam et bella memoravit, vide quomodo militi rursus animos faciat dicens: «Peccatum enim »vobis non ultra dominabitur. Non enim estis sub lege, »sed sub gratia[1].» Si ergo peccatum non ultra nobis dominaturum sit, cur tot tantaque præcipit dicens: «Ne reg»net peccatum in vestro mortali corpore,» et, «Ne exhibea»tis membra vestra arma iniquitatis peccato.» Quid ergo sibi vult dictum illud? Sermonem hic quasi semen spargit, quem deinceps explicaturus est, et cum multo apparatu probaturus. Quis ergo est hic sermo? corpus nostrum ante Christi adventum peccato captu facile erat. Nam post inductam mortem, affectuum quasi examen inductum est: quapropter non valde expeditum erat ad virtutis cursum suscipiendum. Neque enim aderat Spiritus qui juvaret, neque baptismus, qui mortificare posset. Sed velut effrenis

[1] Rom. VI, 14.

equus currebat quidem, sed sæpe aberrabat, quandoquidem lex quæ agenda et quæ non agenda essent, edicebat quidem; sed nihil præter verborum monita certantibus suppeditabat. Postquam autem Christus advenit, certamina deinde faciliora fuerunt. Quapropter majora nobis proposita sunt certamina, utpote qui majori fulciremur auxilio. Idcirco dicebat Christus : « Nisi abundaverit justitia vestra » plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in » regnum cœlorum[1]. » Verum hoc quidem in sequentibus clarius explicat; interim vero hic illud paucis subindicat. Ostendens si nos ipsos non admodum dejecerimus, peccatum nos non superaturum esse. Neque enim tantum lex est quæ præcipiat; sed etiam gratia, quæ et præterita condonet, et ad futura muniat et confirmet. Etenim lex post labores, coronas pollicebatur. Gratia vero prius coronavit, ac deinde ad certamina traxit. Mihi autem videtur non tota hic fidelis viri vita subindicari, sed comparationem fieri baptismi cum lege : id quod alibi quoque dicit : « Lit- » tera quidem occidit, Spiritus vero vivificat[2]. » Lex enim prævaricationem arguit, gratia vero prævaricationem tollit. Ut igitur illa redarguens, peccatum constituit; ita gratia condonans non sinit esse sub peccato; ita ut duplici modo sis ab hac tyrannide liberatus, et quod sub lege non ultra sis, et quod gratia fruaris.

IV. Postquam vero per hæc fecit, ut auditor respiraret; rursus illum roborat, ex objectione admonitionem inducens his verbis : « Quid ergo? Peccabimus, quia non su- » mus sub lege, sed sub gratia? Absit[3]. » Primo negatione, quod valde absurdum sit illud, usus est : deinde in admonitionem sermonem convertit, ostendens admodum facilia esse certamina, ita loquens : « Nescitis quoniam cui exhi- » betis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obe-

[1] Matth. v, 20. — [2] 2 Cor. III, 6. — [3] Rom. VI, 15.

» ditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justi-» tiam[1]? » Nondum gehennam dico, inquit, neque grande illud supplicium; sed præsentem turpitudinem, quando et servi estis, et sponte servi, et peccati servi; idque tali cum mercede, ut rursum moriamini. Si enim ante baptismum mortem intulit corpoream, vulnusque tanta medela opus habuit, ut Dominus omnium ad mortem descenderet, et sic malum tolleretur; post tantum donum, post acquisitam libertatem, peccatum te jam succumbentem invadens, quid non faciet? Ne itaque ad tantum barathrum accurras, neque ultro te prodas. In bellis enim sæpe milites inviti producuntur: hic autem, nisi sponte transfugias, nemo te superabit. Postquam ex decore pudorem intulit, jam a præmiis terret, et ponit utriusque mercedem, justitiam et mortem; mortem vero vulgari non similem, sed longe graviorem. Si enim Christus non ultra moriturus est, quis illam solvet mortem? Nemo. Ergo pœna atque supplicium est necessario subeundum. Neque enim ultra mors advenit sensibilis, ut hic, quæ corpus quiescere et ab anima separari curet. Postremus enim inimicus abolctur mors[2]: unde immortale supplicium erit. Sed non obsequentibus Deo; illis namque justitia, bonaque inde germinantia, præmia erunt. « Gratia autem Deo, » quia eratis servi peccati: obedistis autem ex corde in » eam doctrinæ formam, in quam traditi estis[3]. » Postquam a servitute pudorem, a præmiis terrorem intulit et hortatus est; erigit rursum illos ex beneficiorum memoria. His enim ostendit illos ab ingentibus malis liberatos esse, nec ex propriis laboribus; atque faciliora esse ea quæ futura sunt. Quemadmodum enim si quis captivum a crudeli tyranno liberaverit, adhortans illum ne ad ipsum revertatur, gravissimam illam tyrannidem commemorat; ita et Paulus

[1] Rom. VI, 16. — [2] 1 Cor. XV, 26. — [3] 1 Rom. VI, 17.

cum emphasi præterita mala describit, dum gratias agit Deo. Neque enim, inquit, humanæ fortitudinis erat, ab illis nos malis eruere; sed gratia Deo, qui id et voluit et potuit. At recte dixit, « Obedistis ex corde : » neque enim coacti fuistis, neque per vim, sed sponte cum alacritate abscessistis. Hoc autem et laudantis est simul et corripientis. Nam qui sponte, et sine ulla illata necessitate accessistis, qua venia, qua excusatione digni eritis, si ad pristina revertamini? Deinde ut discas non ex illorum probitate tantum, sed Dei gratia totum factum fuisse; postquam dixerat, « Obedistis ex corde, » addidit, « In eam doctrinæ » formam, in quam traditi estis. » Obedientia enim ex corde liberum arbitrium denotat; quod autem traditi sint, id Dei auxilium subindicat. Quænam autem est forma doctrinæ? Recte et cum optimo instituto vivere. « Liberati » autem a peccato, servi facti estis justitiæ[1]. » Duo hic dona Dei ostendit; quod a peccatis liberaverit, et quod justitiæ subdiderit; quod omni libertate præstantius est. Idipsum enim fecit Deus, ac si quis puerum orphanum accipiens, a barbaris in terram aliam abreptum, non modo a captivitate liberet; sed sese patrem illius et curatorem constituat, ad magnamque dignitatem evehat. Quod erga nos factum est. Non modo quippe nos a veteribus malis eripuit; sed etiam ad angelicam vitam deduxit, et optimi instituti viam nobis aperuit, justitiæ tutelæ tradens, vetera mala tollens, veteremque hominem mortificans, atque ad vitam nos manu ducens immortalem. Expectemus igitur illam viventes. Multi enim qui spirare et incedere videntur, miserabilius jacent, quam mortui.

V. Varia quippe sunt mortis genera. Est quippe mors corporis, secundum quam Abraham, mortuus cum esset, non erat mortuus. « Deus enim, inquit, non est Deus

[1] Rom. VI, 18.

» mortuorum, sed vivorum [1]. » Alia est mors animæ, quam subindicans Christus dicebat : « Sine mortuos sepelire mor- » tuos suos [2]. » Alia, illaque laudabilis, per philosophiam advenit, de qua dicit Paulus : « Mortificate membra ves- » tra, quæ sunt super terram [3]. » Alia, quæ hujus causa fuit, in baptismo fit. « Nam vetus homo noster, inquit, » crucifixus est [4], » id est, mortificatus est. Hæc cum sciamus, illam fugiamus mortem, secundum quam viventes morimur; hanc vero non timeamus, quæ mors communis omnibus est. Duas alias, quarum altera beata est, a Deo data; altera laudabilis, a nobis simul et a Deo parta, deligamus et æmulemur. Ex his duabus alteram beatam dicit David his verbis : « Beati quorum remissæ sunt iniquita- » tes [5] ; » alteram vero miratur Paulus ad Galatas scribens : « Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt [6]. » Ex aliis vero duabus, alteram contemnendam esse Christus ait, dicens : « Nolite timere ab iis qui occidunt corpus, animam autem » non possunt occidere; » alteram vero terribilem : « Ti- » mete eum qui potest et animam et corpus perdere in » gehenna [7]. » Quapropter hanc fugientes, illam deligamus mortem, quæ beata et admirabilis prædicatur, ut aliarum alteram fugiamus, alteram timeamus. Nihil enim nobis profuerit solem videre, comedere, bibere, nisi adsit vita per bona opera. Quid, quæso, prosit regi purpura indui, arma habere, sed neminem subditum; ita ut quisque impune possit illi insultare, injuriamque afferre? Sic et Christiano nihil lucri accedet, si fidem et baptismi donum habeat, sed omnibus sit affectibus subditus. Major enim sic contumelia erit et majus dedecus. Quemadmodum enim ille qui diademate et purpura ornatus est, non modo ex hujusmodi ornatu nihil lucratur honoris; sed illum

[1] Matth. XXII, 32. — [2] Id. VIII, 22. — [3] Coloss. III, 5. — [4] Rom. VI, 6. — [5] Psal. XXXI, 1. — [6] Galat. V, 24. — [7] Matth. X, 28.

quoque per proprium dedecus contumelia afficit, sic qui credit, et corruptam ducit vitam, non modo non venerabilis ex fide erit, sed etiam ridiculus : « Quicumque enim, » inquit, sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et » quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabun- » tur[1]. » Et ad Hebræos scribens dicebat : « Irritam quis fa- » ciens legem Moysis, sine ulla misericordia, duobus vel » tribus testibus moritur[2]; » quanto graviore putatis supplicio plectetur is, qui Filium Dei conculcaverit? Et jure quidem merito : nam per baptisma, inquit, omnes tibi animi affectus subdidi. Quid actum est, ut tantum donum contumelia afficeres et alius pro alio fieres? Peremi atque sepelivi priora delicta tua tanquam vermes. Cur ergo tu alia peperisti? Nam vermibus deteriora sunt peccata : hi namque corpus, illa animam labefactant, ac majorem pariunt fœtorem. At nos non id sentimus : ideoque illam expurgare negligimus. Neque enim is qui ebrius est novit, quantus sit vini putrescentis fœtor; sed qui ebrius non est, id probe novit. Sic et in peccatis accidit : qui temperanter vivit, cœnum illud et maculam optime novit; qui vero nequitiæ sese dedidit, quasi ebrietate obrutus id non novit, quod nempe ægrotet. Atqui hoc maximum gravissimumque est nequitiæ malum, quod eos qui in illam incidunt, propriæ suæ perniciei magnitudinem videre non sinat : verum illi dum in luto jacent, unguentis se frui putant. Quapropter nec sese inde eximere possunt, sed dum vermibus scatent, ita sese efferunt, ut si pretiosis lapidibus ornati essent. Ideoque vermes illos interimere nolunt; sed nutriunt illos, et in se ipsis augent, donec illos ad futuri sæculi vermes transmittant. Nam hi illorum sunt conciliatores; nec modo conciliatores, sed etiam patres illorum, qui nunquam moriuntur. « Vermis enim eorum non morietur[3], » inquit.

[1] Rom. II, 12. — [2] Hebr. X, 28. — [3] Marc. IX, 44.

Hi gehennam accendunt nunquam extinguendam. Ut ne igitur hæc fiant, fontem malorum tollamus, fornacem extinguamus, et radicem iniquitatis ab imo extirpemus. Nam si malam arborem a summo excideris, nihil fecisti, radice infra manente, et eadem rursum emittente. Quænam ergo malorum radix est? Disce a bono plantatore, qui hæc accurate novit, et spiritualem vineam colit, ac totius orbis agricola est. Quam ergo dicit ille esse malorum omnium causam? pecuniarum concupiscentiam. « Radix enim om»nium malorum, inquit, et avaritia[1]. » Hinc pugnæ, inimicitiæ, bella : hinc contentiones, convitia, suspiciones, contumeliæ : hinc cædes, furta, sepulcrorum effossiones. Propter hanc non urbes et regiones modo, sed etiam viæ, et orbis habitatus et non habitatus, montes, saltus, colles, uno verbo omnia sanguine cædibusque plena sunt. Ne mare quidem hac peste vacat; sed illic etiam cum furore magno grassatur, piratis illud undique obsidentibus, ac novum quemdam latrocinii modum excogitantibus. Per hanc naturæ leges eversæ sunt, cognationis statuta concussa, substantiæ ipsius jura corrupta sunt.

VI. Nam pecuniarum tyrannis, non contra vivos modo, sed etiam contra mortuos tales dexteras armavit : ac neque cum illis per mortem pacta iniri possunt : nam fractis sepulcralibus thecis, contra mortua corpora sceleratas extendunt manus, nec ex hac vita migrantes sinunt ab insidiis suis liberari. Ac quotquot mala inveneris, domi, in foro, in tribunalibus, in curiis, in regia, et ubicumque velis, hinc omnia pullulare videbis. Hoc utique, hoc malum est, quod omnia sanguine et cædibus implevit : hoc gehennæ flammam accendit : hoc effecit ut civitates nihilo melius, imo longe deterius haberent, quam deserta. Nam ab iis qui secus vias insidiantur, cavere facile est, utpote

[1] 1 Tim. VI, 10.

qui non continenter adoriantur : qui vero in mediis urbibus illos imitantur, tanto pejores illis sunt, quanto difficilius est ab illis cavere, quia id palam audent quod clam alii. Leges enim contra illorum nequitiam latas ad commilitium sumentes, cædibus ac sceleribus civitates repleverunt. Annon cædes est, quæso te; imo cæde pejus, pauperem fami tradere, et in carcerem trudere, et cum fame tormentis et mille cruciatibus exponere. Licet enim hæc tu non facias, cum faciendi occasionem præbeas, id plus quam ministri tui perpetras. Homicida enim gladium infigit, et cum brevi tempore dolorem intulerit, non ultra cruciatum adhibet. Tu vero sycophantiis, molestiis, insidiis lucem illi in tenebras convertens, id efficis ut sexcenties mori mallet. Cogita quot mortes pro una perpetres. Quodque omnium gravissimum est : abripis, divitias acquiris, non paupertate pressus, non fame cogente; sed ut equi frenum, domus tectum, et columnarum capitella multo oblinantur auro. Ecqua gehenna hæc digna non fuerint : quando fratrem, et eum qui arcanis bonis tecum particeps est, qui a Domino sic honoratus est, ut pavimentum domus et lapides ornes, necnon brutorum animalium corpora, quæ nunc ornatum non sentiunt, in mille calamitates conjicis? Canis tibi multæ curæ est; homo autem, imo potius Christus, ob canem et omnia supradicta, in extremam conjicitur famem. Quid hac confusione deterius? Quid hac iniquitate gravius? Quot ignei fluvii tali animæ sufficient? Is qui ad imaginem Dei factus est, stat indecore opertus ob tuam inhumanitatem, mulorum autem uxorem tuam gestantium capita multo fulgent auro, itemque pelles et ligna quibus tectum illud texitur; si solium, sive sella, si suppedaneum ornandum, auro et argento omnia decorantur; Christi vero membrum, et is cujus causa de cœlo descendit, et pretiosum sanguinem effudit,

ob avaritiam tuam, ne cibo quidem necessario utitur. Sed lecti undique argento ornati sunt, sanctorum vero corpora necessario tegumento carent : apud te Christus minori in pretio habetur, quam cætera omnia, quam domestici, quam muli, quam lectus, quam solium, quam suppedaneum. Mitto cætera his viliora vasa, et vobis cogitanda relinquo. Quod si horrescis hæc audiens, abstine ab agendo, et quæ dicta sunt nihil tibi damni inferent : abscede, et huic insaniæ finem imponito : nam insanum prorsus est hujusmodi studium. Idcirco his dimissis, vel sero tandem in cœlum respiciamus, futuram illam diem in mentem revocemus, cogitemus tremendum illud tribunal, et rationes reddendas, atque incorruptum judicium. Consideremus Deum omnia videntem non e cœlo fulmina mittere, licet hæc gesta plus quam fulminibus digna sint : attamen non id ille facit, neque mare in nos immittit, neque ut media terra hiscat efficit, non solem extinguit, non cœlum cum stellis dejicit, non omnia demum de medio tollit ; sed in suo ordine relinquit, ut creatura omnis nobis ministret. Hæc ergo cogitantes, benignitatis magnitudinem exhorrescamus, et ad nobilitatem nostram redeamus. Nunc certe non melius quam bruta sumus affecti ; sed multo pejus. Illa namque quæ sui sunt generis diligunt, et communis natura sufficit illis ad mutuum amorem.

§ VII. Tu vero qui præter naturam communem plurima alia habes, quæ te cum membris tuis conjungant ; quod ratione sis honoratus, quod religione conjunctus, quod bonis illis innumeris particeps, feris immanior factus es, inutilibus quidem curam multam adhibens, templa vero Dei fame et nuditate pereuntia despiciens, imo sæpe malis multis obruens. Si enim ad gloriam respiciens hoc facias, multo magis fratrem quam equum curare oporteret. Nam quanto major est is qui beneficio fruitur, tanto splendi-

dior tibi pro tali beneficio nectitur corona; jamvero cum in contraria incidas, non advertis te innumeros tibi attrahere accusatores. Quis enim te non maledictis impetet? Quis te non summæ crudelitatis et inhumanitatis accusabit, videns te genus quidem hominum vilipendere, brutorum vero genus hominibus anteponere, et brutis domum atque suppellectilem addere. Non audisti Apostolos dicentes, quod primi quiv erbum acceperunt, domos et agros venderent ut fratres alerent? tu vero domos et agros abripis, ut equum, ligna, pelles, muros et pavimentum exornes. Quodque gravius est, non viri tantum, sed etiam mulieres hac insania tenentur, quæ etiam viros excitant ad vanum hujusmodi laborem, illos ad omnia plus quam ad necessaria sumptus facere cogentes. Si quis vero de his redarguerit, defensionem parant criminatione dignam. Et hæc, aiunt, et illa fiunt. Quid dicis? Non times dum hæc profers, et equos, mulos, lectos, suppedanea cum Christo esuriente annumeras? Imo potius non Christum cum illis; sed majorem partem illis confers; ipsi vero vix tantillum impertis. Nescis omnia ipsius esse et te et tua? An ignoras illum et corpus efformavisse et animam largitum esse, et mundum totum distribuisse? Tu vero ne tantillum quidem ipsi retribuis: sed si parvam domunculam locaveris, condictam summam exigis; et cum creaturis illius omnibus fruaris, et tantum orbem inhabites, ne parvam quidem illi mercedem dare sustines, sed ad vanam gloriam et te et tua omnia expendis. Ex vana enim gloria omnia pendent. Neque enim equus melior vel robustior est hoc cinctus ornatu, nec eques præstantior; sed nonnunquam hinc magis despectui habetur. Multi namque misso sessore ad ornatum equi oculos convertunt, necnon ad famulos sequentes et præeuntes, eosque qui turbam depellunt: eum vero qui illis stipatur oderunt, et ut communem hos-

tem aversantur. At non hoc contingit cum animam exornas : sed homines, Angeli et Angelorum Dominus, denique omnes tibi coronam nectunt. Itaque si gloriam amas, ab iis quæ nunc facis absiste, nec domum, sed animam exorna, ut sis splendidus et illustris. Nunc certe nihil te vilius fuerit, qui desertam habes animam, et domus pulchritudinem ostentes. Si vero dicta mea non sustines, audi quid exterorum quispiam fecerit, et te pudeat vel exteræ philosophiæ. Narratur illorum quempiam in domum splendidam venisse fulgentem marmoribus et columnarum pulchritudine; cum autem pavimentum etiam vidisset tapetibus stratum, in faciem domini ædium conspuit. Improperante autem illo, respondisse, quia in nulla alia domus parte id facere licebat, coactum se fuisse vultui ipsius hanc contumeliam inferre (5). Vides-ne quam ridiculus sit is qui externa ornat, et quam apud omnes mente valentes despectui habeatur : et quidem jure merito. Neque enim si quis, relicta uxore tua, laceris pannis induta, ancillas splendida veste circumdaret, id æquo animo ferres, sed excandesceres, idque pro summa contumelia haberes. Hoc et de anima tua cogita. Cum enim muros, pavimentum, suppellectilem et reliqua omnia exornes, largam vero eleemosynam non eroges, nec aliam philosophiam exerceas, nihil aliud, quam id quod dixi, facis; imo quidpiam longe gravius. Nam ancillam inter et dominam nullum est discrimen, inter animam vero et carnem magna est differentia. Quod si ita est; multo magis inter animam et domum, inter animam et lectum ac suppedaneum. Qua ergo dignus defensione fueris, qui hæc omnia argento contegas, illam vero negligas pannis laceris opertam, squallidam, esurientem, plagis refertam, a mille canibus discerptam; et postea putes te gloria affici ex ornatu circumposito? id quod summæ est amentiæ; quod nempe cum irridea-

ris, contumelia atque probro afficiaris, et in dedecus et in extremum hinc supplicium incidas, in his adhuc tibi placeas. Quamobrem oro et obsecro, hæc omnia cogitantes vel sero tandem resipiscamus, et ad nos redeamus, ornatumque illum ab externis ad animam transferamus : sic enim intactus manebit, ac nos Angelis pares reddet, immobiliaque conciliabit bona, quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAPUT VI.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra carnis vestræ servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; sic et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem [1].

I. Postquam magnam exegit vitæ curam [2], jubens esse mortuos mundo ac malitiæ, et immotos manere adversus peccatorum operationem; visusque est magnum quidpiam et grave loqui, quod humanam superet naturam; ut ostendat se nihil onerosum expetere, neque quantum præstare oporteret cum qui tanto dono fruitur; sed valde moderatum et leve postulare; jam a contrariis hoc ipsum probat et ait : « Humanum dico; » ac si diceret, ab humanis cogitationibus, ab iis quæ consueta sunt. Modum namque humani declarat : nam et alibi dicit : « Tentatio » vos non invasit nisi humana [3] ; » hoc est, moderata et parva. « Sicut enim exhibuistis membra vestra servire

[1] Rom. VI, 19. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 128. — [3] 1 Cor. X, 13.

» immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem ; ita nunc exhi- » bete membra vestra servire justitiæ ad sanctificationem. » Atqui multum est dominos inter discrimen ; attamen parem servitutis modum requiro. Oportebat quidem multo plus afferre, et tanto plus, quanto dominatus hic major meliorque est illo : attamen nihil amplius peto propter infirmitatem. Nec dixit : « Propositi vestri, vel alacritatis, » sed, « Carnis vestræ, » orationem minus onerosam reddens. Atqui illud quidem immunditia, hoc vero sanctificatio ; illud iniquitas, hoc vero justitia. Ecquis ita miser et infelix est ut non tantam in Christi servitute curam adhibeat quantam in servitute peccati et diaboli ? Itaque audi sequentia et clare disces nos ne hoc quidem pusillum afferre. Quia enim illud ita sempliciter dictum non videbatur credibile esse, neque acceptabile, nec audire quisquam sustinuisset, se non tantum Christo servire, quantum servivit diabolo, ex sequentibus hoc ipsum probat et credibile reddit, servitutem illam in medium afferens, et quomodo servierint dicens : « Cum enim essetis, inquit, » servi peccati, liberi eratis justitiæ [1] ; » id est, cum in nequitia viveretis, in impietate, in extremisque malis, tanta cum obedientia vivebatis, ut nihil omnino boni ageretis ; hoc enim sibi vult illud, « Liberi eratis justitiæ ; » id est, non eratis ipsi subjecti, sed alienati ab illa prorsus ; neque enim servitutis modum dividebatis partim justitiæ, partim peccato ; sed vos totos malitiæ dedebatis. Itaque et nunc, quia ad justitiam vos transtulistis, vos totos virtuti tradite, nihil prorsus malitiæ patrantes, ut saltem parem exhibeatis mensuram. Atqui non tantum dominii multum est discrimen, sed etiam servitutis ipsius magna est differentia. Quod et ipsum admodum clare explicat, ostenditque in quibusnam tunc obedirent, in quibus etiam nunc. Necdum

[1] Rom. VI, 20.

tamen dicit damnum inde partum, sed interim turpitudinem enuntiat. « Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis [1] ? » Talis enim erat servitus, ut etiam ejus commemoratio pudorem afferat. Quod si ejus commemoratio pudore afficit, multo magis opus ipsum. Itaque duplici modo nunc lucrati estis, cum et a pudore liberati sitis, et didiceritis in quibus eratis. Quemadmodum etiam tunc duplici damno affecti fuistis, et quod pudore digna feceritis, et quod ne erubescere quidem sciretis; quod priore gravius est : attamen servientes manebatis. Cum ostendisset ergo damnum grande ex gestis ortum a pudore, ad ipsam rem venit. Quænam illa erat ? « Nam finis illorum mors est [2]. » Quia enim pudor non admodum onerosus esse videtur, ad id quod valde terribile est accedit, ad mortem dico : quamvis satis esset id quod prius dictum fuerat. Cogita enim quantum esset malitiæ culmen, quando a supplicio liberati, a pudore liberari non poterant. Quam igitur, inquit, mercedem expectas ab opere, cum ex scla rei memoria, a supplicio tamen liberatus, pudore suffundaris et erubescas, etsi in tanta gratia constitutus? At quæ Dei sunt, non ita se habent. « Nunc » vero, inquit, liberati a peccato, servi autem facti Deo, » habetis fructum vestrum in sanctificationem ; finem vero, » vitam æternam [3]. » Illorum fructus pudor est etiam post liberationem ; horum vero fructus est sanctificatio. Ubi autem est sanctificatio, ibi fiducia multa. Illorum finis mors est ; horum, vita æterna.

II. Vides-ne quomodo alia quidem data ostendat, alia in spe esse ? Atque ab ils quæ data sunt illis fides conciliatur ; a sanctificatione vita confirmatur. Nam ne diceres omnia in spe esse, jam te fructum tulisse ostendit; primo quod a nequitia et a talibus malis liberatus sis, quorum

[1] Rom. VI, 21. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 22.

memoria pudorem affert ; secundo quod servus factus sis justitiæ ; tertio quod sanctificatione fruaris ; quarto, quod vitam consequaris, et vitam non temporaneam, sed æternam. Attamen cum hæc ita sint, saltem ex æquo, inquit, servite. Etsi enim Dominus admodum præcellat, et magnum sit discrimen servitutem inter et præmia pro quibus servitis, nihil tamen interim postulo. Deinde quia arma commemoravit et regem, in metaphora perstat dicens : « Stipendia enim peccati mors : gratia autem Dei vita » æterna, in Christo Jesu Domino nostro [1]. » Cum stipendia peccati dixisset ; de bonis agens, non eumdem servavit ordinem. Non enim dixit : « Merces bonorum operum vestrorum ; » sed, « Gratia Dei, » ostendens illos non per se ipsos liberatos esse, neque debitum accepisse, neque mercedem vel retributionem laborum ; sed hæc omnia per gratiam facta fuisse. Itaque hinc excellentia est ; non modo quod liberaverit, nec quod ad meliora transtulerit ; sed quod nec laborantes, nec latiscentes. Nec quod liberaverit tantum, sed quod multo majora dederit, atque per Filium dederit. Hæc porro omnia interseruit, quia de gratia verba fecit, et jam legem dejecturus erat. Nam ne hæc ambo segniores efficerent, media interseruit ea quæ ad accuratam vitam pertinent, ubique auditorem excitans ad virtutis curam et studium. Cum autem stipendia peccati mortem vocat ; rursus terret, et adversus futura confirmat. Per ea enim quibus illis priora commemorat, et ad gratum animum movet et confirmatiores reddit contra ea omnia quæ accidere possunt. Cum ergo hic finem fecisset sermonis de rebus moralibus, ad dogmata rursus transit his verbis : « An ignoratis, fratres ? scientibus enim legem » loquor [2]. » Postquam enim dixit nos mortuos esse peccato, ostendit hic non modo peccatum non illis dominari, t

[1] Rom. VI, 23. — [2] Id. VII, 1.

neque legem. Si vero lex non dominatur, multo minus peccatum. Sermonem vero emolliens, hoc humano declarat exemplo. Ac videtur quidem unum dicere, sed duo ponit ad rem propositam argumenta. Alterum quidem, quod mortuo viro, mulier viri legi non subdita sit; nec cohiberi possit, quominus alteri nubat, alterum vero, quod hic non modo vir mortuus sit, sed etiam mulier. Ita ut duplici illa fruatur libertate. Nam si mortuo viro ab ejus potestate liberata est, cum et ipsa mortua apparuerit, multo magis liberata est. Etenim si uno accidente a potestate ipsa liberatur; multo magis cum hæc ambo concurrunt. Horum ergo demonstrationem initurus, cum auditorum laude incipit dicens: « An ignoratis, fratres? scientibus »enim legem loquor, » Hoc est, rem quæ apud omnes in confesso est, et claram loquor, et hæc omnia illi accurate norunt. « Quia lex in homine dominatur, quanto tempore »vivit [1]. » Non dixit in viro, neque in muliere, sed in homine; quod est commune utriusque animantis nomen. « Qui enim mortuus est, inquit, justificatus est a peccato [2]. » Ergo viventibus lex data est; mortuis vero non item. Vides-ne quomodo duplicem libertatem declaravit? Deinde postquam hæc in proœmiis subindicavit, ad mulierem in argumento sermonem convertit dicens: « Nam quæ sub »viro est mulier, viventi viro alligata est per legem. Si au»tem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Ergo »vivente viro, adultera vocatur, si juncta fuerit alteri »viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, libera est a lege, »ut non sit adultera si se junxerit alteri viro [3]. » Frequenter hoc ipsum versat, et cum multa accuratione: quia admodum confidit suæ argumentationi. Atque in viri ordine ponit legem; in ordine autem mulieris eos omnes qui crediderunt. Deinde conclusionem adducit non secundum

[1] Rom. VII, 1. — [2] Id. VI, 7. — [3] Id. VII, 2, 3.

propositionem; continenter enim dicendum erat : « Itaque fratres mei non dominabitur vobis lex, mortua enim est. » Verum non ita dixit, atque id in propositione subindicavit, sed in inductione demum, ut non onerosum sermonem faceret, uxorem inducit mortuam dicens : « Itaque, fratres, » et vos mortui estis legi [1]. » Cum enim et hoc et illud factum eamdem afferret libertatem, quid prohibebat, quominus legi gratificaretur, cum res ipsa nihil læderetur? « Nam quæ sub viro est mulier, viventi viro alligata est » lege. » Ubi sunt nunc illi, qui legem calumniantur? Audiant illi quomodo Paulus in necessitatem lapsus, ejus dignitatem non tollat, sed de potestate ipsius magna loquatur : si illa vivente, alligatur Judæus, et adulteri appellantur ii, qui illam transgrediuntur et relinquunt. Sin autem mortuam dimiserunt, nihil mirum : nam apud homines non improbatur qui hoc facit. « Si vero mortuus fuerit vir, liberata » est a lege viri. »

III. Vides-ne ut in exemplo legem ostendat mortuam? Sed id non facit in inductione. « Ergo vivente viro, adul- » tera appellatur mulier. » Vide quomodo immoratur in accusatione eorum, qui viventem legem transgrediuntur. Cum autem illam abrogavit, cum securitate omni illam fidei gratificatur, nihil inde læsionis afferens. « Vivente » enim viro, inquit, adultera appellabitur mulier, si fuerit » cum altero viro. » Itaque fratres mei et vos, consequens erat dicere, lege mortua, adulterii non damnamini, si cum altero viro fueritis. Verum non ita dixit : sed quomodo? « Mortui estis legi; si mortui estis, non estis sub lege. Si enim mortuo viro non est obnoxia mulier; multo magis illa mortua, ab illo liberata est. » Vides-ne Pauli sapientiam, quomodo ostenderit hoc legem ipsam velle, ut a se deficiatur, et cum altero viro jungi sit facultas? Non enim

[1] Rom. VII, 4.

prohibet, inquit, cum altero viro jungi, priore mortuo. Quomodo enim prohiberet, cum etiam illo vivente permittat libellum repudii accipere? Verum hoc non adjicit, quod potius mulierum tunc crimen erat; etiamsi enim permitteretur, attamen non culpa vacabat. Cum enim a necessariis et probatis rebus victoriam referat, supervacanea non quærit. Neque enim est ita tenax. Hoc itaque mirum est, ipsa lex nos ab ipsa deficientes, a culpa liberat; ita ut ipsa velit ut nos Christi efficiamur. Etenim ipsa mortua est, et nos quoque mortui sumus, ac dupliciter sublata potestas est. Neque his contentus ille est, sed et causam addit. Neque enim simpliciter mortem posuit : sed rursus crucem hæc operantem induxit, hac ratione nos obnoxios reddens. Non enim simpliciter, inquit, liberati estis, sed per mortem Domini. « Mortificati enim estis legi, inquit, » per corpus Christi. » Neque hinc tantum hortatur, sed etiam a secundi viri excellentia; ideo subjungit : « Ut sitis » vos alterius, qui ex mortuis resurrexit[1]. » Deinde ne dicant : « Quid ergo si nolumus cum altero viro copulari? Lex enim viduam, quæ conjugium iterat, adulteram non facit, nec tamen iterare cogit. » Ne igitur hoc dicant, ostendit ex iis quæ accepimus nos id velle oportere : quod alibi clarius effert dicens : « Non estis juris vestri; » et, « Pretio » empti estis, » et « Nolite fieri servi hominum[2]; » et rursus : « Unus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non » sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est[3]. » Hoc ergo hic quoque subindicavit dicens : « Per corpus. » Deinde per meliorem spem hortatur dicens : « Ut fructificemus Deo : » Tunc enim fructificabatis morti, inquit, nunc autem Deo. » Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ » per legem erant, operabantur in membris nostris ad

[1] Rom. VII, 4. — [2] 1 Cor. VI, 19, 20, et VII, 23. — [3] 2 Cor. V, 14, 15.

» fructificandum morti[1]. » Vidisti-ne prioris viri lucrum? Non dixit : « Cum essemus in lege, semper cavens ne ansam det hæreticis : sed, « Cum essemus in carne ; » id est, in malis operibus, in carnali vita. Non enim hoc dicit, quod prius in carne fuerint, nunc vero incorporei circumeant. Hoc dicens, non legem peccatorum esse causam dicit, neque tamen illam ab odio liberat : acerbi enim accusatoris ordinem tenet, peccata revelans. Nam si quis ei, qui in nullo vult parere, mandata multiplicet, is auget delictum. Ideo non dixit : « Passiones peccatorum, quæ sub lege facta sunt; » sed, « Quæ per legem; » neque adjecit, « Facta sunt; » sed simpliciter, « per legem, id est, per legem apparuerunt, aut declarata sunt. » Deinde, ut ne carnem accusaret, non dixit, « Quæ membra faciebant, » sed quæ in membris nostris fiebant; ostendens aliunde profectum esse malitiæ principium, a cogitationibus operantibus, non a membris agitatis. Anima quippe artificis ordinem tenebat; carnis vero natura citharæ, cogente artifice sonantis. Si quid ergo absonum emittat, id non illi, sed artifici imputandum est. « Nunc autem, inquit, soluti sumus a lege[2]. » Vides-ne quomodo hic quoque et carni parcat et legi? Non enim dixit, soluta est lex, nec soluta est caro; sed nos soluti sumus : et quomodo soluti sumus? Veteri homine, qui a peccato detinebatur, mortuo atque sepulto : hoc enim significat his verbis: « Mortui ei, in quo detinabamur[3]; » ac si diceret : « Vinculum quo detinebamur, mortuum et dissolutum est, ita ut nihil jam detineat, nempe peccatum. » Verum ne concidas, neque segnior evadas : solutus namque es, ut iterum servias, non eodem tamen modo; sed « Ut serviamus in novitate Spiritus, et non in vetustate litteræ[4]. » Quid autem sibi vult? necesse est enim illud aperire; ut ne cum in locum inciderimus, turbemur. Cum peccavit

[1] Rom. VII, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

Adam, inquit, corpusque ejus factum est mortale atque passibile, multaque naturalia damna accepit, equus molestior et effrenis factus est. Ac Christus veniens, per baptisma leviorem illum nobis reddidit, ala Spiritus illum excitans.

IV. Ideo non eadem nobis et priscis illis stadia sunt, quandoquidem non ita facilis tunc cursus erat. Ideoque ille non modo postulat ut a cædibus puri simus, ut illis præceptum erat, sed etiam ab ira; neque ab adulterio tantum, sed etiam ab impudico aspectu abstinere jubet; neque ut a perjurio solum abstineamus præcipit, sed etiam a juramento : et inimicos perinde atque amicos diligere jubet : atque in cæteris omnibus longiora fecit stadia. Si non parcamus, gehennam comminatus est : ostendens hæc non requiri quasi ex ardentiore certantium æmulatione ut virginitas et voluntaria paupertas ; sed omnino exigi : nam necessaria prorsus esse ; ita ut qui non faciat extremas det pœnas. Ideo dicebat : « Nisi abundaverit jus- » titia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non » intrabitis in regnum cœlorum [2]. » Qui vero regnum illud non videt, in gehennam omnino incidet. Ideo Paulus dicebat : « Peccatum enim vobis non dominabitur : non » enim estis sub lege, sed sub gratia ; » et hic iterum : « Ut serviamus in novitate Spiritus, non in ve- » tustate litteræ. » Non enim est littera damnans, id est, lex vetus, sed Spiritus adjuvans. Ideo apud priscos illos, si quis virginitatem coleret, res mira prorsus erat : nunc autem ubique terrarum sparsa res est. Tunc pauci viri mortem spernebant, nunc in vicis et in urbibus Martyrum cœtus innumeri, non virorum tantum, sed etiam mulierum. Deinde postquam hæc dixerat, objectionem rursus emergentem solvit, in solutione id quod vult probans :

[1] Rom. VII, 6. — [2] Matth. V, 20.

quapropter solutionem non statim inducit, sed per contradictionem, ut ex solutionis necessitate, occasionem optata dicendi arripiat, minusque onerosam accusationem induQuia enim dixit, « In novitate Spiritus, non in vetustate »litteræ, » subjungit : « Quid ergo dicemus? Lex peccatum »est? absit[1]. » Etenim prius dixerat : « Passiones peccato»rum, quæ per legem erant, operabantur in membris »nostris; » et, « Peccatum vobis non dominabitur: non enim »estis sub lege, sed sub gratia; » et, « Cujus non est lex, »neque transgressio est; » et, « Lex autem subintravit: ut »abundaret delictum; » et, « Lex iram operatur. » Quia igitur hæc omnia legem calumniari videbantur, quasi hanc suspicionem corrigens, objectionem ponit et ait: « Quid »ergo? lex peccatum est? absit. » Antequam ad probationem veniat, id respicit, ut auditorem sibi conciliet, et offensum curet. Nam cum audisset, ac de affectu ipsius certior factus esset, cum illo quærit quid dubii inesset, nec suspectum habet dicentem: quapropter objectionem illam prius attulit. Neque enim dixit : « Quid ergo dixerim? » sed, « Quid dicemus? » ac si in consilio et in cœtu Ecclesiæ rem ageret, et quasi objectio illa, non abs se, sed a dictorum serie, et a rerum veritate prodiret. Quod enim lex occidat, et quod Spiritus vivificet, nemo negabit, inquit : hoc clarum est, nemo contradixerit. Si ergo hæc in confesso sunt, quid dicemus de lege? an quod sit peccatum? absit. Solve igitur difficultatem. Vides-ne ut secum adversarium statuat, et assumpta doctoris dignitate, ad solutionem veniat? Quæ est illa solutio? Peccatum certe non est, inquit, « Peccatum autem non cognovissem, nisi »per legem[2]. » Vide sapientiam grandem. Id quod lex non est, ex objectione posuit, ut hoc sublato, et hoc in Judæi gratiam, persuadeat illi quod minus est admittere. Quid

[1] Rom. VII, 7. — [2] Ibid.

vero est illud minus? Quod peccatum non cognovissem nisi per legem. « Et concupiscentiam, inquit, non cogno- » vissem, nisi lex dixisset : Non concupisces [1]. » Vides quomodo paulatim non modo legem accusare peccatum dicat; sed etiam illud sensim introducere, non tamen culpa sua, sed ex ingrato Judæorum animo id evenire demonstrat. Etenim Manichæorum etiam ora obturare conatus est, qui legem incusabant. Cum dixisset enim, « Peccatum non » cognovisssem, nisi per legem ; et concupiscentiam nes- » civissem, nisi lex diceret : Non concupisces, » adjecit : « Occasione autem accepta peccatum per mandatum ope- » ratum est in me omnem concupiscentiam [2]. »

V. Vides-ne quomodo legem a criminationibus liberet? Occasione accepta, inquit, peccatum, non lex, auxit concupiscentiam, et contra evenit, quam lex optaret : id quod infirmitatis erat, non malitiæ. Cum enim aliquid concupiscimus, et prohibemur, magis attollitur cupiditatis flamma; verum non per legem. Illa namque prohibuit ut te abduceret. Peccatum vero, id est, segnities tua et mala voluntas, bono in contrarium usa est. At non culpa medici, sed ægroti, qui pharmaco male usus est. Non enim ideo legem dedit, ut concupiscentiam accenderet, sed ut extingueret; contrarium autem evenit; at non ipsius, sed nostra culpa. Si quis enim febricitanti et potum frigidum intempestive cupienti, non potestatem bibendi faceret, et sic perniciosam cupiditatem augeret, non ideo posset jure reprehendi. Medici quippe erat prohibere, ægri vero abstinere. Quid enim si peccatum occasionem ab ipsa lege acceperit ? Plerique enim improbi a bonis præceptis iniquitatem suam augent. Siquidem ita diabolus Judam perdidit, ad amorem pecuniæ conjiciens, furemque rerum pauperibus destinatarum esse suadens : non enim concreditum

[1] Rom. VII, 6, ex Exod. XX, 17, et Deut. V, 19 — [2] Rom. VII, 8.

ipsi marsupium id effecit, sed animi nequitia : quæ Evam et Adamum ad comedendum de ligno impulit, atque ex paradiso ejecit : at non in causa fuit lignum, etsi ab ipso occasio fuerit. Quod si vehementius de lege loquatur, ne mireris : ad illud enim quod urget Paulus consistit ; non permittens ut vel iis qui aliter suspicantur hæc dicta occasionem præbeant, multo autem studio curans rem præsentem corrigere. Ne igitur hæc dicta nuda examines, sed adde causam ob quam ita loquitur, ac judaïcam insaniam considera, perpetuamque illorum contentionem, quam evertere studebat. Videtur autem multum contra legem spirare, non ut illam calumnietur ; sed ut illorum contentionem solvat. Si enim crimen est legis quod propter illam peccatum occasionem sumat, invenietur id etiam in Novo Testamento. In illo quippe leges sunt innumeræ de multis majoribusque rebus, et idipsum hic accidere videas ; non in concupiscentia tantum, sed etiam in omni malitia. Nam « Si non venissem, inquit, et locutus fuissem eis, pecca» tum non haberent [1]. » Igitur hinc peccatum et pœna major occasionem accepit. Et rursus de gratia Paulus disserens ait : « Quanto putatis majori dignus supplicio erit » is qui Filium Dei conculcavit [2] ? » Ergo gravius supplicium hinc occasionem accipit, a majori nempe beneficio. Ac gentiles ideo ait inexcusabiles esse, quod ratione præditi, et creaturæ pulchritudinem edocti, cum ea possint ad Creatorem deduci, sapientia Dei ut par erat non usi sint. Vide quomodo ubique a bonis rebus improbi majoris supplicii occasiones accipiant. Verum non ideo beneficia Dei accusabimus ; sed illa postea magis admirabimur ; illorumque consilia magis criminabimur, qui bonis in contrariam partem usi fuerint. Hoc itaque et circa legem faciamus. Verum illud quidem facile est ; sed hæc dubitandi causa

[1] Joan. xv, 22. — [2] Hebr. x, 29.

est : quomodo ait Paulus : « Concupiscentiam nescivissem, » nisi lex diceret : Non concupisces. » Si enim concupiscentiam nescivisset homo antequam legem acciperet, undenam diluvium accidit ? Undenam Sodoma exusta fuit ? Quid ergo sibi vult ? Concupiscentiam auctam et majorem. Ideo non ait, effecit in me concupiscentiam, sed omnem concupiscentiam, vehementiam hic subindicans. Ecqua, inquit, legis utilitas, si passionem auxit ? Nulla, sed multum damnum. Verum non legis culpa est, sed segnitiei eorum, qui legem acceperunt. Peccatum enim illud effecit, sed per legem : verum lege non illud, sed contrarium, curante : longe itaque fortius fuit peccatum. Verum non illud legis culpa fuerit, sed illorum ingrati animi. « Absque lege enim peccatum mortuum erat[1] : » id est, non ita notum. Sciebant enim ii, qui ante legem erant, se peccavisse, accuratius vero id noverunt post datam legem. Ideoque majori erant crimini obnoxii. Neque enim perinde erat naturam accusatricem habere, atque cum natura legem etiam omnia aperte dictantem. « Ego autem vivebam » sine lege quondam [2]. » Quandonam, obsecro ? Ante Moysem. Vide quam nitatur ostendere legem, tam ab iis quæ fecit, quam ab iis quæ non fecit, humanam aggravasse naturam. Cum enim sine lege vivebam, inquit, non sic condemnabar. « Ubi autem venit mandatum, peccatum » revixit : ego autem mortuus sum [3]. » Hoc videtur legis accusatio esse ; sed si quis accuratius examinaverit, laus ejus esse videbitur. Non enim peccatum, quod non esset produxit, sed occultum ostendit : quod legis laus est. Siquidem antea sine ullo sensu peccabant. Ubi autem illa venit, si non aliud, hoc saltem lucrati sunt, quod accurate didicerint se peccavisse, quod non parum fuerit, ut seso a peccato eximerent : quod si sese a malitia non exe-

[1] Rom. VII, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10.

merint, nihil hoc ad legem, quæ pro hac re omnia fecit; sed omnis accusatio in illorum voluntatem cadit, quæ præter spem omnem corrupta fuit.

VI. Non enim rationi consonum erat, quod ab iis quæ utilia esse poterant læderentur. Ideo dicebat: « Et inven» tum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, esse ad mor» tem [1]. » Non dixit: « Factum est mors, » neque, « Peperit mortem; » sed, « Inventum est, » novam et inopinatam absurditatem sic explicans, et totum in illorum caput rejiciens. Si enim scopum ejus, inquit, respicere voluisses, ad vitam ducebat, et propterea datum fuerat. Quod si mors inde evenit, ejus qui mandatum accepit culpa est, non vero mandati ad vitam ducentis. Clarius autem hoc ipsum per sequentia declaravit his verbis. « Nam peccatum, » occasione accepta per mandatum, seduxit me et per illud » occidit [2]. » Vides-ne ut ubique pecccatum insectatur, legem ab omni crimine liberans? ideo subjungit: « Itaque » lex sancta est, et mandatum sanctum, justum et bonum [3]. » Sed, si placet, eorum qui has expositiones adulterant sermonem in medium afferamus: sic enim clariora erunt quæ diximus. Quidam enim dicunt ipsum non de lege Moysis hic agere, sed alii dicunt de lege naturali, alii de præcepto quod in paradiso datum est. Atqui ubique scopus Pauli est ut hanc legem abroget, illārumque nullam habet rationem et jure merito. Hanc enim Judæi legem timentes, et exhorrescentes, contra gratiam contendebant. Præceptum autem in paradiso datum, nusquam visus est legem appellasse, neque ille, neque alius quispiam. Ut autem ex ipsius dictis hoc clarius evadat, verba percurramus, dicta paulo altius resumentes. Cum de vitæ instituto accuratius illis locutus fuisset, hæc subjunxit: « An » ignoratis, fratres, quia lex dominatur in homine quanto

[1] Rom. VII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

» tempore vivit? Itaque vos mortui estis legi. » Igitur si de naturali lege id dicat, inveniemur naturalem legem non habere. Quod si hoc fuerit, brutis irrationabiliores sumus, sed non ita se res habet, non ita certe. De lege autem in paradiso data non contendendum, ut ne inutile bellum assumamus, contra ea quæ in confesso sunt nos accingentes. Quomodo igitur ait: « Peccatum non cognovissem, » nisi per legem? » Non omnimodam dicit ignorantiam, sed accuratiorem cognitionem intelligit. Si enim hoc de naturali lege dictum esset, quomodo sequentia rationi consentanea essent? « Ego enim, inquit, vivebam sine lege » quondam. » Neque enim Adam, neque quivis homo unquam videtur sine naturali lege vixisse. Ubi enim illam efformavit Deus, illam ipsi legem indidit, contubernalem illam faciens universæ naturæ. Præter hæc autem nusquam deprehenditur legem naturalem, præceptum appellare; legem vero Moysis et mandatum et justum et sanctum vocat, et legem spiritualem. Naturalis vero non a Spiritu nobis data est. Nam et barbari et Græci et omnes homines hanc legem habent. Unde palam est illum ubique locorum de lege mosaïca disserere. Ideoque illam sanctam vocat dicens: « Itaque lex quidem sancta est, mandatum sanctum, » justum et bonum. » Licet enim Judæi post legem impuri, injusti, avari fuerint, id tamen legis virtutem non irritam fecit, ut Dei fidem non tollit eorum incredulitas. Ex his itaque omnibus planum est hæc de lege mosaïca disserere. « Quod ergo bonum erat, inquit, mihi factum est mors? » Absit: sed peccatum, ut appareat peccatum[1]: » id est, ut ostendatur quantum malum sit peccatum, ignava voluntas, et ad pejora impetus, ipsaque actio, ac mens corrupta. Hæc enim causa malorum omnium est. Auget autem illud, ostendens Christi gratiæ magnitudinem,

[1] Rom. VII, 13.

docensque a quanto malo humanum genus liberaverit, quod malum per medicorum pharmaca pejus evadebat, et per eos qui illud arcebant augebatur. Ideo subjungit : « Ut fiat supra modum peccans peccatum per manda-» tum [1]. » Vides-ne ubique quomodo huic se complicet? Et per quæ illud accusat, rursum magis ostendit legis virtutem. Neque enim parum præstitit cum ostendit quantum malum sit peccatum, illiusque virus omne revelavit, et in medium protulit. Hoc enim declaravit dicens : « Ut fiat su-» pra modum peccans peccatum per mandatum. » Id est, ut appareat quantum malum, quanta pernicies sit peccatum. Hoc autem per mandatum ostensum est. Iis excellentiam quoque gratiæ ostendit supra legem, non vero pugnam. Neque enim hoc respicias, quod ii qui legem acceperunt, deteriores facti sint ; sed id consideres, legem non modo non augere malitiam voluisse, sed eam quæ prius erat exscindere studuisse. Quod si non potuerit, illam tamen coronato a voluntate. Christi vero virtutem magis adora, quia tam varium, tam expugnatu difficile malum delevit, et radicitus evulsit. Cum autem peccatum audis, ne putes esse vim quamdam existentem, sed malam actionem, semper accedentem et recedentem : quæ non erat antequam fieret, et postquam facta est, rursum deletur. Ideo namque et lex data est : lex vero nunquam ad naturalium interitum datur, sed ad emendationem mali secundum voluntatem actus.

VII. Hoc externi quoque legislatores sciunt, necnon universa hominum natura. Ea enim tantum coërcent mala, quæ ex segnitie facta sunt, non vero ea quæ naturæ cohærentia sunt, se exscindere profitentur. Neque enim id fieri potest. Nam quæ naturalia sunt, immota manent, ut sæpe vobis in aliis colloquiis dixi. Quapropter his missis certa-

[1] Rom. VII, 13.

minibus, moralem rursus sermonem excutiamus : imo-vero hæc illorum certaminum maxima pars est. Nam si nequitiam depellamus, virtutem inducamus, et hinc clare ostendamus vitium non esse natura malum; eos qui unde mala sint quærunt, non modo verbis, sed etiam operibus poterimus ad silentium cogere, quod cum ejusdem simus naturæ, a malitia eorum exempti simus. Ne vero illud consideremus, laboriosam esse virtutem; sed potius posse illam a nobis exerceri; si vero studeamus, eam nobis omnino facilem fore. Si autem mihi nequitiæ voluptatem opponas, ejus quoque finem dicito. In mortem enim illa desinit : quemadmodum virtus in vitam nos manuducit. Imo, si videtur, utramque etiam ante finem examinemus. Videbimus enim nequitiam multum doloris secum ferre; virtutem vero multam voluptatem. Quid enim, quæso, miserabilius prava conscientia? Quid dulcius bona spe? Nihil enim, nihil certe nos ita pungit, et premit ut expectatio mala. Nihil ita nos erigit, ac pene volatiles reddit, ut conscientia bona. Id quod ex iis quæ apud nos eveniunt edisci potest. Nam ii qui in carcere clausi tenentur, et sententiam se damnantem expectant, etiamsi abundanti cibo fruantur, miserius vivunt, quam ii qui per vicos stipem cogunt, nullius sibi mali conscii. Expectatio namque malorum, non sinit eos voluptatem, quam præ manibus habent, advertere. Ecquid de vinctis loquor? Iis qui liberi sunt et divites, malorum tamen conscii, meliore conditione sunt artifices, qui ex diurno labore vivunt; gladiatores quoque, quos in cauponis videmus ebrietati, voluptati et ventri operam dantes, omnium miserrimos esse dicimus, quia longe major voluptate illa est, expectatæ mortis calamitas. Quod si illis hæc vita dulcis esse videatur, mementote dicti, quo vos frequenter alloquor, nihil mirum esse si is qui in nequitia vivit, amaritudinem

doloremque non fugiat. Ecce enim res ita detestanda, amabilis videtur iis, qui in illa versantur. Sed non ideo illos beatos dicimus, verum hoc ipso miseros prædicamus, quod quo malorum devenerint nesciant. Quid vero dixeris de mœchis, qui propter modicam voluptatem, ad indecoram servitutem, ad pecuniarum sumptum, et perpetuum timorem se dedunt, et vitam Caïni subeunt, imo illa graviorem, dum et præsentia timent, et futura formidant, et amicos, inimicos, scios, inscios suspectos habent? ac neque cum dormiunt, ab hoc angore liberi sunt: dum mala conscientia somnia ipsis confingit terroribus plena, quibus illi pavidi torquentur. At non sic habet vir temperatus et castus, sed in tranquillitate et libertate multa hanc transigit vitam. Confer igitur modicæ voluptati multos illos terrorum fluctus, et brevi continentiæ labori vitæ perpetuæ tranquillitatem, et videbis hanc illa suaviorem esse. Qui vero rapere vult, et alienas invadere pecunias, annon, quæso, innumeros sustinet labores, circumcursans, servis, liberis, ostiariis adulans, terrens, comminans, impudenter agens, vigilans, tremens, anxius, omnia suspecta habens? At non talis est qui pecunias contemnit; hic enim multa fruitur voluptate, in tranquillitate et securitate vitam agens. Quod si quis cæteras nequitiæ partes percurrerit, magnos tumultus, multos scopulos videbit. Quodque majus est, in virtute quidem prima laboriosa sunt; quæ vero sequuntur, suavia; ita ut hinc labor minuatur. In nequitia vero secus; post voluptatem dolores et supplicia accidunt, ita ut hinc voluptas evanescat. Quemadmodum enim qui coronas expectat, onerosa præsentia ne quidem sentit; sic is qui post voluptatem supplicia expectat, non potest puram lætitiam excerpere, metu omnia turbante; imo si quis rem accurate examinet,

ante supplicium expectatum, in ipso ausu suo, dolorem experitur.

VIII. Et, si placet, hoc in iis qui aliena rapiunt exploremus, vel etiam in iis, qui quomodocumque divites sunt. Missis vero timoribus, periculis, tremore, angore, cura, et similibus, supponamus esse quempiam sine ullo negotio divitem, et de facultatum custodia securum, quod tamen esse nequit; attamen id supponatur. Quam ille voluptatem percipiet? Quod multis circumdetur bonis? At hoc non sit cum lætari : quandiu enim plura concupiscet, cruciatus augetur. Nam concupiscentia, cum stat, nec ultra progreditur, tunc parit voluptatem; etenim cum sitimus, tunc nos recreamus, cum quantum libet bibimus; donec autem sitimus, etsi fontes omnes exhauriamus, major nobis adest cruciatus; etiamsi mille flumina exhauriremus, gravius tormentum esset. Et tu quoque si omnia quæ in mundo sunt acciperes; si adhuc concupisceres, quo plura perciperes, eo major esset cruciatus. Ne igitur putes te, si multis affluas, bonis aliquam inde voluptatem esse percepturum; sed id assequeris si ditescere nolis; sin divitias concupiscas, nunquam finis tormentorum erit. Hic enim amor expleri nequit; sed quo magis viam carpes, tanto magis a termino semotus eris. Annon hoc ænigma est? annon dementia et extrema insania? Absistamus ergo a prima illa malorum radice, imo talem concupiscentiam ne attingamus quidem; si vero tangamus, a principio resiliamus : id quod admonet Proverbiorum auctor, de meretrice sic loquens : « Abscede, ne » moram feceris, et ne accedas ad januam domus ejus[1]. » Hoc etiam tibi ego de pecuniæ amore dico. Si enim paulatim incidas in pelagus insaniæ illius, vix emergere poteris : nam ut in vorticibus, si millies contendas, non facile

[1] Prov. v, 8.

superabis; sic, imo gravius, in profundum concupiscentiæ demersus, te ipsum cum omnibus tuis perdes. Propterea obsecro, a principio caveamus, et pusilla fugiamus mala; magna quippe ex his generantur. Nam is qui ad singula peccata hoc dicere edoctus est : « Nihil hinc eveniet, » paulatim omnia perdet. Hoc nequitiam introduxit : hoc portas latroni aperuit : hoc urbis mœnia dejecit, cum ad singula dicitur : Nihil hinc eveniet. Sic et in corporibus magnæ ægritudines augentur, quando parvæ contemnuntur. Esaü, nisi primogenita vendidisset, non indignus benedictionibus habitus fuisset; si se benedictionibus indignum non reddidisset, non ad fraternam cædem progredi concupivisset. Caïn nisi primas tenere voluisset, sed Dei arbitrio rem permisisset, secundas non habuisset. Si cum secundas haberet, monitioni paruisset, cædem non parturiisset. Rursus cæde patrata, si ad pœnitentiam venisset, Deo ipsum vocante, et non impudenter respondisset, non gravia subinde passus esset. Si vero ii, qui ante legem erant, ex segnitie sua paulatim in ipsum malitiæ profundum venerunt, cogita quid patiemur nos, qui ad majora vocati sumus stadia, nisi cum diligentia nobis attendamus, et scintillas malorum antequam rogus accendatur præreptas extinguamus. Verbi gratia, pejeras frequenter? Ne hoc solummodo cures, sed etiam juramentum tolle, neque ultra labore opus habebis. Longe namque difficilius est jurantem non pejerare, quam non omnino jurare. Convitiator es, contumeliosus, percussor? legem tibi scribe, ne unquam irascaris vel clames, et una cum radice fructum sustulisti. Lascivus es et luxurici deditus? Pone tibi legem ne unquam mulierem respicias, nedum in theatrum ascendas, neque in foro alienas formas curiose explores. Longe enim facilius est, ne respicere quidem formosam mulierem, quam illa conspecta et percepta

cupidine, tumultum inde ortum sedare. Leviora quippe sunt in ipso primordio certamina ; imo potius neque ineunda certamina erunt, si hosti fores non aperuerimus, neque mali semina susceperimus. Quamobrem Christus illum pœna plectit qui lascivis oculis mulierem respexerit ; ut nos a majori labore eriperet, jubens adversarium domo ejicere antequam fortior evadat, quando nempe facile ejici potest. Quæ necessitas enim negotia superflua inire et cum adversario confligere, cum sine conflictu possis tropæum erigere, et ante pugnam bravium rapere ? Non enim tantus labor est formosas mulieres non respicere, quam post aspectum se continere. Imovero ne labor quidem ille primus fuerit, sed post aspectum illum, grandis sudor et labor adest.

IX. Cum ergo minor labor sit, imo ne labor quidem, et lucrum majus, cur studemus in pelagus innumerabilium malorum incidere ? Neque enim tantum facilius est viro non respicere mulierem ; sed etiam sic purior ab hujusmodi concupiscentia evadet ; cum contra is qui respicit, et cum majori labore et cum macula evadat, si quidem evadat. Nam qui formosam faciem non videt, a tali concupiscentia liber et purus est : qui autem videre concupivit, cum primo hanc cogitationem admiserit, seseque millies maculaverit, tunc illius concupiscentiæ maculam ejicit, si tamen ejiciat. Ideo Christus, ut ne id patiamur, non cædem modo prohibet ; sed et iram quoque ; non fornicationem tantum ; sed et lascivum aspectum ; non perjurium, sed et quodvis juramentum. Neque in hoc virtutis modo consistit : sed postquam eam legem posuit, ad majorem progreditur. Postquam enim a cædibus avertit, iramque prohibuit, jubet paratum esse ad mala sustinenda, neque modo ad tanta subeunda, quanta vult insidiator ; sed etiam ad procedendum ulterius, ita

ut per philosophiæ tuæ excellentiam ejus insaniæ magnitudinem superes. Neque enim dixit : « Si quis te percus-» serit in maxillam dexteram, fer generose et quiesce, » sed addidit, ut alteram ei præbeas, « Verte enim, inquit, » illi et alteram [1]. » Hæc splendida est victoria, plus illi præbere, quam ipse velit, et pravæ voluntatis illius terminos patientiæ largitate superare. Sic illius insaniam sedabis, et prioris facti mercedem ex posteriore facies, illiusque iram mitigabis. Vides-ne penes nos semper esse, ut ne mala patiamur, non penes illos qui mala inferunt? imo et potestatem habemus, non ut mala non patiamur tantum, sed etiam ut beneficio afficiamur. Id quod est maxime admirandum, quod non modo non lædamur, si vigilemus; sed etiam beneficio afficiamur ab iis qui nos lædunt, et ab aliis. Rem perpende : te injuria quispiam affecit? in potestate tua est hanc injuriam in laudem tuam vertere. Nam si injuriam injuria repellas, turpitudinem auxisti; sin benedixeris ei qui te injuria affecit, videbis omnes qui præsentes sunt, te coronantes et celebrantes. Vides-ne quomodo a quibus injuria afficimur, ab iis beneficia accipiamus si velimus? Hoc ipsum in pecuniis, hoc in plagis, hoc in cæteris omnibus deprehendere est. Nam si contraria ipsis rependamus; et ex malis quæ perpessi sumus, et ex beneficiis quæ præstitimus, duplicem nobis coronam contexemus. Cum ergo accedens quispiam dixerit : « Ille talis te injuria affecit, et male de te apud omnes loqui non cessat; » apud hæc loquentem lauda eum qui injuriam intulit. Sic enim, si illum ulcisci velis, potes ab eo pœnas repetere. Nam qui audiunt, etiamsi sensu careant, te laudabunt, illum vero ut fera quavis immaniorem odio habebunt : quoniam ille nihil læsus, mala intulit; tu vero, etiamsi male affectus, contraria rependisti. Sicque

[1] Matth. v, 39.

dicta illa omnia ut futilia exhibere poteris. Etenim qui mordetur, si doleat, oblati criminis se sibi conscium esse declarat : qui autem hæc deridet, hoc ipso se præsentibus vel suspicione liberum demonstrat. Perpende igitur quot bona inde colligas ; primo te ipsum a perturbatione et commotione liberas. Deinde (hoc vero primum censeri debet) si in peccatis sis, illa abstergis, ut Publicanus ille, qui Pharisæi accusationem patienter tulit. Ad hæc, per hujusmodi exercitationem animum tuum philosophum reddis, et mille laudibus apud omnes frueris, et dictorum vel suspicionem amoves. Quod si illum ulcisci cupias, hoc ex abundanti sequetur, Deo criminationis ab illo pœnas exigente, philosophiaque tua, ante pœnas illas, plagam ipsi gravem inferente. Nihil enim ita eos qui nobis injuriam inferunt mordere solet, ut cum nos illas quibus affecti sumus injurias deridemus. At sicut si philosophice agamus, tot tantaque bona aderunt ; sic si rixas et simultatem exerceamus, contraria omnia contingent. Etenim nos ipsos dedecore afficimus, ac nos iis quæ dicta sunt obnoxios esse a præsentibus existimamur ; animam tumultu replemus, et inimicum gaudio afficimus, Deum irritamus, et peccatis prioribus hoc addimus. Hæc itaque omnia cogitantes, simultatum barathrum vitemus, et ad portum tolerantiæ configiamus, ut et hic inveniamus requiem animabus nostris, ut Christus pronuntiavit, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

CAPUT VII.

Scimus autem quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato[1].

I. Postquam dixerat magna fuisse mala[2], et peccatum admissum potentius fuisse lege, et contra quam lex satagebat accidisse, et cum in magnam dubitationem auditorem conjecisset; rationem postea dicit per quam hæc advenere, cum prius legem a prava suspicione vindicasset. Etenim ne quis audiens peccatum occasionem per mandatum accepisse, et quod eodem mandato accedente peccatum revixit; et quod per illud decepit atque interfecit; ne quis, inquam, legem horum malorum causam putaret esse; primo illius defensionem affert uberrimam; non modo illam ab accusatione liberans, sed laudem ipsi maximam texens. Hocque adhibet non quasi ipse in ejus gratiam loquatur, sed quasi communem omnium sententiam exponens. « Scimus enim, inquit, quod lex spiritualis sit; » ac si diceret, hoc in confesso et manifestum est, quod sit spiritualis; tantum abest ut sit causa peccati, et malis quæ advenerunt obnoxia. Et vide quo pacto non modo illam ab accusatione liberet, sed etiam supra modum laudet. Nam cum spiritualem illam dicit, magistram virtutis ostendit esse, et nequitiæ adversariam: hoc est enim esse spiritualem, et ab omni peccato abducere, quod lex faciebat, terrens, admonens, puniens, corrigens, quæ ad justitiam

[1] Rom. VII, 14. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 128, et tom. XVII, p. 266-275.

pertinent omnia consulens. Unde ergo, inquit, peccatum extitit, si tam admirabilis sit præceptor? a discipulorum segnitie. Quapropter hæc subjunxit: « Ego autem carnalis » sum, » eum, qui in lege et ante legem vixerat, hominem indicans. « Venumdatus sub peccato. » Cum morte enim, inquit, affectuum turba ingressa est. Cum enim corpus mortale effectum est, necessario accepit concupiscentiam, iram, dolorem, cæteraque omnia, quæ multa opus habebant philosophia, ne exundantia in nobis, rationem in peccati profundum submergerent. Illi namque affectus peccatum non erant : sed illorum immoderatio, si non frenetur, hoc efficiebat. Verbi gratia, (ut unum illorum in exemplum adducam,) concupiscentia peccatum non est; at si immoderata sit, nec velit intra connubii legem se continere, sed alienas etiam mulieres appetat, tum res adulterium efficitur; non a concupiscentia, sed ab illius immoderata cupiditate. Ac perpende Pauli sapientiam. Postquam legem laudibus extulerat: statim ad illud priscum tempus accurrit, ut cum ostendisset quomodo tunc genus nostrum affectum esset etiam cum legem accepit, probaret gratiæ adventum necessarium fuisse, quod ubique demonstrare curavit. Cum enim dicit: « Venumdatus » sub peccato; » non de iis qui in lege erant loquitur tantum, sed etiam de iis qui ante legem vixerant, et de hominibus in principio conditis. Deinde modum dicit venditionis et deditionis. « Quod enim operor, inquit, non » intelligo[1]. » Quid est, « Non intelligo? » ignoro. Et quandonam hoc factum est? nemo enim in ignorantia peccavit. Vides-ne quomodo si non cum decenti reverentia voces deligamus, nec apostolicum scopum respiciamus, innumera absurda secutura sint? Si enim ignorantes peccabant, nec pœnas dare debebant; ut ille superius dicebat:

[1] Rom. VII, 15.

« Sine lege enim peccatum mortuum est; » non hoc declarans, quod illi nescientes peccarent; sed quod scirent quidem, at non tam accurate; ideoque puniebantur quidem, sed non tam acerbe. Ac rursum, « Concupiscentiam » nescivissem; » non omnimodam ignorantiam significans, sed clarissimam cognitionem non affuisse denotans. Dixit vero, operata est in me omnem concupiscentiam; non hoc sensu, quod mandatum concupiscentiam effecerit; sed quod augmentum concupiscentiæ peccatum per mandatum induxerit. Ita et hic non omnimodam ignorantiam significat dicens : « Quod enim operor non intelligo. » Quomodo enim in lege Domini sibi complaceret secundum interiorem hominem? Quid ergo significat, « Non intelligo? » In tenebris sum, inquit, abripior, damnum sustineo, nescio quomodo supplantor. Quod et nos dicere solemus : nescio quomodo ille veniens surripuit, non ignorantiam profitentes, sed fraudem quamdam, circumventionem et insidias declarantes. « Non enim quod volo, id facio, sed quod odi » facio[2]. » Quomodo ergo non nosti id quod facis? Si enim bonum expetis, si malum odisti, id perfectæ cognitionis est. Unde liquet illum hoc dixisse, « Quod nolo, » non liberum arbitrium tollens, neque necessitatem quamdam et vim inducens. Si enim non sponte, sed ex necessitate peccamus, certe supplicia pro factis illata non ratione nituntur. Sed sicut cum dixit: « Non intelligo, » non ignorantiam significavit, sed id quod dicebamus; sic illud additum, « Quod nolo, » non necessitatem denotat; sed quod facta non laudet. Nisi enim hoc sibi vellet cum dicit: « Quod » nolo facio, » cur non addidit, « Sed ex necessitate cogor, et vi hoc facio; » hoc enim voluntati et potestati oppositum est. Nunc autem hoc non dicit; sed hujus loco posuit, « Quod odi; » ut discas ipsum quando dixit: « Quod nolo, » potesta-

[2] Rom. VII, 15.

tem sibi non ademisse. Quid est ergo illud, « Quod nolo? » Quod non laudo, quod non probo, quod non amo ; ad cujus rei comparationem sequentia addidit ; « Sed quod odi, hoc facio. Si autem quod nolo facio, consentio legi quod bona » sit[1]. »

II. Vides-ne interim non corruptam mentem, sed in opere nobilitatem suam servantem? Quod si nequitiam adit, ut odio habens adit, id quod legis et naturalis et scriptæ maxima laus fuerit. Quod enim bona sit lex, inquit, hinc palam est ; quod me ipsum accusem, quod legi non obsecutus sim, et quod factam rem odio habeam. Atqui si lex causa peccati esset, quo pacto is qui ipsi consentiret jussum ejus odio haberet? « Consentio enim legi, » inquit, quia bona est. Nunc autem jam non ego operor » illud ; sed quod inhabitat in me peccatum. Novi enim » quod non inhabitet in me, id est, in carne mea, bonum[2]. » Hic instant ii, qui carnem calumniantur et illam a Dei opificiis amovent. Quid ergo dicemus? Ea quæ de lege nuper dicebamus ; quod ut illic totum ad peccatum refert, sic et hoc loco. Non enim dixit : « Caro illud operatur ; » sed contrarium, « Jam non ego illud operor, sed quod inhabitat » in me peccatum. » Quod si dicat, quod non habitet in ipsa bonum, nondum hoc carnis crimen est. Non enim quod bonum non habitet in ipsa, hoc probat illam non esse bonam. Nos autem minorem quidem fatemur anima carnem, ipsique inferiorem, non illi contrariam, nec adversantem, nec malam ; sed ut citharœdo citharam, ut gubernatori navem, sic illam animæ subjicimus : quæ non sunt adversaria agentibus et iis utentibus, sed admodum convenientia, non paris tamen cum artifice honoris. Ut ergo qui dicit, non in cithara : « Non in navi ars residet, sed in gubernatore et in citharœdo, » non ipsa improbat, sed osten-

[1] Rom. VII, 16. — [2] Ibid. 17, 18.

dit quantum intersit inter illa et artificem; sic et Paulus cum dicit : « Non habitat in carne mea bonum, » non corpus calumniatur, sed animæ excellentiam declarat. Ipsa enim est, cui et gubernatio et citharæ usus committitur. Quod et Paulus hic declarat, animæ auctoritatem tribuens, et in hæc duo hominem dividens, animam et corpus dicit quidem carnem ratione et intelligentia destitutam agi et non agere : animam vero sapientiorem esse, quæ possit intelligere quæ agenda, quæ non agenda sint : neque tamen posse equo pro arbitrio suo imperare : id quod non carnis modo, sed etiam animæ crimen fuerit, quæ novit quidem quid sit agendum; sed quod sibi agendum videtur non exequitur. « Nam velle adest mihi, inquit, perficere au- » tem bonum non invenio. » Hic rursus cum dixit, « Non » invenio, » non ignorantiam significat, non dubitationem, sed damnum quoddam et insidias peccati, quod et apertius declarans addit : « Non enim quod volo facio, bonum; » sed quod nolo malum, hoc facio. Si ergo quod ego nolo, » hoc facio, non jam ego operor illud, sed quod inhabitat » in me peccatum[1]. » Vides-ne quomodo et naturam animæ naturam et carnis a crimine liberans, totum in malam operationem transfert? Si enim non vult malum, liberatur anima; si ipse non illud operatur, liberatur et corpus, et solius mali propositi totum est. Non enim idipsum natura sunt anima, corpus et propositum. Sed illa quidem sunt opera Dei; hoc autem propositum ex nobis ipsis et motus quispiam est, quocumque illum ducere voluerimus. Non voluntas quidem naturalis est, et a Deo; talis vero voluntas a nobis et propositi nostri est. « Invenio igi- » tur legem volenti mihi facere bonum, quia malum mihi » adjacet[2]. » Obscurum est hoc dictum : quid ergo sibi vult? Laudo legem, inquit, secundum conscientiam, et

[1] Rom. VII, 19, 20. — [2] Ibid. 21.

illam mihi volenti facere bonum, patronam invenio, quæ voluntatem meam intendat. Sicut enim in ipsa mihi complaceo; sic et illa sententiam meam laudat. Vides-ne quomodo bonorum malorumque cognitionem a principio nobis inditam ostendit, legemque Moysis laudare illam dicit, et laudari ab illa? Neque enim supra dixit, « Doceor a lege; » sed, « Consentio legi; » neque dixit, « Erudior ab illa, « sed « Mihi complaceo in illa. » Quid sibi vult illud, « Complaceo » mihi? » Bene habere confiteor, sicut et illa me volentem facere bonum. Itaque illud et velle bonum, et nolle malum, jam ab initio fundatum est. Lex autem veniens, et in malis accusatrix fuit plurimorum, et in bonis laudatrix majorum. Vides-ne ubique extensionem quamdam et augmentum ipsius testificantem tantum, et præterea nihil? Illa enim laudante, et me complacente et volente bonum, malum adhuc adjacet, et actio ejus non sublata est. Itaque lex proponenti bonum quid facere, in hoc tantum auxiliatrix est, quatenus eadem quæ ipsa vult. Deinde quia illud obscure posuerat, progressus id explicat, et clarum reddit, ostendens quomodo malum adjaceat, et quomodo volenti facere bonum lex adsit. « Condelector enim legi Dei secundum interiorem » hominem. » Bonum enim, inquit, jam ante noveram, ipsum autem in litteris repertum laudo. « Video autem alteram » legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ[1]. »

III. Legem hic rursus repugnantem, peccatum vocat, non ob illius dignitatem, sed ob summam obsequentiam eorum, qui ipsi obediunt. Ut ergo mammonam dominum, et ventrem Deum appellat, non ob dignitatem, sed ob magnam obsequentium servitutem; sic et hoc loco peccatum vocavit legem, propter eos qui ipsi serviunt, et timent ne ipsum amittant; sicut timent legem amittere, qui illam accepere. Hæc itaque, inquit, opponitur legi naturali. Hoc

[1] Rom. VII, 23.

enim sibi vult illud, « Legi mentis meæ. » Rursusque aciem inducit, et pugnam : certamenque totum ascribit legi naturali. Lex enim Moysis ex abundanti demum addita fuit. Attamen et hæc et illa, dum altera docet, altera laudat honesta, nihil magni in hac pugna perfecerunt : tanta est peccati tyrannis, quæ vincit et superat. Quod declarans Paulus, et cladem acceptam significans dicebat : « Video » autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ, et » captivantem me. » Non enim dixit, vincentem simpliciter, sed, « Captivantem me legi peccati; » non dixit, impetui carnis, nec, naturæ carnis; sed legi peccati; id est, tyrannidi, potestati. Quomodo igitur ait : « Quæ est in » membris meis? » Et quid hoc est? Non enim hoc facit ut membra sint peccatum, sed illa maxime separat a peccato. Aliud enim est quod in alio est, et id in quo illud est. Sicut ergo mandatum non est malum, quia ab illo peccatum occasionem accepit; sic neque carnis natura, etsi per eam nos peccatum impugnet : quandoquidem sic et ipsa anima mala esset, multoque magis illa, quatenus rerum agendarum auctoritatem habet. At non ita se res habent, non ita. Neque enim si admirandas ædes, aut regias aulas, tyrannus vel latro occuparet, culpa in ipsas ædes conferretur, sed accusatio tota caderet in eos, qui illis sunt insidiati. Sed veritatis inimici, cum impietate in stultitiam magnam inciderunt, neque illud sentiunt. Non enim carnem solum incusant, sed etiam legem calumniantur; quanquam si caro mala esset, bona esset lex : nam ipsi repugnat et adversatur. Si autem non bona sit lex, bona erit caro : pugnat enim cum ipsa secundum illos. Quomodo igitur hæc ambo diaboli esse dicunt, quæ inter se contraria sunt inducentes? Vides-ne quanta sit cum impietate stultitia? Verum non ita se habent Ecclesiæ dogmata; peccatum enim solummodo damnant, utramque vero a Deo

datam legem, naturalem nempe et Mosaïcam, peccato adversari dicunt, non carni : neque carnem peccatum esse, sed opus Dei nobis ad virtutem valde opportunum, si vigilemus. « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore » mortis hujus[1] ? » Vides-ne quanta sit malitiæ tyrannis, quæ mentem in lege sibi complacentem vincit? Neque enim dicere possis me, qui legem oderim et averser, a peccato captum fuisse. Condelector enim in ipsa, ipsam probo, ad illam confugio : attamen illa ad se confugientem servare non potuit : contra vero Christus ab se fugientem servavit. Vides-ne quanta sit gratiæ magnitudo? At non sic locutus est Apostolus : ingemiscens vero tantum, quasi auxilio destitutus, per dubitationem Christi potentiam indicat et ait : « Infelix ego homo! quis me liberabit de cor» pore mortis hujus? » Lex non potuit, conscientia non valuit : etiamsi quæ bona essent laudarem, nec modo laudarem, sed etiam adversantibus obsisterem. Cum enim dixit, repugnantem, ostendit se adversum stare et pugnare. Unde igitur erit spes salutis ? « Gratias ago Deo, inquit, » per Jesum Christum Dominum nostrum[2]. » Vides-ne quomodo ostenderit necessarium esse gratiæ adventum, communiaque esse Patris et Filii beneficia? Etiamsi enim Patri gratias agat; gratiarum tamen actionis causa est Filius. Cum porro audis illum dicentem : « Quis me liberabit de » corpore mortis hujus? » ne putes ipsum accusare carnem. Neque enim dixit, « Corpus peccati; sed corpus mortis; » hoc est, mortale corpus, a morte occupatum, non quod mortem generaverit : quod non est malitiæ carnis, sed damni, quod sustinet, argumentum. Quemadmodum si quis a barbaris captus, dicatur esse barbarorum; non quod barbarus sit, sed quod ab illis detineatur; sic et corpus mortis esse dicitur, quod ab illa detentum sit, non quod illam

[1] Rom. VII, 24. — [2] Ibid. 25.

procuraverit. Quapropter ille non a corpore vult liberari, sed a mortali corpore; subindicans, ut sæpe dixi, ipsum quod sit passibile, peccato captu facile fuisse.

IV. Et cur, inquies, si tanta peccati tyrannis ante gratiam fuerit, peccatores puniti fuere? Quia talia imperata erant, quæ possent illi, etiam peccato dominante, facere. Neque enim illos ad summum vitæ institutum trahebat, sed permittebat ut pecuniis uterentur, pluribus uti uxoribus non prohibebat, ira cum justitia uti sinebat, atque moderata voluptate frui. Tantaque erat indulgentia, ut lex scripta minus exigeret, quam lex naturalis dictaret. Lex quippe naturalis virum unum cum unica muliere semper versari jubebat. Quod etiam Christus his declaravit: «Qui fecit a principio, mas» culum et fœminam fecit eos[1].» Lex autem Moysis, neque hanc ejicere et illam assumere prohibebat; neque quominus duæ simul haberentur vetabat. Præter hæc autem, alia plura, quam in lege essent, priscos illos fecisse videas, naturali eruditos lege. Non ergo damno affecti sunt ii qui in Veteri Testamento vivebant, cum tam moderata lex ipsis inducta fuit. Quod si ne ita quidem vincere potuerunt, ex illorum ignavia culpa venit. Ideo et Paulus gratias agit, quod Christus, his non examinatis, non modo admissorum scelerum pœnas non expetierit, sed etiam ad majorem cursum aptos effecerit. Ideo ait: «Gratias ago Deo meo per » Jesum Christum;» et salute quæ in confesso est prætermissa, ex jam probatis ad aliud majus transit, dicens non modo nos a pristinis liberatos esse, sed non posse in futuro capi: nam ait: «Nihil ergo nunc damnationis est iis qui » sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambu» lant[2]. » Sed non id prius dixit, quam pristinum statum commemorasset. Cum enim prius dixisset, «Igitur ego » mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati,»

[1] Matth. XIX, 4. — [2] Rom. VIII, 1.

tunc intulit, « Nulla ergo condemnatio iis qui Christi Jesu » sunt. » Deinde quia illi objici poterat, multos etiam post baptismum peccare, ideo ad hoc properat, nec simpliciter dicit, « Iis qui in Christo Jesu ; » sed, « Iis qui non secundum » carnem ambulant. » Ostendens illud deinceps ex ignavia nostra proficisci. Possumus enim nunc non secundum carnem ambulare, tunc autem difficile erat. Deinde alio modo illud probat, sic dicens : « Lex enim Spiritus vitæ in » Christo Jesu liberavit me[1], » legem Spiritus hic spiritum vocans. Sicut enim legem peccati peccatum ; sic legem Spiritus spiritum dicit. Atqui legem quoque Moysis sic vocavit dicens : « Scimus enim quod lex spiritualis est. » Quodnam igitur est discrimen? multum et immensum : illa enim spiritualis est ; hæc lex Spiritus. Et in quo differt hæc ab illa? Quia illa a Spiritu data est tantum, hæc vero Spiritum recipientibus largiter dabat. Ideo legem vitæ vocavit illam, ad differentiam legis peccati, non legis mosaïcæ. Cum enim dicit : « Liberavit te a lege peccati et » mortis, » non Moysis legem hic dicit. Nusquam enim illam legem peccati vocat. Quomodo enim quam sæpe justam et sanctam vocavit, et peccatum destruentem, ita nunc appellaret? sed illam quæ pugnat contra legem mentis. Hoc enim grave solvit bellum, peccatum interficiens, Spiritus gratia, et certamen nobis leve reddens, nos prius coronans, et tunc cum multo præsidio ad certamina alliciens. Quodque semper facit, a Filio ad Spiritum transit, et a Spiritu ad Filium et Patrem : et Trinitati nostra omnia refert. Hoc ipsum et hic facit. Nam cum dixisset : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus? » ostendit Patrem per Filium hoc facere : deinde Spiritum sanctum cum Filio : « Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu libera- » vit me. » Deinde Patrem et Filium. « Nam quod impossi-

[1] Rom. VIII, 2.

» bile erat legi, inquit, in quo infirmabatur per carnem, » Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati : » et de peccato condemnavit peccatum in carne[1]. » Rursus videtur quidem improbare legem. Si quis autem accuratius attendat, admodum laudat illam, Christo consonam esse demonstrans, et eadem ipsa præscribere. Neque enim dixit, quod malum erat in lege, sed, « Quod impossibile. » Et rursus, « In quo infirmabatur, » non, in quo maligne agebat, aut insidiabatur. Neque infirmitatem illi ascribit, sed carni dicens, « In quo infirmabatur per carnem. » Carnem hic vocans non ipsam substantiam et subjectum; sed carnaliorem sensum : per hæc vero et corpus et legem a crimine liberat, non per hæc solum, sed etiam per subsequentia.

V. Nam si contraria fuisset lex, quomodo Christus in auxilium ipsius advenit, et justificationem ejus implevit, manumque extendit condemnans peccatum in carne? Hoc enim restabat, quia jam olim lex in anima peccatum condemnaverat. Quid ergo? An quod majus erat lex fecit, quod vero minus Dei Unigenitus? Nequaquam. Illud enim Deus maxime fecit, qui naturalem dedit legem, et scriptam addidit. Alioquin nihil profuisset id quod majus erat, nisi id quod minus erat propositum fuisset. Nam quæ utilitas illa scire quæ agenda sunt antequam illa existant? Nulla, sed major damnatio. Itaque qui animam servavit hic est, qui etiam carnem freno parentem fecit. Docere enim facile erat; viam vero monstrare, qua hæc facilia essent, hoc mirabile fuit. Ideo venit Unigenitus, donec liberavit nos ab illa difficultate : quod autem majus est nec discessit victoriæ modus, non aliam accepit carnem, sed eamdem ipsam naturam labore confectam. Quemadmodum enim si quis in foro mulierem vilem et circumfora-

[1] Rom. VIII, 3.

neam vapulantem videns, diceret se filium ejus esse, regis filius cum esset, sicque illam verberantibus eriperet; illud etiam ipse fecit, et se filium hominis esse confitens, atque illi astans, peccatum damnavit. Nullus ergo postea illam verberare ausus est; imo potius percussit illam plaga mortis. Ipsum vero peccatum damnatum est et periit; non caro verberata, sed ipsum peccatum mortuum est : quod omnium est maxime admirandum. Nisi enim in carne victoria fuisset, non ita mirum esset, quia lex etiam hoc efficiebat. Mirum autem id fuit, quod cum carne tropæum erexerit : et quæ millies a peccato dejecta fuerat, ea splendidam contra illud victoriam reportavit. Vide namque quanta inexpectata evenerint. Unum quidem quod peccatum carnem non vicerit. Alterum quod victum fuerit, et ab illa victum : non enim par res est non vinci et vincere id quod antea semper dejiciebat. Tertium, quod non modo vicerit, sed et punierit. Nam non peccando non visus est; moriendo autem vicit et condemnavit illud; tremendam ipsi carnem exhibens, quæ antea despicabilis erat. Sic itaque et ejus potentiam destruxit, et mortem ab illo illatam sustulit. Donec enim peccatores offendit, secundum juris rationem mortem intulit. Cum autem impeccabile repertum corpus morti tradidit; utpote quod injuste egisset damnatum est. Vides-ne quot partæ victoriæ sint, quod caro non victa sit a peccato, quod vicerit illud et damnaverit; quod non modo damnaverit, sed etiam quasi peccans damnaverit. Cum prius enim probasset ipsum injuste egisse, sic damnavit, non modo vi et potentia, sed etiam secundum juris rationem. Hoc enim significavit de peccato dicens : « Condemnavit peccatum in carne; » ac si diceret : « Convicit ipsum quod admodum peccasset, et tunc illud condemnavit. » Vides-ne ubique peccatum damnatum, non carnem; sed hanc coronatam, et sententiam contra illud

proferentem? Quod in similitudine carnis dicat misisse Filium, ne ideo existimes aliam esse carnem; quia enim dixit peccati, ideo et similitudinem apposuit. Neque enim peccatricem carnem habuit Christus; sed similem quidem nostræ peccatrici, impeccabilem autem et natura eamdem quam nostram. Itaque hinc palam est naturam carnis non fuisse malam. Neque enim aliam loco illius prioris accepit Christus, neque hac secundum substantiam mutata, sic peccatum expugnare aggressus est. Sed illa in natura sua relicta, contra peccatum coronari illam curavit. Et tunc illam post victoriam suscitavit et immortalem effecit. Quid hoc ad me, inquies, si hæc in illa carne facta sunt? Ad te certe maxime pertinet : idcirco addidit : « Ut justi» ficatio legis impleretur in nobis, qui non secundum car» nem ambulamus[1]. » Quid est justificatio? Finis, scopus, præclarum gestum. Quid enim ille volebat, et quid præcepit? Ut sine peccato esses. Hoc ergo jam per Christum nobis præstitum est : ac contra stare ac vincere penes illum fuit; victoria frui, nostrum. Itaque non jam amplius peccabimus; non certe peccabimus, nisi admodum fracti et soluti simus : ideo addidit, « Qui non secundum carnem » ambulamus. » Ne enim audiens quod te Christus liberaverit a bello peccati, et quod justificatio legis perfecta sit in te, peccato in carne damnato, totum apparatum dejiceres; ideo postquam ibi dixerat: «Nulla ergo condemnatio,» adjecit : «Iis qui secundum carnem non ambulant. » Et hic cum dicit, « Ut impleretur justificatio legis in nobis, » hoc ipsum adjecit; imo non hoc tantum, sed multo amplius. Cum dixisset enim : « Ut justificatio legis impleretur in nobis, » qui non secundum carnem ambulamus, subjunxit, sed se» cundum Spiritum. » Ostendens non a malis abstinendum esse tantum, sed in bono præclare esse agendum : nam

[1] Rom. VIII, 4.

coronam tibi dare illius est; data retinere, tuum. Etenim id quod justificatio legis erat; nempe non esse obnoxium maledictioni, hoc tibi perfecit Christus.

VI. Ne igitur tantum donum prodas, sed hunc pulchrum thesaurum custodire persevera. Hic enim te docet lavacrum non sufficere nobis ad salutem; nisi post illud vitam tanto dono dignam ducamus. Itaque rursum legi patrocinatur, hæc dicens. Nam postquam Christo credideriminus, nihil non agendum est, ut justificatio illa, quam implevit Christus, maneat in nobis, et non corrumpatur? « Qui enim secundum carnem sunt, inquit, quæ carnis » sunt sapiunt: qui vero secundum Spiritum, quæ sunt » Spiritus. Nam sensus carnis, mors est; sensus vero Spi- » ritus, vita et pax. Quoniam sensus carnis inimicitia est » in Deum. Legi enim Dei non subditur, neque enim » potest[1]. » At ne hoc quidem est criminatio carnis. Donec enim suum servarit ordinem, nihil absurdi efficitur: cum autem illi omnia permittimus, ac suos transgrediens terminos, contra animam insurgit; tunc omnia perdit et corrumpit, non ex natura sua, sed ex moderationis et ordinis inversione, « Qui vero secundum Spiritum, quæ sunt Spi- » ritus. Nam sensus carnis, mors est. » Non dixit, carnis natura, neque substantia corporis; sed sensus, qui corrigi potest et tolli. Hoc porro dicit, non quod carni propriam cogitationem tribuat: absit; sed crassiorem mentis impetum indicans, et a pejori illam vocans, ut etiam sæpe carnem totum hominem animam habentem vocare solet. « Sensus autem Spiritus. » Rursus hic spiritualem mentem dicit, ut infra: « Qui autem scrutatur corda, novit quid » sit sensus Spiritus[2]. » Ostenditque multa hinc bona oriri in præsenti et in futuro. Multo namque plura bona affert sensus spiritualis, quam carnalis sensus mala inferat: quæ

[1] Rom. VIII, 5-7. — [2] Ibid. 27.

ipse significavit dicens : « Vita et pax. » Alterum quidem ad differentiam prioris ; nam « Sensus, inquit, carnis, mors » est ; » alterum vero ad differentiam sequentis ; cum dixisset enim : « Pax, » subjunxit, « Quoniam sensus carnis inimicitia est in Deum : » quod certe morte deterius est. Deinde ubi ostendit quomodo et mors et inimicitia sint : « Lege enim Dei non subjecta est, inquit, neque enim » potest. » Verum ne turberis cum audis, « Neque enim » potest. » Hæc enim difficultas facilem habet solutionem ; sensum enim carnis hic dicit, terrenam cogitationem, crassam et ad sæcularia malaque opera inhiantem. Hanc dicit cogitationem non posse subjici Deo. Ecqua demum salutis spes, si non possit malus fieri bonus ? Non hoc dicit. Nam quomodo Paulus talis factus est ? quomodo latro ? quomodo Manasses ? quomodo Ninivitæ ? Quomodo David, postquam lapsus est, sese erexit ? Quomodo Petrus post negationem ad se reversus est ? Quomodo qui fornicatus erat, in Christi gregem receptus est ? Quomodo Galatæ, qui ex gratia exciderant, ad pristinam rediere nobilitatem ? Non ergo dicit non posse eum, qui malus sit, fieri bonum ; sed si malus maneat non posse subjici Deo ; si vero mutetur, bonum fieri et subjici Deo facile posse. Non enim dicit hominem non posse subjici Deo ; sed malum opus non posse bonum esse ; ac si diceret : « Fornicatio non potest esse castitas, neque malitia virtus. » Quod etiam in Evangelio dicitur : « Non potest arbor mala fructus bonos facere[1], » transitum et mutationem a nequitia in virtutem non cohibens, sed dicens in malitia perseverantem non posse bonos ferre fructus. Non enim dixit : « Non potest arbor mala, bona fieri, sed mala manens non potest bonos ferre fructus. » Quandoquidem fieri posse ut quis mutetur, et hinc et ex alia parabola ostendit, cum inducit zizania triticum

[1] Matth. VII, 18.

esse facta[1] : ideoque illa extirpare vetat (6). Ne forte, inquit, cum illis extirpetis et triticum, id est, triticum quod ex illis eliciendum est. Sensum ergo carnis malitiam dicit; sensum vero spiritus, gratiam datam et operationem bona voluntate temperatam; nusquam hic de substantia et natura loquitur, sed de virtute et nequitia. Quod enim non potuisti in lege, inquit, hoc nunc poteris, recta nempe incedere, et sine offensione, si Spiritus opem obtineas. Non enim satis est non secundum carnem ambulare, sed oportet secundum Spiritum incedere, siquidem non satis nobis est ad salutem declinare a malo, sed bonum etiam facere oportet. Hoc autem erit si spiritui animam dederimus, et si carni suadeamus ut suum servet ordinem. Sic enim illam spiritualem faciemus; contra vero si ignavi simus, etiam animam carnalem faciemus.

VII. Quia vero non necessitas naturæ donum intulit, sed libertas propositi largita est; in te demum situm est, ut hoc vel illud efficiaris. Omnia enim quæ ab illo erant, perfecta sunt : neque enim peccatum pugnat contra legem mentis nostræ, neque captivam illam ut ante efficit; sed omnia quæ penes ipsum erant cessavere solutaque sunt, passionesque repressæ sunt metuentes ac trementes Spiritus gratiam. Si vero tu lumen extinguas, et aurigam dejicias, gubernatoremque expellas, tibi postea tempestatem imputa. Quod enim nunc facilior virtus facta sit, ideoque multum sit philosophiæ augmentum, disce quomodo, quando lex dominabatur, res mortalium se haberent; quomodo etiam nunc, cum gratia effulsit. Quæ enim ante nemini possibilia videbantur, virginitas, mortis contemptus, compluresque alii labores, hæc ubique terrarum jam præstantur, non apud nos tantum, sed etiam apud Scytas, Thraces, Indos, Persas, aliosque barbaros multos; et

[1] Matth. XIII, 29.

Virginum chori, Martyrum populi, Monachorum sodalitates, jam plures sunt quam eorum qui connubio junguntur. Jejunii frequentis et paupertatis studium ingens : quæ tamen ipsa, uno aut duobus exceptis, ne in somniis quidem imaginari potuerunt ii qui in lege vivebant. Videns itaque tuba clarius clamantem rerum veritatem, ne emolliaris, neve tantam prodas gratiam. Ne fide quidem accepta salutem consequi potest is qui segniter agit. Facilia quippe sunt certamina, ut decertans vincas, non ut dormias, non ut magnitudine gratiæ, ad ignaviæ occasionem, abutaris, in pristino luto rursum volutatus. Ideo subjungit : « Qui » vero in carne sunt, Deo placere non possunt [1]. » Quid ergo? an corpus discerpemus, ut Deo placeamus, atque a carne exeamus? Nosque homicidas esse jubes, dum ad virtutem ducis? Vides-ne quot absurda nascantur, si simpliciter dicta exceperimus? Carnem hic non corpus dicit, neque naturam corporis; sed carnalem vitam, mundanam, voluptate et luxu plenam, quæ totum hominem, carnem esse facit. Sicut enim ii qui spiritu ceu alis attolluntur, corpus etiam spirituale efficiunt; sic illi qui ab illo quidem resiliunt, ventri autem et voluptati serviunt, animam carnem efficiunt, non substantiam mutantes, sed nobilitatem ejus perdentes. Talis dictionis modus sæpe in Veteri Testamento jacet, carnem vocans crassam et luteam vitam, absurdis voluptatibus repletam. Nam Noæ dixit : « Non permanebit » spiritus meus in hominibus his, quia caro sunt [2]. » Atqui ipse quoque Noë carne circumdatus erat; sed non crimen erat carne circumdari : hoc enim naturæ est; sed carnalem deligere vitam. Ideo dicit Paulus : « Qui in carne vi- » vunt, Deo placere non possunt : » et adjicit : « Vos autem » non estis in carne, sed in spiritu [3]. » Non simpliciter carnem dicens, sed talem carnem a passionibus raptatam,

[1] Rom. VIII, 8. — [2] Gen. VI, 3. — [3] Rom. VIII, 9.

tyrannide oppressam. Et cur, inquies, non ita dixit, nec differentiam posuit? Auditorem erigens, et ostendens neque in corpore futurum esse eum qui recte vivit. Quia enim eum, qui in peccato est, non esse spiritualem, omnibus liquidum erat, hic quod majus est ponit, quod non solum in peccato, sed ne in carne quidem est spiritualis homo, jam hinc Angelus effectus, ad cœlum evectus, corpusque simpliciter circumferens. Quod si ideo carnem calumniaris, quia ejus nomine carnalem vocat vitam : mundum quoque sic calumniaberis, quia hoc nomine sæpe malitia appellatur, ut Discipulis suis dicebat Christus : « Vos » non estis de hoc mundo [1] ; » Et fratribus suis rursum dicebat : « Non potest mundus vos odisse, me autem odit [2]. » Anima quoque a Deo aliena esse dicetur, quia eos, qui in errore vivunt, animales appellavit. Verum non ita est, non ita. Non enim vocibus simpliciter, sed dicentis menti necesse est semper attendere, et accuratam dictorum scire distinctionem. Alia enim sunt bona, alia mala, alia media : verbi gratia, anima et caro, media sunt, quæ possint et hoc et illud fieri. Spiritus vero semper ex bonorum numero est, nec unquam aliud fieri potest. Rursum sensus carnis, id est, actio mala, ex malorum super numero est : legi enim Dei non subjicitur. Si ergo meliori dederis animam et corpus, ex illius portione eris ; si pejori, tunc perniciei consors eris ; non ex natura animæ et carnis ; sed ex proprio tuo arbitrio, quod potest alterutrum eligere. Hæc certe ita se habent, et quæ dicta sunt non carnis sunt calumnia. Hanc rursus dictionem tractantes, accuratius examinemus. « Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, inquit. »

VIII. Quid ergo ? Non erant in carne, sed incorporei ambulabant ? Ecqua ratione hæc esse possint ? Vides-ne illum carnalem vitam subindicasse ? Et cur non dixit : « Vos

[1] Joan. xv, 19. — [2] Id. vii, 7.

autem non estis in peccato?» Ut disceres Christum tyrannidem peccati non extinxisse tantum, sed etiam carnem leviorem et spiritualiorem fecisse : non naturam mutando, sed illam ceu alis quibusdam instruendo. Ut enim ferrum diu in igne versans, igneum evadit, in propria manens natura ; sic et fidelium et Spiritum habentium caro, demum in illam transfertur efficientiam, tota spiritualis effecta, undique crucifixa, et cum anima quasi alis instructa. Quale erat corpus ejus qui hæc dicebat. Quapropter delicias omnes et voluptatem deridebat : delectabatur in fame, flagellis, carceribus, nec dolebat illa patiens. Et hoc significans dicebat : « Momentaneum et leve tribulationis nos»træ [1] ; » ita pulchre carnem erudierat, ut cum Spiritu concurreret. « Si quidem Spiritus Dei habitat in vobis [2]. » Illud « Si quidem » sæpe non ambigens ponit, sed admodum credens, et loco illius vocis, quandoquidem, ut cum dicit : « Si quidem justum est apud Deum, retribuere iis »qui tribulant vos, tribulationem [3] ; » rursus, « Tanta passi »estis sine causa, si tamen sine causa. Si quis vero Spi»ritum Christi non habet [4]. » Non dixit : « Si autem vos non habetis ; » sed in alios rem molestam transtulit. « Hic »non est ejus, inquit, si autem Christus in vobis [5]. » Rursus Christum in illis esse ait. Et quod molestum erat, breve et medium posuit : quod vero optabile erat, utrinque, et multis verbis ; ita ut illud adumbraret. Hoc autem dicebat, non quod Spiritum Christum diceret : absit ; sed ostendens eum qui Spiritum habet, non modo Christi esse dici, sed etiam ipsum habere Christum. Non potest enim, Spiritu præsente, non adesse Christus. Ubi enim una Trinitatis hypostasis adest, tota adest Trinitas : non potest enim omnino separari, et accuratissime unita sibi est. Ec-

[1] 1 Cor. IV, 17. — [2] Id. III, 16. — [3] 1 Thess. III, 6. — [4] Galat. III, 4. — [5] Rom. VIII, 10.

quid erit, inquies, si Christus fuerit in vobis? « Corpus » quidem mortuum propter peccatum ; Spiritus vero vita » propter justitiam [1]. » Vides-ne quot mala sint ex eo quod Spiritus non habeatur, mors, inimicitia in Deum, non posse illius legibus placere, non Christi esse ut oportet, non habere illum inhabitantem? Perpende igitur quot bona conferantur ex eo quod Spiritus habeatur ; nimirum Christi esse, ipsum habere Christum, cum Angelis decertare. Hoc est enim carnem mortificavisse ; vita immortali vivere, inde etiam resurrectionis pignora habere, cum facilitate virtutis cursum tenere. Neque enim dixit corpus demum a peccato cessare, sed etiam mortuum esse, cursum facilitatem intendens. Sine ullis negotiis et laboribus ille talis coronatur demum. Ideoque illud, « Peccato, » addidit : ut discas ipsum malitiam, non naturam corporis, semel occidisse. Nam si hoc fiat, multa etiam eorum quæ animæ utilia esse possunt, sublata sunt. Non igitur hoc ait ; sed corpus vivens et manens, mortuum esse vult. Hoc quippe signum est, quod Filium habeamus, quod Spiritus in nobis sit, cum corpora nostra ab iis corporibus nihil differunt, quæ in tumulis jacent, quod ad corporis operationem. Verum ne timeas, cum mortificationem audis. Habes enim in te vitam, quam nulla excipiet mors. Talis enim est Spiritus vita : non jam morti cedit ; sed jam mortem consumit et expendit, et quod accepit, immortale servat. Quapropter ubi dixit corpus mortuum, non dixit, Spiritus vivens, sed, vitam, ut ostendat illum aliis quoque hoc præbere posse. Deinde auditorem astringens, et vitæ causam dicit et probationem affert : hæc vero est justitia : peccato enim non existente, neque mors comparet : morte non comparente, indissolubilis est vita : « Quod si Spiritus ejus, qui » suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit

[1] Rom. VIII, 10.

» Dominum, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter » inhabitantem ejus Spiritum in vobis [1]. » Rursus sermonem de resurrectione movet : quia ipsa maxime spes auditorem acuit, et firmat illum ex iis quæ Christo acciderunt. Ne timeas, inquit, quod mortali corpore circumderis : Spiritum habeto, et omnino resurget. Quid ergo ? an corpora quæ Spiritum non habent, non resurgunt ? Quomodo ergo oportet omnes sisti ante tribunal Christi [2] ? Quomodo gehennæ sermo fide dignus erit ? Nam si ii qui Spiritum non habent non resurgunt, neque gehenna erit. Quid ergo sibi vult illud dictum ? « Omnes quidem resurgent, sed non » omnes ad vitam ; sed alii ad supplicium, alii ad vitam [3]. » Ideo non dixit : « Suscitabit, » sed, « Vivificabit ; » quod majus resurrectione erat, et justis solum datur. Atque hujusce honoris causam apponens addidit, « Propter inha- » bitantem Spiritum in vobis. » Itaque si dum vivis, Spiritus gratiam ejeceris, neque illam salvam habens decesseris, omnino peribis, etiamsi resurrexeris. Sicut enim, dum spiritum suum in te splendens respicit, non te supplicio unquam tradit ; ita si extinctum illum videat, non te in thalamum suum introducet, sicut nec virgines illas. Ne itaque nunc corpus vivere sinas, ut tunc vivat : fac illud mori ne tunc moriatur. Si vivens maneat, non tunc vivet ; si moriatur, tunc vivet. Hoc etiam erit in illa universa generatione. Prius enim oportet illud mori et sepeliri, et tunc immortale fieri. Hoc etiam in lavacro evenit : crucifixum prius ac sepultum est, et tunc resurrexit. Hoc et in dominico etiam corpore ; crucifixum namque illud fuit et sepultum, tuncque resurrexit.

IX. Hoc itaque et nos faciamus : in ipsius operibus perpetuo ipsum mortificemus. Non substantiam ejus dico, absit, sed impetus ad prava opera ducentes. Nam et hoc

[1] Rom. VIII, 11. — [2] Id. XIV, 10. — [3] 1 Cor. XV.

vita est ; imo hoc solum vita est, nihil humanum pati, neque voluptatibus servire. Nam qui se illis subdidit, ne vivere quidem ultra potest, ob mœrores, timores, ac pericula ex illis parta, necnon ex infinito affectuum examine. Nam si mors expectetur, ante obitum ex metu moritur. Si morbum, si contumeliam, si paupertatem, si aliud quid inexpectatum suspicatus fuerit, periit et assumptus est. Quid ergo hac vita miserius fuerit ? At non perinde se habet is qui in Spiritu vivit ; sed metu, dolore, periculis, et mutatione omni superior est. Non quod nihil patiatur ; sed, quod longe majus est, quod omnia quæ ingruunt despiciat. Quomodo autem illud erit. Si Spiritus semper habitet in nobis : neque enim dixit ad breve tempus habitare, sed perpetuo. Ideoque non dixit : « Spiritus qui habitavit, » sed, « Qui habitat, » perpetuam mansionem significans. Igitur qui ita vivit, ille maxime est qui huic vitæ mortuus est. Ideo dicebat : « Spiritus vita est propter justitiam. » Et ut dictum illud clarius evadat, duos producamus homines ; alium luxui, voluptatibus et fallaciæ vitæ deditum ; alium his mortuum : et videamus uter ex illis maxime vivat. Ex his duobus, alter sit admodum dives, illustris, parasitos et adulatores nutriens, qui totam his in rebus diem absumat, gulæ et crapulæ deditus ; alter in paupertate degens, in jejunio, et reliqua vitæ duritie atque philoso phia. Vespere necessarium tantummodo cibum capiat, aut si mavis, duos tresve dies jejunus maneat. Uter ex his duobus maxime vivere dicatur ? Multi, hoc bene novi, existimabunt illum exultantem et sua spargentem. Nos vero illum qui moderate bonis fruitur. Itaque cum inde controversia oriatur ; in utriusque ædes ingrediamur, et tunc intremus cum dives ille maxime vivere tibi videtur, in ipso voluptatis tempore : et ingressi contemplemur quo in statu uterque sit. Nam ex gestis deprehenditur uter vivat,

uter mortuus sit. Alterum certe inveniemus inter libros, in oratione, in jejunio, aut alteri cuipiam rei vigilantem ac deditum, cum Deo loquentem. Alterum ebrietate obrutum, ac mortuo nihilo melius affectum videbimus. Si ad vesperam usque maneamus, mortem magis illum invadentem videbimus, et postea succedentem somnum. Alterum vero etiam noctu vigilantem. Utrum ergo dicemus potius vivere ; eum-ne qui sine sensu jacet, ad risum omnibus expositum ; an eum, qui operatur, et cum Deo loquitur? Illum enim si adeas, et ipsi quidpiam necessarium dicas, nihil audies loquentem, sed quasi mortuum ; hunc vero sive noctu sive interdiu convenias, Angelum magis quam hominem videbis de cœlestibus rebus philosophantem. Vides-ne illum plus quam omnes viventes vivere ; hunc vero vel mortuis miserabilius jacere? Quod si operari videatur, alia pro aliis videt, ac furentibus similis est; imo illis miserior. Furentem enim si quis contumelia affecerit nos, miseramur, lædentemque increpamus : in hunc vero si quem insilientem videamus, non solum non ad misericordiam flectimur ; sed illum jacentem damnamus. Hoccine, quæso, vita est? annon mille mortibus deterius ? Vides-ne non modo mortuum esse eum qui deliciatur, sed etiam mortuo pejus se habentem et dæmoniaco miseriorem ? Hic namque misericordiam attrahit, ille odio habetur ; hic venia fruitur, ille de morbo suo pœnas dat. Quod si exterius ita ridiculus est, putrefactam salivam emittens, et putre vinum olens ; miseram animam cogita, quæ in corpore ceu in sepulcro obruta jacet, quo in modo illa jacere putetur. Idipsum enim videre est, ac si puellæ ornatæ, castæ, liberæ, nobili atque formosæ, ancillam barbaram, turpem, impuram insultare, ipsique contumelias inferre, quis cum potestate juberet. Etenim tale quidpiam est ebrietas.

X. Quis ergo, si mente valeat, non sexcenties mori

malit, quam vel unam diem sic transigere? Etsi enim illucescente die, ex tali comœdia surgens ille sapere videatur, neque tunc pura fruitur temperantia, nube illa ab ebrietatis tempestate immissa adhuc ob oculos stante. Si vero concedatur illum pure sapere, quæ hinc utilitas? Nihil enim ipsi prodest hæc sobrietas, nisi ut eos qui se incusant videat. Nam dum turpiter se gerit, hoc tantum lucratur, quod nullum se irridentium sensum habeat. Die autem subsequente hanc amittit consolationem, cum domesticos murmurantes, uxorem pudore affectam, amicos incusantes, inimicos irridentes sentit. Quid hac vita miserabilius fuerit, per diem risui omnibus esse, et vespere eamdem in turpitudinem recidere? Sed quid? Vis-ne avaros in medium proferamus? Hæc enim est altera gravior ebrietas; si autem ebrietas, est etiam mors illa deterior, quia hæc ebrietas gravior est illa. Etenim non ita grave est vino temulentum esse, ut pecuniæ cupiditate. Illic enim damnum in ipso morbo consistit, atque in stupiditatem et ipsius ebrii perniciem desinit; hic vero in mille animas detrimentum transit, varia undique bella succendens. Age itaque et hunc cum illo comparantes videamus in quibusnam ipsi consors sit, et in quibusnam illum superet, et ebrios inter se mutuo comparemus. Nam cum beato illo, qui in Spiritu vivit, non ultra conferantur isti, sed inter se invicem examinentur. Rursus mensam in medium adducamus, mille cædibus refertam. In quibusdam igitur conveniunt et inter se similes sunt? In ipsa morbi natura; nam ebrietatis species diversa est: illa quippe vino: hæc pecunia constat: morbus autem similis est. Uterque enim similiter absurda cupiditate tenetur. Nam qui vino est ebrius, quanto plures calices hauserit, tanto plures appetit: qui pecunias amat, quanto plures acquisierit, tanto magis flammam cupiditatis accendit, gravioremque sibi sitim

parit. In hoc igitur similes sunt. In altero autem avarus superior est. In quo? Quia ille quidem rem patitur secundum naturam. Vinum enim cum sit calidum, et insitam siccitatem intendat; sic ebrios in sitim conjicit. Ille vero undenam plura semper appetit? Unde? Cum magis dives est, tunc maxime in paupertate versatur; nam intellectu difficilis est hic morbus, et ænigmati similis. Sed videamus illos etiam post ebrietatem. Certe tamen avarum nunquam videre est post ebrietatem; quia semper ebrius est. Itaque utrumque ebrium dispiciamus, et consideremus uter magis sit ridiculus, ipsorumque modum et morem accurate describamus. Videbimus itaque eum, qui ex vino insani more fertur, appetente vespera apertis oculis neminem videre, et temere ferri, in obvios impingentem et vomentem, dilaceratum turpiterque nudatum. Sive uxor affuerit, sive filia, sive ancilla, sive quivis alius, effuse irridebitur. Age avarum in medium adducamus. Hic enim quæ aguntur non risu modo digna sunt, sed etiam execratione et ira multa, sexcentisque fulminibus. Interim vero risum videamus. Etenim hic perinde atque ille omnes ignorat, amicos et inimicos: similiterque apertis oculis excæcatus est: ac sicut illius oculis omnia vinum; sic hujus omnia pecuniæ sunt. Vomitus vero longe gravior est. Neque enim cibos emittit, sed verba convitii, contumeliæ, belli, mortis, quæ mille de cœlo contra caput suum fulmina attrahunt. Ac sicut ebrii corpus lividum est ac diffluens; sic est et avari anima. Imovero neque corpus ejus ab hoc morbo exemptum est, sed etiam magis capitur, cum magis quam vinum illum assumant curæ, ira, vigiliæ, et paulatim illum arrodant. Certe qui a vinolentia detinetur, potest tamen noctu sobrie agere. Hic vero perpetuo ebrius est, et die et nocte et vigilans et dormiens, majores dans pœnas, quam vincti,

et ii qui in metallis laborant, et si qui majori cruciatui deputantur.

XI. Hoccine, quæso, vita est, annon mors, et quavis morte miserabilius? Mors enim quietem corpori affert, et a risu, turpitudine, peccatis liberat. Hæ autem ebrietates in hæc omnia conjiciunt, aures obturantes, oculos excæcantes, mentem in caligine multa detinentes. Neque enim audire, vel loqui aliud potest quam fœnora et ex fœnoribus fœnora, lucra turpia, odiosos quæstus, illiberales et serviles negotiationes: quasi canis adversus omnes latrans, omnes odio habens, omnes aversans, omnes impugnans nulla de causa; contra pauperes insurgens, divitibus invidens, cum nemine placide agens. Si uxorem, si liberos, si amicos habeat, nisi sibi ubique lucrari liceat, hos sibi magis hostes ducit, quam eos qui natura hostes sunt. Hac ergo insania quid deterius fuerit? Quid miserabilius?, cum ipse sibi ubique scopulos, saxa latentia, præcipitia, millequebarathra paret. Cum unum corpus habeas ac ventri uni servias, si quis vero te ad publica ministeria injiciat, effugies, expensam timens; tibi vero mille attrahis opera omnibus illis graviora, et non sumptuosiora modo; sed etiam periculosiora subis, Mammonæ initiatus, nec pecunias modo improbo huic tyranno, neque modo laborem corporis, animi cruciatum, doloresque, sed etiam ipsum corpus affers, ut quid tibi amplius, miser et infelix, proveniat ex hac barbara servitute. Non vides eos, qui quotidie ad sepulcra deferuntur, quomodo nudi, rebusque omnibus destituti ad sepulcra abducantur, nihil ex domesticis rebus secum auferre valentes, sed et ea quibus amiciuntur vermi afferentes? Hos quotidie contemplare: et fortasse quiesceet morbus, nisi ex sumptibus ad funeralia deputatis magis insanire deprehendaris. Gravis quippe morbus est, ægritudo ingens. Ideo in singulis conventibus

hac de re vobis disserimus, ac frequenter aures vestras pulsamus, ut ex assiduitate quidpiam lucri accedat. Verum ne contendatis. Neque enim in futura illa die tantum; sed et ante illam hic multiformis morbus plurima importat supplicia. Nam si eos qui in vinculis manent perpetuo, si diuturno morbo detentum, si cum fame pugnantem, sin quemvis alium commemorem; neminem ostendere possim talia patientem, qualia ii tolerant qui pecunias amant. Quid enim gravius sit, quam ab omnibus odio haberi? Omnes odio habere, cum nemine placide versari, nunquam exsatiari, semper sitire, cum fame perpetua pugnare, et quidem graviore, quam illa vulgaris fames sit; doloribus premi quotidianis, nunquam sano esse animo, semper in tumultu vivere? Hæc quippe omnia et his plura avari patiuntur. Dum lucrantur, etiamsi omnium bona sibi attrahant, nullam sentiunt voluptatem, eo quod plura concupiscant. Si jacturam faciant vel unius oboli, se omnium gravissima passos a vita etiam excidisse putant. Quis sermo hæc tanta mala patefacere queat? Quod si talia sunt ea quæ hic patiuntur, futura cogita: regni cœlestis jacturam, gehennæ dolores, perpetua vincula, tenebras exteriores, vermem venenatum, stridorem dentium, tormenta, angustiam, fluvios igneos, fornaces nunquam extinguendas. Hæcque omnia colligens, et cum pecuniarum voluptate comparans, radicitus hunc morbum evelle, ut veras nactus divitias, et ex gravi paupertate ereptus, et præsentia et futura bona assequaris, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

CAPUT VIII.

Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus? Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis[1].

I. Cum ostendisset quantum sit vitæ spiritualis præmium[2], quod Christum inhabitantem faciat, quod mortua corpora vivificet, quod ad cœlum quasi alis additis extollat, ac virtutis viam faciliorem reddat, necessario demum admonitionem inducit dicens: « Ergo non debemus secundum carnem vivere. » At non ita dixit; sed acrius et validius loquitur, « Debitores sumus spiritui. » Nam cum ait: « Non » debitores sumus carni, » hoc significavit. Atque idipsum ubique probat, ostendens ea quæ Deus nobis contulit, non debita, sed ex mera gratia fuisse: quæ vero a nobis postea facta sunt, non liberaliter dari, sed debita esse. Etenim cum dicit: « Pretio empti estis[3], » nolite fieri servi hominum, idipsum significat. Et cum scribit: « Non estis vestri[4]. » hoc ipsum indicat. Et alibi rursum hæc commemorat his verbis: « Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo » omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Chris» tus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant[5]. » Hoc ipsum hic astruens ait, « Debitores sumus. » Deinde cum dixisset:

[1] Rom. VIII, 12, 13. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 129, et tom. XVIII, p. 206-215. — [3] 1 Cor. VI, 20, et VII, 23. — [4] Ibid. VI, 19. — [5] 2 Cor. V, 4, 15.

« Non sumus debitores carni, » ne hoc de carnis natura intelligeres, non tacuit, sed adjecit, « Ut secundum carnem » vivamus. » Nam multa ipsi debemus, ut alere illam, fovere, quietem dare, ægram curare, induere, et alia innumera ipsi subministrare. Ne putares ergo illum hujusmodi ministerium tollere, postquam dixerat : « Non debitores su- » mus carni, » id interpretatur dicens, « Ut secundum car- » nem vivamus. » Illam enim, inquit, curam tollo, quæ ad peccatum ducit ; nam quæ ad illius curam pertinent fieri volo : quod etiam postea significavit. Cum dixisset enim carnis curam non habendam esse ; non siluit, sed adjecit, ad concupiscentias ; quod hic etiam docet. Curetur quidem, hoc illi debemus, sed non secundum carnem vivamus ; hoc est, ne illi imperium in vitam nostram deferamus. Illam sequi necesse est, non præire, neque vitam nostram ordinare, sed Spiritus leges accipere. Hoc cum definivisset et probasset nos debitores esse Spiritui, ubi ostendit quorum beneficiorum debitores essemus, non jam præterita dicit, ubi maxime ejus prudentia admiranda est ; sed futura. Atqui priora illa satis erant : attamen non nunc illa affert, neque ineffabilia illa beneficia memorat, sed futura. Neque enim jam collatum beneficium ita multos movere solet, ut quod futurum expectatur. Cum hoc adjecisset, primo a tristibus terret, et a malis inde ortis, quod secundum carnem vivatur, sic dicens : « Si enim secundum carnem vixe- » ritis, morituri estis ; » mortem illam nobis immortalem subindicans, gehennæ cruciatum et supplicium. Imo si quis hæc accurate examinaverit, in hac quoque vita talis homo mortuus est, ut in præcedenti concione clare vobis commonstravimus. « Si autem Spiritu facta carnis mortificave- » ritis, vivetis. » Vides-ne illum non de corporis natura loqui ; sed de carnalibus operibus? Non enim dixit : « Si au- » tem Spiritu naturam corporis mortificaveritis, vivetis ; »

sed, facta, neque tamen omnia, sed prava; quod palam est ex sequentibus. Si enim hoc feceritis, vivetis, inquit. Et quomodo posset fieri, si de actibus omnibus intelligeretur? Nam videre, audire, loqui, ambulare, corporis acta sunt. Et si illa mortificemus et extinguamus, tantum aberit ut vivamus, ut etiam homicidii pœnas demus. Quænam vero facta dicit esse mortificanda? Illa quæ ad malitiam moventur, quæ ad malum pergunt, quæ non possunt alio mortificari modo, quam per Spiritum. Nam alia si extinguas, te ipsum occidis, quod non licet: has vero per Spiritum solummodo. Si enim ille adsit, omnes fluctus sedabuntur, animi morbi reprimentur, nihilque contra nos insurget. Vides-ne quomodo nos a futuris, ut jam dixi, hortetur, et ostendat debitores esse, non solum ab iis, quæ jam facta sunt? non enim hoc solum est, inquit, beneficium Spiritus, quod præterita peccata nobis remiserit, sed etiam quod ad futura inexpugnabiles reddiderit, et immortali vita dignatus sit. Deinde aliam apponens mercedem addidit: « Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei[1]. »

II. Hæc rursus corona longe major est priore. Ideo non simpliciter dixit: « Quicumque enim Spiritu Dei vivunt; » sed, « Quicumque Spiritu Dei aguntur, » ostendens sic illum velle dominum esse vitæ nostræ, ut gubernatorem navigii, et aurigam bigæ equorum. Nec modo corpus, sed et ipsam animam his habenis subjicit. Neque enim vult illam auctoritatem habere, sed illius potentiam virtuti Spiritus subjicit. Ne enim lavacri dono confisi, subsequens vitæ institutum negligerent, dicit te, etiamsi baptismum acceperis, neque postea Spiritu ducaris, collatam dignitatem, et adoptionis prærogativam perdidisse. Ideo non dixit: « Quicumque Spiritum acceperunt; » sed, « Quicumque Spiritu Dei aguntur; « id est, quicumque per

[1] Rom. VIII, 14.

totam vitam ita se gerunt, « Ili sunt filii Dei. » Deinde quia hæc dignitas Judæis quoque data fuerat : nam ait : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes[1] ; » et rursus, « Filios genui et exaltavi[2] ; » et, « Primogenitus meus » Israël[3] ; » et Paulus ait, « Quorum adoptio[4] ; » probat deinde quantum sit inter illum et hunc honorem discrimen. Etsi enim eadem ipsa nomina sint, inquit, at non eædem res. Et claram horum demonstrationem affert, tum ab eis qui recte agunt, tum etiam ex donis ipsis, et a futuris comparationem inducens : ac primo ostendit quænam illis data fuissent. Quænam autem erant? Spiritus servitutis. Quare subjunxit : « Non enim accepistis Spiri- » tum servitutis iterum in timore[5]. » Deinde prætermittens id quod servituti oppositum erat; id est, Spiritum libertatis, quod multo majus erat posuit, Spiritum adoptionis, per quem libertas afferebatur. « Sed accepistis Spiritum adop- » tionis filiorum[6]. » Sed hoc quidem manifestum est. Spiritus vero servitutis quid sit, non liquet. Quapropter necesse est illud explicare. Neque enim obscurum solummodo est; sed etiam valde dubium : Spiritum enim non accepit Judæorum populus. Quid ergo hic ait? Litteras ita vocavit, quia spirituales erant, ut etiam legem spiritualem, et aquam ex petra manantem, et manna. Nam ait : « Omnes eamdem escam manducaverunt, et omnes » eumdem potum spiritualem biberunt. » Sic etiam et petram appellavit : « Bibebant autem de spirituali conse- » quente eos petra[7]. » Quia enim supra naturam hæc erant, spiritualia ipsa vocavit, non quod illi qui horum participes fuerunt, Spiritum accepissent. Et quomodo litteræ illæ servitutis erant litteræ? Totam illorum vitæ formam proferto, et tunc hoc clare videbis. Etenim supplicia illos e

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Isaï. I, 2. — [3] Exod. IV, 22. — [4] Rom. IX, 4. — [5] Rom. VIII, 15. — [6] Ibid. — [7] 1 Cor. X, 3, 4.

vestigio excipiebant, et merces statim sequebatur, mensuram suam habens, et quasi annona quotidiana domesticis data, magnus undique timor ob oculos versabatur, et circa corpora purgationes, et usque ad actiones continentia. Apud nos autem non sic : sed et cogitatio et conscientia purgatur. Non enim solum dixit : « Ne occidas ; » sed, « Ne irascaris ; » nec, « Ne mœcheris, » sed, « Ne lascive respicias. » Ut ne ultra ex timore præsentis pœnæ ; sed ob ipsius amorem, tum virtutis habitus, tum cætera recte facta procedant. Nec promittit terram fluentem lac et mel ; sed Unigenito cohæredem efficit, a præsentibus nos per omnia abstrahens, et illa maxime dare pollicens, quæ filios Dei effectos accipere par est ; sensibile vel corporeum nihil, sed omnia spiritualia. Itaque illi, etsi filii Dei vocarentur : at ut servi ; nos vero ut liberi effecti, adoptionem accepimus, et cœlum expectamus. Illis per alios loquebatur ; nobis per se ipsum. Illi ex timore supplicii omnia faciebant, at spirituales ex desiderio et amore. Id vero ostendunt ex eo quod etiam præcepta superent. Illi ut mercenarii et ingrati, nec unquam finem faciebant murmurandi ; hi autem ad beneplacitum Patris. Illi beneficiis acceptis blasphemabant ; nos in periculis gratias agimus. Si etiam peccatores puniendi sint, multum hic quoque discrimen est. Non enim ut illi, lapidati, combusti, et a sacerdotibus truncati ; ita et nos convertimur, sed sufficit a paterna ejici mensa, et ad certum dierum numerum absentes esse. Apud Judæos verbi tantum honos erat adoptio ; hic autem res ipsa sequitur, purgatio per baptismum, Spiritus donum, aliorum bonorum largitio. His plura dici possent quæ nostram ostendant nobilitatem, ipsorumque vilitatem. Quæ omnia cum per Spiritum, per timorem, per adoptionem subindicasset, aliud affert argumentum, quod Spiri-

tum adoptionis habeamus. Quodnam illud? « In quo cla-» mamus : Abba pater[1]. »

III. Hoc autem quantum sit sciunt initiati, quod in mystica precatione hæc primo dicere jubeantur. Quid ergo, inquies, annon et illi Deum vocabant patrem? Non audis Moysem dicentem : « Deum qui te genuit dereli-» quisti[2]? » Non audis Malachiam exprobrantem ac dicen-tem : « Deus unus creavit nos, et unus Pater est omnium » nostrum[3]? Verum licet hæc et multo plura dicta fuerint, nusquam invenimus eos hoc nomine Deum vocantes, ne-que sic precantes : Nos autem omnes, et sacerdotes et idiotæ, et principes et subditi, sic precari jussi sumus, et hanc primam emittimus vocem, post mirabiles illos nata-les, post novam et stupendam incunabulorum legem. Alioquin vero etsi illi in Scripturis sic vocati sint; sed ex propria mente : qui autem in gratia vivunt, ex spirituali operatione moti. Quemadmodum enim Spiritus sapientiæ est, per quem insipientes, sapientes effecti sunt, id quod a doctrina indicatur; et Spiritus virtutis est, per quem in-firmi mortuos suscitarunt, et dæmonas ejecerunt; et Spi-ritus est gratiæ curationum, et Spiritus prophetiæ, et Spi-ritus linguarum; sic et Spiritus adoptionis. Ac sicut novimus Spiritum prophetiæ, quatenus qui habet illum, futura prædicit, non ex propria mente loquens, sed a gra-tia motus; sic et Spiritus adoptionis, quatenus is qui ac-cepit eum patrem vocat Deum, a Spiritu motus. Hic vero ut genuinum esse ostenderet, hebraïca usus est lingua : non enim tantùm dixit, Pater; sed, « Abba pater, » quod verbum a genuinis filiis dicitur, Patrem vocantibus. Cum dixisset ergo differentiam quæ ex instituto vitæ, ex data gratia, ex libertate est; aliam inducit demonstrationem excellentiæ adoptionis hujus. Qualem illam? « Idem Spi-

[1] Rom. VIII, 15. — [2] Deut. XXXII, 18. — [3] Malach. I, 20.

» ritus, inquit, testimonium perhibet Spiritui nostro quod » simus filii Dei[1]. » Non enim a voce solum confirmor, inquit, sed et a causa, a qua hæc vox nascitur. Spiritu enim dictante hæc dicimus : quod alibi clarius dicebat : « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : » Abba pater[1]. » Quid sibi vult illud, Spiritus una cum Spiritu testatur? Paracletus, inquit, cum dono nobis dato. Non enim doni tantum vox est; sed etiam Paracleti, qui donum dedit. Ipse enim per gratiam nos ita loqui docuit, Cum autem Spiritus testificatur, quæ tandem ambiguitas? Nam si homo, aut Angelus, aut Archangelus, aut alia similis Potestas hoc promitteret, posset fortasse dubitari; sed cum suprema potestas, quæ hoc largitur, per precationem, quam fieri jubet, testificetur nobis, quis demum de dignitate dubitaverit? Rege namque aliquem eligente, et apud omnes honorem prædicante, an quis ex subditis contradicere auderet? « Quod si filii, inquit, et hæ- » redes[2]. » Vides-ne quomodo paulatim donum augeat? Quia enim fieri potest ut qui filii sunt, hæredes non sint : neque enim omnes filii sunt hæredes, illud adjicit, quod sint hæredes. Judæi vero præterquam quod talem adoptionem non habuerunt, ab hæreditate ejecti sunt. « Malos » enim male perdet, et vineam suam tradet aliis agricolis[3]. » Antea vero dixerat : « Multi ab Oriente et ab Occidente » venient, et recumbent cum Abraham : filii autem regni » ejicientur foras[4]. » Verum non hic consistit, sed majus « Quidpiam ponit. » Quid hoc est? « Dei hæredes; » ideo adjicit, « Hæredes quidem Dei. » Et quod adhuc majus est, non simpliciter hæredes; sed etiam « Cohæredes » Christ[5]. » Vides-ne quomodo contendit nos prope Dominum adducere? Quia enim non omnes filii hæredes sunt,

[1] Rom. VIII, 16. — [2] Galat. IV, 6. — [3] Rom. VIII, 17. — [4] Matth. XXI, 41. — [5] Id. VIII, 17.

ostendit nos et filios et hæredes. Quia vero non omnes hæredes magnarum rerum hæredes sunt, ostendit id etiam assecutos, qui hæredes simus Dei. Rursum quia contingit quempiam hæredem quidem Dei esse, neque tamen omnino esse unigeniti cohæredem, nos hoc etiam habere ostendit. Et vide sapientiam : nam quæ tristia erant supprimens cum diceret, quid passuri sint ii, qui secundum carnem vivunt, nempe quod morituri sint, ubi ea quæ lætiora erant attigit, latiorem in statum sermonem educit, mercedis retributionem commemorans, et varia magnaque dona ostendens. Nam si filium esse ineffabilis sit gratia, cogita quantum sit esse etiam hæredem. Si vero hoc magnum est, multo majus est esse et cohæredem. Deinde postquam ostendit non gratiæ solum esse donum, simul dictis suis fidem concilians, subdit : « Si quidem compatimur, ut et » conglorificemur[1]. » Si enim in doloribus ut ille fuimus, multo magis in bonis id erit. Qui eos qui nihil boni fecerant tot bonis donavit; cum viderit et labores subiisse et tanta passos esse, quomodo non majora retribuet?

IV. Cum ostendisset ergo rem esse mercedem, ut fides dictis haberetur, et nemo dubitaret, ostendit rursus illam et gratiæ vim habere; tum ut ab ambigentibus dicta crederentur, et eos qui acciperent non puderet, quasi gratis semper servarentur; tum ut disceres Deum semper labores retributione superare. Certe illud quidem significavit dicens : « Si tamen compatimur, ut et conglorificemur; » hoc vero hæc addens, « Non sunt condignæ passiones hujus » temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis[2]. » In præcedentibus enim morum emendationem requirit a spirituali, cum dicit : Non debetis secundum carnem vivere; nempe ut qui talis est, et concupiscentiam, et iram, et pecuniam, et vanam gloriam et invidiam superet. Hic

[1] Rom. VIII, 17. — [2] Ibid. 18.

vero postquam illi totum donum commemoravit, tum jam solutum, tum futurum, atque illum spe extulit et exaltavit, ac prope Christum constituit, atque Unigeniti cohæredem declaravit, bono animo jubens esse, ad pericula demum evocat. Neque enim par res est, affectus nostros superare, et tentationes illas sustinere, flagella, famem, exilia, vincula, catenas, abductiones (7). Egent quippe illa generosiore ac vividiore anima. Et vide quomodo concertantium sensum simul reprimat et attollat. Cum enim ostendit majora esse præmia laboribus, magis hortatur, nec sinit altum sapere, utpote qui vincantur coronarum retributione. Et alibi quidem ait : « Momentaneum enim et leve » tribulationis, supra modum in sublimitate æternum glo- » riæ pondus operatur[1]. Eos enim qui in philosophia præcellunt hic alloquitur. Illic non levia illa patitur esse : consolationem autem affert per futuram retributionem, dicens : « Existimo enim quod non sunt condignæ passiones » hujus temporis. » Nec dixit : « Ad futuram quietem, » sed quod longe majus erat, « Ad futuram gloriam. » Ubi enim quies est, non omnino gloria; ubi gloria, ibi certe quies. Deinde quia futuram illam dixit ostendit illam, jam esse; non enim dixit, ad eam, quæ futura est, sed ad futuram quæ revelanda est, utpote quæ nunc quidem sit, sed occulta; quod et alibi clarius dicebat : « Vita nostra abscondita est cum » Christo in Deo[2]. » De illa igitur confide : jam enim parata est, tuos expectans labores. Quod si de mora dolet tibi; hoc ipsum te delectet. Nam quod magna sit et ineffabilis, et quod præsentem statum longe superet, illic recondita servatur. Neque, enim sine causa posuit, « Passiones » hujus temporis; » sed ut ostendat illam non qualitate solum, sed etiam quantitate superare. Passiones enim illæ, qualescumque sint, vita præsenti terminantur; futura au-

[1] 2 Cor. IV, 17. — [2] Coloss. III, 3.

tem bona ad immortalia sæcula extenduntur : quæ quia sigillatim dicere non potuit, neque sermone explicare, ab eo quod apud nos desiderabilius videtur, nempe a gloria, ipsa indicavit. Culmen namque et caput bonorum hoc videtur esse. Alio item modo auditorem erigens, ab ipsa creatione sermonem attollit, duo apparans per ea quæ dicenda sunt, et contemptum præsentium, et desiderium futurorum : ac cum his tertium, quod potius primum fuerit; ut ostendat quantam curam Deus gerat generis humani, et in quanto honore naturam nostram habeat. Post hæc, dogmata philosophorum omnia de hoc mundo edita, tanquam araneæ telam et puerorum ludos, hoc uno dogmate dejicit. Sed ut clariora illa sint, ipsa apostolica dicta audiamus. « Nam expectatio creaturæ, inquit, revelatio» nem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura sub» jecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam » in spe[1]; » id est, Hæc creatura admodum dolet, hæc expectans bona, quæ non diximus ἀποκαραδοκία est vehemens expectatio. Itaque hic cum emphasi loquitur, et mundum totum in personam convertit, ut et Prophetæ faciunt, fluvios manibus plaudentes inducunt, et colles salientes, montesque exultantes; non ut illa animata esse putemus, neque ut cogitationem quamdam ipsis indamus, sed ut bonorum exuperantiam ediscamus, quasi ad ea quæ sensu carent pertingant.

V. Hoc ipsum etiam in tristibus sæpe faciunt, vineam inducentes plorantem, et vinum, et montes, et templi laquearia ejulantia, ut hinc malorum magnitudinem intelligamus. Hos Apostolus imitatus, creaturam in personam vertit, aitque illam ingemiscere et parturire. Non quod gemitum quempiam audierit, a terra et cœlo emissum, sed ut futurorum bonorum immensitatem declaret, et de-

[1] Rom. VIII, 19, 20.

siderium excedendi a malis se detinentibus. « Vanitati » creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui » subjecit illam. » Quid est illud, « Vanitati creatura subjecta » est? » Corruptibilis facta est. Quare? Propter te hominem. Quia enim corpus accepisti mortale et passibile, et terra maledictum accepit, ac spinas tribulosque emisit. Quodque etiam cœlum cum terra veterascens, in meliorem sortem demum reducendum sit, audi Prophetam dicentem : « Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera » manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem per- » manes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut » amictum convolves eos et mutabuntur[1]. » Esaïas quoque eadem dicebat : « Inspicite in cœlum sursum, et in terram » deorsum : quia cœlum tanquam fumus firmatum est, » terra autem quasi vestimentum veterascet, qui autem » habitant illam ut hæc peribunt[2]. » Vidisti-ne quomodo vanitati creatura servivit, et quomodo liberatur a corruptione? Ille quidem ait, « Quasi amictum convolves eos et » mutabuntur. » Esaïas vero : « Qui autem habitant eam, » sicut hæc peribunt, » non omnimodam dicens perniciem. Non enim qui habitant eam homines, talem interitum patientur, sed temporaneum, ac per illum ad immortalitatem transferentur, ut et creatura : quæ omnia significavit cum dixit, « ut hæc : » id quod etiam Paulus postea dicit. Interim vero de illa servitute loquitur, et ostendit quare talis facta sit, et nos in causa esse ponit. Quid ergo? An illi damnum illatum est, cum pro alio id patiatur? Minime. Nam propter me facta est. Quæ igitur propter me facta est. Quid injuriæ accipiat, si ad emendationem meam hæc patiatur? Alioquin vero justi et injusti rationem ne movere quidem oportet cum de inanimatis et insensibilibus agitur. Verum Paulus postquam illam ut personam induxit, nulla rationum, quas

[1] Psal. ci, 26, 27. — [2] Isaï. li, 6.

dixi, usus est; sed alia auditorem admodum consolari studet. Quanam? Quid dicis, inquit, male affecta propter te, et corruptibilis facta est? In nullo certe læsa est : nam propter te incorruptibilis rursum futura est. Hoc enim sibi vult illud, « In spe. » Cum vero dicit : « Non libens subjecta est, » non hoc dicit ut illud penes voluntatem ejus esse ostendat, sed ut discas totum ex Christi cura factum fuisse, non illius opera. Hoc dicito, qua spe? « Quia et ipsa creatura libera» bitur. » Quid est illud, « Et ipsa[1]? » Non tu solum, sed et quod te inferius est, et quod nec cogitationem nec sensum habet : hoc etiam bonorum tecum consortium habebit. « Liberabitur enim, inquit, a servitute corruptionis; » id est, non ultra corruptibilis erit, sed corporis tui pulchritudinem sequetur : sicut enim te corruptibili effecto, ipsa quoque corruptibilis facta est; sic cum incorruptibilis eris, ipsa quoque sequetur : quod ut ostendat subjungit : « In » libertatem gloriæ filiorum Dei[2], » id est, propter libertatem. Ut enim nutrix infantem alens regium, cum ille ad paternum imperium pervenerit, ipsa quoque simul bonis fruetur; ita et creatura, inquit. Vides-ne hominem ubique præcedere, et propter eum omnia fieri? Vidisti-ne quomodo decertantem consoletur, ostendatque ineffabilem Dei erga homines amorem? Quid enim doles, inquit, in tentationibus? Tu propter te pateris, creatura item propter te. Nec te modo consolatur, sed et dicta fide digna ostendit. Si enim creatura propter te omnino facta sperat, multo magis tu, propter quem natura bonis illis omnibus fruetur. Sic et homines, quando filius cum dignitate aliqua proditurus est, servos splendidiore induunt veste in filii sui gloriam, quemadmodum et Deus creaturam incorruptione circumdat, in libertatem gloriæ filiorum. « Scimus

[1] Rom. VIII, 21. — [2] Ibid.

» enim quod omnis creatura simul ingemiscit et simul par-» turit usque nunc[1]. »

VI. Vides-ne quomodo auditorem in pudorem conjiciat, ac si diceret : « Ne sis ipsa creatura deterior, nec præsentibus te dedas? » Non modo enim illis hærere non oportet, sed etiam ingemiscendum est, quod hinc tardius sit emigrandum. Nam si hoc creatura facit, multo magis te ratione ornatum id oportet facere. Sed hæc nondum tantum inferunt pudorem, quare addit : « Non solum autem, sed » et ipsi primitias spiritus habentes, et nos ipsi in nobis » ipsis gemimus[2]. » Hoc est, futura jam gustavimus. Etsi enim quis omnino lapideus fuerit, ea quæ data sunt, satis sunt ad illum excitandum, ut a præsentibus absistat, et ad futura advolet duplici de causa, et quod magna sint dona et quod hæc tot et tanta primitiæ sint. Nam si primitiæ tantæ sunt, ut per illas a peccatis liberemur, atque justitiam et sanctificationem consequamur; illi vero qui tunc erant etiam dæmonas pellerent, mortuos suscitarent per umbram ac vestimenta. Totum illud cogita quantum sit. Et si creatura mente et sermone carens, et hæc ignorans gemit, multo magis nos. Deinde ne det hæreticis ansam, neu videatur præsentia calumniari, ingemiscimus, inquit, non præsentia incusantes, sed majora desiderantes. Hoc enim significat his verbis, « Adoptionem expectantes. » Quid, quæso, dicis? Hoc perpetuo versas et clamas, jam filii facti sumus; et nunc hoc bonum in spe tantum ponis, scribens ipsam excipi oportere? Hoc igitur corrigens adjicit : « Redemptionem corporis nostri, » id est, perfectam gloriam. Nunc enim in occulto nostra sunt usque ad extremum halitum. Multi enim qui filii erant, facti sunt canes et captivi. Quod si bona cum spe decesserimus, tunc immotum erit donum, et clarius et majus, non ultra mor-

[1] Rom. VIII, 22. — [2] Ibid. 23.

tis et peccati mutationem timens. Tunc firma erit gratia, cum corpus nostrum liberabitur a morte, et ab innumeris malis. Hoc est enim redemptio, nec simpliciter solutio; sed ita ut non ultra in priorem revertamur captivitatem. Namut ne hæsites dum frequenter gloriam audis, et nihil clare nosti, ex parte futura aperit, corpus tibi immutans, et cum ipso creaturam totam, quod et alibi clarius dixit: « Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, ut sit con-» forme corpori gloriæ suæ [1]. » Et alibi rursum ita scribit: « Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc » fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victo-» riam [2]. » Ut ostendit autem cum corruptione corporis, sæcularium rerum statum abscessurum esse, scripsit etiam alibi, « Præterit enim figura hujus mundi; spe enim » salvi facti sumus [3], inquit. » Quia enim in futurorum promissione diu moratus est, hocque videbatur imbecilliori auditori molestum esse, si in spe tantum bona essent, cum prius probasset illa præsentibus et visibilibus longe esse clariora, et multa de jam præmissis donis disseruisset, ostendissetque jam nos primitias ipsorum accepisse; ut ne omnia hic quæramus, neu nobilitatem nostram, quam ex fide accepimus, prodamus, ait: « Spe enim salvi facti su-» mus [4]. » Id est, non oportet omnia hic quærere, sed sperare. Hoc enim duntaxat donum Deo obtulimus, quod credamus ipsi futura promittenti, et hac solum via salvi facti sumus. Si ergo illam perdamus, totam oblationem nostram amisimus. Interrogo enim te, inquit, Nonne innumeris obnoxius eras malis? nonne deploratus? nonne sententiæ subjectus? annon omnes simul salutem tibi restituere frustra tentabant? Quid ergo te salvum fecit? Spes in Deum sola, et quod fidem habeas ipsi pro iis quæ promisit et dedit, et nihil aliud offerendum habuisti. Si

[1] Philip. III, 31. — [2] 1 Cor. XV, 54. — [3] Id. VII, 31. — [4] Rom. VIII, 24.

hæc igitur fides te salvum fecit, hanc et nunc retine. Quæ enim tot tibi contulit bona, tibi procul dubio circa futura non mentietur. Ea enim quæ mortuum, perditum, captivum et inimicum, amicum effecit, filium, liberum, justum et cohæredem; ipsique tanta præbuit, quanta nunquam quis expectavisset, quomodo post tantam liberalitatem et benevolentiam, tibi in posterum non aderit? Ne igitur mihi dicas, rursus spes, rursus expectationes, rursus fides. Ita enim a principio salvus factus es, et hanc dotem sponso solam attulisti. Retine illam et conserva. Si enim hic omnia requiras, recte factum tuum amisisti, a quo splendidus effectus es. Ideo hæc subjungit : « Spes autem quæ vide-» tur, non est spes. Nam quod videt quis, cur et speret? » Si autem quod non videmus, speramus, id per patien-» tiam expectamus[1]. » Id est, si omnia hic quæras, quid spe opus? Quid igitur est spes? De futuris confidere. Quid enim magni abs te postulat Deus, qui ex se tibi omnia largitus est dona? Unum abs te postulat solum, spem, ut etiam quidpiam habeas, quod ad salutem tuam conferas; quod ille subindicans intulit : « Si autem quod non vide-» mus speramus, id per patientiam expectamus[2]. » Nam ut laborantem in miseria et mille malis versantem, sic sperantem Deus coronat. Etenim patientiæ nomen, sudorum nomen est et tolerantiæ multæ. Attamen hoc largitus est speranti, ut fatiscentem animam consolaretur?

VII. Deinde ostendens nos etiam ad hunc levem laborem multo frui auxilio, pergit : « Similiter autem et Spiri-» tus auxiliatur infirmitatibus nostris[3]. » Aliud tuum est, nempe patientia; aliud ex Spiritus dono, qui te ad spem acuit, et per eam labores tuos allevat. Deinde ut discas, non in laboribus tantum et periculis tibi gratiam adesse, sed eam etiam in iis quæ faciliora videntur tecum coope-

[1] Rom. VIII, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26.

rari, et ubique suam conferre opem, subjungit : « Nam » quid ut oportet oremus, nescimus[1]. » Hæc porro dixit, tum ut multam Spiritus erga nos providentiam ostenderet, tum ut nos doceret non illa omnino nobis utilia censenda esse, quæ humanis ratiociniis talia videntur esse. Quia enim verisimile erat illos, flagellatos, pulsos, mille gravia patientes, quietem quærere, et sibi utile fore putare, si illam abs Deo gratiam postularent, dicit : « Ne putetis illa, quæ vobis utilia videntur, vere talia esse : » etenim ad eam rem Dei ope egemus : usque adeo homo infirmus est et ex se nihil. Ideo dicebat : « Quid ut oportet oremus, nes- » cimus. » Ut ne enim ultra discipulum ignorantiæ puderet, ostendit doctores etiam eodem in statu esse : non enim dixit, nescitis; sed, nescimus. Quodque non per modestiam sic loqueretur, per alia indicavit. Indesinenter enim in precibus suis Romam videre orabat, nec licet precaretur, hoc assecutus est. Et pro stimulo sibi in carne dato, id est, pro periculis sæpe rogavit, nec impetravit; ut nec Moyses in veteri lege, ut Palæstinam videret obsecrans, nec Jeremias pro Judæis supplicans, nec Abraham pro Sodomitis rogans. « Sed ipse Spiritus postulat pro nobis, » gemitibus inenarrabilibus[2]. » Obscurum est hoc dictum, quia multa quæ tunc fiebant miracula, jam cessarunt. Quapropter necesse est docere vos, qui tunc status rerum esset, et sic demum apertior vobis sermo erit. Quis ergo tunc status erat? Diversa iis qui baptizabantur tunc dona concedebat Deus, quæ etiam Spiritus vocabantur. Spiritus enim Prophetarum, Prophetis subjecti sunt, inquit. Et alius quidem prophetiæ donum habebat, et futura prænuntiabat; alius sapientiæ, et multos docebat; alius curationum, et ægros curabat; alius virtutum, et mortuos suscitabat; alius linguarum, et diversis loquebatur vocibus.

[1] Rom. VIII, 26. — [2] Ibid.

Cum his omnibus erat et orationis donum, quod ipsum Spiritus dicebatur. Et qui illud habebat, pro tota multitudine precabatur. Quia enim multa eorum quæ nobis utilia sunt ignorantes, inutilia postulamus, donum orationis ad quempiam eorum, qui tunc erant, veniebat, et quod toti Ecclesiæ conducebat, id ille stans postulabat, aliosque docebat. Spiritum ergo hic vocat hujusmodi donum, et animam quæ illud acceperat, quæque Deum orabat et ingemiscebat. Nam qui tali dignatus erat gratia, stans cum multa compunctione et multis gemitibus animi, ante Deum procumbens, quæ utilia omnibus essent postulabat. Cujus nunc symbolum est diaconus, qui pro populo preces effundit. Hoc igitur significans Paulus dicebat : « Ipse Spi-» ritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui » autem scrutatur corda[1]. » Vides-ne non hic de Paracleto agi, sed de corde spirituali? Nam si non hoc ita esset, dixisse oportuit : « Qui autem scrutatur Spiritum. » Sed ut discas hic de spirituali homine sermonem haberi, qui donum precandi habeat, addidit : « At qui scrutatur corda, » novit qui sit sensus spiritus ; » id est, hominis spiritualis : « Quia secundum Deum postulat pro sanctis[2]. » Neque enim, ait, ignorantem docet Deum : verum hoc fit, ut nos discamus ea quæ oportet precari, et a Deo petere ea quæ ipsi placita sint ; hoc enim significat illud : « Secundum » Deum. » Itaque hoc erat ad accedentium consolationem et doctrinam optimam. Nam qui et dona illa et infinita bona largiebatur, Paracletus erat. « Hæc enim omnia, in-» quit, operatur unus et idem Spiritus. » Et institutionis nostræ causa hoc fit, atque ut Spiritus dilectio declaretur, qui eo usque indulgentiæ procedat. Indeque eveniebat ut is qui precabatur exaudiretur, quia oratio secundum

[1] Rom. VIII, 27. — [2] Ibid.

Deum emitteba tur. Vides ne quantis eos doceat amorem erga illos suum honoremque ipsis exhibitum?

VIII. Quid enim non pro nobis fecit Deus? Mundum corruptibilem propter nos et incorruptibilem propter nos fecit; male affici Prophetas propter nos permisit : in captivitatem propter nos misit, in fornacem propter nos permisit incidere, atque millia subire mala : Prophetas illos propter nos fecit, et Apostolos item propter nos; Unigenitum propter nos tradidit; diabolum propter nos punit; nos in dextera sedere voluit : opprobria propter nos passus est; nam ait : « Opprobria exprobrantium tibi cecide» runt super me [1]. » Attamen nos ab ipso post tantaque deficientes non deserit, sed nos rursum hortatur, et alios parat qui pro nobis intercedant, ut nobis gratiam largiatur : quod in Moyse factum est; illi namque ait : « Dimitte » me, et delebo eos [2]; » ut illum adduceret ad precandum pro illis. Nunc quoque idipsum facit. Ideo donum precationis largitus est. Illud vero faciebat, non quod ipse obsecratione opus haberet; sed ne nos, quod salvi simus, deteriores evadamus. Ideo sæpe et propter David et propter alium et alium se illis reconciliari ait : hoc ipsum apparans, ut formam reconciliationi addat : quanquam benignior appareret ipse, si non per alium et alium, sed per se ipsum diceret se indignationem suam ipsis remittere. Verum non ita voluit ille, ut ne iis qui salvi fiunt, reconciliationis modus ignaviæ causa foret. Ideo Jeremiæ dicebat : « Ne pre» ceris pro populo hoc, quia non exaudiam te [3]. » Non quod vellet illum precandi finem facere; salutem quippe nostram desiderat, sed quod illos terrere cuperet. Quod intelligens Propheta, precari non cessavit. Et ut discas Deum, non ut illum averteret, sed ut illum pudefaceret, hæc dixisse, audi quid dicat : « Annon vides quid illi faciunt? » Adversus

[1] Psal. LXXVIII, 10. — [2] Exod. XXXII, 10. — [3] Jerem. XI, 14.

civitatem vero cum dicit : « Si laveris te nitro et accumu-»laveris tibi herbam, maculata es in conspectu meo[1] ;» non ut in desperationem conjiceret dicit, sed ut ad pœnitentiam excitaret. Sicut enim apud Ninivitas, cum indefinite sententiam dixisset, nec bonam spem subindicaret, magis illos terruit, et ad pœnitentiam deduxit ; sic et hoc loco facit, illos excitans et Prophetam venerabiliorem reddens, ut saltem sic illum audirent. Deinde quia incurabili morbo laborabant, ac ne aliis quidem immissis resipiscebant ; primo monet illos ut ibi maneant. Cum autem id noluissent, sed confugissent in Ægyptum : hoc quidem concessit, petiit autem ab ipsis, ut ne cum Ægypto ad impietatem declinarent. Cum vero ne in hoc quidem obsecuti essent, cum illis Prophetam mittit, ut ne omnino illi impingerent. Quia enim illi vocanti non obsequebantur, illos ipse sequitur corrigens, et impediens ne ulterius in nequitia procedant, velut pater prolis amans, qui filium infeliciter in omnibus agentem ubique circumducit, et sequitur semper. Ideo non modo Jeremiam in Ægyptum, sed etiam Ezechielem misit Babylonem. Illi vero non contradixerunt. Quia enim Dominum suum videbant valde illos amantem ; ipsi quoque hoc assidue fecerunt : ac si quis servus probus inutilem filium videns, misereretur ejus, patrem cernens de illo dolentem, seseque excruciantem. Quid enim non patiebantur Prophetæ propter illos? secabantur, pellebantur, convitiis onerabantur, millia patiebantur gravia. Post hæc autem omnia ad illos rursum accurrebant. Nam Samuël non cessavit lugere Saülem, etsi graves ab illo passus contumelias resque intolerabiles : sed tamen nullius injuriæ memor erat. Jeremias vero lamentationes scriptas Judæorum populo composuit. Cumque Persarum dux concessisset illi cum

[1] Jerem. II, 22.

securitate et libertate ubicumque vellet habitare, domui suæ prætulit infelicis populi consortium et miseram in terra aliena habitationem. Sic et Moyses regiis ædibus in quibus degebat relictis, ad Hebræorum calamitates accurrit. Daniel vero per dies viginti sex jejunus mansit, hac se gravissima abstinentia macerans, ut Deum illis placaret. Et tres pueri in fornace et in tanto igne, supplicationem pro illis emittebant. Non pro se illi dolebant, qui salvi erant : sed quia tum maxime putabant se fiduciam habere posse, ideo pro illis precabantur. Quapropter dicebant : « In anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur[1]. » Propter hos et Josuë vestimenta sua scidit : propter hos Ezechiel lugebat et lamentabatur illos trucidatos videns. Et Jeremias dicebat : « Sinite me, amare flebo. » Antehac vero, cum pro venia scelerum ipsorum impetranda precari non auderet, terminum quærebat dicens : « Usquequo, Domine? » sanctorum quippe genus omne amore proximi tenetur. Idcirco et Paulus dicebat : « Induimini ergo ut electi Dei sancti, viscera misericordiæ, probitatem, humilitatem[2]. »

IX. Vides-ne verbi accurationem, et quomodo nos perpetuo misericordes esse vult ? Non dixit enim tantum : « Misereminí, » sed, « Induimini, » ut sicut indumentum nobiscum semper est, ita et misericordia sit. Nec simpliciter dixit misericordiam, sed, viscera misericordiæ, ut naturalem imitemur dilectionem. Verum nos contraria facimus : si quis obolum petiturus accedat, contumeliis et convitiis oneramus, aggressorem vocamus. Non horrescis, o homo, non erubescis, dum aggressorem pro emendicando pane vocas (8) ? Quod si hic aggressionem faciat, hac certe de causa misericordia dignus est, quia sic a fame premitur, ut talem personam assumat : estque hoc inhumanitatis nostræ crimen. Quia enim non facile erogamus,

[1] Dan. III, 9. — [2] Coloss. III, 12.

mille excogitare machinas coguntur, ut immanitatem nostram decipiant, et duritiem emolliant. Alioquin vero si argentum vel aurum peteret, suspicandi locum haberes : si autem pro necessario tantum cibo te adit, cur intempestive philosopharis, et superflue disputas, otium et pigritiam illi imputans? Nam si hæc dicere oporteat, non aliis certe, sed nobis dicenda sunt. Cum ergo ad Deum accedis, peccatorum veniam postulatum, hæc tibi verba in mentem veniant, et intelliges hæc te a Deo justius auditurum esse, quam a te pauperem. Attamen nunquam hæc tibi verba dixit Deus : « Abscede : nam aggressor es, in Ecclesiam frequenter intrans, legesque meas audis; in foro autem aurum, concupiscentiam, hominum amicitiam, et omnia mandatis meis anteponis. Et nunc quidem humilis videris, post precationem autem, ferox eris, crudelis, inhumanus. Abscede igitur hinc, nec me ultra adeas. » Hæc enim et his plura audire meremur : attamen nunquam ille quid simile exprobravit : sed patienter fert : quæ sua sunt omnia implet : et plus quam petimus largitur. Hæc itaque cogitantes, inopum paupertatem solvamus; etiamsi aggressiones faciant, ne accurate rationes exposcamus. Eodem quippe modo nos quoque salute indigemus, cum venia, cum benignitate, et misericordia magna. Non possunt enim, non possunt utique ii homines, quorum vita accuratius examinatur, salutem consequi; sed necesse esset plecti ac perire omnes. Ne itaque simus aliorum severiores judices ne a nobis quoque accuratiores rationes exigantur : peccatis enim onusti sumus, venia omni indigni. Itaque illos maxime miseramur, qui venia indigni videntur, ut et ipsi parem nobis attrahamus misericordiam : etsi quantumcumque studeamus, nunquam poterimus benignitatem tantam exhibere, quanta nos a benigno Deo opus habemus. Quomodo igitur non absurdum fuerit nos

in tanta indigentia constitutos, tam accurate conservos nostros examinare, et contra nos ipsos nihil non agere? Non enim ita illum beneficio tuo indignum declaras, ut te ipsum Dei benignitate. Nam qui conservum suum tam accurate examinat, multo magis Deum idipsum facientem experietur. Ne igitur adversum nos loquamur; sed etiamsi propter ignaviam et otiositatem accedant, erogemus ipsis, Nam in multis nos per ignaviam peccamus, imo in omnibus: nec a nobis statim Deus pœnas repetit; sed tempus dat ad pœnitentiam, alens nos quotidie, instituens, docens, cætera omnia subministrans, ut et nos misericordiam ejus æmulemur. Deponamus itaque hanc inhumanitatem, severitatem ejiciamus, utpote qui nobis magis quam cæteris beneficia præstemus. His enim argentum damus, panem, vestem, nobis vero maximam paramus gloriam, quæ sermone explicari nequit. Nam corporibus resumptis incorruptibilibus, una cum Christo glorificabimur et regnabimus. Hoc quantum sit hinc sciemus; imo potius nunquam clare nunc sciemus. Ut autem a bonis illis quæ penes nos sunt vel tantillam ejus rei capiamus notitiam, quod dictum est pro virili patefacere conabor. Dic enim mihi: si quis tibi jam seni et in paupertate viventi polliceretur fore, ut repente juvenis fieres, et in flore ætatis, et te fortem formosumque præ omnibus se redditurum esse, regnumque totius orbis daturum, idque per mille annos, regnum, inquam, profundissima pace fruens; quid pro tanta promissione non agendum vel patiendum susciperes? Ecce Christus non hæc, sed his multo majora pollicetur. Neque enim tantum est senectutem inter et juventutem discrimen, quantum inter corruptionem et incorruptibilitatem; neque tanta differentia est inter regnum et paupertatem, quanta inter gloriam futuram et præsentem; sed vere quanta inter somnia et veritatem.

X. Imovero nihil adhuc dixi : nullus enim sermo possit declarare quanta sit differentia res futuras inter et præsentes; quod ad tempus vero spectat, ne cogitari quidem potest dicrimen. Quomodo enim quis comparare præsentibus potest vitam finem non habentem ? Pax vero illa tantum differt a præsenti, quantum pax a bello; et ab incorruptibilitate corruptio, quantum a gleba lutea, pura margarita; imo discrimen nemo explicare possit. Etsi enim illam corporum pulchritudinem, cum radii luce, vel clarissimo fulgure conferam, nihil splendore ejus dignum dixerim. Pro his vero quot pecunias, quot corpora; imovero quot animas proferre dignum non fuerit ? Nunc autem si quis te in regiam induceret, procuraretque ut coram omnibus rex tecum colloqueretur, et unius mensæ consortem faceret, te omnium felicissimum esse diceres. Cum in cœlum autem ascensurus sis, ac cum universorum rege versaturus, splendore cum Angelis certaturus et ineffabili gloria fruiturus, hæsitas an sint effundendæ pecuniæ, cum oporteret vel si ipsam vitam deponere deberes, exultare, lætari, et ex voluptate ceu volucris fieri. Tu vero ut magistratum accipias, qui tibi furandi occasiones præbeat, neque enim id lucrum appellare velim; et facultates projicis, a cæteris fœneraris, atque uxorem filiosque pignori dare non dubitas : regno autem cœlorum proposito, atque imperio quod nullum successorem habeat, a Deo præcipiente, non ut angulum terræ, sed totum accipias cœlum, cunctaris ac refugis, ad pecunias inhias; nec cogitas, si eæ partes cœli quas videmus pulchræ jucundæque sint, quanta sint superiora ejus quantum cœlum cœli ? Sed quia corporeis oculis illa videre non licet, cogitatione ascende, et supra hunc cœlum stans, contemplare ipsum hoc superius cœlum, sublimitatem immensam, lucem horrore plenam : Angelorum populos, Archangelorum cœtus innumeros, alias incorporeas

Virtutes. Ac rursus superioribus illis descendens, imaginem rerum quæ in terra sunt assume, depinge tibi terrenum imperatorem; nimirum homines auro onustos; bigas alborum mulorum, qui auro ornantur, currus lapillis decoratos, stratum niveum et candidum, laminas in curribus agitatas, dracones in vestibus sericis exhibitos, clipeos aureis umbilicis ornatos, lora ex iis ad summas rotas per lapillos multos extensa, equos auro onustos, et frena aurea. At cum ipsum imperatorem videmus, nulli jam dictorum attendimus. Tunc ille solus nos ad se convertit, purpurea indumenta, diadema, cathedra, fibula, calcei, oris splendor magnus. His omnibus accurate collectis, rursus ad superna cogitationem erige, atque ad illum tremendum diem, quo Christus adveniet. Non enim bigas mulorum tunc videbis, neque currus aureos, neque dracones et clipeos; sed quæ multo plena sunt horrore, tantumque terrorem immittunt, ut ipsæ incorporeæ virtutes percellantur. Nam ait: « Virtutes cœlorum movebuntur [1]. » Tunc aperietur totum cœlum, et apsidum illarum portæ expandentur: descendet unigenitus Dei Filius, non viginti, non centum hastatis satellitibus stipatus, sed millenis, decies millenis Angelis, Archangelis, Cherubim, Seraphim, cæterisque Virtutibus: omniaque erunt timore et tremore plena, dirupta terra, hominibus omnibus ab Adamo usque ad illum diem, de terra ascendentibus et raptis, ipso Christo cum tanta gloria sese exhibente, ut et luna et sol et omne lumen occultetur a tanto splendore illuminatum. Quis sermo illam beatitudinem repræsentabit, illum splendorem et gloriam? Hei mihi o anima! Nunc enim lacrymari subit, et valde ingemiscere, cogitanti ex quantis bonis excidimus, a qua felicitate alieni evadimus. Nam alieni sumus; de me ipso loquor; nisi magnum quidpiam et mirabile

[1] Matth. XXIV, 29.

operemur. Ne itaque mihi quis hic gehennam memoret: omni quippe gehenna gravius est a tanta gloria excidere; mille suppliciis gravius est forte illa privari. Attamen adhuc ad præsentia inhiamus, nec cogitamus diaboli malitiam, qui per modica magna nobis subripit, et lutum dat ut abripiat aurum, imo potius ut abripiat cœlum, et ostendit umbram, ut nos abjiciat a veritate; et in somniis imaginationi illudit; hoc enim sunt præsentes divitiæ; ut adveniente die omnium pauperrimos ostendat.

XI. Hæc itaque cogitantes, vel sero tandem dolum fugiamus, et ad futura nos transferamus. Non possumus quippe dicere nos fluxam hujus vitæ conditionem ignoravisse, cum res ipsæ quotidie tuba clarius ejus vilitatem declarent, risum, turpitudinem, pericula, barathra. Quam ergo defensionem habebimus, qui periculosa et turpitudine plena cum studio multo insequimur; tuta vero, quæ gloriam nobis et splendorem pariunt fugientes, ac pecuniarum tyrannidi nos dedentes? Nam tyrannide gravior est hujusmodi servitus, ut sciunt omnes, qui digni habiti sunt, ut ab hac liberarentur. Ut vos igitur pulchram hanc libertatem ediscatis, vincula rumpite, a laqueo resilite; non vobis aurum domi jaceat, sed quod immensis opibus pretiosius est, misericordia et benignitas pro auro. Hæc quippe nobis fiduciam erga Deum dat, illud autem magnam in nos infundit turpitudinem, idque efficit ut diabolus magnos adversum nos spiritus assumat. Cur ergo hostem tuum contra te armas, et fortiorem reddis? Arma dexteram tuam adversus illum, totamque domus pulchritudinem in animam inducito, et divitias omnes in mente depone; aurum, vice arcæ et ædium, cœlum custodiat: et nos omnibus nostris amiciamur. Nos enim muris longe præstantiores sumus, ac pavimento honestiores. Cur ergo nobis neglectis, in iis studium nostrum reponimus, quæ

hinc migrantes non possumus nobiscum ferre, nec sæpe vel hic manentes retinere, cum possimus ita divites esse, ut non modo hic, sed etiam illic opulentissimi appareamus? Nam qui agros, ædes, aurum in anima circumfert, ubicumque visus fuerit, cum his divitiis apparet. Et quomodo, inquies, potest hoc fieri? Potest, et admodum facile. Nam si in cœlum illa transferas per manus pauperum, omnia transferes in animam tuam; ita ut postea, quamvis mors adveniat, nemo tibi illas eripiat; sed illuc dives migrabis. Hujusmodi thesaurum habuit Tabitha: ideoque non domus illam celebrem reddidit, non muri, non lapides, non columnæ; sed corpora viduarum induta, fusæ lacrymæ, mors aufugiens et vita rediens. Ejusmodi et nos apothecas nobis comparemus, tales nobis extruamus ædes. Sic et Deum cooperantem habebimus, et nos cum ipso operabimur. Ille namque ex nihilo pauperes produxit; tu vero productos non sivisti fame perire, vel miseria, undique curans, reficiens et excitans Dei templum. Quid vero paris utilitatis et gloriæ fuerit? Quod si nondum satis edidicisti quo te Deus ornamento decoraverit, cum jussit te paupertatem fovere, illud tecum reputa. Si tibi tantam daret potestatem, ut labens cœlum erigere posses, annon id pro honore haberes te longe superante? Ecce majori te nunc honore dignatus est: nam quod cœlis ipsis pretiosius est, id tibi erigendum commisit; in rebus enim visibilibus nihil apud Deum par est homini. Nam et cœlum et terram et mare propter illum fecit: et in illo habitare magis gaudet, quam in cœlo. Attamen nos hæc videntes, nullam templorum Dei curam habemus, sed illis neglectis, magnas, et splendidas nobis construimus ædes; ideo omnibus vacui bonis sumus, et iis qui valde pauperes sunt pauperiores; quia illas ornamus ædes, quas non possumus auferre cum hinc migramus, illis dimissis quas nobiscum

transferre possemus. Nam dissoluta pauperum corpora omnino resurgent. Tum Deus, qui hæc præcepit, illis in medium adductis, laudabit eos qui ipsorum curam habuere, et prædicabit, quia illos, cum modo a fame lapsuri essent, modo a nuditate et a frigore, modis omnibus sustentarunt. Attamen tot nobis propositis laudibus, adhuc cunctamur et refugimus pulchram illam curam. Atque Christus non habet quo diversetur, sed peregrinus circumit, nudus, esuriens. Tu autem suburbana, balnea, ambulacra, et mille paras thalamos frustra et incassum, et Christo ne minimam quidem tecti partem dedisti; corvis autem et vulturibus cœnacula exornas. Quid hac amentia deterius? Quid hac insania gravius? Nam insaniæ hæc sunt extremæ; imo quidquid dicere possis, non illa dignum dices. Attamen si velimus, potest hic morbus, etsi gravis, depelli, nec modo possibile, sed etiam facile est; nec modo facile, sed longe facilius est ab hac lue liberari, quam a corporeis morbis; quanto scilicet major est medicus. Attrahamus ergo illum, et precemur ut manum operi admoveat, et nostra ad id conferamus, nempe voluntatem et studium. Nullo alio opus habebit; sed si hæc tantum a nobis acceperit, sua omnia ille conferet. Nostra itaque afferamus, ut et hic pura fruamur sanitate, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

CAPUT VIII.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum[1].

I. Hic mihi videtur totum hunc locum movisse ad eos qui in periculis versantur[2] ; imo non hunc solum, sed etiam ea quæ paulo superius dicta sunt. Etenim illud, « Non sunt » condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, » quæ revelabitur[3] ; » et illud, creaturam omnem ingemiscere; itemque dictum illud, « Spe salvi facti sumus; » et illud, « Per patientiam expectamus ; » et illud, « Quid ora- » turi sumus, ut oportet, non novimus[4] ; » hæc omnia inquam, ad illos dicta sunt. Docet quippe illos, non ea quæ ipsi putant utilia esse vel eligenda, sed quæ Spiritus suggesserit. Etenim plurima, quæ illis conducere videntur, aliquando multum afferunt damnum. Quies ergo, periculorum remotio, et cum libertate ac securitate vivere, illis conducere videbatur. Ecquid mirum si illis, quando etiam beato Paulo sic videbatur? Sed postea edidicit quæ his sunt contraria, esse utilia : et edoctus illa amplexus est. Qui ergo ter Dominum rogaverat ut a periculis liberaretur, postquam audivit illum dicentem : « Sufficit tibi gratia mea, » nam virtus mea in infirmitate perficitur[5] , » exultabat postea persecutionem patiens contumeliis et intolerabilibus malis. « Mihi placeo, inquit, in persecutionibus, in » contumeliis, in necessitatibus[6]. » Ideo dicebat : « Nam

[1] Rom. VIII, 28. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 129-130. — [3] Rom. VIII, 18. — [4] Ibid. 24, 25 et 26. — [5] 2 Cor. XII, 8. — [6] Ibid. 10.

» quid orabimus, ut oportet, nescimus. » Omnesque hortabatur, ut Spiritui hæc concederent. Etenim Spiritus sanctus magnam nostri curam habet, et hoc Deo placitum est. His ergo illos adhortans, subjungit ea quæ hodie diximus, ratiocinium movens, quod possit illos recreare : nam ait : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur » in bonum. » Cum porro ait, « omnia, » etiam ea quæ molesta videntur esse dicit. Nam sive afflictio, sive paupertas, seu carceres, seu fames, seu mors, seu quidvis aliud invadat, potest Deus in contrarium hæc omnia vertere. Siquidem hoc ejus ineffabilis potentiæ est, quæ videntur onerosa esse, levia nobis reddere, et ad auxilium nostri convertere. Ideo non dixit, « Diligentibus Deum nihil adversum accidit; » sed omnia cooperantur in bonum; id est, malis utitur ad celebrandos eos qui insidiis appetuntur : quod longe majus est, quam si impediret quominus adversa accderent, aut accedentia tolleret. Hoc et in fornace babylonica fecit. Neque enim impedivit quominus in illam inciderent, neque cum sancti incidissent, flammam extinxit; sed ardere sinens, per illam mirabiliores illos effecit. In Apostolis item miracula alia similia modis omnibus edidit. Si enim homines, qui philosophari sciunt, possunt natura rerum ad contrarium uti, et in paupertate viventes, divitibus opulentiores videri, ac per contemptum splendere; multo magis Deus in iis qui diligunt eum, hæc et multo majora efficit. Una tantum re opus est, ut sincere ametur, et reliqua omnia sequuntur. Ut igitur his ea quæ noxia videntur esse, utilia sunt; sic iis qui non diligunt illum ea quæ utilia videntur esse, nocent. Judæos enim et signa edita, et dogmata recta, et philosophiæ doctrina perdiderunt : et propterea illum dæmoniacum vocabant, propter hæc, inimicum Deo; ob signa autem illum interficere tentabant. Latro certe crucifixus, clavis affixus, con-

vitiis oneratus, mala innumera patiens; non modo nihil damni accepit, sed etiam lucrum maximum inde retulit. Vides-ne quomodo diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum? Cum dixisset igitur hoc magnum esse bonum, quod humanam naturam admodum superaret: quia multis hoc incredibile videbatur esse, a præteritis illud confirmat, his verbis: « Iis qui secundum propositum vocati » sunt [1]. » Perpende enim hoc statim ab ipsa vocatione dictum. Cur enim non statim ab initio omnes vocavit, neque Paulum cum aliis, cum hæc dilatio videretur damnosa esse? attamen re ipsa comprobatum est id utiliter factum fuisse. Propositum autem hic dicit, ut ne totum vocationi tribueretur. Alioquin vero futurum erat, ut et gentiles et Judæi contradicerent. Si enim sola vocatio sufficiebat, cur non omnes salvi facti sunt? Ideo ait non vocationem tantum, sed etiam propositum, vocatorum salutem effecisse. Neque enim necessitatem intulit vocatio. Omnes igitur sunt vocati, sed non omnes obedierunt. « Quoniam » quos præscivit, eosdem et prædestinavit conformes ima- » ginis Filii sui [2]. » Vides-ne honoris culmen? Quod enim Unigenitus natura erat, hoc et illi secundum gratiam facti sunt. Nec tamen satis illi fuit conformes dixisse; sed et aliud addidit, « Ut sit ipse primogenitus. » At non hic substitit; sed post hæc iterum aliud addidit dicens, « In » multis fratribus [3]. » Per omnia volens manifestam ostendere cognationem. Hæc porro omnia de incarnatione dicta existimato. Nam secundum Divinitatem Unigenitus est.

II. Vides-ne quot quantaque largitus sit? Ne ergo de futuris ambigas. Nam et aliunde curam suam ostendit, cum ait hæc jam olim sic præfigurata fuisse. Homines enim ex rebus sententias de ipsis mutuantur. Deo autem jam olim ita visum est, et pro nobis ita affectus erat; ait igitur:

[1] Rom. VIII, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid.

« Quos autem vocavit, illos et justificavit. » Justificavit per lavacrum regenerationis. « Quos autem justificavit, illos et » glorificavit[1]. » Glorificavit per gratiam, per adoptionem. « Quid ergo dicemus ad hæc[2]. » Ac si diceret : « Ne ergo mihi jam de periculis loquaris, nec de insidiis ab omnibus paratis. » Nam si futuris quidam non fidem habent, at de jam collatis bonis nihil contra dicere possint; verbi gratia, de amore quem Deus erga te habuit, de justificatione, de gloria. Etenim hæc tibi illa per ea quæ tristia esse videbantur largitus est. Et quod turpe æstimabas esse, crucem, flagella, vincula, hæc sunt quæ totum orbem in ordinem redegerunt; quemadmodum iis quæ ipse passus est, licet ea tristia esse viderentur, ad libertatem et salutem totius naturæ usus est. Ita in iis quæ tu pateris agere solet, dum iis ad gloriam et claritatem tuam utitur. « Si Deus » pro nobis, quis contra nos[3] ? » Quis enim non contra nos est, inquit ? Nam orbis totus, tyranni, populi, cognati, concives contra nos sunt. Attamen hi qui contra nos sunt, tantum abest ut nobis noceant, ut etiam vel inviti coronarum nobis et mille bonorum auctores sint, Dei sapientia insidias in salutem et gloriam nostram vertente. Vides ne quomodo nullus contra nos? Nam hoc Jobum splendidiorem effecit, quod diabolus contra eum armatus esset; amicos enim contra ipsum adhibuit et uxorem, vulnera, domesticos, ac mille alias movit diabolus machinas : et tamen nihil ipsi mali evenit. At hoc nondum ita magnum est, etsi magnum sit, sed quod longe majus est, omnia in bonum et lucrum ejus versa sunt. Quia enim Deus pro illo erat, quæ contra illum videbantur esse, in ejus emolumentum cedebant; hoc in Apostolis quoque contigit. Nam Judæi, gentiles, falsi fratres, principes, populi, fames, paupertas, mille alia contra illos erant; nihil ta-

[1] Rom. VIII, 30. — [2] Ibid. 31. — [3] Ibid.

men contra illos. Hæc quippe maxime erant, quæ illos et apud Deum et apud homines, splendidos, illustres et laudabiles reddebant. Cogita ergo quantum dictum emiserit Paulus de fidelibus et vere crucifixis, quæ ne is quidem, qui diademate redimitur, assequi possit. Nam contra illum multi barbari armantur, et inimici irrumpunt, satellites insidias parant, subditorum multi sæpe insurgunt, et innumera alia contingunt. Contra fidelem vero, qui legibus Dei intentus est, non homo, non dæmon, non quidpiam aliud stare possit. Nam si pecunias auferas, mercedem ipsi parasti; si maledixeris, per maledictum splendidiorem ipsum apud Deum effecisti; si famem inferas, major erit gloria et merces; si, quod omnium gravissimum videtur, morti tradideris, martyrii coronam nexuisti. Quid ergo huic vitæ par fuerit, cum nihil contra ipsum fieri possit, sed etiam ii qui insidiari videntur, non minus quam ii qui ipsum beneficiis ornant, ipsi utiles sint? Ideo ait : « Si » Deus pro nobis, quis contra nos? » Deinde, non contentus iis quæ dixerat, maximum ipsius erga nos amoris signum, et quod sæpe versat, etiam hic adjicit Filii cædem. « Non » modo, inquit, justificavit et glorificavit, ac conformes fe» cit imagini illi, sed neque Filio pepercit propter te. » Quapropter intulit : « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro » nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum » illo omnia nobis donabit[1] ? » Cum hyperbole multa atque fervore his verbis est usus, ut ejus amorem demonstraret. Quomodo igitur nos destituet, pro quibus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Cogita enim quantæ bonitatis fuerit proprio Filio non parcere; sed tradere illum, et pro omnibus tradere, pro vilibus, ingratis, inimicis, blasphemis; quomodo igitur non etiam cum illo omnia nobis largietur? Id est : « Si filium suum

[1] Rom. VIII, 32.

largitus est, nec modo largitus est, sed et neci tradidit. Quid postea de reliquis ambigis, cum Dominum acceperis? quid dubitas de possessionibus, Dominum habens? Qui enim id quod majus erat, inimicis dedit, quomodo non minora dabit amicis? « Quis accusabit electos Dei[1]?

III. Hic agit contra eos, qui dicebant fidem ad nihil utilem esse, et qui repentinæ mutationi non credebant. Et vide quam cito illis os obstruat ab ejus qui elegit dignitate. Non dixit, quis accusabit servos Dei, neque fideles Dei, sed electos Dei. Electio enim virtutis signum est : si enim equorum domitor postquam pullos elegit ad cursum aptos, a nullo reprehendi possit, sed rediculus erit, quisquis incusaverit ; multo magis cum Deus elegerit animas, ridiculi erunt qui incusabunt. « Deus qui justificat ; quis est qui » condemnet[2] ?» Non dixit : « Deus qui peccata remittit, » sed quod longe majus est, « Qui justificat. » Cum enim judicis calculus justum declaraverit, et talis judicis, quid mereatur accusator? Itaque nec tentationes timendæ sunt ; nam pro nobis est Deus, quod ex gestis suis declaravit ; neque judaïcæ nugæ. Nam et elegit nos, et justificavit, quodque mirum est, per Filii sui necem justificavit. Quis ergo nos condemnabit Deo coronante, Christo pro nobis occiso, nec occiso tantum, sed postea pro nobis precante? « Christus, inquit, qui mortuus est, imo qui et resurrexit » a mortuis, qui est ad dexteram Dei, qui etiam intercedit » pro nobis[3]. » Etenim qui in propria dignitate apparuit, nostri curam non deposuit, sed etiam intercedit pro nobis, et eamdem charitatem semper servat. Neque enim cæde contentus fuit, quod tamen summi amoris est, non solum quæ ad se pertinent facere, sed et alium ad hoc advocare. Hoc enim indicare voluit per illud, intercedere, humaniore loquens modo et demissiore, ut amorem ostenderet.

[1] Rom. VIII, 33. — [2] Ibid. 34. — [3] Ibid.

Nam ex illo quoque, « Non pepercit, » nisi hoc sensu accipiatur, multa sequentur absurda. Et ut discas hoc ipsum esse quod vult astruere, cum prius dixisset : « Est in dex» tera, » tunc intulit, « Intercedit pro nobis, » quia parem honorem ostendit et æqualitatem, ut postea hæc intercessio, non minoris dignitatis, sed amoris solius videretur esse. Nam qui ipse vita est et fons bonorum omnium, ejusdem atque Pater potestatis, qui mortuos suscitat et vivificat, cæteraque omnia facit, quomodo precatione opus habeat ut nos adjuvet ? Qui desperatos et damnatos, ex propria potentia a condemnatione illa liberavit, ac justos filiosque effecit et ad supremos honores adduxit, atque ea quæ nondum sperata fuerant, ad opus reduxit ; quomodo postquam omnia perfecerat, et naturam nostram in throno regio exhibuerat, ad faciliora supplicatione opus haberet ? Videsne quomodo undique ostendatur supplicationem non alia de causa dictam fuisse, quam ut fervor et vehementia ejus erga nos amoris ostenderetur ? Nam et Pater videtur homines hortari, ut cum illo reconcilientur. « Nam pro Christo » legatione fungimur, tanquam Deo hortante per nos [1]. » Attamen Deo hortante, et hominibus apud homines pro Christo legatione fungentibus, nihil dignitate illa tanta indignum cogitamus, sed unum tantum ex iis quæ supra dicta sunt colligimus, nempe amoris magnitudinem. Hoc ipsum et hic faciamus. Si ergo Spiritus postulat gemitibus inenarrabilibus, et Christus mortuus est, et intercedit pro nobis, et Pater Filio suo non pepercit propter te, et elegit te, et justificavit te, quid deinde times ? Quid tremis tanta fruens charitate, et tanta providentia ? Ideo postquam multam ostendit supernam providentiam, cum fiducia deinceps sequentia subjungit, nec dicit, debetis et vos ita illum amare ; sed quasi afflatus ab ineffabili illa providentia di-

[1] 2 Cor. v, 20.

cit : « Quis nos separabit a charitate Christi [1] ? » Nec dixit, Dei; ita illi indifferens est et Christum et Deum nominare: « Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nu» ditas, an periculum, an gladius [2] ? » Vide beati Pauli prudentiam : non dixit hæc in quibus quotidie capimur, pecuniarum amorem, gloriæ cupiditatem, iræ tyrannidem; sed ea ponit quæ his longe sunt immaniora, et quæ ipsi naturæ vim faciant, et sæpe nobis invitis, mentis firmitatem quatiant, tribulationes nempe et angustias : etsi enim quæ dicta sunt facile enumerentur, sed singulæ dictiones mille habent tentationum agmina. Cum enim tribulationem profert, carceres dicit, vincula, sycophantias, exilia, aliasque omnes calamitates, uno verbo pelagus periculorum peragraus, et omnia in hominibus gravia uno verbo declarans. Attamen contra hæc omnia audax insurgit. Ideoque per interrogationem illud profert quasi ei contradici nequeat, quia cum qui ita diligatur, et tanta fruatur providentia, nihil separare poterit.

IV. Deinde ne videatur hæc derelictum illum significare, Prophetam inducit hæc multo ante tempore prædicentem his verbis : « Quia propter te morte afficimur tota die, » æstimati sumus sicut oves occisionis [3]. » Hoc est, omnibus sumus ad mala subeunda propositi. Attamen ad tot tantaque pericula, et novas hasce tragœdias, sufficiens nobis consolatio datur, certaminum nempe causa ; imo non sufficiens tantum, sed etiam multo major. Non enim propter homines vel quidpiam aliud sæculare hæc patimur, sed propter universorum regem, inquit. Neque hac tantum, sed etiam alia eaque varia et multiformi corona illos redimivit. Quia enim homines cum essent, non poterant mille subire mortes. ostendit nihil hinc præmia minui. Etsi enim id natura sortiti simus, ut semel tantum moriamur, ut id

[1] Rom. VIII, 35. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 36, et Psal. XLIV, 23.

quotidie ex voluntate patiamur si velimus, concessit Deus. Unde palam est nos cum tot coronis decessuros esse, quot diebus vixerimus. Imo cum multo pluribus. Licet enim in uno die semel, bis et sæpe mori. Nam qui ad illud paratus est, semper mercedem perfectam accipit. Hoc et Propheta subindicans dicebat : « Tota die. » Quapropter Apostolus ipsum introduxit, illos magis excitans. Nam si ii qui in veteri lege vivebant, inquit, et qui terram et alia, quæ cum vita peribant, in laborum præmium habebant, ita præsentem despiciebant vitam, et tentationes et pericula, qua nos venia digni erimus, si post promissum cœlum et ineffabilia bona, molles simus, neque ad illorum veterum mensuram attingamus? At non ita dixit, remque dimittens auditorum conscientiæ, testimonio tantum utitur : ostenditque sacrificium illorum esse corpora, neque turbari oportere, Deo ita dispensante. Alio quoque modo illos hortatur. Ne quis enim diceret illum sic frustra philosophari ante rerum experientiam, subjunxit : « Æstimati sumus sicut oves occisionis, » quotidianas Apostolorum mortes dicens. Vides-ne fortitudinem et modestiam? Sicut enim illæ, inquit, non obsistunt dum jugulantur ; sic neque nos. Sed quia humanæ mentis infirmitas etiam post tot tantaque multitudinem tentationum timebat, vide quomodo rursum auditorem erigat, atque sublimem et lætum efficiat dicens : « Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos [1]. » Quod enim est mirabile, hoc est, non solum quod nunc vincamus, sed quod per insidias quæ nobis parantur vincamus ; ac non modo vincamus ; sed plusquam superemus ; id est, cum omni facilitate, sine sudoribus laboribusque. Non enim cum reipsa patimur, sed etiam cum animum apparamus, ubique contra inimicos tropæa erigimus : et jure merito ; Deus enim est qui

[1] Rom. VIII, 37.

nobiscum decertat. Ne igitur fidem neges quod flagellati flagellantes superemus, quod pulsi pellentes vincamus, quod morientes vivos profligemus. Cum enim et Dei potentiam et charitatem posueris, nihil impediet quominus hæc mirabilia et incredibilia eveniant, et quod victoria supra modum splendeat. Neque enim solum vincebant, sed magno cum miraculo; ita ut discerent non contra homines bellum insidiantes movere, sed contra invictam illam potentiam. Vide ergo Judæos qui Apostolos in medio tenebant, et dubitabant, dicebantque: « Quid faciemus hominibus » his [1]? » Hoc enim mirabile est, quod cum eos detinerent ac reos haberent, dubitabant, et quid consilii caperent non habebant, ab iis ipsis victi, per quæ se superaturos sperabant. Ac neque tyrannus, neque carnifices, neque dæmonum phalanges, neque ipse diabolus superare illos potuit, sed illi cum potestate et vi magna superabantur, quæ contra illos machinabantur, pro illis cedere videntes. Ideo dicebat, « Plusquam superamus. » Nova enim hæc victoriæ lex erat, ut per contraria vincerent et nunquam superarentur; sed quasi illi exitus domini fuissent, sic ad hæc certamina exirent: « Certum mihi est enim, quod » neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principa» tus, neque Potestates, neque instantia, neque futura; » neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia » poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo » Jesu Domino nostro [2]. »

V. Magna sunt hæc dicta; sed illa nescimus, quia tantam charitatem non habemus. Attamen etsi magna, ut ostendat ea nihil esse, comparata cum charitate qua dilectus est a Deo, post illam eam quæ sua erat posuit, ut ne videretur magna de se ipso dicere. Quod autem dicit hujusmodi est. Quid opus est, inquit, præsentia dicere, et mala

[1] Act. IV, 16. — [2] Rom. VIII, 38, 39.

quæ huic vitæ deputata sunt ? Etsi enim futura quis dixerit, etsi res, etsi virtutes ; res, ut vitam et mortem ; Virtutes, ut Angelos et Archangelos, omnemque supernam creaturam ; hæc mihi parva videntur, comparata cum charitate Christi. Neque enim si quis mortem comminaretur illam futuram æternam, ut a Christo separarer, neque si vitam perpetuam, ego conditionem admitterem. Quid reges hos inferiores, quid consules memoraveris, hunc nempe et illum ? etsi Angelos dixeris, et omnes supernas Potestates, etsi omnia quæ existant et futura sunt, omnia mihi parva videbuntur, quæ in terra, in cœlo, quæ sub terris, quæ supra cœlos, cum illo amore comparata. Deinde quasi hæc non satis essent ad suum declarandum amorem : alia rursus subjicit. « Neque creatura alia ; » id est : etiamsi alia creatura esset, quanta est ea quæ videtur, quanta illa spiritualis, nihil me a charitate illa submovebit. Hæc autem dicebat Paulus, non quod Angeli vel reliquæ Potestates id tentarent, absit ; sed quod cum omni hyperbole vellet amorem suum erga Christum ostendere. Non enim Christum amabat ob ea quæ Christi erant, sed illa ipsa propter Christum, et ad ipsum solum respiciebat : unumque timebat, ne ex illa charitate excideret. Hoc enim illi vel ipsa gehenna formidabilius erat, quemadmodum et in illo persistere, regno desiderabilius. Quid ergo nos mereamur, qui quando Paulus de cœlestia quidem, cum amore Christi comparata in pretio habet, ea quæ in luto et cœno sunt Christo præferimus ? Et ille quidem propter ejus amorem in gehennam incidere consentit, atque a regno excidere, si utrumque proponeretur ; nos vero neque præsentem vitam contemnimus. An vel ejus calceamentis digni sumus, qui tantum ab ejus animi præstantia distemus ? Ille-ne regnum quidem aliquid esse censet propter Christum ; nos vero Christum despicimus, res autem illius magni facimus, at-

que utinam vel res ipsius magni faciamus : nunc vero ne hoc quidem ; sed cum regnum nobis sit propositum, misso illo, umbras et somnia quotidie sectamur. Quanquam Deus benignus cum sit et valde mitis, idipsum fecit ac si quis pater prolis amans, filio assiduam cum illo consuetudinem et colloquium ægre ferente, alio modo ipsum sagaciter varie trahat. Quia enim non ejus amore ut par esset tenemur, multa alia nobis profert, ut nos sibi junctos retineat. At ne sic quidem persistimus, sed ad pueriles ludos resilimus. At non ita Paulus ; sed ut puer nobilis et liber patrisque amans, patris consortium tantum quærit, alia vero non perinde curat. Imovero plusquam filius. Neque enim una patrem et res patris æstimat, sed ubi ab patrem respicit, illas nihili facit ; mallet enim castigatus et flagellatus cum ipso esse, quam ab illo separatus in deliciis vivere. Exhorrescamus igitur quotquot ne pecunias quidem propter Deum despicimus ; imo quotquot ne pecunias quidem propter nos contemnimus. Paulus enim solus erat, qui propter Christum generose omnia patiebatur, non propter regnum, nec propter honorem, sed propter suam erga illum benevolentiam.

VI. Nos vero neque Christus, neque ea quæ Christi sunt, a sæcularibus rebus abstrahunt : sed sicut serpentes, vel viperæ, vel porci, vel hæc omnia simul, sic in limo volutamur. In quo enim feris illis meliores nos sumus, qui cum tot et tanta habeamus exempla, adhuc in terram respiciamus, ac ne parum quidem ad cœlum respicere sustineamus? Sed Deus quidem Filium suum tradidit : tu vero ne panem quidem das ei qui pro te traditus et occisus est. Pater propter te illi non pepercit, cum vere filius ipsius esset : tu vero illum fame tabescentem contemnis, cum sumptum facturus sis ab iis quæ illius sunt ; idque propter te facturus sis. Quid hac iniquitate deterius fuerit? Tradi-

tus est propter te, occisus est propter te, circumit esuriens propter te; ex iis quæ illius sunt das, ut ipse utilitatem accipias : at ne ita quidem das. Quibus lapidibus non stupidiores sunt, qui tot rebus se pertrahentibus in diabolica illa inhumanitate manent? Neque enim satis ille habuit crucem et mortem subire; sed et pauper fieri voluit, et peregrinus, erro et nudus, atque in carcerem conjici, infirmitatemque pati, ut vel sic te advocaret. Si mihi non retribuis, ut pro te passo, miserere mei tamen propter paupertatem. Si nolis propter paupertatem misereri, propter morbum vel propter carcerem flectaris. Si ne hæc quidem ad humanitatem pertrahunt, annue ob petitionis tenuitatem. Nihil a te sumptuosum peto, sed panem, tectum, verborum consolationem. Si postea adhuc ferox maneas, saltem propter regnum cœlorum melior efficiaris, saltem ob præmia quæ promisi. Verum ne horum quidem ullam rationem habes? saltem propter naturam te frangas, nudum videns, et memento nuditatis meæ in cruce, quam propter te passus sum. Si illius nolis, at istius qua pauper et nudus sum. Vinctus tunc fui propter te, et nunc etiam propter te; ut sive illis, sive his motus vinculis, aliquid misericordiæ mihi præstare velis. Jejunus fui propter te, rursus esurio propter te : sitivi in cruce pendens, per pauperes nunc sitio, ut vel ex illis vel ex his te ad me ipsum alliciam, et pro salute tua benignum te reddam. Ideo te, mille devinctum beneficiis, vicem mihi rependas rogo : non ut a debente exigo, sed ut largientem corono, et pro modicis istis regnum do. Non dico : Solve paupertatem meam; nec, Largire mihi divitias, quamvis propter te pauper sim; sed, Panem tantum peto, et vestem, et in fame modicam consolationem. Si in carcerem conjectus sim, non cogo te ut a vinculis me solvas et educas; sed unum quæro tantum, ut propter te vinctum videas, hæc

mihi gratia satis erit, pro qua tibi cœlum largior : quanquam te ego gravissimis exolvi vinculis : at mihi satis erit, si velis me vinctum invisere. Possum quidem citra hæc te coronare; sed volo tibi debitor esse, ut cum corona quædam tibi fiducia accedat. Atque ideo cum possim me ipsum alere, circumeo mendicans; ad fores tuas astans tendo manus, cupiens a te nutriri : te enim admodum diligo. Ideo mensam amo tuam, ut amicis mos est : hac vero de re glorior, et orbis theatro præsente prædico te, omnibus audientibus, nutritium ostendo meum. Atqui nos cum a quopiam nutrimur, erubescimus et hoc dissimulamus. Ille vero quia nos admodum amat, etiamsi nos taceamus, hoc prædicat cum laudibus magnis, nec erubescit dicere se nudum a nobis indutum, esurientemque nutritum fuisse. Hæc igitur omnia cogitantes, non intra laudes consistamus, sed quæ dicta sunt perficiamus. Quid enim prosunt plausus et tumultus, unum tantum a vobis quæro, operum exemplum et per ipsas res obedientiam. Hæc laus mea est, hoc lucrum vestrum; hoc mihi diademate splendidius. Hanc itaque hinc egressi et vobis et mihi coronam per omnium manus parate; ut et in præsenti vita bona in spe una vivamus, et ad futuram vitam migrantes innumera bona assequamur. Quæ utinam omnes sortiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri unaque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAPUT IX.

Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum sanctum[1].

I. Nonne magna quædam [2], et quæ supra naturam erant, circa Pauli erga Christum amorem in præcedenti concione vobis dixisse visus sum? Etenim natura sua magna sunt, et omnem superant sermonem. Attamen ea quæ hodie dicta sunt, tanto illis antecellunt, quanto illa ea quæ nostra sunt exuperant. Quanquam nulla putabam illis antecellere, verum ea quæ hodie lecta sunt, illis omnibus splendidiora visa fuere. Quod cum ille intelligeret, ab exordio id declaravit, utpote in majora ingressurus et a multis non credendus. Prius autem illa affirmat, quæ dicturus est, ut multi solent cum quidpiam dicturi sunt, a multis non credendum, et quod ipsi valde persuasum habent. Nam ait: « Veritatem » dico : et non mentior, et conscientia mihi testificatur. » Quod tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi » meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo[3]. » Quid dicis, Paule, a Christo? ab illo desiderato, a quo neque regnum, neque gehenna te separabat, neque ea quæ videntur, neque ea quæ intelliguntur, neque alia tot tantaque, ab eo nunc anathema esse precaris? Quid factum est? an mutatus es? an desiderium illud deposuisti? Nequaquam, inquit : « Ne timeas : etenim illud potius auxi. » Cur

[1] Rom. IX, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 130-132, et tom. XVI, p. 534-536. — [3] Rom. IX, 2, 3.

ergo optas anathema esse, et alienationem quæris, separationemque talem, postquam non alia inveniri possit? Quia admodum illum amo, inquit. Quomodo, quæso, et quanam ratione? Res enim hæc ænigmati similis est. Imovero, si videtur, primo discamus quid sit anathema, et tunc de his illum interrogabimus, atque hanc arcanam et stupendam dilectionem ediscemus. Quid ergo est anathema? Audi illum dicentem : « Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit[1]; » id est, ab omnibus separetur, alienus sit ab omnibus. Nam sicut anathema seu donum Deo oblatum nemo ausit temere manibus tangere, neque ad id propius accedere; sic et eum qui ab Ecclesia separatus sit, ab omnibus abscindens et procul omnino amovens, hoc nomine a contrario appellat, cum terrore magno omnibus interminans ut ab eo separentur et abscedant. Ad anathema enim honoris causa nemo accedere audebat; ab eo autem qui abscissus erat ex opposita sententia omnes separabantur. Itaque separatio una, et hæc et illa a vulgo alienata erat. Modus vero separationis non unus, sed alter alteri contrarius erat. Ab illo enim se removebant, quia Deo dicatum erat, ab hoc autem, quia a Deo alienatum erat, et ab Ecclesia abscissum. Hoc ergo significans Paulus dicebat : « Optabam anathema esse a Christo, » nec simpliciter, volebam; sed expressius dixit, « optabam. » Quod si hæc dicta, tanquam infirmiora te conturbant, rem considera; non solum quod separari vellet, sed etiam causam propter quam volebat, et tunc videbis amoris ejus vehementiam. Quandoquidem etiam circumcidit, et non rei gestæ attendimus, sed menti et causæ gerendæ rei, et ideo illum magis admiramur. Non modo autem circumcidit; sed rasit et sacrificavit; nec tamen ideo Judæum illum esse dicimus, sed hoc ipso magis alienum a judaïsmo, et pu-

[1] 1 Cor. xvi, 22.

rum verumque Christi cultorem. Quemadmodum ergo dum vides illum circumcidentem et sacrificantem, non ideo ipsum damnas ut judaïzantem; sed ideo illum magis coronas, ut alienum a judaïsmo; sic et cum vides illum optantem anathema esse, ne ideo turberis; sed ideo maxime illum celebrato, cum causam optandi didiceris. Nisi enim causas examinemus, Eliam homicidam dicemus, Abrahamum autem non homicidam modo, sed etiam filii interfectorem. Itemque Phinees et Petrum cædis rursum accusabimus; nec de ipsis solum Sanctis, sed de Deo etiam, qui hanc non servat regulam, absurda multa suspicabimur. Ne igitur hoc accidat, in similibus omnibus, et causam et mentem et tempus et omnia ad rem defendendam apta colligentes, sic res examinemus, quod jam de beata illa anima faciendum nobis est. Quænam ergo causa? Rursum ipse amatus Jesus. Atqui non ob ipsum, inquit, optabam ab ipso anathema esse pro fratribus meis. Et hoc humilitatis ejus erat. Non enim vult, ut magni quidpiam dicens, et hoc in Christi gratiam faciens apparere. Ideo dixit, « cognatis, » ut magnitudinem rei tegeret. Quod enim propter Christum hoc vellet, audi sequentia. Cum enim dixisset, « cognatis, » subdit : « Quorum est adoptio » et gloria et testamenta, et legislatio et cultus et promis- » siones : quorum sunt patres et ex quibus Christus secun- » dum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in » sæcula. Amen [1]. »

II. Et quid hoc? inquies. Si enim ut alii crederent, volebat anathema esse, oportebat etiam pro gentibus hoc precari. Si autem pro Judæis tantum precatur, ostendit se non propter Christum hoc velle, sed propter ejus cum Judæis necessitudinem. Atqui si pro gentibus tantum precatus esset, non perinde id visum fuisset; quia vero pro

[1] Rom. IX, 4, 5.

Judæis tantum, clare ostendit se propter Christi gloriam hoc curare. Scio plane rem vobis novam videri; tamen nisi perturbemini, id cito demonstrare conabor. Neque hæc sine causa dixit; quia enim omnes dicebant Deum accusantes, quod cum filii Dei vocari dignati essent, legem accepissent, ante omnes Deum novissent, tantæ gloriæ consortes; ipsumque ante orbem coluissent, promissiones accepissent; patresque essent earumdem tribuum, quodque majus est, ipsius Christi proavi; hoc enim significat illud, « Ex quibus Christus secundum carnem: » ejecti tamen et inhonorati fuissent, ipsorumque loco inducti fuissent homines ex gentibus, qui nunquam Deum cognoverant. Quia igitur hæc dicentes contra Deum blasphemabant, hæc audiens Paulus et ægre ferens, ac pro Dei gloria dolens, optavit anathema esse si fieri posset, ut illi salvi essent, et hanc blasphemiam abigi, ne videretur Deus illorum majores decepisse, quibus dona pollicitus fuerat. Et ut discas illum hoc moleste tulisse, ut ne videretur promissio Dei intercidere qua Abrahamo dictum est: « Tibi dabo terram hanc, et semini tuo [1], » hæc optabat. Postquam hæc dixerat addidit: « Non autem quod excide» rit verbum Dei [2]. » Ostendens se hæc omnia, propter verbum Dei ferre velle, id est, propter promissionem Abrahæ factam. Quemadmodum enim Moyses videbatur quidem pro Judæis intercedere, totum autem pro gloria Dei faciebat; « Ne dicant, inquit, quod quia non poterat illos ser» vare, eduxit illos, ut perderet in deserto, depone iram [3]; » ita et Paulus: « Ne dicant, inquit, promissionem Dei excidisse, eumque non stetisse promissis, nec verba in opus exiisse, vellem anathema fieri. » Ideoque non pro gentibus loquitur; non enim id illis promissum fuerat, neque ipsum coluerant: quare non propter gentes blasphemabant illum;

[1] Gen. XII, 7. — [2] Rom. IX, 6. — [3] Deut. IX, 28.

sed pro Judæis, qui promissionem acceperant, et præ aliis ipsi conjuncti erant; hæc optabat. Vides-ne quod si pro gentibus precatus fuisset, non ita clare videretur ipsum pro Christi gloria hæc fecisse : quia vero pro Judæis volebat esse anathema, tunc maxime comprobatum est illum pro Christo hæc desiderare ; ideo dixit : « Quorum adoptio » et gloria et cultus et promissio[1]. » Etenim inde lex, inquit, quæ de Christo loquitur, et pacta, quæ omnia ad illos pertinent, et ipse ex illis ortus est, et patres qui promissa acceperunt, ex illis omnes. Attamen contrarium evenit, et a bonis omnibus exciderunt. Propterea discrucior, inquit, et si possem separari a Christi choro, et abalienari, non ab ejus amore, absit, quia illud propter amorem faciebat; sed ab illa fruitione et gloria, id admitterem, ut Dominus meus non blasphemaretur, nec audirem quosdam dicentes res in scenam versas esse : aliis promisit, aliis dedit; ex aliis natus est, alios servavit : Judæorum majoribus pollicitus erat, et illorum prole derelicta, eos, qui nunquam illum noverant, in illorum bona introduxit : illi legem meditantes insudabant et prophetias legebant, et illi ex aris et idolis heri reversi, facti sunt illis superiores. An hæc providentia est? Ne igitur hæc dicantur de Domino meo, inquit, etsi injuste dicantur, a regno cœlorum libenter exciderem, et a gloria illa ineffabili, omniaque gravia sustinerem, magnam in labore consolationem putans, si non audirem illum, quem tantopere amo, blasphemari. Quod si id quod dicitur nondum assequeris, cogita multos patres paria pro filiis admisisse, ab illis separari non recusantes, ut illos claros cernere possent, eorum claritatem suaviorem sibi esse existimantes, quam eorumdem contubernium. Sed quia procul ab hoc amore sumus, quæ dicta sunt ne intelligere quidem possumus. Sic enim

[1] Rom. IX, 7.

quidam Pauli ne appellationem quidem audire digni sunt, et ab illius vehementia tam longe positi sunt, ut putent illum hæc de temporanea morte dixisse : quos tantumdem Paulum ignorare dixerim, quantum cæci solarem radium ; imo multo magis. Nam qui quotidie moriebatur, qui innumera subibat pericula, quique dicebat : « Quis nos sepa» rabit a charitate Christi ? an tribulatio, an angustia, an » fames, an persecutio [1] ? » Neque dictis contentus, sed supergressus cœlum, et cœlum cœli, atque Angelos et Archangelos, et superna omnia circumcurrens, unaque comprehendens præsentia et futura, visibilia et invisibilia, tristia et suavia, quæque in utrisque sunt ; nihil omittens neque sic satiatus, aliamque tantam creaturam supponens non existentem, quomodo, quasi magni quidpiam diceret, post illa tanta temporaneam mortem memoravisset ?

III. Non ita se res habet, non ita : sed vermium in fimo latentium est hæc opinio. Si enim hoc dixisset, quomodo se anathema a Christo esse optasset ? Talis quippe mors illum potius Christi choro junxisset, et effecisset ut gloria illa frueretur. At enim sunt etiam quidam qui hisce magis ridicula dicere ausint ; neque enim mortem, inquiunt, sed cimelium seu donum Christi esse optabat. Ecquis hoc, etiamsi admodum tenuis ac depressus esset, non optaret ? Quomodo autem hoc pro cognatis esse potuisset ? His ergo missis fabulis et nugis, neque enim hæc digna sunt quæ confutentur, ut nec pueris balbutientibus contradicitur ; ad ipsum rursus dictum redeamus, oblectati in pelago amoris ejus, ac cum libertate ubique natantes, et flammam cogitantes ineffabilem ; imo quidquid dixeris, nihil dignum proferes : nam pelago omni latior, et flamma omni vehementior erat illa dilectio, et nullus sermo possit illam pro dignitate recensere. Sed ille solus ipsam noverat, qui illa

[1] Rom. VIII, 35.

vere affectus erat. Age itaque hæc rursus verba in medium adducamus : « Optabam enim anathema esse ipse ego. » Quid est, « Ipse ego? Qui omnium doctor eram, qui innumera præclara opera collegeram, qui mille coronas expectabam, qui illum ita desideravi, ut ejus amorem omnibus præferrem, qui quotidie propter illum uror, et omnia postpono amori ejus. » Neque enim curabat tantum ut a Christo amaretur; sed et ut illum admodum amaret, et hoc maxime curabat. Ideo enim, cum hoc unum spectaret, omnia facile ferebat. Unum per omnia in animo habebat, ut pulchrum hunc amorem expleret. Hæc porro ille optat. Sed quia non talis nec anathema futurus erat, tentat demum ut contra accusationes defensionem paret, quæ ex omnium rumore ferebantur in medium adducens, ut confutet illa. Ac prius quam ad illam defensionem serio veniat, ejus semina jam prius jacit. Cum enim dicit, « Quorum adoptio, et gloria, et legislatio, et cultus et » promissiones; » nihil aliud dicit, quam quod Deus illos salvos facere vellet, et hoc declaravit per ea quæ antea fecerat, ex eo quod Christus ex illis ortus sit, et per ea quæ patribus promisit. Illi autem ex ingrato animo suo beneficium repulerunt. Ideo illa solum ponit quæ doni Dei sunt indicia, non illorum encomia. Nam adoptio ex illius gratia profecta est, ut et gloria, promissiones et lex. Quæ omnia cogitans, et perpendens quantam Deus cum Filio curam habuerit illos servandi, voce magna clamavit et dixit : « Qui est benedictus in sæcula. Amen, » pro omnibus ipse gratiam referens Unigenito Dei. Quid enim, inquit, si alii blasphemant? At nos qui arcana ejus vidimus, sapientiam ineffabilem et magnam providentiam, clare scimus dignum esse non qui blasphemetur, sed qui glorificetur. Non contentus autem conscientia sua, ratiocinium suum tentat adhibere, et vehementiore contra illos ser-

mone instare, nec prius illos adoritur, quam illorum suspicionem sustulerit. Ne videretur enim inimicos alloqui, postea dicit : « Fratres, voluntas cordis mei, et supplicatio » ad Deum, pro illis est ad salutem [1]. » Hic autem cum aliis quæ dixit, curavit ut ne videretur ex inimicitia proferre illa quæ contra ipsos dicturus erat. Idcirco ne cognatos quidem illos et fratres appellare recusat. Etsi enim illa quæ dixit pro Christo dixerit; attamen illorum quoque mentem attrahit, et sermoni viam parat, seque ab omni suspicione liberat propter ea quæ contra illos dicenda erant, et tum demum orditur sermonem, qui a multis in controversiam vertebatur. Multi enim quærebant, ut jam dixi, cur ii, qui promissionem acceperant, exciderunt; qui vero ne illam quidem unquam audierant, ante illos salvi facti sunt. Hanc igitur solvens dubitationem, ante objectionem solutionem adducit. Ne quis enim diceret : « Quid ergo? Tu-ne magis curas gloriam Dei, quam Deus suam? Et tua-ne eget ope, ut verbum ipsius non excidat? Contra hæc ille stans ait : « Hæc dixi, non quasi Dei Verbum exciderit; sed ut ostendam amorem erga Christum. » Nam cum sic res evenerint, non hæsitamus, inquit, quid pro Deo respondendum sit, ut demonstremus promissionem Dei firmam stetisse. Dixit Deus Abrahæ, « Tibi et se- » mini tuo dabo terram; et, In semine tuo benedicentur » omnes gentes [2]. » Videamus ergo quodnam sit semen, inquit; neque enim omnes ex ipso orti semen ejus sunt; quapropter dicebat : « Non enim omnes qui sunt ex Israël, » sunt Israël; neque quia sunt semen Abrahæ, omnes » filii [3]. »

IV. Si ergo didiceris quale sit semen Abrahæ, videbis datam esse promissionem semini ejus, et cognosces non excidisse verbum ejus. Quodnam igitur, quæso, semen

[1] Rom. x, 1. — [2] Gen. xii, 7. — [3] Rom. ix, 6, 7.

est? Non ego dico, inquit, sed ipsa lex vetus se ipsam explicat, sic dicens: « In Isaac vocabitur tibi semen [1]. » Quid sit, in Isaac, explica: « Id est, non filii carnis, hi filii Dei » sunt, sed filii promissionis reputantur in semen [2]. » Et vide Pauli prudentiam animique magnitudinem; interpretans enim non dixit: « Non filii carnis, sunt filii Abrahæ; sed, » filii Dei, » præsenti vetera connectens et ostendens ne Isaac quidem simpliciter fuisse filium Abrahæ; id est, quicumque secundum Isaac nati sunt, ii sunt filii Dei et semen Abrahæ. Ideo enim dicit: « In Isaac vocabitur tibi semen, » ut discas eos, qui hoc modo nati sunt secundum Isaac, ii maxime semen sunt Abrahæ. Quomodo igitur Isaac genitus est? Non secundum legem naturæ, neque secundum vim carnis, sed secundum vim promissionis. Quid sibi vult secundum vim promissionis? « In tempore hoc veniam » ad te, et erit Sarræ filius [3]. » Hæc est igitur promissio, et Verbum Dei Isaacum formavit et genuit. Quid enim si vulva subjiciebatur, et matrix mulieris? Non enim vis matricis, sed vis promissionis, filium genuit. Ita et nos nascimur per Dei verba. Etenim in piscina aquarum sunt Dei verba, quæ nos generant et formant. Nam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati generamur. Hæc porro generatio, non naturæ, sed promissionis Dei est. Sicut enim cum Isaaci generationem promisisset, tunc illam implevit, sic et nostram ante multa prænuntiavit tempora per omnes Prophetas, et postea in opus deduxit. Vides-ne quantum demonstraverit et quod cum magnum quid promiserit, facillime illud perfecerit? Quod si dixerint Judæi: « Ex Isaac vocabitur tibi semen, » id significare, ex Isaac natos ipsi reputari in semen, oporteret etiam Idumæos, et omnes qui ab Esaü orti erant, ejus filios vocari: nam illorum progenitor Esaü filius erat Isaaci. Nunc

[1] Gen. xxi, 12. — [2] Rom. ix, 8. — [3] Ibid. 9.

vero non modo filii non vocantur; sed et valde sunt alieni. Vides-ne non filios carnis esse filios Dei; sed in ipsa natura eam, quæ per baptisma est, generationem jam olim præscriptam fuisse? Quod si tu mihi matricem dixeris, habeo et ego aquam opponendam. Sed sicut hic tota res est Spiritus, sic illic tota res est promissionis. Nam aqua frigidior matrix erat ob sterilitatem et senectutem. Discamus ergo accuratissime nobilitatem nostram, et illa dignum exhibeamus vitæ institutum. Neque enim habet quidquam carnale vel terrestre. Ne itaque nos quidpiam hujusmodi habeamus. Neque enim somnus, neque voluntas carnis, neque complexus, neque concupiscentiæ stimulus, sed Dei benignitas totum peregit. Ac sicut illic desperata ætate, ita et hic peccatorum senectute superveniente, statim novus exiit homo, et omnes filii Dei et semen Abrahæ facti sumus. « Non solum autem, sed et Rebecca » ex uno concubitu habens Isaac patris nostri[1]. » Magnum quidpiam quærebatur; ideoque multa movet ratiocinia, et undique conatur dubitationem solvere. Nam si inexpectatum et novum est post tot promissiones, ab illis ipsis excidere; longe mirabilius est nos in illorum bona intrare, qui nihil tale expectabamus. Atque idipsum evenit, ac si quis regis filius, cui promissa fuisset imperii successio, in obscurorum hominum ordinem rejiceretur; atque illius loco damnatus homo, mille vitiis refertus, ex carcere eductus, imperium illi debitum acciperet. Quid enim, inquies, dicere possis? Quod filius indignus sit? Sed hic etiam et multo magis indignus est. Igitur oportebat aut simul pœnas dare, aut simul honorari. Tale quidpiam circa gentes et circa Judæos accidit, imo longe mirabilius. Nam quod omnes indigni essent supra declaravit Paulus dicens : « Omnes enim peccaverunt, et privantur gloria

[1] Rom. IX, 10.

» Dei [1]. » Quod autem novum est, cum indigni omnes essent, gentes solæ servatæ sunt. Post hæc aliam etiam quæstionem quis moverit dicens : « Si promissionem non impleturus erat Deus, cur promisit? Homines quippe, qui futurum non norunt, sæpe decepti, indignis dona pollicentur : qui vero et præsentia et futura prævidet, et qui clare sciebat illos se promissis illis indignos reddituros esse, et ideo nihil promissorum recepturos, cur promisit?»

V. Quomodo hæc solvit Paulus? ostendendo quid sit Israël, cui promiserat. Hoc enim demonstrato, illud quoque declarabatur, nempe promissa omnia impleta fuisse. Hoc enim declarans dicebat : « Non enim omnes qui ex » Israël, sunt Israël. » Ideo non Jacobi nomen apposuit, sed Israëlis, quod et justi viri et superni doni erat, atque etiam symbolum erat quod Deum vidisset. « Atqui, inquies, om» nes peccaverunt, et privantur gloria Dei. » Si igitur omnes peccaverunt, cur alii salvi fiunt, alii pereunt? Quia non omnes accedere voluerunt. Nam quod ad illum spectat, omnes salvi facti sunt : nam omnes sunt vocati; verum hoc ille non ponit, sed ex abundanti illud solvit, et ex aliis exemplis, aliam quæstionem in medium adducens, et sicut in præcedentibus quæstionem maximam solvit per aliam quæstionem. Quia enim quærebatur, quomodo Christo justificato, omnes eamdem justitiam adepti sunt, Adami factum induxit dicens : « Si enim unius delicto » mors regnavit, multo magis qui abundantiam gratiæ ac» ceperunt, in vita regnabunt [2]. » Quod ad Adamum spectat non solvit, sed quod ab se allatum est solvit ex illo, ostenditque magis rationi competere, quod is qui pro ipsis mortuus est potestatem in illos ad libitum habeat. Nam quod uno peccante omnes puniantur, non admodum rationi consentaneum esse multis videtur; quod autem uno

[1] Rom. III, 23. — [2] Id. V, 10.

moriente omnes justificentur, et rationi magis consentaneum est, et Deo convenientius. Attamen illam quæstionem non solvit : quanto enim obscurius id manebat, tanto magis Judæo os obturabatur : et illius dubitatio in illud transibat, atque apertius hoc illinc redditur. Sic et hoc loco, ex aliis objectis quæstionem solvit. Nam contra Judæos certamen illi erat. Ideo exempla quæ in medium adduxit, non omnino solvit : neque enim iis obnoxius erat, ut in pugna contra Judæos suscepta. Sua vero omnia ex illis apertiora facit. Quid enim miraris, inquit, si ex Judæis alii quidem salvi fiant, alii minime? Nam hoc in Patriarchis factum videre est. Cur enim Isaac solus semen vocatur, etiamsi Ismaëlis et aliorum complurium Abraham pater esset? Sed a matre serva fuit? Et quid hoc ad genitorem? Cæterum nihil contendo. Ejiciatur ob matrem ille. Quid dicemus de iis qui ex Chettura nati sunt? An non liberi erant, et ex libera? Cur non iisdem honorati sunt prærogativis quibus Isaac? Ecquid de his loquor? Isaaci sola uxor fuit Rebecca, et duos filios ex Isaaco suscepit. Attamen hi qui ex eodem patre et matre sunt, qui easdem solverunt parturigines, ex eodem patre et matre gemelli, non eadem tamen sortiti sunt. Atqui hic non servitutem matris objicere potes, ut in Ismaële; neque quod hic ex hac, ille ex alia matrice natus sit, ut in Chettura et Sarra, quando etiam eadem hora ex vulva sunt egressi. Ideo Paulus quasi ad clarius exemplum progressus : « Non modo in » Isaac hoc contigit, inquit; sed et Rebecca : Ex uno con- » cubitu habens Isaaci Patris nostri. Nondum enim geniti » cum essent, nec quid boni vel mali fecissent, ut secun- » dum electionem propositum Dei maneret, non ex operi- » bus, sed ex vocante, dictum est ei : Major serviet minori, » quemadmodum scriptum est : Jacob dilexi, Esaü autem

» odio habui[1]. » Qua igitur de causa hic quidem amabatur, ille autem odio habitus est? Qua de causa hic serviebat, ille imperabat? quia hic malus, ille bonus erat? Atqui illis nondum natis, ille honorabatur, hic condemnabatur. Illis enim nondum natis dicebat Deus : « Major serviet minori[2]. » Cur ergo hoc dixit Deus? Quia non expectat, ut homo, a rerum exitu videre quis bonus, quis non talis sit; sed antea videt quis bonus, quis non talis erit. Et hoc apud Israëlitas factum est majori cum miraculo. Quid enim dico de Esaü et Jacob, quorum ille malus erat, hic bonus? Nam apud Israëlitas commune peccatum erat : omnes enim vitulum adorarunt. Attamen alii quidem misericordiam consecuti sunt, alii minime : « Miserebor enim, inquit, cujus misere-» rebor, et commiserabor, quem commiserabor[3]. » Hoc ipsum in iis qui puniuntur videas. Quid enim dixeris de Pharaone, qui punitus est, et tantas dedit pœnas? quia durus erat et inobsequens. Num ipse solus, et nemo alius? Cur tam acerbe plexus est? Cur apud Judæos non populum vocavit populum, et rursus non omnis eodem honore dignatus est? « Si enim fuerint, inquit, sicut arena maris, » reliquiæ salvæ erunt[4]. » Et cur reliquiæ solum? Vides-ne quanta difficultate quæ proposita sunt repleverit? Et jure quidem. Cur enim potes adversarium in dubitationem conjicere, ne statim solutionem afferas. Nam si ipse visus fuerit iisdem periculis obnoxius, cur tu pericula subeas superflua? Cur audaciorem illum reddis, totum ad te ipsum trahens?

VI. Dic enim mihi, o Judæe, qui tantum dubitas, et nihil horum solvere potes, cur super gentium vocatione negotia nobis facessis? Atqui possum ego causam dicere cur gentes justificatæ sint, vos autem excideritis. Quænam ergo causa est? Quia illi ex fide, vos autem quasi ex ope-

[1] Rom. IX, 11-13. — [2] Gen. XXV, 23. — [3] Rom. IX, 15. — [4] Isaï. X, 22.

ribus legis. Et cum his contentionibus undique proditi estis. « Ignorantes enim Dei justitiam, et propriam justi- » tiam quærentes statuere, justitiæ Dei non subditi fuere [1]. » Loci ergo totius solutio, ut summatim totum referam, sic a beata illa anima profertur. Ut autem clariora hæc evadant, singula dicta ad examen deducamus : hoc scientes, in scopo fuisse beato Paulo, ut doceat per ea quæ dixit omnia, eos, qui digni sunt, Deum solum nosse; nullumque hominum scire, etiamsi valde nosse videatur; sed sæpe a calculo et sententia sua cadere. Qui vero arcana mentis novit, ipse perspicue scit quinam corona digni sunt, quinam pœna et supplicio. Ideoque multos qui apud homines probi esse videbantur, convictos supplicio affecit; et eos, quos improbos esse homines arbitrabantur, coronavit, ostendens tales non esse; non ex servorum sententia, sed ex proprio judicio accurato et incorrupto calculum ferens, nec expectans ab actorum exitu dignoscere improbum et eum qui talis non esset. Cæterum ne rursus sermonem obscuriorem reddamus, ad ipsa apostolica dicta veniamus. « Non solum autem, sed et Rebecca ex uno con- » cubitu habens. » Poteram enim, inquit, de Chettura loqui, sed abstineo. Verum ut ex abundanti victoria referatur, eos, qui ex uno patre et ex una matre nati sunt, in medium affero. Nam ex Rebecca ambo erant, et ex Isaac, legitimo filio, probato, præ aliis omnibus honorato, de quo dixit : « In Isaac vocabitur tibi semen, » qui pater fuit omnium nostrûm. Quod si ille pater noster sit, eos qui ab illo nati sunt patres oportebat esse; sed non fuerunt. Vides-ne hoc non tantum in Abrahamo contingere, sed etiam in filio : et ubique fidem et virtutem splendentem esse, et veram cognationem exprimere? Hinc enim discimus, non solum per modum generationis, sed etiam quod digni genitoris

[1] Rom. x, 3.

virtute sint, filios vocari eos qui filii ejus sunt. Si enim ex modo generationis tantum, oporteret Esaü eadem prærogativa frui, qua Jacob fruitur. Nam et ipse ex mortua vulva fuit, et sterilis mater ejus erat. Verum non hoc quærebatur solum, sed et mores : quod quidem non vulgare est et ad doctrinam vitæ nobis confert. Nec dicit, quia hic bonus, ille vero malus, ideo illi antepositus in honore fuit, ut ne statim hoc illi objiceretur. Quid ergo? Boni-ne fuerunt, qui ex gentibus erant, præ illis qui ex circumcisione? Nam etsi rei veritas ita se haberet; at nondum illud apponit : onerosius quippe visum fuisset. Sed in Dei cognitionem totum rejecit, quacum pugnare nemo ausit, etiamsi valde insaniat. Cum nondum nati essent, inquit, neque boni quidpiam fecissent, dictum est matri : « Major » serviet minori : » ostenditque nobilitatem carnalem nihil prodesse, sed virtutem animæ quærendam esse, quam ante opera Deus novit. Cum enim nondum nati essent, inquit, nec fecissent quidpiam boni vel mali, ut propositum Dei secundum electionem maneret, dictum est ei, « Major » serviet minori. » Hoc enim præscientiæ est, quod ex ipsa parturitione eligeretur; ut appareret, inquit, electio Dei, quæ secundum propositum, inquit, et præscientiam facta est. Ex primo namque die, et bonum et non talem, et novit et prædicavit. Ne mihi ergo dicas legem te legisse et Prophetas, et tantum temporis servivisse. Nam qui novit animam probare, scit quis salute sit dignus. Cede igitur incomprehensibili electionem. Ipe namque solus scit exacte coronare. Quot enim Matthæo meliores videbantur esse, secundum operum eam, quæ apparebat, rationem? Sed is qui certa novit, et animi conditionem explorare valet, etiam in luto jacentem margaritam novit, et prætermissis aliis, ejusque formam miratus, ipsum elegit, ac propositi ejus nobilitati suam addens gratiam, probatum illum de-

claravit. Si enim in his fluxis artibus, et in aliis rebus omnibus, qui judicare valent, non ab iis quæ privati homines existimant, quæ proposita sunt eligunt; sed ab iis quæ ipsi perspicue norunt, id quod a vulgo in existimatione fuit plerumque reprobant, quodque ipsi rejiciebant eligunt: equorum item domitores sæpe circa equos idipsum faciunt; itemque gemmarum periti, aliarumque artium opifices; multo magis benignus Deus, immensa sapientia, qui solus omnia clare novit, non cedet hominum opinioni, sed ex propria sapientia accurata, et quæ labi nequit, circa omnia calculum feret. Ideo et publicanum elegit, latronem et meretricem; sacerdotes autem, senes, et magistratus improbavit et ejecit.

VII. Id in Martyribus quoque contingere videas. Multi enim ex iis qui valde abjecti erant, in certaminum tempore coronati sunt; et e contrario, qui magni a multis putabantur esse, supplantati sunt et cecidere. Ne itaque rationes repetas a Creatore, nec dicas : « Cur ille coronatus est, ille punitus? » Scit enim omnia accurate facere. Quamobrem dicebat : « Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. » Quod enim id juste fecerit, tu quidem a fine nosti; ipse vero ante finem clare noverat. Non enim operum ostensionem tantum quærit Deus, sed etiam propositi nobilitatem et probam mentem. Nam qui talis est, etsi casu aliquando peccet, cito resipiscit; etiamsi in nequitia versatus sit, non despicietur, sed brevi illum revocabit qui omnia scit Deus : sicut et is qui in se corruptus est, etsi quid boni facere videatur, peribit, quod cum mala mente hoc fecerit. Etenim David cum occidisset et mœchatus esset, quia casu quodam abreptus, non maligne meditatus, hæc fecit, cito illa abluit. Pharisæus certe, nihil horum facere ausus, sed ex aliis sese bonis venditans, ex malo proposito periit. « Quid ergo dicemus? an injustitia est apud Deum?

» Absit[1]. » Ergo neque in nobis, neque in Judæis. Addit aliud illo obscurius; quidnam? « Moysi enim dicit : Mise- » rebor cujus misereor, et commiserabor quem commise- » ror[2]. » Rursus auget objectionem mediam præcidens illam, et aliam rursus difficultatem adjiciens. Ut autem dictum clarius evadat, necessario explicandum est. Dixit Deus, inquit : « Major serviet minori » ante partum. Quid ergo? num injustus est Deus? Minime. Ergo audi sequentia. Ibi enim tum virtus, tum malitia rei discrimen faciunt. Hic vero peccatum unum erat omnium Judæorum, confectus vitulus, et tamen alii puniti sunt, alii minime; ideo dicebat : « Miserebor cujus misereor, et commiserabor » quem commiseror. » Non tuum enim est, o Moyses, scire qui digni sint misericordia; sed mihi hoc concede. Si autem Moysis non erat hoc scire, multo minus nostrum fuerit. Ideo dictum illud non simpliciter posuit; sed cuinam dixerit, memoravit. Moysi enim dixit, inquit, ut personæ dignitate contradicentem pudefaciat. Data igitur difficultatum solutione, per medium secat, rursus aliam objectionem inducens ac dicens : « Itaque non volentis, » neque currentis; sed miserentis Dei. Dixit enim Scrip- » tura Pharaoni : In hoc ipsum te incitavi, ut ostenderem » in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum » in universa terra[3]. » Ut enim illic ait : « Alii salvi facti sunt, » alii puniti sunt; » ita et hoc loco, hic ad hoc ipsum servabatur. Deinde objectionem rursum affert : « Ergo cui vult » miseretur, et quem vult indurat. Dices ergo mihi : Quid adhuc conqueritur. Nam voluntati ejus quis resistit[4]? » Vides-ne quomodo hoc dubium facere omni modo studeat? Nec statim solutionem apponit; hoc etiam utiliter faciens; sed primum quærenti sic os obturat, dicens : « Atqui, o homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo[5]? »

[1] Rom. IX, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16, 17. — [4] Ibid. 18, 19. — [5] Ibid, 20.

Hoc autem facit, intempestivam nimiamque ejus curiositatem reprimens, et frenum adjiciens, docensque quid sit Deus, quid homo, et quomodo Dei providentia incomprehensibilis sit, nostrumque ratiocinium exuperet, ac quomodo in omnibus ipsi obtemperandum sit : ut postquam hoc probaverit auditori, ejusque mentem represserit ac sedaverit, tunc facile solutionem afferens acceptum illi sermonem suum reddat. Nec dicit non posse illa solvi; sed quid? Iniquum esse alias movere quæstiones, sed oportere Dei dictis obtemperare, nec illa curiose scrutari, etiamsi illorum sensum ignoramus. Ideo dicit : « Tu quis » es qui respondeas Deo? » Vides-ne ut illum deprimat, ut ejus factum dejiciat? Tu quis es? An particeps es imperii? an cum Deo judex sedes? Nam cum illo comparatus nihil esse potes; non hoc, non illud, sed nihil. Multo enim abjectius est dicere : Quis es; quam dicere, Nihil es. Alioquin vero, majorem indignationem per interrogationem significat. Nec dixit : « Tu quis es, qui respondeas Deo? » sed, « qui contra respondeas, qui contradicas, qui resistas? » Nam dicere : Sic oportebat; vel, Non sic oportebat, ex adverso respondentis est. Vides-ne quomodo terruerit, quomodo percusserit; imo quomodo effecerit ut tremeret potius quam quæstiones moveret, vel curiose scrutaretur? Hoc optimi præceptoris est, discipulorum studium non ubique sequi, sed illos ad voluntatem tuam deducere, spinas evellere, et tunc semina jacere, nec statim ubique ad interrogata respondere. « Num dicet figmentum ei qui » finxit; Cur me sic fecisti? Annon habet potestatem figu- » lus luti, ut ex eadem massa faciat, aliud quidem vas in » honorem; aliud in ignominiam [1]. »

VIII. Hic non liberum arbitrium tollens hoc dicit, sed ostendens quousque Deo obtemperandum sit. Nam ad exi-

[1] Rom. IX, 21.

gendas a Deo rationes, non magis quam lutum paratum esse oportet. Non modo enim contradicere non oportet; nec quæstiones movere; sed etiam ne loquendum quidem omnino est, nec cogitandum; sed similem esse oportet luto inanimato, figuli manibus obtemperanti, et quo ille velit circumacto. Ad hoc enim solum hoc exemplo usus est; non ad instituti vitæ declarationem, sed ad subditam obsequentiam et silentium. Et hoc ubique observandum, exempla non in universum assumenda esse, sed quod usuvenit eligendum ad quam rem assumptum est, ac reliquum totum missum faciendum esse. Ut ergo cum dicit, « Recumbens » dormivit ut leo[1], » quod inexpugnabile et terribile est excerpimus, non quod ferinum, neque aliud quidpiam quod leoni competat. Ac rursus cum dicit: « Occurram illis » tanquam ursa dubitans[2], » id ad ultionem pertinet; et cum dicit: « Deus noster ignis consumens[3]; » id quod consumit a supplicio intelligendum. Sic et hoc loco lutum, figulus et vasa accipienda sunt. At cum adjicit et dicit: « Annon habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa » fingat aliud quidem vas in honorem; aliud in contume- » liam? » cave putes hæc ad opificii rationem a Paulo dici, vel ad propositi necessitatem; sed ad œconomiarum potestatem ac differentiam. Nam si non ita accipiamus, multa sequentur absurda. Si enim de proposito hic quæstio esset, et bonorum et non bonorum ipse opifex esset. Videbiturque homo extra culpam esse: ipseque Paulus videbitur secum pugnare, qui ubique propositum voluntatis coronat. Nihil ergo aliud hic agere vult, quam ut auditori persuadeat, ut omnino cedat Deo, nec ullius unquam rei rationes ab illo repetat. Ut figulus, inquit, ex eadem massa quæ vult facit, et nemo contradicit; sic cum Deus ex eodem hominum genere alios punit, alios honorat; ne curiose

[1] Num. XXIV, 9. — [2] Osee. XIII, 8. — [3] Deut. IV, 24.

inquiras, nec pervestiges; sed adorato tantum ac lutum imitare; atque ut illud figuli manus sequitur, sic et tu sententiam ejus, qui res ita dispensat. Neque enim temere vel sine causa operatur, etiamsi tu ignores sapientiæ arcanum. Tu porro figulo permittis, ut ex eadem massa diversa faciat, neque id illi vitio vertis. A Deo autem rationem repetis et suppliciorum et honorum; neque concedis ipsi ut sciat, quis dignus, quis indignus sit; sed quia eadem massa ejusdem substantiæ est, eadem voluntatis proposita vis esse : et quantæ hæc sunt insaniæ? Atqui ne in figulo quidem ex ipsa massa ignominia et honor sequuntur; sed ex eorum usu qui illa tractant; id quod hic etiam ex proposito voluntatis est. Cæterum id quod supra dixi, ad hoc unum exemplum accipiendum est, non oportere contradicere Deo, sed cedendum esse ejus incomprehensibili sapientiæ. Nam exempla majora oportet esse rebus propositis, quæ in medium adductæ sunt; ita ut auditorem magis afficiant. Nam si majora non essent nec majorem haberent hyperbolem, non ut par est contradictorem pungere et pudefacere. Intempestivam ergo illorum contentionem sic ille repressit cum hyperbole congruenti. Deinde vero solutionem adducit. Quæ illa solutio? « Si autem volens » Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, » tulit in multa longanimitate vasa iræ apparata in interitum. » Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa miseri- » cordiæ, quæ preparavit ad gloriam; quos et vocavit, nos » (scilicet) non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus[1]. » Hoc est; vas iræ erat Pharao; id est, homo qui per duritiem suam, iram Dei incendit. Longam enim ejus patientiam expertus, non melior effectus est, sed incorrigibilis mansit. Ideo non modo vas iræ ipsum vocavit, sed præparatum ad perditionem; id est, apparatum; per se nempe et

[1] Rom. IX, 22-24.

opera sua. Neque enim Deus quidpiam prætermisit eorum quæ ad ejus emendationem facerent, neque ille quidpiam prætermisit eorum quæ ipsum perderent, et omni venia privarent. Attamen hæc cum sciret Deus, cum multa patientia tulit eum, cupiens illum ad pœnitentiam deducere. Nisi enim hoc voluisset, non tam diuturna patientia usus esset. Quia vero ille noluit patientia illa ad pœnitentiam uti; sed præparavit se ad iram, usus est illo Deus ad aliorum emendationem, per illius supplicium alios studiosiores reddens, et sic potentiam suam ostendens. Quod enim nolit Deus sic potentiam suam notam facere; sed alio modo et per beneficia, et liberalitatem, id jam ille supra modis omnibus declaravit. Nam si Paulus non ita potens vult videri; « Non enim ut nos probati videamur, inquit, sed ut vos » bonum faciatis[1]; » multo magis Deus. Sed quia diuturnam patientiam habuit ut ad pœnitentiam deduceret, ille vero pœnitentiam non egit, illum multo tempore tulit, simul benignitatem suam ostendens, et una potentiam, si quidem ille vellet ex tanta patientia aliquid lucri referre; atque pariter illum incorrigibilem puniens, suam ostendit potentiam : sic illos qui multum peccaverant, et pœnitentiam egerunt miseratus, benignitatem suam monstravit.

IX. At non dixit ille, benignitatem, sed, gloriam, ostendens illud maxime gloriam Dei esse, ipsumque plus quam cætera omnia illud curare. Cum antea dicit: « Quæ præ- » paravit ad gloriam, » non totum Dei esse dicit. Nam si hoc esset, nihil impediret quominus omnes salvi essent; sed rursum ejus præscientiam ostendit, et Judæos inter et gentes differentiam tollit. Nec parvam inde dictis suis defensionem parat. Non modo enim apud Judæos alii periere, alii salvi facti sunt, sed etiam apud gentiles; ideo non dicit gentes omnes; sed, ex gentibus; ut neque Judæos omnes,

[1] 2 Cor. XIII, 7.

sed, ex Judæis. Sicut ergo Pharao ex propria iniquitate vas iræ factus est, sic et hi vasa misericordiæ ex probitate sua. Nam etsi quod plus est, Dei sit, at nos quoque parum quid intulimus. Ideo non dixit vasa recte factorum, neque, vasa fiduciæ; sed, vasa misericordiæ, ostendens totum esse Dei. Nam illud, « Non est volentis, neque currentis, » etsi admodum objectionis positum sit, attamen a Paulo dictum, nullam affert dubitationem. Cum enim dicit: « Non est » volentis, neque currentis, » non potentiam tollit; sed ostendit non totum illius esse, sed egere illum superna gratia. Oportet enim et velle et currere; confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati, quod et alibi dicebat: « Non ego autem, sed gratia Dei mecum[1]. » At bene dixit; « Quæ præparavit ad gloriam. » Quandoquidem enim hoc exprobrabant, quod gratia salvi facti essent, et pudore illos afficere putabant; ex abundantia multa hanc tollit opinionem. Nam si res Deo gloriam attulit, multo magis illis per quos Deus glorificatus est. Considera autem ejus probitatem et potentiam infinitam. Cum posset enim in sermone de iis qui puniuntur, non Pharaonem adducere, sed ex Judæis illos qui peccavissent, et sic clariorem reddere sermonem, ostendereque, quod ubi iidem patres, ubi eadem peccata, alii perierunt, alii misericordiam consecuti sunt, et persuadère illis, ut ne ultra dubitarent, etiamsi quidam ex gentibus salvi facti essent, pereuntibus Judæis; ut ne sermonem onerosum redderet, supplicii exemplum ex barbaro illo profert; ut ne cogeretur illos vasa iræ appellare: ex judaïco autem populo eos qui misericordiam consecuti sunt adducit: quanquam Deum sufficienter defendat, quod cum probe illum nosset, sciretque illum se vas iræ præparasse, tamen sua intulit, tolerantiam, diuturnam patientiam, nec modo diuturnam, sed ingentem; at-

[1] 1 Cor. xv, 10.

tamen noluit in Judæis illud tractare. Unde igitur hi vasa iræ, illi misericordiæ? ex proprio voluntatis proposito. Deus autem valde bonus cum sit, in ambobus eamdem ostendit benignitatem. Etenim non eos tantum qui salvi facti sunt miseratus est, sed etiam Pharaonem, quantum in se erat; nam eamdem diuturnam patientiam tam hi quam illi experti sunt. Quod si is non servatus sit, ex ejus voluntatis proposito totum est. Nam quantum ad Deum pertinet, nihil minus habuit, quam ii qui salvi facti sunt. Cum ergo solutionem quæstionis per res ipsas reddidisset, ut et aliunde sermonem fide dignum faciat, Prophetas adducit eadem ipsa prænuntiantes. Nam Osee, inquit, jam olim hæc scripsit dicens : « Vocabo non populum meum, populum » meum; et dilectam, eam quæ non dilecta erat[1]. » Ne dicerent : « Nos decipis dum hæc dicis, » Osee testem vocavit clamantem ac dicentem : « Vocabo non populum meum, » populum meum. » Quis enim est ille non populus? Gentes utique; et quæ illa non dilecta? gentes item. Et tamen dixit eos populum ac dilectam, et filios Dei futuros esse, « Illic » enim vocabuntur, inquit, filii Dei viventis[2]. » Quod si dixerint hoc de Judæis qui crediderunt intelligendum esse : sic etiam stabit sermo. Nam si iis qui post multa beneficia ingrati fuerunt, et abalienati sunt, et id quod populus essent amiserunt, tanta supervenit mutatio; quid impedivit quominus ii, qui non postquam proprii fuerant alienati sunt, et qui semper alieni fuerunt, vocarentur, et obedientes iisdem dignarentur bonis? Cum ergo Oseam produxisset, hoc non contentus Esaïam quoque affert his consona dicentem : « Isaïas enim clamat, inquit, super Israël; » id est, cum fiducia vociferatur, nec reprimitur. Quid igitur nos incusatis, cum illi clarius quam tuba hæc prænuntiarint? Quid ergo clamat Esaïas : « Si fuerit numerus filiorum

[1] Rom. IX, 25, et Osee. II, 23. — [2] Rom. IX, 26. — [3] Ibid. 27.

» Israël sicut arena maris, reliquiæ salvæ erunt[1]; » Vides-ne eum etiam non dicere, omnes esse salvos, sed eos qui salute digni sunt? Non enim multitudinem vereor, neque genus ita diffusum; sed illos servabo solum, qui se salute dignos præbuerint. Neque modo arenam maris memoravit, sed revocata ipsis veteri promissione, qua se indignos reddiderunt. Quid ergo turbamini, quasi promissio exciderit, cum Prophetæ omnes declarent non omnes salvos fore? Deinde salutis modum dicit. Vides-ne accurationem propheticam, et prudentiam apostolicam, quod testimonium induxerit, quam opportunum? Non enim dixit solum quosdam esse qui salvi futuri essent, neque omnes declarat, sed etiam addit quomodo salvi futuri sint. Quomodo igitur salvi erunt, et quomodo Deus illos hoc beneficio dignabitur? « Sermo» nem perficiens, inquit, et abbrevians in justitia, quia » verbum abbreviatum faciet Dominus in terra[2]. » Id est : Non circuitione opus est et labore, et afflictione illa legalium operum, sed magna cum brevitate erit salus. Talis quippe est fides, in paucis verbis habet salutem. « Si enim » confessus fueris, inquit, in ore tuo Dominum Jesum, et » credideris in corde tuo quod Deus ipsum suscitavit ex » mortuis, salvus eris[3]. »

X. Vides-ne quid sit, « Verbum abbreviatum faciet Domi» nus in terra[4]? » Et quod mirum est, hic brevis sermo, non salutem modo, sed etiam justitiam attulit : « Et sicut prædixit » Isaïas : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, » quasi Sodoma facti fuissemus, et quasi Gomorrhæ si» miles facti essemus[5]. » Rursus hic aliud quidpiam declarat, quod illi pauci non ex se salvi facti sint. Nam ii quoque periissent et eadem quæ Sodoma passi essent; id est, internecionem. Nam hi radicitus omnes perierunt, nec vel

[1] Isaï. x, 22. — [2] Rom. ix, 28. — [3] Id. x, 9. — [4] Id. ix, 28. — [5] Ibid. 29.

parum quidpiam seminis reliquerunt : hi itaque ut illi periissent, nisi multa Deus benignitate usus esset, et per fidem illos servasset. Hoc etiam in sensibili captivitate factum est : longe plures enim abducti sunt et perierunt, pauci vero servati sunt. « Quid ergo dicemus, inquit? » Quod gentes, quæ non sectatæ sunt justitiam, apprehen- » derunt justitiam, justitiam autem ex fide. Israël autem » qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non per- » venit[1]. » Manifestissima hic jam solutio : quia enim ex rebus ipsis jam ostendit ; « Non enim omnes qui ex Israël, » sunt Israël, » et ex progenitoribus Jacobi et Esaü, et ex Prophetis, validissimam inducit solutionem ex Osee et Esaïa, prius quidem difficultatem augens. Nam duo quæsita sunt, et quod gentes assecutæ sint, et non sectando assecutæ sint, id est, sine ulla cura et studio. Et rursus circa Judæos duæ sunt dubitandi rationes, et quod Israël non assecutus, et quod etiam adhibito studio non sit assecutus. Ideoque verbis cum majore emphasi usus est. Non enim dixit : « Habuit justitiam, » sed, « Accepit. » Quod enim novum inopinatumque est, qui sectabatur non apprehendit ; qui vero non sectabatur, apprehendit. Et videtur quidem illis gratificari cum dicit, qui sectabatur : postea vero letalem ipsis plagam infert. Quia enim validam habet afferendam solutionem, nihil timet dum graviorem facit objectionem. Ideo neque de fide disserit, et de justitia inde parta ; sed ostendit illos ante fidem in propriis superatos et damnatos fuisse. Tu enim, Judæe, inquit, neque justitiam ex lege reperisti ; illam enim transgressus es, et obnoxius factus es maledictioni. Hi vero, qui non per legem venerunt, sed per aliam viam, majorem hac invenere justitiam, quæ ex fide est ; quod etiam supra dixit : « Si enim Abraham ex » operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non apud

[1] Rom. IX, 30, 31.

» Deum[1]. » Ostendens hanc justitiam illa majorem esse. Prius ergo dicebant duas esse quæstiones, nunc vero tres quæstiones factæ sunt : Quod gentes justitiam invenere, et non persequentes invenerunt, et majorem quam justitiam legis. Eadem ipsa de Judæis in disceptationem veniunt e contrario, quod Israël non invenerit, quod studio adhibito non invenerit, et quod minorem non invenerit. Cum igitur auditorem in dubitationem conjecisset, inducit demum brevem solutionem, et prædictorum omnium causam dicit. Quænam igitur est causa? quia non ex fide ; sed ut ex operibus legis. Hæc est clarissima loci totius solutio, quam si statim ab exordio dixisset, ea non ita accepta fuisset. Ubi autem post dubitationes multas et probationes ac demonstrationes, illam posuit et correctionibus multis usus est, intellectu faciliorem illam demum et magis acceptam obtulit. Hæc enim causa fuit, inquit, pernicici ipsius. « Quoniam non ex fide, sed » quasi ex operibus legis voluerunt justificari[2]. » Nec dixit : « Ex operibus, » sed, « Quasi ex operibus legis, » ostendens illos neque hanc habuisse justitiam. « Impegerunt enim in » lapidem offensionis, sicut Scriptum est : Ecce pono in » Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis » qui credit in illum, non confundetur[3]. » Vides-ne rursus quomodo a fide sit fiducia et universale donum? Non enim de Judæis solum dictum est, sed de toto hominum genere. Omnis, enim, inquit, etsi Judæus, etsi Scytha, etsi Thrax, etsi quivis alius crediderit, magna fruetur fiducia. Quod autem in Propheta mirum est, quod non solum dixerit credituros esse, sed etiam non credituros. Nam impingere est non credere. Ut ergo supra et eos qui pereunt, et eos qui salvi fiunt significavit dicens : « Si fuerit numerus » filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ salvæ erunt ; » et, « Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi

[1] Rom. IV, 2. — [2] Id. IX, 32. — [3] Ibid. 33.

» Sodoma fuissemus; » et, « Vocavit non solum ex Judæis, sed » etiam ex gentibus; » sic et hoc loco dicit, quod alii credent, alii impingent. Impingere autem ex eo provenit, quod non attendatur, et quod ad alia inhietur. Quia igitur hi legi attendebant, impegerunt in lapidem. Lapidem autem offensionis et petram scandali dicit, a proposito animi et ab exitu eorum qui non crediderunt. Num manifesta sunt ea quæ dicta fuere, an multa adhuc egent explicatione? Ego certe puto iis qui attenderunt captu facilia esse. Si qui vero hæc non capiant, licet illis privatim accedentibus percontari et discere. Ideo enim longiorem adhibui explanationem, ut ne intercepta concionis serie, cogerer claritatem dictorum labefactare et obscurare. Ideo hic concionem claudam, de informandis moribus, contra quam solebam, nihil disserens, ut ne tot dictarum rerum memoriam obscuriorem reddam. Tempus itaque est concioni convenientem finem imponere, gloriamque referre universorum Deo. In communi igitur finem facientes, nos dicendi, vos audiendi, ipsi referamus gloriam; quia ipsius est regnum et potentia et gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XVII.

CAPUT X.

Fratres voluntas quidem cordis mei, et obsecratio mea ad Deum, pro ipsis est ad salutem [1].

I. Illos iterum vehementius reprehensurus est, quam prius [2]: quare rursum omnem inimicitiæ suspicionem tollit, multaque utitur prævia correctione. Non attendatis ser-

[1] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 132-134, et tom. XVIII, p. 30-33.

monibus, inquit, neque reprehensionibus, hæc enim non inimico ex animo protuli. Neque enim ejusdem est hominis salutem eorum exoptare, et non modo exoptare, sed etiam precari, et tamen illos odisse et aversari. Nam hic voluntatem vehemens desiderium vocat. Et vide etiam quomodo obsecrationem ex mente faciat : non ut illos solum a supplicio liberet; sed et ut illos salvos faciat, magnam adhibet curam et precationem. Neque ex his solum, sed etiam ex sequentibus benevolentiam ostendit, quam erga illos habet. Ab iis enim, quæ excusari poterant, quantum potest, vim faciens et contendens vel umbram quærit ad illos defendendos invenire, et non potest, ab ipsa operum natura victus. « Testificor enim illis, inquit, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam [1]. » Hæc itaque venia, non accusatione digna sunt. Si enim non propter hominem avulsi sunt, sed propter zelum, misericordia magis, quam supplicio digni sunt. Sed vide quam sapienter, verbo quidem illis gratificatur, et intempestivam illorum contentionem demonstrat. « Ignorantes enim, inquit, Dei justitiam [2]. » Rursus hoc verbum veniam indicat : at quod sequitur vehementem accusationem exprimit, quæ omnem tollat defensionem; nam ait : « Et propriam justitiam statuere quærentes, justitiæ Dei non subditi fuerunt [3]. » Hæc vero dicit ostendens illos ex contentione et principatus amore magis, quam ex ignorantia errasse, et neque illam ipsam ex legalibus justitiam statuisse. Cum enim ait : « Quærentes statuere, » hoc significat. Et illud clare quidem non posuit. Non enim dixit illos ex utraque justitia excidisse ; illud tamen admodum scite subindicavit, et cum sapientia sibi competenti. Nam si illam adhuc quærunt statuere, palam est eos non statuisse : si huic non subditi fuerunt, ab illa exciderunt. Propriam vero justi-

[1] Rom. x, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid.

tiam illam vocat; vel quod non ultra lex vim haberet, vel quod laborum esset ac sudorum. Hanc porro Dei justitiam vocat, quæ ex fide est, eo quod tota sit ex superna gratia, et quod non laboribus, sed Dei dono justificemur. Sed qui semper Spiritui sancto resistunt dum contenderent se per legem justificari, non accesserunt ad fidem. Non accedentes autem ad fidem, nec accipientes justitiam, quæ ex illa est, cum non possent a lege justificari, undique exciderunt. « Finis enim legis Christus ad » justitiam omni credenti [1]. » Vide Pauli prudentiam. Quia enim dixerat justitiam et justitiam, ne putarent ex Judæis illi qui credebant, unam se habere, ab altera vero privari, et iniquitatis damnari; nam et hos non minus timere oportebat, quia nuper ad fidem accesserant; neve rursum Judæi expectarent se illam impleturos esse, neu dicerent: «Etiamsi nondum illam impleverimus, omnino implebimus; » vide quid agat. Ostendit unam esse justitiam, illamque in hanc reduci: et quod qui hanc per fidem implevit, illam quoque implevit: qui vero hanc reprobaverit, et ab illa et ab hac dicit excidisse. Si enim finis legis Christus, qui Christum non habet, etiamsi illam videatur habere, non tamen habet. Qui vero Christum habet, etiamsi legem non impleverit, totum recepit. Nam medicinæ finis est sanitas. Ut igitur is qui potest sanum facere, etiamsi medicinæ artem non habeat, totum habet; qui vero curare nescit, etiamsi artem exercere videatur, a toto excidit; sic in lege et fide. Qui hanc habet, et illius finem habet; qui vero extra illam est, ab utraque est alienus. Quid enim vult lex? Justum facere hominem, sed non potuit: nemo illam implevit. Hic igitur finis legis erat, et huc omnia respiciebant, propter hoc omnia fiebant, festa, præcepta, sacrificia, et reliqua omnia, ut justificaretur homo. Sed tunc finem melius per fidem asse-

[1] Rom. x, 4.

cuius est Christus. Ne ergo timeas, inquit, quasi legem transgrediens, postquam ad fidem accessisti. Tunc enim illam transgrederis, cum propter ipsam Christo non credis: contra si Christo credideris, legem implevisti, multo magis quam illa jussit; multo majorem enim justitiam accepisti. Deinde quia hæc sententia erant, a Scripturis rursus illa confirmat. « Moyses, inquit, justitiam, quæ ex lege est, » scribit [1]. » Id est, Moyses ostendit nobis eam, quæ ex lege est, justitiam, qualis nempe illa sit et unde constet. Qualis igitur illa est, et unde constituitur? Si mandata impleantur. « Qui fecerit ea, inquit, vivet in illis [2]. » Non aliter potest quis justificari in lege, quam si omnia impleverit: illud autem nemo potuit.

II. Itaque justitia hæc decidit. Sed aliam nobis, Paule, dic justitiam, quæ ex gratia esto. Quænam est et unde constat? Audi illum clare ipsam describentem. Postquam enim illam arguit, ad hanc demum transit et ait: « Justitia » autem, quæ est ex fide sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: » quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere; aut » Quis descendet in abyssum? Id est Christum ex mortuis » reducere. Sed quid dicit? Prope te verbum est, in ore » tuo et in corde tuo: hoc est, verbum fidei, quod prædi- » camus. Quod si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, » et credas in corde tuo, quod Deus illum suscitavit ex » mortuis, salvus eris [3]. » Ne dicerent enim Judæi: « Quomodo majorem justitiam invenerunt ii, qui minorem non invenerunt? » rationem adducit, cui contradici nequeat, leviorem nempe hanc esse viam quam illam. Illa namque omnium adimpletionem requirit; cum enim omnia feceris, tunc vives; justitia vero, quæ ex fide est, non hoc dicit; sed quid? « Si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum, » et credas in corde quod Deus illum suscitavit ex mortuis,

[1] Rom. x, 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 6-9.

» salvus eris. » Deinde ne videatur illam despicabilem reddere, quod tam facilem declaret, vide quomodo sermonem de illa loquens extendat. Non enim statim ad hoc venit, quod diximus : sed quid dicit ? Illa autem quæ ex fide est justitia sic dicit : « Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in » cœlum ? id est Christum deducere? vel quis descendet in » abyssum? id est Christum ex mortuis reducere. » Ut enim virtuti, quæ ex operibus est, opponitur segnities, et solutio animi ex laboribus parta, quia vigili anima opus est ut non cedat ; sic cum credere oportet, cogitationes adsunt, quæ multorum mentem turbant et labefactant, et vividiore anima opus est ad illas depellendas. Ideo illos ipsos in medium adducit. Ac quod in Abrahamo fecit, hoc et hic facit. Nam illic cum ostendisset ipsum ex fide justificatum esse, ut ne videretur frustra tantam accepisse coronam, quasi res nihili esset, fidei naturam extollens ait : « Qui » præter spem in spem credidit ut esset ipse pater multa» rum gentium, et non infirmatus in fide ; non cogitavit » corpus quidem suum mortuum, et mortuam vulvam Saræ. » Verum ad promissionem Dei non hæsitabat propter in» credulitatem ; sed roborabatur in fide dans gloriam Deo, » et certo persuasus, quod id quod promissum fuerat, po» terat ipse præstare[1]. » Et ostendit quod opus sit potentia et excelso animo, quæ præter spem sunt accipiente, atque in visibilibus non offendente. Hoc igitur et hic facit, et ostendit philosopha mente opus esse, animoque magno et ad cœlum attingente. Nec simpliciter dixit : « Ne dixeris ; » sed, « Ne dixeris in corde tuo, id est, dubitare ne cogitaveris quidem, nec intra te dica : Et quî potest hoc fieri ? » Vides-ne hoc maxime esse fidei proprium, ut infima relicta quavis consequentia, quod supra naturam est perquiratur, et rejecta ratiociniorum infirmitate, a Dei potentia omnia

[1] Rom. IV, 18-21.

admittamus ? Atqui non hæc solum dicebant Judæi, sed quod impossibile sit et fide justificari. Paulus vero illud ad aliud factum dicit, ut cum ostenderit ita magnum esse, ut etiam cum factum fuerit fide opus habeat, juste videatur illis coronam nectere. Utitur autem verbis ex Veteri Testamento desumptis, curans semper ut de novitate, et de pugna contra legem accusari non possit. Quod enim hic de fide dicit, de præcepto dicit illis Moyses; ostendens ipsos multa a Deo accepisse beneficia. Non est enim quod dicas, inquit, quod ad cœlum sit ascendendum, et magnum pelagus trajiciendum, ut tunc mandata accipiantur. Verum illa quæ ita magna graviaque sunt, facilia nobis Deus reddidit. Quid vero sibi vult illud : « Prope te verbum est? » Nempe facile est. Nam in mente et in lingua tua sita est salus. Non opus est ut longum iter suscipiatur, vel ut pelagus trajiciatur, vel montes superentur ad salutem obtinendam. Sed etsi limen transgredi nolis, licet tibi etiam domi sedenti salutem nancisci. In ore quippe et in corde tuo salutis causa est. Deinde aliunde facilem fidei sermonem efficiens ait quod Deus illum suscitaverit ex mortuis. Cogita enim excitantis dignitatem, et nullam videbis hac in re difficultatem. Itaque quod Christus sit Dominus, ex resurrectione palam est, id quod initio Epistolæ dixit : « Qui prædefinitus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum [1]. » Quod autem ipsa resurrectio facilis sit, ex ipsius suscitantis fortitudine ostensum est iis etiam, qui admodum increduli sunt. Cum ergo major justitia sit et levis et susceptu facilis, et aliunde justificari nemo possit, annon extremæ contentionis esset, iis relictis quæ facilia sunt, impossibilia aggredi ? Neque enim dicere possint se rem, utpote onerosam, missam fecisse.

III. Vides-ne quomodo illos ab omni venia privet? qua

[1] Rom. I, 4.

enim defensione digni fuerint, si quod onerosius et quod nihil perficiat eligant, illo prætermisso quod leve est, et illis salutem dare possit, eaque præstare quæ lex non potuit? Hæc quippe nihil aliud sunt quam contentiosæ, ac cum Deo seditiose agentis voluntatis opus. Nam lex quidem onerosa, gratia vero facilis est. Lex, etsi millies contendant, salvum facere nequit : gratia et suam et eam quæ legis est justitiam præbet. Quis ergo sermo illos eximet, qui contra gratiam contenitosi sunt, legi vero frustra et incassum adhærent? Deinde quia magnum quidpiam dixerat, a Scriptura illud confirmat. « Dicit enim Scriptura, » inquit, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non » enim est distinctio Judæi atque Græci. Nam idem Domi- » nus omnium, dives in omnia et in omnes invocantes se. » Quisquis enim invocaverit nomen Domini, salvus erit[1]. » Vides-ne quomodo et fidei et confessionis testimonia adducat? Cum enim dicit : « Omnis qui credit in illum, » fidem declarat; cum autem dicit : « Quisquis invocaverit, » confessionem exprimit. Deinde quod commune est in gratia prædicans, illorumque fastum deprimens, quæ antea multis declaraverat, hæc jam paucis commemorat; rursus ostendens nihil discriminis esse Judæum inter et præputiatum. « Non enim est distinctio, inquit, Judæi atque Græci. » Et quod de Patre dixerat in hujus rei probatione, idipsum hic de Christo dicit. Ut enim prius hoc probans dicebat : « An » Judæorum tantum Deus, et non gentium? imo et gen- » tium; quoniam unus est Deus[2]; » sic et hoc loco dicit : « Nam idem Dominus omnium, dives in omnia, et in om- » nes, qui invocant ipsum. » Vides-ne quomodo ostendat ipsum admodum cupidum salutis nostræ? siquidem illam putat divitias esse suas. Ita ut illi jam non desperent, neque putent, siquidem pœnitentiam agere velint, se a venia

[1] Rom. x, 11-13. — [2] Id. III, 29.

exclusos esse. Nam is, qui existimat divitias suas esse, si nos salvos faciat, dives esse non cessabit. Siquidem hæ divitiæ sunt, si in omnes donum effundatur. Quia hoc maxime illos turbabat, quod cum præeminentiam haberent in orbe toto, nunc ex fide a throno suo dejiciebantur, et nihil plus habebant quam cæteri. Frequenter autem Prophetas adducit, qui illam honoris paritatem decantant. « Omnis enim, inquit, qui credit in illum, non confunde» tur; » et, « Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus » erit. » Et ubique illud, « Omnis, » ponitur, ut ne contradicant. Verum nihil vana gloria deterius; hæc enim, hæc maxime omnium, illos perdidit. Quamobrem Christus illis dicebat : « Quomodo potestis credere, gloriam a vobis » invicem accipientes, et gloriam, quæ a solo Deo est, non » quærentes[1] ? » Hæc inanis gloria cum pernicie multam irrisionem inducit : ante supplicium illic futurum, mille hic involvit malis. Et, si placet, ut hoc discas, cœlos interim mittentes, a quibus nos ejicit, et gehennam, in quam injicit, rem omnem, ut hic geritur, examinemus. Quid igitur illa sumptuosius, quid turpius et difficilius fuerit? Quod sumptuosus sit morbus ille, palam est ex illis qui in theatris, in circo, inque aliis similibus intempestivis largitionibus pecunias impendunt : ex iis qui domos splendidas et magnificas struunt, aliaque omnia quæ largiter et inutiliter apparant, quæ non jam sermone percensere animus est. Quod autem necesse sit ut is qui tam sumptuosus et magnificus est et hoc morbo laborat, rapax etiam sit et avarus, nemini non notum est. Ut enim possit feræ escam præbere, in aliorum facultates manus injicit. Et quid dico, facultates? Non enim pecunias solum; sed etiam animas hic ignis devorat; nec præsentem tantum, sed etiam futuram mortem operatur. Mater enim gehennæ est

[1] Joan. v, 44.

inanis gloria : ignemque illum vehementer accendit ac vermem venenatum. Videre est etiam illam in mortuos imperium obtinentem; quod quid pejus fuerit? Nam alii omnes animi affectus morte dissolvuntur; hic autem etiam post mortem vim infert, ac contendit suam ostendere naturam in mortuo corpore. Cum enim splendida sepulcra, quæ omnem ejus substantiam absumant, morientes sibi erigi curent, et in sepultura luxum multum apponi studeant; etiamsi viventes pro obolo et pane uno accedentes pauperes contumelia affecerint, et morientes lautam vermi apponant mensam, quem alium excessum quæras in hujus morbi tyrannide? Ab hoc etiam malo absurdi nascuntur amores. Multi enim non vultus forma, nec concubitus cupiditas, sed quod velint sese jactare dicereque, hanc et illam et decepi, in fornicationem delapsi sunt.

IV. Ecquid opus est alia recensere, quæ inde pullulant mala? Mallem mille barbarorum servus fuisse, quam vanæ semel gloriæ. Nihil enim barbari servis imperant, simile iis quæ vana gloria subditis præcipit. Omnium esto servus, inquit illa, etiamsi te splendidiores, etiamsi te viliores sint, despice animam, neglige virtutem, deride libertatem, salutem tuam immolato; si quid boni facias, non ad Deo placendum hoc facias, sed ut te multis ostentes, et perdas coronam iis debitam. Si eleemosynam feceris, si jejunaveris, laborem quidem sustine, sed lucrum perdere curato. Quid his præceptis crudelius fuerit? Hinc invidia ortum habet, hinc arrogantia, hinc mater omnium malorum avaritia. Turba quidem famulorum, aurigeri barbari, parasiti, adulatores, currus argento conspicui, et alia his ridiculiora, non ad voluptatem, non ad usum sunt, sed ad vanam gloriam tantum. Etiam, inquies. Sed quia hunc morbum malum esse omnibus liquet, quomodo illum effugiemus? Hoc dicendum est. Sane quidem. Si tibi ipsi probe suadeas

gravem hunc morbum esse, optimum hinc accipies emendationis initium. Nam æger cito medicum requiret, si illud ante omnia discat, quod ægrotet. Quod si aliam evadendi viam requiras, ad Deum assidue respice, illius tibi gloria satis sit. Si videas hunc morbum te allicere, et excitare ut conservis tuis præclara gesta tua enarres; tecum reputans, quod si hæc dixeris, nihil tibi lucri accessurum sit, extingue cupiditatem; dic animæ tuæ: « Ecce a tanto tempore hoc parturis ut recte facta tua evulges, nec valuisti silentio tegere, sed omnibus enuntiasti. » Quid ergo tibi amplius inde evenit? Nihil certe amplius, sed extrema jactura, et quod omnia quæ cum tanto labore collegeras evacues. Post hæc illud etiam cogita, multorum calculum et judicium corruptum esse, nec modo corruptum esse, sed cito marcescere. Etiamsi enim ad horam mirentur et laudent, elapso quodam tempore omnium obliviscuntur, et tibi a Deo paratam coronam abripiunt, et ab se paratam non potuere servare tibi. Quanquam si hæc mansisset, miserum valde erat illam cum hac commutavisse. Cum autem hæc effluxerit, quam habebimus defensionem, qui manentem pro non manente prodiderimus? qui pro paucorum laude tot boni amiserimus? Quanquam etsi multi laudatores essent, hi certe miseri existimandi sunt, et tunc magis, cum plures laudatores fuerint. Quod si dictum illud miraris, audi Christum hunc calculum ferentem. Nam ait: « Væ vobis, quando bene vobis dixerint omnes homines[1]. » Et jure quidem. Si enim singularum artium opifices judices quærere oporteat, quomodo virtutis probationem vulgo committis; non vero illi præ omnibus, qui hac in re omnium peritissimus est, et qui tibi plausum et coronam dare potest? Hoc itaque verbum inscribamus in parietibus, in januis, in mente, et frequenter nobis repetamus: « Væ

[1] Luc. VI, 26.

» nobis cum bene dixerint denobis omnes homines. » Nam ii ipsi qui dicunt, demum te incusant ut vanæ gloriæ cupidum, et laudum humanarum amantem. At Deus non sic habet : sed cum te viderit ipsius gloriæ amantem, tunc te maxime laudabit, mirabitur, prædicabit. Homo autem non sic, sed te liberum in servum accipiens, et per verbum unum laude te falsa excipiens, veram abs te mercedem aufert, et te sibi plus quam emptitium subjicit. Emptitios enim post mandata dicto audientes habent heri; tu vero etiam sine mandatis famularis. Neque enim expectas jussionem; sed si solum noveris quo pacto illis gratificari possis, illis nihil imperantibus omnia facis. Quanta ergo gehenna non digni fuerimus, qui improbos delectamus, iisque antequam imperent servimus; Deo autem quotidie jubente et hortante, non sic audimus? Atqui si ita laudes amas et gloriam, fuge illam quæ ab hominibus est, et tunc gloriam assequeris. Averte te a laudibus, et tunc mille frueris laudibus tum a Deo, tum ab hominibus? Neminem enim ita laudare solemus, ut eum qui gloriam despicit; nec celebrare et mirari, ut eum qui laudum contemptor est. Si vero nos, multo magis universorum Deus. Cum autem ille te glorificaverit et laudaverit, quis te beatior fuerit? Etenim quantum est gloriam inter et ignominiam discrimen, tanta est inter supernam gloriam et humanam differentia. Imo multo et infinito plus excellit. Nam si illa nulli collata turpis est et fœda; quando cum alia illam conferemus, cogita quanta futura sit fœditas. Ut enim meretrix mulier in prostibulo stans, omnibus sui copiam facit; sic vanæ gloriæ servi; imo turpiores illa sunt. Illæ namque sæpe quosdam amasios spernunt, tu vero omnibus prostas fugitivis, furis, marsupiorum sectoribus. Illorum enim atque similium turba theatra vos laudantia constant, et quos singulos nihil esse putas, collectos vel

tuæ saluti anteponis, et te his omnibus ignobiliorem declaras.

V. Quomodo enim non ignobilior is qui laude illorum eget, nec putat sibi ipsi sufficere, nisi ab aliis gloriam accipiat? Non cogitas, quæso te, præter ea quæ dicta sunt, te si conspicuus sis et omnibus notus, si peccaveris, mille habiturum accusatores; si ignotus vero sis, saltem in tuto hac ex parte collocari? Etiam, inquies: sed dum præclare gero, mille laudatores habeo. Hoc autem grave malum est, quod non solum si peccaveris, sed etiam si præclara feceris, vanæ gloriæ morbus te lædat; illic te mille probris supplantans; hic vero omnem tibi mercedem evacuans. Grave utique est, et ignominia omni plenum, in politicis rebus gloriam amare. Cum autem in spiritualibus hoc ipsum passus fueris; quæ tibi deinde venia superest, cum non tantum Deo honorem præbere velis, quantum tu a domesticis accipis? Nam servus ad domini oculos respicit, et mercenarius ad operis dominum, qui mercedes redditurus est, et discipulus ad magistrum. Tu vero contrarium omnino facis: relicto Deo et Domino qui te mercede conduxit, ad conservos respicis, cum tamen scias Deum quidem recte factorum etiam in futurum memorem esse; hominem vero in præsenti tantum; atque in cœlo habens theatrum constitutum, terrenos spectatores congregas. Et athleta quidem ubi certat, illic vult celebrari; tu vero cum in supernis decertes, in inferioribus vis coronari. Ecquid hac amentia deterius fuerit? Coronas autem, si placet, consideremus: alia quidem ex arrogantia constat; alia ex invidia adversus alterum concepta; alia ex ironia et adulatione, alia ex pecuniis, alia ex servili animo: atque ut pueri ludentes coronas ex fœno sibi mutuo imponunt: et coronatum ejus rei ignarum a tergo irrident; ita et nunc ii qui te laudibus celebrant, fœno tibi imposito, inter se

irrident coronatum; et utinam fœnum tantum imponerent! nunc autem multo etiam damno plena est hæc corona, et recte facta omnia nostra perdit. Considerata igitur ejus vilitate, damnum illud fugito. Quot enim vis laudatores habere? an centum, an bis plures, an ter aut quater; imo si velis, decies et undecies, aut vigesies, sint que bis aut quater mille; imo, si placet, decies mille tibi plaudant. At illi nihil a gracculis superne clamitantibus differunt. Imovero si cogitaveris Angelorum theatrum, hi vermibus viliores videbuntur, illorumque præconium araneis, fumo et somniis infirmius. Audi igitur quomodo Paulus, qui hæc accuratius perpenderat, non solum non illa quærat, sed etiam depellat dicens: « Mihi autem absit gloriari, nisi » in cruce Christi[1]. » Hanc et tu quoque gloriationem æmulare, ne Dominum irrites. Nam dum hæc facis, Deum contumelia afficis, non te tantum. Neque enim si pictor esses et discipulum quemdam haberes, qui ea quæ artis sunt tibi ostendere contemnens, tabellam foris observantibus exhiberet, id patienter ferres. Quod si in conservis hoc contumelia est, multo magis apud Dominum. Quod si aliunde discere velis quomodo rem contemnas, mente sublimis esto, visibilia irride, veræ gloriæ amorem auge, spirituali sensu plenus esto, dic animæ tuæ ut Paulus, « Nescis quia Angelos judicabimus[2]? » Illamque sic erectam corripe, et dicito: « Quæ Angelos judicatura es, ab immundis vis judicari, et cum saltatoribus, mimis, bestiariis, aurigis laudari? Has enim hi laudes sectantur; tu vero hujusmodi clamore sublimiorem tibi alam parato, et æmulare deserti incolam Joannem, ac disce quantum ille turbam contemneret; adulatoresque videns, non vertebatur; sed cernens omnes qui Palæstinam incolebant circum se effusos et mirantes ac perculsos, tali honore non

[1] Galat. VI, 14. — [2] 1 Cor. VI, 3.

inflabatur; sed etiam in illos insurgebat, et quasi cum adolescentulo quopiam loquens, tantum populum sic increpabat : « Serpentes, genimina viperarum[1]. » Quanquam propter illum concurrebant, et urbes dimiserant, ut sacrum illud caput viderent : attamen nihil hujusmodi ipsum emollivit : procul enim erat a gloria et ab omni fastu liber. Sic et Stephanus videns eumdem populum, non se honorantem, sed furentem et dentibus stridentem, sublimior ira illorum effectus dicebat : « Dura cervice et incir» cumcisis cordibus[2]. » Sic et Elias præsentibus exercitibus et rege et populo tuo, dicebat : « Usquequo utroque po» plite claudicabitis[3] ? » At nos omnibus adulamur, iisque servili animo famulamur, sic illorum ementes honorem. Ideo omnia susdeque versa sunt, et ab hac gratia excidimus, res christianismi proditæ fuerunt, et omnia ob vulgi gloriam negliguntur. Eliminemus ergo hoc vitium : et tunc vere sciemus libertatem, portum et tranquillitatem. Nam gloriæ cupidus iis qui tempestate jactantur semper similis est, tremens, formidans, mille heris serviens. Qui vero extra hanc tyrannidem est, similis est iis qui in portu sedent, et pura libertate fruuntur. Ille vero secus, sed quotquot habet sibi notos, tot habet dominos, omnibusque servire cogitur. Quomodo ergo liberabimur ab hac gravi servitute? Si aliam amemus gloriam; eam nempe quæ vere gloria est. Quemadmodum enim eos, qui corpora amant, formosior conspectus vultus a priore abstrahit; sic et gloriæ hujus cupidos, resplendens gloria cœlestis ab hac poterit abstrahere. Illam itaque respiciamus, et accurate ediscamus, ut pulchritudinem ejus admirantes; hujus turpitudinem fugiamus, et multa fruamur voluptate, in illaque perpetuo delectemur. Quam nos omnes assequi contingat gratia, et misericordia Domini nostri Jesu

[1] Matth. III, 7. — [2] Act. VII, 5. — [3] 3 Reg. XVIII, 21.

Christi, cum quo Patri, unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

CAPUT X.

Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo credent in eum de quo non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est [1].

I. Rursus a venia illos excludit [2]. Quia enim dixerat: « Testificor illis quod zelum Dei habeant, sed non secun» dum scientiam; » et, « Ignorantes Dei justitiam, non » subjecti fuerunt; » ostendit deinde quod talis ignorantiæ pœnas Deo debeant. Non sic tamen loquitur, sed probat illud per interrogationem, et clarius reddens argumentum per objectionem et solutionem, totum texit hunc locum. Perpende autem. Supra, inquit, « Dixit Propheta: Quis» quis invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Verum forte quis dixerit: « Quomodo poterunt eum invocare, in » quem non crediderunt? » Deinde post objectionem interrogatio sequetur: « Cur non crediderunt? » Rursusque objectio, potest enim quis dicere: « Quomodo poterant » credere, cum non audissent? » Atqui audierunt, inquit. Deinde alia iterum objectio; « Quomodo audire poterant » sine prædicante? » statimque postea solutio: Atqui multi prædicaverunt et ad hoc missi sunt. Et unde liquet illos

[1] Rom. x, 14, 15. — [2] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 134-137.

ipsos esse qui missi sunt? Tunc demum inducit Prophetam dicentem : « Quam speciosi pedes evangelizantium »pacem, evangelizantium bona [1] ! » Vides-ne quomodo a prædicationis modo præcones declaret? Nihil enim aliud illi circumeuntes dicebant, nisi illa bona ineffabilia, et pacem illam inter Deum et homines factam. Itaque dum non creditis, non nobis increduli estis, sed Esaïæ, qui ante multos annos dixit, quod mittendi essemus, quod prædicaturi et dicturi ea quæ diximus. Si itaque salus sit ex invocatione, invocatio ex fide, fides ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione, illi vero missi sunt et prædicaverunt, et cum illis Propheta circuibat illos ostendens, et prædicans dicensque : « Hi sunt, quos a multis retro temporibus manifestabam, quorum etiam pedes celebrabam ob prædicationis modum; » palam est igitur, quod non crediderint illorum culpa factum esse : nam a Deo omnia impleta sunt; « Sed non omnes obedie»runt Evangelio. Esaïas enim dicit : Domine, quis credidit »auditui nostro? Ergo fides ex auditu : auditus autem per »verbum Dei [2]. » Quia rursus aliam objectionem inducebant dicentes : « Atqui si hi sunt qui missi, atque a Deo missi sunt, oportebat omnes obedire. » Vide Pauli prudentiam, quomodo nempe illud ipsum, quod turbas excitabat, omnes turbas et tumultus tollere ostendat. Quid enim te offendit, inquit, o Judæe, post tale tantumque testimonium et rerum demonstrationem, quod omnes non obedierint Evangelio? Hoc certe cum aliis conjunctum, dictorum fidem tibi facere potest, quod non omnes obediant. Nam hoc jam olim prædixit Propheta. Et perpende ineffabilem sapientiam, quomodo plus ostendat quam ipsi expectabant aut se confutaturos sperabant. Quid enim dicitis, inquit? quod non omnes obedierint Evangelio?

[1] Rom. x, 15. — [2] Ibid. 16, 17.

sed et hoc olim prædixit Esaïas ; imo non hoc tantum, sed longe amplius. Vos enim accusatis, cur non omnes audierint ; Esaïas vero plus quam hoc dicit. Quid enim ait ? « Domine, quis credidit auditui nostro ? » Deinde postquam hunc sustulit tumultum, Propheta interposito, rursus priorem exequitur seriem : postquam enim dixerat invocandum esse, et eos, qui invocaturi erant, credere oportuisse, et qui crediturі erant audire debuisse, audituros prædicatoribus opus habuisse, prædicatores autem mitti oportuisse, et ostenderat missos illos fuisse et prædicavisse, aliam inducturus objectionem, occasione primo sumpta ex alio Prophetæ testimonio, quo paulo prius allatam objectionem solvit, ita illam nectit et jungit præcedentibus. Quia enim Prophetam induxerat dicentem : « Domine quis credidit auditui nostro ? » opportune testimonio accepto dicit : « Ergo fides ex auditu. » Hoc autem non simpliciter posuit ; sed quoniam singulis temporibus signa quærebant Judæi, ipsamque resurrectionem videre cupiebant, et multi ad hæc inhiabant, ait ille : « Atqui Propheta prænuntiavit oportere nos ex auditu credere. » Idcirco prius arguit ille dicens : « Ergo fides ex auditu. » Deinde quia hoc demissius videbatur esse, vide quomodo illud sublimius efficiat. Non simpliciter audiendum esse dixi, inquit, nec quod humana verba audire oporteat et credere ; sed de auditu magno loquor : est enim auditus per verbum Dei. Neque enim quæ sua erant, sed quæ a Deo didicerant audiebant : quod sublimius est, quam ipsa signa. Deo enim sive dicenti, sive mirabilia patranti perinde credere et obsequi oportet. Etenim opera et miracula ex verbis illius sunt. Siquidem et cœlum et cætera omnia sic constituta sunt.

II. Cum igitur ostendisset credendum esse Prophetis, qui semper ea quæ Dei sunt loquuntur, nihilque præter

Dei auditum, quærendum esse, inducit demum illam quam dixi objectionem, et ait : « Sed dico, numquid non » audierunt [1] ? » Quid enim, inquit, si missi sunt qui prædicarent, et si ea quæ jussi sunt prædicarunt, hi veronon audierunt? Deinde cum hyperbole omni objectionis solutio affertur : « Et quidem in omnem terram exivit sonus » eorum, et in fines orbis terræ verba eorum [2]. » Quid dicis, inquit, non audierunt? Orbis et fines terræ audierunt ; et vos etiam, quibuscum prædicatores tanto tempore versati sunt et vestrates, annon audistis? Ecqua ratione illud stare possit? Si enim termini terræ audierunt, multo magis vos. Deinde alia sequitur objectio. « Sed dico; » Numquid Israël non cognovit [3] ? » Quid enim si audiere quidem, nec dicta intellexere, neque novere quod illi missi essent? Annon ob talem ignorantiam venia digni sunt? Minime. Nam Esaïas illos depinxit dicens : « Quam » speciosi pedes evangelizantium pacem ! » et ante hunc ipse etiam legislator : quapropter addit : « Primus Moyses » ait : Ego provocabo vos in eo qui non est populus ; in » gente stulta irritabo vos [4]. » Itaque hinc oportebat prædicatores illos cognoscere ; non solum ex eo quod illi non crediderint, nec ex eo quod pacem illi annuntiarint, nec ex eo quod bona illa evangelizaverint, nec quod verbum per orbem terrarum disseminatum sit, sed ex eo quod eos qui se inferiores, nempe qui ex gentibus erant, in majori honore viderent. Quæ enim nunquam vel ipsi, vel majores sui audierant, hæc repente philosophabantur ipsi ; quod cum auctioris esset honoris, illos mordebat, ad æmulationem ducebat, et in mentem revocabat istam Moysis prophetiam, « Provocabo vos in eo qui non est » populus. » Non modo enim honoris magnitudo illos ad æmulationem conjicere poterat ; sed quod gens illa quæ

[1] Rom. x, 18. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20.

his fruebatur, adeo vilis esset; ita ut ne quidem pro gente aliqua reputaretur. « Ego enim, inquit, provocabo vos in » eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo vos. » Quid enim Græcis stultius erat, quid vilius? Vide quomodo in omnibus indicia et signa clara horumce temporum dederit illis Deus, ita ut illorum cæcitatem illuminaret. Non enim in angulo parvo hoc factum est; sed in terra, in mari et ubique terrarum. Videbantque eos, qui sibi ante despectui erant, innumeris fruentes bonis. Cogitandum ergo erat hanc ipsam esse gentem, de qua dixerat Moyses, « Provocabo vos in eo qui non est populus, in gente » stulta irritabo vos. » An Moyses solus hoc dixit? Nequaquam; sed etiam Esaïas post illum. Quare Paulus dixit: Primum Moyses, ostendens alterum accessurum esse, qui hæc et clarius et liquidius diceret. Ut igitur superius dixit, « Clamat Esaïas; » sic et hoc loco, « Esaïas autem audet » et dicit[1]; » ac si diceret, contendit ut nihil obscurum proferat, sed res ante oculos nostros nudas exponat; imo maluit periclitari clare loquendo, quam suæ prospicere saluti, si umbram vobis ad tegendum ingratum animum relinqueret: quanquam prophetiæ non esset res tam clare enuntiare. Attamen ut magis ora vobis obstrueret, admodum clare et dilucide omnia prædicit. Qualia? et lapsum vestrum, et illorum introductionem, sic loquens: « Inven- » tus sum ab iis qui me non quærebant: conspicuus factus » sum iis qui me non interrogabant[2]. » Quinam ergo sunt non quærentes? qui non interrogantes? Palam est non esse Judæos, sed gentiles, qui nunquam Deum noverant; ut etiam Moyses signanter indicavit dicens, non gente; et, gente stulta. Sic et hoc loco eos ex eodem signo et argumento notos reddit, a grandi nempe ignorantia. Maxima vero Judæorum accusatio erat, quod qui non quærebant

[1] Rom. x, 20. — [2] Ibid, ex Isaï. LXV, 1.

invenerint, et qui quærebant pericrint. « Ad Israëlem autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non » credentem et contradicentem[1]. » Vides-ne quomodo illud quod in dubio erat, et a multis in quæstionem vocabatur, jam olim dictum, et in propheticis verbis clare solutum deprehenditur? Quid illud est ? Audisti Paulum ante dicentem ? « Quid ergo dicemus ? quod gentes quæ non » sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : Israël » vero qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ » non pervenit[2]. » Hoc ipsum hic dicit Esaïas. Illud enim, « Inventus sum a non quærentibus me, conspicuus factus » sum iis qui de me non interrogabant ; » idipsum est, ac si diceret : « Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam. » Deinde ostendens id quod factum fuerat, non ex sola Dei gratia esse, sed etiam ex accedentium voluntate ; ut etiam illorum lapsus, ex non obsequentium contentione, audi quid adjiciat : « Ad Israëlem » vero dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non » credentem et contradicentem, » diem hic totum præteritum tempus dicit ; expandere manus, vocare, attrahere et exhortari significat. Deinde ostendens totum crimen eorum esse, ait, « Ad populum non credentem et contra- » dicentem. »

III. Vides-ne quanta sit accusatio ? Hi ne quidem vocanti obsecuti sunt ; sed et contradixerunt, non semel, non bis, non ter, sed omni tempore, dum hæc facientem viderent. Alii vero, qui nunquam ipsum noverant, potuerunt ipsum attrahere. Sed non dicit quod ipsi potuerint Deum attrahere ; sed eorum qui ex gentibus erant fastum dejiciens, et ostendens gratiam ipsius totam operatam esse, ait : « Ego conspicuus factus sum, » et, « Ego inventus » sum. » Ergo illi, inquies, omnino vacui sunt ? Minime :

[1] Rom. x, 21, et Isaï. lxv, 2. — [2] Rom. ix, 30, 31.

nam quod ea quæ inventa sunt acceperint, et quæ apparuerunt agnoverint; hoc ex se attulerunt. Deinde ne hi dicerent: « Cur ergo non nobis conspicuus factus es? » Quod majus illo est ponit: « Non modo conspicuus factus sum, sed etiam perseveravi manus extendens et exhortans, paterni amoris et maternæ dilectionis curam exhibens. » Vide quam claram difficultatum omnium priorum solutionem attulerit, ostendens ex illorum voluntate perniciem ipsis advenisse, et omnino venia indignos esse. Etenim auditis etiam et intellectis iis quæ dicta sunt, neque sic accedere voluerunt. Et quod multo magis est, non modo curavit ut illa audirent et intelligerent; sed etiam id adjecit quod magis poterat contentiosos et contradicentes attrahere. Quodnam illud est? quod eos pungeret et ad æmulationem provocaret. Nostis enim hujus passionis tyrannidem, et quantam vim habeat æmulationis natura, ad contentionem omnem solvendam, et ad lapsos erigendos. Ecquid hoc de hominibus dicatur, quando et in brutis, et in tenellis infantibus multam vim exhibet? Etenim puellus sæpe hortanti patri non cessit, sed contentiosus mansit, cum autem videt alium puerulum curari, tunc nec vocatus ad paternum sinum venit, et quod vocans pater non potuit, id æmulatio facit. Hoc igitur Deus quoque fecit. Neque enim solum advocavit, et manus extendit, sed etiam æmulationis in illis affectum movit; longe inferiores ipsis, id quod maxime æmulationem movet, introduxit, non in bona ipsorum; sed quod majus erat, et quod tyrannicum morbum maxime augebat, in multo majora et magis necessaria, et quæ nunquam illi vel per somnium imaginati fuerant. Sed neque ita cesserunt. Qua ergo illi venia digni fuerint, qui tam ingentem contentionem exhibuere? Nulla. Verum id ille non dicit, sed ad complementum dictorum, audientium conscientiæ colligendum relinquit: ac rursum illud cum

solita sapientia astruit. Nam quod jam prius fecerat, objectiones inducens, et circa legem et circa populum, majorem accusationem continentes : deinde in solutione, quæ objectionem confutat, tanta concedens quanta volebat, et res ferebant, ut non onerosus sermo videretur; id hoc loco facit ita scribens : « Dico igitur : Num repulit » Deus populum suum, quem ante cognoverat? Absit[1]. » Dubitantis personam inducit, quasi ex iis quæ dicta sunt ordiens, et hoc terribile ponens, illo sublato, id quod sequitur acceptabile reddit, et quod per ea quæ supra dicta sunt omnia demonstrare conatus est, id hic etiam astruit. Quodnam illud est? Quod etsi pauci sint qui salvi fiunt, stat tamen promissio. Ideo non simpliciter posuit populum; sed adjecit, quem ante cognoverat. Deinde pergens demonstrationem affert quod populus repulsus non fuerit. « Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu » Benjamin[2]. » Ego, inquit, doctor et prædicator. Quia igitur hoc contrarium esse videbatur iis quæ supra dicta sunt, nempe, « Quis credidit auditui nostro? » et, « Tota » die expandi manus meas ad populum non credentem et » contradicentem ; » et, « Provocabo vos in non gente ; » non contentus, quod negasset et dixisset, absit, illud rursus resumens probat, et dicit : « Non repulit Deus populum » suum. » Atqui illud non est probatio, inquies, sed negatio. Vide igitur probationem priorem et sequentem. Prima quidem erat probare se quoque ex illis esse, si enim Deus illos repulsurus fuisset, non certe illum ex hoc genere elegisset, cui prædicationem totam, et res totius orbis concrediturus erat, atque mysteria omnia, et æconomiam universam. Hæc ergo una est probatio. Secunda sequitur, cum dicit : « Populum, quem ante cognoverat; id est, quem clare sciebat idoneum esse, et fidem esse accepturum. »

[1] Rom. xi, 1. — [2] Ibid.

Nam ter mille et quinquies mille et innumeri ex illis crediderant.

IV. Ne quis enim diceret: « Tu-ne populus es? » et, « Quia tu vocatus fuisti, populum dicis fuisse vocatum? » subdidit: « Non repulit populum suum, quem ante cognoverat[1]; » ac si diceret: « Mecum habeo ter mille, quater mille, et decies mille. » Quid ergo? an in tribus millibus, quinquies millibus, decies millibus consistet semen illud, quod stellas cœli et arenam maris numero æquabat? et sic nos decipis et circumvenis, cum te ipsum et paucos qui tecum sunt, pro toto populo ponis, et vana nos inflasti spe, promissionem impletam esse dicens, cum omnes pene perierint, et ad paucos salus pervenerit? Hæc jactantia et fastus sunt: neque hæc sophismata ferre possumus. « Ne itaque illa dicerent, vide quomodo per sequentia solutionem afferat, objectionem quidem non ponens, sed ante illam, solutionem ejus ex veteri historia astruens. Quænam est igitur solutio? « An nescitis in Elia quid dicit » Scriptura? Quomodo interpellet Deum adversus Israël? » Domine, Prophetas tuos occiderunt, alteria tua suffoderunt. Et ego relictus sum solus, et quærunt animam » meam. Sed quid dicit ei divinum responsum? Reliqui » mihi septem millia qui non curvaverunt genu ante Baal. » Sic igitur et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt[1]. » Ac si diceret: « Non repulit Deus populum: » si enim repulisset, neminem suscepisset; si vero quosdam suscepit, non repulit. Atqui, inquies, nisi repulisset, omnes suscepisset. Nequaquam. Nam Eliæ tempore in septem millibus salus conclusa est. Et nunc verisimile est multos esse qui credunt. Quod si id vos ignoratis, nihil mirum, quando et Propheta ille, talis tantusque vir ignorabat; sed Deus, ipso ignorante Propheta, res suas

[1] Rom. XI, 2. — [2] Ibid. 2-5.

dispensabat. Perpende autem Apostoli prudentiam, quomodo dum propositum suum probat, Judæorum accusationem latenter augeat. Ideoque totum illud testimonium memorat, ut illorum ingratum animum palam faciat, ostendatque illos jam olim tales fuisse. Nisi enim hoc voluisset, sed unum tantum monstrare studuisset, quod in paucis comprehensus esset populus, dixisset utique etiam Eliæ tempore septem mille relictos fuisse. Nunc autem a principio testimonium totum legit. Ubique enim ostendere studet nihil illos novi circa Christum et Apostolos fecisse, sed quæ consueverant et meditati erant. Ne dicerent enim: « Christum ut deceptorem occidimus, et ut fraudulentos persequimur Apostolos; » profert testimonium quod dicitur: « Domine, Prophetas tuos occiderunt, et alteria tua suffo» derunt. » Deinde ne sermo onerosus esset, alteram adducto testimonio addit causam. Neque illam præcipue adducit, quasi illos incusare velit, sed quasi alia quædam velit probare, illosque omni privat venia, vel ab iis quæ prius facta fuerant. Vide namque quam sit vehemens accusatio, atque a Prophetæ persona. Neque enim Paulus est qui accusat, neque Petrus, nec Jacobus, nec Joannes, sed is qui apud illos maxime omnium in admiratione erat, et caput Prophetarum Dei amicus, qui tanto zelo pro illis repletus erat, ut fami traderetur, qui nondum ad hodiernum usque diem mortuus est. Quid igitur hic ait? « Do» mine, Prophetas tuos occiderunt, alteria tua subverte» runt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. » Quid hac feritate crudelius esse possit? Cum enim pro sceleribus jam ab se perpetratis precari oportuisset, illi etiam ipsum interficere volebant: quæ omnia illos ab omni prorsus venia excludebant. Neque enim fame prævalente, sed reddita fertilitate, sublato pudore, dæmonibus turpiter profligatis, Deique demonstrata potentia, ac ipso

rege succumbente, hæc illi ausi sunt, a cædibus ad cædes properantes atque doctores suos, qui se corrigere nitebantur, occidentes. Quid enim dicere possint? Num quod et illi deceptores essent? Num quod nescirent unde essent? At vobis molestiam intulerunt. Verum illi salubria dixere vobis. Cur etiam altaria adorti estis? An altaria vos læserunt? an ad iram concitarunt? Vide quantæ proteviæ, quantæ contumeliæ semper exempla dederint. Ideo alibi Paulus hæc ad Thessalonicenses scribit: « Eadem passi estis »et vos a propriis contribulibus, quæ ipsi a Judæis, qui et »Dominum occiderunt, et Prophetas suos, nosque perse»cuti sunt: ac Deo non placent, hominibusque adversan»tur [1], » id quod etiam hic dicit; quod altaria diruerint et Prophetas occiderint. Sed quid dicit illi oraculum? « Re»liqui mihi septem millia virorum, qui genu non flexerunt »ante Baal [2]. » At, inquies, quid hæc ad præsentia? Plurimum sane ad institutum nostrum. Illa cum præsentibus admodum consonant. Hinc enim probat Deum semper, etsi gentem totam promissio spectet, illos tantum qui digni sunt salute donare. Hoc jam supra ostendit cum dixit: « Si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris, reli»quiæ salvabuntur [3]; » et, « Nisi Dominus sabaoth reli»quisset nobis semen, quasi Sodoma facti essemus [4]; » ex his quoque illud ostendit, ideoque subjungit: « Sic et in »hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ »sunt. »

V. Vide quomodo quæque lectio suam servet nobilitatem, ac Dei gratiam et eorum qui salute donantur probitatem commonstret. Cum enim dicit « Electionem, » illorum probitatem ostendit; cum autem addit, « Gratiæ, » Dei donum. « Si autem gratia, jam non ex operibus: alio-

[1] 1 Thess. II, 14, 15. — [2] 3 Reg. XIX, 18. — [3] Rom. IX, 27. — [4] Ibid. 29.

» quin gratia jam non esset gratia. » Si vero ex operibus, jam non gratia; siquidem et opus jam non erit opus. Rursum ex his dictis Judæorum contentioni occurrit, illisque adversatur, omni exclusos venia declarans. Non enim, inquit, potestis dicere : « Prophetæ quidem vocarunt; Deus hortatus est, res ipsæ clamabant, et ad nos pertrahendos æmulatio ipsa satis erat : verum onerosa jussa erant, ideoque non potuimus accedere, quia opera et gesta requirebantur, ipsaque laboriosa. » Hoc obtendere non potestis. Quomodo enim hæc a vobis exegisset Deus, quibus gratia sua obscurata fuisset? Hæc vero dixit, ut ostenderet se illorum salutem admodum desiderare. Neque enim ipsis salus facile obtigisset tantum; sed etiam id Deo maximæ gloriæ fuisset, quo benignitatem suam ostensurus erat. Cur ergo accedere timuisti, cum abs te opera non exigerentur? Cur contendis et digladiaris, gratia proposita, et legem mihi temere profers? Neque enim ex illa salutem consequeris, et donum labefactas. Si enim ex illa te servari posse contendas, hanc Dei gratiam tollis. Deinde ne putarent rem esse peregrinam, prolata illa septem millia virorum ex gratia salutem nacta esse dicit. Cum enim dicit etiam hoc tempore reliquias secundum electionem gratiæ esse, ostendit illos etiam ex gratia salvos fuisse; neque hinc tantum probatur; sed etiam quod dicat : « Reliqui » mihi ipsi. » Nam hinc declarat se majorem partem intulisse. Si per gratiam, inquies, cur non omnes salute donamur? Quia non vultis. Gratia quippe, licet gratia sit, volentes se servat, non nolentes, qui ipsi perpetuo adversantur, ipsamque propulsant. Vides-ne quomodo illud semper probet, quod verbum Dei non possit excidere, ostendens promissionem ad eos qui digni erant pertigisse : atque hos, licet pauci sint, esse posse populum Dei. Quanquam initio Epistolæ, id cum majore vehementia posuerit,

dicens : « Quid enim si quidam non crediderunt[1] ? » Neque hic gradum sistens, addit : « Sit autem Deus verax; om-» nis autem homo mendax[2]. » Et nunc rursum id alia ratione probat, gratiæque vim ostendit : et semper alios quidem servari, alios perire dicit. Gratias ergo illi agamus, quod ex servatorum numero simus : quodque cum non possemus ex operibus salutem nancisci, ex Dei dono servati simus. Neque verbis tantum gratias agamus; sed etiam operibus et gestis. Hæc quippe sincera est gratiarum actio, cum ea facimus, quibus Deus cum gloria celebrandus est; cum illa fugimus, a quibus erepti sumus. Etenim si postquam regem contumelia affecimus, loco meriti supplicii, honore donati, rursum ipsi contumeliam inferamus, ob animum summe ingratum, extremas jure dabimus pœnas, et longe majores quam alias prisce debitas. Prima quippe contumelia non perinde nos ingratos exhibuit, atque illa quam post honorem, et redintegratam gratiam intulimus. Fugiamus ergo illa a quibus erepti sumus : neque ore tantum gratias agamus, ne de nobis dicatur : « Populus hic » labiis me honorat, corde autem longe est a me[3]. » Quomodo enim absurdum non fuerit, quando cœli quidem enarrant gloriam Dei, te, cujus causa cœli, qui Deum laudant, facti sunt, talia patrare, ob quæ Deus creator tuus blasphemetur? Ideoque non ille solum qui blasphemat, sed tu quoque supplicio obnoxius es. Cœli namque non voce Deum glorificant, sed alios conspectu suo ad id inducunt, et tamen ipsi dicuntur enarrare gloriam Dei. Ita ii qui mirabilem exhibent vitam, licet taceant, Deum gloria celebrant; dum ex conspectu suo alios ad Deum laudandum concitant. Neque enim tantam Deus ex cœlis, quantam ex vita pura gloriam refert. Cum ergo gentiles alloquimur, non cœlos in medium adducimus, sed homi-

[1] Rom. III, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Isaï. XXIX, 13.

nes illos, quos brutis antea deteriores eo adduxit Deus, ut cum Angelis concertarent : atque per hanc mutationem illorum ora obstruimus.

VI. Etenim homo ipso cœlo multo melior est, qui potest animam possidere ipso cœlo pulchriorem. Cœlum quippe, etsi tanto tempore visum, parum profuit ad persuadendum ; Paulus vero prædicans brevi totum orbem attraxit. Animam quippe possidebat cœlo non minorem, quæ omnes ad se trahere posset. Nostra quippe anima ipsa terra indigna est ; illius autem anima cœlo comparanda. Cœlum quippe suum servat semper terminum et normam : Paulinæ vero animæ sublimitas omnes transcendit cœlos, ac cum ipso Christo conversatur. Tantaque erat illius pulchritudo, ut Deus illam prædicaret. Astra cum crearentur, mirabantur Angeli ; hunc autem ipse Christus miratus est dicens, « Vas electionis est mihi[1]. » Et hoc quidem cœlum nubes sæpe obtegit ; Pauli vero animam nulla unquam operuit tentatio ; sed in tempestatibus illa ipso meridie splendidior erat, ac perinde lucebat atque ante nubium incursum. Sol etenim in illo splendens non tales emittebat radios, qui possent ex tentationum concursu obscurari ; sed tunc maxime illi effulgebant. Ideo dicebat : « Sufficit » tibi gratia mea : nam virtus mea in infirmitate perfici- » tur[2]. » Imitemur ergo illum, et hoc cœlum nobis comparatum nihil erit si voluerimus ; neque sol, neque mundus totus : illa enim omnia propter nos facta sunt, non nos propter illa. Ostendamus nos dignos fuisse, ut propter nos ista crearentur. Nam si his indigni videamur, qua ratione regno digni erimus? Et si solis conspectu indigni sunt ii omnes qui ad blasphemiam Dei vivunt ; indigni etiam sunt qui fruantur creaturis, quæ illum celebrant. Nam filius qui patrem contumelia afficit, indignus est qui proborum fa-

[1] Act. IX, 15. — [2] 2 Cor. XII, 9.

mulorum ministerio fruatur. Idcirco opera Dei multa fruentur gloria ; nos autem supplicium et pœnas dabimus. Quam miserum ergo fuerit, si creatura, quæ propter te facta est, in libertatem gloriæ filiorum Dei conformetur ; nos vero, qui filii Dei facti sumus, ob ingentem ignaviam, in perniciem mittamur et gehennam ; nos, inquam, propter quos creaturæ magna illa fruentur felicitate? Ne hoc itaque contingat, si qui animam puram possidemus, illam hoc in statu servemus ; imo ejus splendorem augeamus ; si vero sordidam habeamus, ne desperemus ; etenim ait ille : « Si fuerint peccata vestra velut phœniceus color, » quasi nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, quasi » lanam, alba reddam [1]. » Cum autem Deus promittit, ne dubites ; sed illa facito, quibus hæc promissa ad te trahere poteris. Innumera et gravia perpetrasti mala? Et quid hoc? Nondum enim in infernum delapsus es, ubi nemo confitebitur. Nondum solutum est theatrum tuum, sed in stadio es, ac potes ultimo certamine omnes acceptas clades restaurare. Nondum eo venisti, quo dives ille, ut audias, « Quia chaos inter nos et vos est [2]. » Nondum enim advenit sponsus, ut quis timeat de suo subministrare oleo. Adhuc potes emere ac deponere. Nec est jam qui dicat : « Ne forte non sufficiat nobis et vobis [3] ; » sed multi sunt qui vendunt ; nudi, famelici, infirmi, qui in carcere sunt. Hos ale, illos indue, jacentes visita, et oleum plus quam fontes scaturiet. Nondum rationis reddendæ tempus advenit ; tempore ut par est utere : debitorum partes amputato : atque ei qui centum cados olei debet dicito : « Ac- » cipe cautionem tuam, et scribe quinquaginta [4]. » In pecuniis, in verbis, in aliisque omnibus idipsum facito, œconomum illum imitatus. Ad hæc agenda et te et cognatos hortare. Adhuc in te est hæc dicere : nondum enim

[1] Isaï. I, 18. — [2] Luc. XXVI, 6. — [3] Matth. XXV, 9. — [4] Luc. XVI, 6.

necesse tibi est pro hac re alium rogare; sed penes te est et tibi et aliis hoc consilium dare. Cum autem illo abieris, neutrum ut oporteret facere poteris : ac jure merito. Cum enim tantum præstitutum tempus acceperis, neque tibi, neque alteri utilis fueris, quomodo poteris in judicis potestate constitutus hanc consequi gratiam? Hæc itaque omnia colligentes, saluti nostræ diligenter advigilemus, nec vitæ præsentis opportunitatem prodamus. Possumus enim, utique possumus ad usque extremos halitus Deo placere : possumus etiam in testamento probe agere; non perinde atque in vita; sed possumus tamen. Quomodo et qua ratione? Si cum hæredibus tuis Christum ascribas, et sortis partem ipsi attribuas. Non pavisti illum dum viveres? saltem in decessu, cum non ultra his frui potes, partem ipsi bonorum ascribe. Benignus est, nec abs te rationes accurate expetit. Majoris quidem amoris signum, et amplioris mercedis causa fuisset, si illum dum viveres aluisses. Sed si hoc non feceris, hoc saltem secundo modo utere, cohæredem ipsum filiis relinque. Quod si illud facere hæsites, cogita Patrem ejus te cohæredem ipsius fecisse, et inhumanitatem abjice. Quam enim excusationem habiturus es, si illum neque filiorum cohæredem constitueris, qui te cœlorum consortem fecit, et pro te occisus est? Atqui ille quæcumque fecit, non ex debito fecit, sed gratiam suam exhibuit. Tu vero post tot beneficia debitor effectus es. Attamen cum res ita se habeat, ut qui gratiam acceperit, non ut qui debitum expetierit, ita te coronat, cum sua recepturus sit.

VII. Da illi ergo pecunias tibi deinceps inutiles, quæ non ultra in potestate tua erunt : et dabit ille tibi regnum, perpetuo usui tibi futurum : etiamque cum regno hæc quoque bona largietur. Si enim filiorum cohæres fuerit, orphanos juvabit, molestias solvet, insidias propulsabit,

sycophantarum ora obstruet : et si ipsi filii non possint testamenti executioni præesse, ipse præerit, nec sinet ipsum infringi. Quod si ipse concedat, quæ in illo descripta sunt omnia implebit cum majori diligentia, quia in ipso cum honore descriptus fuit. Relinque igitur ipsum hæredem : ad illum quippe abiturus es. Ille judicium feret de omnibus quæ hic gesta sunt. Verum quidam sunt ita miseri et infelices, ut cum liberos non habeant, id tamen præstare nolint; sed parasitis et adulatoribus, huic et illi malint sua distribuere, quam Christo, qui tot illis beneficia contulit. Quibus quid magis a ratione absonum fuerit? Hos si cum asinis et lapidibus quis conferat, nihil eorum stupiditate et amentia dignum dixerit : nec quis possit similitudinem eorum insania dignam proferre. Quam hi consequentur veniam, quod, dum viverent, Christum non aluerint, quando ne quidem ad ipsum abituri, de pecuniis, quibus ultra non potientur, ne vel minimum quidpiam ipsi largiri volunt; sed tam inimico et infesto sunt erga ipsum animo, ut ne de iis quidem, quæ sibi inutilia futura sunt, aliquid ipsi impertiri velint? Annon vides quot homines non hujusmodi decessu dignati sunt; sed rapti subito decesserunt? Tibi vero Deus id concessit, ut rebus tuis consuleres, ac de bonis tuis decerneres, deque tuis omnibus disponere posses. Quam ergo excusationem habebis, quando hac accepta gratia, ipsius beneficentiam prodis, et quasi ex diametro oppositus es iis, qui in fide majores tui fuere? Illi namque viventes omnia vendebant, ferebantque ad pedes Apostolorum; tu vero ne moriens quidem aliquam bonorum partem egenis largiris. Melius certe fuerit, ac multam attulerit fiduciam, si dum vivis paupertati opem feras. Si autem id nolueris, saltem moriens aliquid generosi præstes. Id certe non magnam exhibet erga Christum charitatem : exhibet tamen aliquam. Etiamsi

enim non cum agnis priores sedes occupaturus sis : at non parva res saltem post illos esse, nec cum hircis vel ad sinistram stare. Quod si ne hoc quidem facias, qua, quæso, ratione servari poteris, cum nec mortis metus, nec relictarum pecuniarum tibi futura inutilitas, neque hinc relictum filiis patrocinium, neque quod tibi magnam inde veniam parias; quando, inquam, hæc omnia non te ad benignam largitionem attrahunt? Quamobrem obsecro et oro, ut dum vivitis, potiorem bonorum partem egenis largiamini. Si vero quidam ita pusillanimes sint, ut hoc facere non sustineant, saltem ex necessitate benigni et liberales fiant. Nam dum viveres, ac si immortalis fuisses, sic facultatibus hærebas tuis. Nunc vero cum didiceris te mortalem esse, id quod decreveras solve, et quasi mortalis de bonis tuis constitue; imo potius quasi immortali vita fruiturus. Nam etsi molestum et grave sit quod dicturus sum, atque horrore plenum, necessario tamen dicendum est. Annumera cum servis tuis Dominum. Servis tuis das libertatem? Libera Christum a fame, a necessitate, a carceribus, a nuditate. Inhorruisti hæc audiens? At horribilius erit, si cum neque hoc præstiteris, etsi hoc dictum tibi nunc stuporem induxerit : cum illo abibis, et his longe graviora audies, atque intolerabilia tormenta videbis, quid dicturus es? ad quem confugies? Quem auxiliatorem vocabis? Abrahamum? Sed non audiet ille? An virgines illas? At neque illæ tibi oleum daturæ sunt. An patrem, an avum? Sed horum nullus poterit, etiamsi admodum sanctus sit, sententiam illam solvere. Hæc ergo omnia tecum reputans, eum qui solus potest chirographum tuum delere, et flammam illam extinguere, roga et obsecra, tibique propitium redde, jamillum assidue pascens et vestiens, ut et hinc cum bona spe abeas, et illic constitutus æternis fruaris bonis. Quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate

Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

CAPUT XI.

Quid ergo? Quod quærit Israël, hoc non est consecutus. Electio autem consecuta est: cæteri vero excæcati sunt[1].

I. Dixerat Deum non repulisse populum suum[2], ac præfatus quomodo non repulisset, rursus ad Prophetas confugit; et cum ex eorum testimonio ostendisset majorem Judæorum partem periisse, ne videretur rursum ex se accusationem proferre, et onerosum sermonem reddere, ipsosque hostili animo insectari, ad Davidem et Esaïam confugit, dicens: « Sicut scriptum est: Dedit eis Deus » spiritum compunctionis[3]. » Imo altius nobis sermo resumendus est. Nam cum ea quæ ad Eliam spectabant dixisset, ostendissetque quid sit gratia, subjunxit, « Quid ergo? quod » quærit Israël, hoc non consecutus est. » Hoc autem non magis interrogantis, quam accusantis est. Secum, inquit, pugnat Judæus, quærens justitiam, quam non vult accipere. Deinde rursus venia illos privans, ab iis quæ acceperant ingratum illorum animum declarat his verbis: « Electio » enim consecuta est. » Et illi hos condemnabunt: id quod etiam Christus dicebat: « Si autem ego in Beelzebul ejicio » dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices

[1] Rom. XI, 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 137-148, et tom. XV, p. 112-125. — [3] Rom. XI, 8.

» vestri erunt[1]. » Ne quis enim rei naturam incuset, sed illorum tantum animum, declarat eos qui consecuti sunt. Quamobrem id cum magna emphasi profert, et supernam gratiam, et illorum studium ostendens. Neque enim ut liberum arbitrium tolleret, dicit illos consecutos esse; sed ut bonorum magnitudinem indicaret, ac majorem partem, nec tamen totum ex gratia fuisse. Nam etiam nos dicere solemus : Ille consecutus est; ille invenit, quando multum lucri accessit. Neque enim ex humano labore, sed ex divino dono major pars venit. « Cæteri vero excæcati » sunt. » Vide quandonam propria voce cæterorum ejectionem dicere ausus sit. Illam quidem jam dixit; sed ita ut Prophetas induceret accusantes. Hic vero ipse demum sententiam profert. Attamen neque hic sua contentus est sententia; sed Esaïam prophetam inducit. Cum dixisset enim, « Excæcati sunt, » subjunxit, sicut scriptum est : « Dedit illis Deus spiritum compunctionis[2]. » Et undenam hæc excæcatio ? causas illius jam prius protulit, et totum in illorum caput convertit, ostendens id illos ex intempestiva contentione passos esse. Cum enim dicit, « Oculos ut non videant, et aures ut non audiant[3], » nihil aliud quam contentiosam illorum mentem criminatur. Nam cum oculos haberent ut viderent miracula, et aures haberent, ut audirent mirabilem illam doctrinam, nullo eorum ut par erat usi sunt. Illud vero, « Dedit, » ne putes operationem significare; sed concessionem. Compunctionem hic dicit affectum animi circa pejus, qui nec curari, nec mutari potest. Nam et alibi ait David : « Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar[4]; » hoc est, non transferar, non immuter. Sicut enim is qui cum pietate compungitur, non facile inde transfertur; ita is qui in malitia compungitur, item non facile mutatur.

[1] Luc. XI, 9. — [2] Isaï. XXII, 10. — [3] Rom. XI, 8. — [4] Psal. XXIX, 13.

Compungi enim non aliud est, quam infigi, et quasi clavis detineri. Insanabilem igitur, et multum difficilem animum illorum declarans, « Spiritum compunctionis » dixit. Deinde ostendens illos hujus incredulitatis extremas daturos esse pœnas, rursus inducit Prophetam eadem comminantem, quæ evenerunt et fidem acceperunt. « Fiat, » inquit, mensa eorum in laqueum, et in captionem et » in scandalum [1]; » hoc est, illorum deliciæ, omniaque bona mutentur et pereant, sintque omnibus captu faciles. Ostendensque illos hæc patientes peccatorum dare pœnas, subjunxit, « Et in retributionem ipsis. Obscuren- » tur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper » incurva [2]. » An hæc quoque aliqua egent interpretatione? Annon vel admodum insipientibus clara sunt? Etiam antequam nos loquamur, ipse rerum eventus verbis fidem fecit. Quandonam captu faciles fuerunt? Quandonam comprehensu faciles? Quandonam sic dorsum eorum incurvavit? Quandonam talem subierunt servitutem? Quodque majus est, nulla erit harum calamitatum solutio; id quod etiam ipse Propheta subindicavit. Neque enim tantum dixit, « Dorsum eorum incurva; » sed addidit, semper. Si vero de fine contendas, o Judæe, a præteritis præsentia edisce. In Ægyptum descendisti; sed postquam istic ducentos emensus es annos, cito ab illa servitute liberavit te Deus, licet impie egeris, et fornicationem gravissimam admiseris. Liberatus ab Ægypto vitulum adorasti, filiosque tuos Beelphegori immolasti, templum polluisti. Nullam non sceleris speciem adiisti, ipsam naturam ignorasti, montes, saltus, colles, fontes, fluvios, hortos nefandis hostiis implevisti. Prophetas occidisti, aras evertisti, culmen omne nequitiæ et impietatis exhibuisti. Attamen postquam te annos septuaginta Babyloniis

[1] Rom. XI, 9. — [2] Ibid. 10.

tradidit, rursus te ad pristinam libertatem reduxit, ac tibi templum et patriam restituit, nec non priscum prophetiæ modum : rursus Prophetæ, rursus Spiritus gratia advenit. Imo ne captivitatis quidem tempore derelictus fuisti : sed illic Daniel et Ezechiel, in Ægypto Jeremias, et in deserto Moyses affuere.

II. Post hæc autem ad priscam reversus es nequitiam, et debacchatus es, atque ad gentilium institutum te convertisti sub Antiocho impio. Sed tunc quoque cum per tres annos et paulo amplius Antiocho traditi fuissetis, per Machabæos splendida erexistis τροπαία. At nunc nihil hujusmodi, sed contrarium prorsus evenit; id quod maxime admirandum est; quæ enim ad malitiam pertinent cessarunt, quæ ad supplicium vero adaucta sunt : nec ulla spes est mutationis. Neque enim septuaginta modo anni præterierunt, neque centum, neque duplo amplius, sed trecenti et ultra, nec spei umbra quæpiam comparet. Et hoc cum nec idololatriam exerceatis, neque illa perpetretis, quæ prisce ausi fuistis. Quænam igitur causa est? Typum seu figuram excepit veritas, ac legem exclusit gratia : quæ jam olim Propheta prænuntiavit : « Et dorsum eorum semper » incurva. » Vidisti-ne prophetiæ accurationem, quomodo et incredulitatem prænuntiarit, et contentionem ostenderit, et inde secuturam ultionem declararit, ac supplicium sine termino prædixerit? Quia enim multi ex crassioribus, qui futuris non credebant, ex præsentibus futura cognoscere cupiebant; hinc jam in utramque partem Christus potentiæ suæ specimen exhibuit, dum eos ex gentibus qui crediderant supra cœlos extulit : Judæos vero qui non crediderant, in extremam vastitatem deduxit, et insolubilibus malis tradidit. Illos itaque acrius insectatus, et ab incredulitate, et ab iis quæ passi et passuri erant; rursus dictis aliquam consolationem admiscet, ita scribens : « Dico ergo :

» Numquid sic offenderunt, ut caderent? Absit[1]. » Postquam ostenderat illos innumeris malis obnoxios, consolationem excogitat. Et observa Pauli prudentiam; accusationem ex Prophetis sumptam induxit, consolationem vero ex se affert. Quod enim ab illis magna, inquit, peccata admissa fuerint, nemo negabit. Videamus autem an tantus sit lapsus ut remedium aut curationem non admittat. Verum non ita se res habet. Vides-ne quomodo rursus insectetur, et in ipsa consolationis expectatione obnoxios illos faciat peccatis quæ in confesso erant? Videamus autem quam consolationem excogitet. Quænam ergo illa consolatio est? Cum autem plenitudo gentium intraverit, inquit, tunc omnis Israël salvus erit, in tempore secundi adventus et consummationis. Verum non hoc statim dicit. Quia autem vehementer in illos incesserat, et crimina criminibus, Prophetas Prophetis adjiciens adversus illos clamantes, Esaïam, Eliam, Davidem, Moysem, Osee, et semel et bis et pluries; ut ne hinc illos in desperationem injiciens, regressum ad fidem ipsis clauderet, et eos ex gentibus qui crediderant, in arrogantiam extolleret: neve hi inflati circa fidem læderentur, rursus illos consolatur dicens: « Sed illorum delicto, salus est gentibus[2]. » Nos autem oportet hæc non simpliciter audire, sed mentem et scopum dicentis explorare, et quid conficere conetur: quam rem semper a charitate vestra expeto. Nam si hac mente dicta exceperimus, in his nullam videbimus inesse difficultatem. Id enim nunc curat, ut ex dictis, eorum qui ex gentibus erant arrogantiam deprimat; ita enim hi tutius poterant in fide manere, cum modeste agere didicissent; qui vero ex Judæis erant, a desperatione liberati, ad gratiam alacrius accedere valebant. Ad hunc ergo scopum spectantes, omnia hoc in loco dicta audiamus. Quid ergo

[1] Rom. XI, 11. — [2] Ibid.

dicit? Et quomodo ostendit Judæos non incurabiliter lapsos esse, nec usque in finem ejectos fuisse? Ex gentibus scilicet, ut ait : « Illorum delicto, salus est gentibus, ut » illos ad æmulationem provocaret. » Hic autem sermo non Pauli tantum est; sed in Evangeliis quoque hoc parabolæ significant. Nam qui nuptias filio paraverat, quia ii qui vocati fuerant venire noluerunt, tunc eos qui in triviis erant vocavit[1]. Et qui vineam plantaverat, cum hæredem agricolæ occidissent, tunc vineam aliis tradidit[2]. Ac sine parabola ipse dixit : « Non missus sum nisi ad oves quæ perie- » runt domus Israël. » Syrophœnissæ autem perseveranti aliquid amplius dixit : « Non est bonum, inquit, accipere » panem filiorum, et dare canibus[3]. » Et Paulus Judæis seditiose tumultuantibus : « Vobis nunc primum, inquit, ne- » cessarium erat loqui sermonem Dei; quia vero vos indig- » nos judicastis, ecce convertimur ad gentes[4]. »

III. Atque ex his omnibus palam est rerum quidem seriem illam fuisse, ut illi primi accederent, et postea gentiles. Quia vero incredduli fuerunt, ordo mutatus est : illorumque incredulitas et lapsus ut hi priores intrarent effecit. Ideo ait : « Illorum delicto, salus est gentibus, ut » ad æmulationem illos provocaret. » Quod si id quod ex consequentia contigit, quasi primo factum dicat, ne mireris. Vult enim illorum animos perculsos consolari. Hoc autem vult significare : Venit ad illos Jesus, illum sexcenta miracula patrantem non receperunt, sed crucifixerunt. Gentes postea attraxit, ut honor illis collatus illorum stupiditatem morderet, et sic ex contentione inter ambos orta, Judæis ut accederent persuaderet. Oportuerat enim illos primo accipere, et nos postea : ideo dicebat : « Virtus » quippe Dei est ad salutem omni credenti, Judæo primum,

[1] Matth. xxix, 9, et seqq. — [2] Id. xxi, 38, et seqq. — [3] Id. xv, 24. — [4] Act. xiii, 46.

» et Græco. » Quia vero illi resilierunt, nos qui secundi eramus, primi facti sumus. Vides-ne quantum illis hinc attribuat honorem; primo, quod dicat nos tunc vocatos fuisse, cum illi noluerunt; secundo quod nos ideo vocatos dicat, non ut nos tantum salvi essemus; sed etiam ut illi salutem nostram æmulantes, meliores redderentur. Quid ergo, inquies? An nonnisi propter Judæos vocati et servati sumus? Certe ante illos nequaquam, sed convenienti ordine. Ideo cum Discipulis loqueretur, non sic dicebat. : « Ite ad oves quæ perierunt domus Israël; » sed, « Ite potius, » ostendens ad illas, ad gentes scilicet, postea veniendum esse. Et Paulus rursum non dixit : Oportebat vobis annuntiari verbum ; sed vobis primo necessarium erat annuntiari, significans secundo nobis etiam annuntiandum fuisse. Hæc porro facta, dictaque sunt, ut ne impudentem quidem illi haberent excusationem, quod neglecti fuissent, ideoque non credidissent. Ideo Christus omnium præscius primum ad ipsos venit. « Quod si delictum illorum divitiæ » sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, quanto » magis plenitudo eorum[1] ? » Hic ad gratiam illos alloquitur. Etenim si millies illi cecidissent, gentes non salvæ fuissent, nisi fidem suscepissent, sicut etiam Judæi non periissent, nisi increduli et contentiosi fuissent. Verum, ut dixi, illos jacentes consolatur, ex abundanti satagens, ut fiduciam illis adipiscendæ salutis inferat, si tamen mutentur. Nam si, inquit, tunc cum impegerunt, tot ex illis salutem nacti sunt, et si cum illi ejicerentur, tot sunt vocati; cogita quid futurum sit, quando illi conversi fuerint. Non enim dixit, quanto magis conversio eorum, vel mutatio eorum, vel correctio eorum, sed, « Quanto magis plenitudo » eorum ; » id est, quando omnes accedent. Hoc porro dixit, ostendens tunc fore amplitudinem gratiæ ac doni Dei, ac

[1] Rom. I, 16. — [2] Ibid. 12.

fere totum dandum esse. « Vobis enim dico gentibus, » quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium » meum honorificabo. Si quomodo ad æmulandum pro- » vocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis[1]. » Rursus a prava suspicione se liberare satagit; et videtur quidem gentiles incessere, illorumque altos spiritus deprimere, sensim autem Judæum vellicat, et circuitione utitur, quærens illorum tantam perniciem allevare et solari. Nihil porro invenit ob rerum naturam et conditionem. Nam ex iis quæ dixit, majori illi erant criminatione digni, quando illa quæ sibi parata erant, alii longe ipsis inferiores acceperant. Ideo a Judæis ad gentiles transit, deque his medium interserit sermonem, ut ostendat se hæc omnia dicere, ut illos modeste agere doceat. Laudo vos, inquit, duplici nomine; primo quia id oportet me facere, cui ministerium vestrum concreditum est; secundo, ut per vos, alios salvos faciam. Nec dicit, fratres meos, cognatos meos; sed, carnem meam. Deinde ut contentionem Judæorum ostendat, non dicit, si quomodo persuadeam; sed, « Si quomodo ad æmulandum provocem, ut salvos faciam, » neque hic dixit, omnes; sed, « Aliquos ex eis, » ita nempe duri erant. Atque in hac increpatione, res gentilium splendidas esse ostendit. Licet autem illi sibi mutuo salutis causa sint; at non eadem ratione; sed Judæi quidem illis ex incredulitate; illi vero Judæis ex fide bonorum auctores fuerunt. Unde videntur ea quæ gentes spectant paria esse, imo redundare.

IV. Quid enim dixeris, Judæe? An, si nos ejecti non fuissemus, vos non statim vocati fuissetis? At reponit gentilis : « Si non salutem nactus fuissem ego, non ad æmulationem provocatus fuisses. » Si autem scire velis qua in re nos superiores simus, ego dum credo, salutem tibi pa-

[1] Rom. xi, 13, 14

rio; tu vero lapsus, aditum nobis dedisti ut priores accederemus. Deinde sentiens se illos tetigisse, priora resumit, et ait : « Si enim rejectio eorum, reconciliatio est mundi; » quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis [1] ? » Sed et hoc rursum illos condemnat; siquidem alii ex illorum peccatis lucrati sunt; ipsi vero ne quidem ex illorum præclare gestis resipuere. Si porro, id quod ex necessitate contigit, illis attribuat, ne mireris; ut enim, quod jam sæpe dixi, hos reprimat, et illos hortetur, sic sermonem temperat. Nam, ut dicebam, si millies rejecti fuissent Judæi, gentiles nisi fidem suscepissent, salutem nacti non fuissent, sed infirmiori parti adest, et laboranti opitulatur. Vide autem in quibus gratificetur, verbis tantum illos consolans. Nam si ejectio illorum, inquit reconciliatio est mundi; et quid hoc ad Judæos? quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Sed neque hoc ad illos spectat, nisi assumpti fuissent; hoc est, si Judæis iratus, tot tantaque aliis largitus est; quando cum illis reconciliatus fuerit, quid non largietur? Verum sicut resurrectio ex mortuis non est propter illorum assumptionem, ita neque salus nostra propter illos est. Sed ejecti quidem sunt ob insipientiam; nos vero salutem nacti sumus ex fide et superna gratia. Horum vero nihil illis prodesse poterit, nisi congruentem fidem exhibeant. Cæterum ex solito sibi more ad encomium aliud sermonem transfert, quod encomium vere non est, etsi videatur esse, optimos medicorum imitatus, qui eatenus ægros solantur, quatenus morbi natura concedit. Quid enim ait? « Quod » si primitiæ sanctæ sunt, conspersio quoque sancta; et si » radix sancta, et rami quoque [2]. » Primitias hic et radicem vocat, Abraham, Isaac et Jacob, Prophetas et Patriarchas, et quotquot in Veteri Testamento claruere; ramos autem, eos qui ex illis orti sunt credentes. Deinde quia objicie-

[1] Rom. VI, 15. — [2] Ibid. 16.

bant illi multos non credidisse, vide quomodo id rursus amoveat dicens : « Quod si aliqui ex ramis fracti sunt [1]. » Atqui supra dicebas multo plures periisse, et paucos salvos fuisse, quomodo ergo hic de iis qui periere dicis : « Aliqui, » id quod paucos indicat? Non mihi, inquit, contradico, sed laborantes curare et reducere studeo. Vides-ne quomodo in hoc loco semper deprehendatur id curare ut consoletur illos? hoc si de medio tollas, multa sequentur contraria. Tu vero mihi consideres velim illius sapientiam, quomodo dum videtur pro illis dicere, et consolationem excogitare, clam perstringat, et omnis excusationis expertes dicat ; idque a radice, a primitiis. Cogita ramorum malitiam, qui cum radicem dulcem non habeant, imitantur illam : malitiam quoque conspersionis, quando ne a primitiis quidem mutatur. « Quod si quidam ex ramis » fracti sunt. » Atqui major pars fracta est ; sed, ut dixi, vult illos consolari. Ideoque non a se ipso, sed ab illis sermonem inducit, in hoc quoque clam illos insectans, et ostendens illos ab Abrahami cognatione excidisse. Hoc enim erat quod dicere studebat, ipsos nempe nihil commune cum illo habere. Nam si radix sancta est, hi vero non sancti sunt, sane procul a radice illi sunt. Deinde dum Judæum consolari videtur, rursus gentiles per accusationem insectatur. Cum dixisset enim : « Quod si aliqui ex » ramis fracti sunt, » subjunxit : « Tu autem cum oleaster » esses, insertus es [2]. » Quanto enim vilior gentilis est, tanto magis dolet Judæus, illum videns in iis quæ ad se pertinent deliciantem : gentilis vero non tantus est a vilitate pudor, quantus a mutatione honor. Et vide Pauli sapientiam. Non dixit, Insitus fuisti, sed, insertus fuisti ; in hoc rursus Judæum mordens ; et ostendens in ipsius arbore gentilitiam illam stare, dum ipsa Judæi arbor humi

[1] Rom. xi, 17. — [2] Ibid.

jacet. Ideo non hic substitit, nec postquam dixit, insertus es, discedit, etiamsi sic totum declarasset : attamen in ejus felicitate immoratur, ejusque celebritatem profert dicens : « Et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es[1]. » Videtur quidem gentilem, quasi additamentum, ponere; ostenditque ipsum nihil inde lædi ; sed totum illud habere, quod habet ramus de radice ascendens. Etenim ne cum audis, « Tu vero insertus es, » imminutum illum esse putes, cum naturali ramo illum conferens, vide quomodo illum æqualem faciat dicens : « Et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, » in eamdem jactus es nobilitatem, in eamdem naturam. Deinde postquam increpavit et dixit : « Noli gloriari adversus ramos, » videtur quidem consolari Judæum, tamen ostendit illius utilitatem et ignominiam multam. Ideoque non dixit tantum, ne glorieris; sed, ne glorieris adversus illos, ita ut illi abrumpantur. Nam illorum loco stas, illisque frueris.

V. Vides-ne quomodo videatur quidem increpare illos, Judæosque mordeat? « Quod si gloriaris, inquit, non tu » radicem portas, sed radix te[2]. » Quid hoc ad ramos illos, qui excisi sunt? Nihil. Ut enim dixi, dum quamdam debilem consolationis umbram excogitare videtur, et cum contra gentiles invehitur, letalem Judæis plagam infert. Cum dixisset enim : « Ne glorieris ; » et, « Si gloriaris, non tu » radicem portas, » Judæo ostendit tali gloriatione digna esse illa quæ facta sunt, etsi gloriari non oporteat. Illum excitans ad fidem, quasi patronus incessens, ostendensque illi quid damni pertulerit, et quod sua alii possideant. « Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar[3]. » Rursum objectionis modo, id quod priori contrarium est probat, ostendens se ea quæ prius dixerat, non alia de causa dicta esse, quam ut Judæos pertraheret. Non ultra ex dilicto illorum

[1] Rom. XI, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 19.

salus ad gentes accessit, neque delictum eorum divitiæ sunt mundi : neque ideo nos servati sumus, quod illi lapsi sint ; sed contra omnino : ostenditque præcipuam vere esse illam erga gentes providentiam, etiamsi ea quæ dicta sunt aliud adumbrate significare videantur. Totumque locum per objectionem texit, sese ab inimicitiæ suspicione liberans, et acceptabilem reddens sermonem. « Bene : » quod dictum est laudat : deinde terret denuo dicens : « Per in- » credulitatem fracti sunt : tu vero fide insertus es [1]. » Ecce rursus aliud gentilium encomium, et Judæorum accusatio. Sed rursus illorum fastum deprimit, ac subjungit : « Noli » altum sapere, sed time [2]. » Non enim naturæ negotium est ; sed fidei et incredulitatis. Videtur quidem rursus refrenare gentilem ; sed docet Judæum, non attendendum esse naturali cognationi ; quapropter subjungit : « Noli altum » sapere. » Non dixit : « Humilis esto ; » sed, « Time. » Nam arrogantia contemptum parit et ignaviam. Deinde illorum calamitatem tragice descripturus, ut tolerabilius loquatur, ac si gentilem increparet, hoc pacto loquitur. « Si enim » Deus naturalibus ramis non pepercit [3] ; » nec addidit ; « Nec tibi parcet : » sed, « Ne forte nec tibi parcat : » breviter transvertens id quod onerosum erat, et fidelem attentum sollicitumque reddens Judæos, attrahens, et gentiles reprimens. « Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : » in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem : in te autem » bonitatem si manseris in bonitate, alioquin et tu excide- » ris [4]. » Non dixit : « Vide igitur bonum opus tuum, vide labores tuos ; sed, Dei benignitatem, » ostendens totum ex superna gratia factum esse, ad tremendum inducens. Ob jactantiæ enim occasionem timere debes. Quia enim benignus erga te fuit Dominus, ideo time. Neque enim immobilia tibi sunt bona illa, si ignave te geras ; ut nec illis

[1] Rom. xi, 20. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22.

mala, si mutati fuerint. « Nam et tu, inquit, nisi manseris in » fide, excideris? Illi autem si non manserint in incredulitate, » inserentur[1]. » Neque enim Deus illos excidit, sed ipsi fracti sunt, et ceciderunt. At bene dixit, fracti sunt. Nunquam enim ita illos ejecit, etsi sæpe et multum peccaverint. Vides-ne quanta sit liberi arbitrii facultas? Quanta animi et voluntatis potentia? Nihil enim horum immobile est, nec bonum tuum, nec illius malum. Vides-ne quomodo et illum desperantem erexerit, et hunc fidentem represserit? Neque ergo tu severitatem audiens, desperes: neque tu bonitatem audiens, confidas. Ideo te severe amputavit, ut reverti desideres; ideo erga te bonitatem exhibuit, ut perseveres. Nec dixit, in fide, sed in bonitate; id est, si Dei benignitate digna feceris: neque enim fide tantum opus est. Vides-ne quomodo neque illos jacere permisit, neque hos altum sapere, imo et illos ad æmulationem provocavit; rursus per ea quæ dixit, Judæo tribuens ut in ejus staret loco, quemadmodum et iste locum illius præoccupaverat? Et eum quidem qui ex gentibus est, per Judæos et per ea quæ Judæis contigerunt terret, ne adversum Judæos efferantur; Judæum vero per ea quæ gentibus concessa sunt fiduciam habere jubet. Nam tu quoque, inquit, si ignave te geras, excideris; et Judæus etiamsi excisus si si diligenter se gerat inseretur; nam et tu quoque insertus fuisti. Ac prudenter admodum sermonem totum ad eum qui ex gentibus est convertit; uti semper facere solet, dum per firmiorum increpationem, infirmos corrigit. Hoc quoque facit in Epistolæ fine, cum de ciborum observatione loquitur; deinde non ex futuris modo, sed etiam ex præteritis idipsum astruit; id quod magis auditorem persuadet: utque ratiociniorum seriem invictam servet, primo ex potentia Dei demonstrationem ponit. Nam etiamsi

[1] Rom. xi, 23.

illi abscissi et projecti fuerint, aliique illorum locum occuparint, ne desperes : « Potest enim, inquit, Deus iterum » illos inserere [1] ; » qui etiam ea, quæ supra spem sunt, efficit.

VI. Quod si rerum ordinem ac ratiociniorum seriem quæras ; habes in te exemplum majoris potentiæ. « Nam » si tu, inquit, ex naturali excisus es oleastro, et præter » naturam insertus es in bonam olivam ; quanto magis hi, » si secundum naturam inserantur in propriam olivam [2] ? » Etenim si fides id quod præter naturam erat potuit, multo magis secundum naturam poterit. Et si hic a patribus suis naturalibus excisus, præter naturam ad Abraham accessit ; multo magis tu quod tibi proprium est accipere poteris. Ipsius enim gentilis malum, secundum naturam est, utpote ex natura sua oleastri ; bonum autem præter naturam ; nam præter naturam in Abrahamo insertus est ; contra vero, Judæe, bonum tibi secundum naturam adest. Non enim in alienam radicem, ut ethnicus, sed in propriam insereris, si regredi velis. Qua igitur venia dignus eris si cum ethnicus ea quæ præter naturam erant facere potuerit, tu quod secundum naturam est facere non valeas ; sed illud quoque prodas ? Deinde quia dixerat, « Præter natu- » ram, » et, « Insertus es ; » ne Judæum aliquid amplius habere putares, rursus hoc ipsum corrigit dicens ipsum quoque Judæum inseri. « Quanto magis hi, inquit, qui se- » cundum naturam inserentur in propria oliva ? » et rursus, « Potest Deus inserere illos. » Et antea dixerat, si non maneant in incredulitate, inserentur. Cum audis autem præter naturam et secundum naturam, ne putes illum de hac immobili natura loqui ; sed his nominibus decorum, indecorum, seriemque rerum vult significare. Neque enim ex natura sunt bona vel mala ; sed ex voluntate et ex arbitrio

[1] Rom. xi, 25. — [2] Ibid. 24.

tantum pendent. Perpende autem quam curet Paulus ne onerosus sit. Cum dixisset enim, « Et tu excideris, si non » permanseris in fide; et hi inserentur, si non permanse- » rint in incredulitate; » relicto illo quod tristius erat, quod mansuetius est astruit atque in hoc desinit, magnam Judæis spem faciens, siquidem voluerint. Quapropter subjungit : « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, » ut non sitis vobis ipsis sapientes [1]. » Mysterium hic, quod ignotum et arcanum est dicit, quod mirabile sit hac præter opinionem. Nam sicut alibi dicit : « Ecce mysterium » vobis dico, non omnes quidem dormiemus, sed omnes » immutabimur [2]. » Quid ergo est hoc mysterium? « Quod » cæcitas ex parte contigit in Israël [3]. » Hic rursus perstringit Judæum, dum videtur ethnicum reprimere. Illud porro significat, quod prius dixerat : quod nempe incredulitas non sit omnium, sed ex parte tantum, ut cum dicit : « Si » quis contristavit, me non contristavit, nisi ex parte, ne » vobis omnibus gravis sim [4] : » et, « Si vobis primum ex » parte fruitus fuero [5]. » Sic et hoc loco dicit, ut superius : « Non repulit Deus populum suum, quem præscivit [6]; » ac rursum, « Quid ergo? impegerunt ut caderent? absit [7]. » Idipsum hoc loco dicit, quod non tota gens avulsa sit, sed multi crediderint vel crediturі sint. Deinde quia magnum quidpiam promiserat, testem adducit Prophetam sic loquentem. Nam quod cæcitas evenerit, non testimonio probat, id enim palam omnibus erat, quod autem crediturі et servandi essent, id Esaïam inducit clamantem ac dicentem : « Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impieta- » tem a Jacob [8]. » Deinde salutis insigne ponens, ne quis hæc ad prisca trahat et referat, ait : « Et hoc illis a me » testamentum, cum abstulero peccata eorum [9]. » Non cum

[1] Rom. xi, 25. — [2] 1 Cor. xv, 51, 52. — [3] Rom. xi, 25. — [4] 2 Cor. ii, 5 — [5] Rom. xv, 24. — [6] Id. xi, 2. — [7] Ibid. 11. — [8] Ibid. 26. — [9] Ibid. 27.

circumcisi fuerint, non cum sacrificaverint, non cum legalia fecerint, sed cum peccatorum remissionem consecuti fuerint. Si igitur hoc promissum fuit, necdum illis advenit, neque per baptismum remissionem consecuti sunt, id tamen omnino futurum est : quapropter adjicit : « Sine » pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei[1]. » Neque per eam rem tantum illos consolatur, sed etiam per id quod jam contigerat et quod ex consequentia factum est, quod ut præcipuum ponit his verbis : « Secundum Evangelium » quidem inimici propter vos, secundum electionem autem » dilecti propter patres[2]. » Ne ethnicus insletur dicens : « Ego sto ; » ne mihi dicas, quid fieri possit, sed quid factum sit, hinc quoque illum reprimit dicens : « Secundum » Evangelium inimici propter vos. » Quia enim vos vocati estis, contentiosiores illi facti sunt.

VII. Attamen Deus non ideo abscidit vocationem ; sed expectat omnes ex gentibus, qui crediturі sunt, ut ingrediantur, et tunc illi quoque venient. Deinde aliam quoque gratiam largitur illis dicens : « Secundum electionem autem dilecti propter patres. » Et quid hoc est ? Ubi inimici sunt, ibi supplicium ; ubi autem dilecti, nihil ipsis prodest majorum virtus, nisi credant. Attamen, ut dixi, non finem facit ipsos consolandi, ut attrahat. Quapropter aliunde id quod dictum est astruens, ait : « Sicut enim et » vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum. » Ita et isti nunc non crediderunt, quod vos misericordiam » consecuti sitis, ut et ipsi misericordiam consequantur. » Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium » misereatur[3]. » Hic ostendit ethnicos prius vocatos fuisse ; deinde quia abnuerunt, Judæos electos esse, et vicissim idipsum postea contigisse. Quia enim Judæi credere no-

[1] Rom. xi, 29. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 30 31.

luerunt, rursus inductæ sunt gentes. At non hic gradum sistit, neque ad illos ejiciendos omnino vertitur; sed ad misericordiam rursum pronus est. Vide quantum ethnicis tribuat, nempe tantum, quantum Judæis antea dederat. Quia enim vos olim ethnici non obtemperastis, inquit, accesserunt Judæi. Rursus quia hi non crediderunt, vos accessistis : neque tamen ad finem usque peribunt. Conclusit enim Deus omnes in incredulitatem, id est, coarguit et ostendit incredulos esse; non ut increduli manerent, sed ut hos per illorum, illos per horum contentionem servaret. Perpende autem : vos non credidistis, et hi servati sunt, rursus hi non crediderunt, et vos servati estis : neque tamen ita servati estis, ut denuo exeatis, quemadmodum Judæi; sed ut manendo, illos per æmulationem attrahatis. « O altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ » Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus[1] ! » Hic ad prisca tempora reversus, et illam olim œconomiam Dei contemplatus ex quo mundus conditus est, usque ad præsens tempus : et secum reputans quam varie illa dispensaverit, obstupuit et clamavit, auditoribus fidem faciens eventura omnino esse quæ dixerat. Neque enim obstupuisset et clamasset, nisi hoc omnino futurum esset. Et quidem quod altitudo sit, novit; quanta vero illa sit non novit : nam admirantis est dictum illud, quod totum nesciat. In admirationem et stuporem ob tantam Dei bonitatem raptus, quantum potuit duobus nominibus eximiis illam prædicavit, nempe divitiarum et altitudinis. Et obstupefactus est, quod hæc et voluerit et potuerit, ac contraria per contraria curaverit : « Quam incomprehensibilia sunt judicia » ejus! » Non modo enim comprehendi non possunt, sed neque explorari : « Et investigabiles viæ ejus! » Id est, œconomiæ. Hæ quippe non solum cognosci nequeunt, sed

[1] Rom. xi, 33.

nec perquiri. Neque enim ego, inquit, omnia inveni, sed modicam partem, non totum. Solus namque ipse clare novit ea quæ ipsius sunt : ideo addidit : « Quis enim cog- » novit mentem Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? » Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei[1] ? » Id est, cum tam sapiens sit, non ab alio sapiens est : sed ipse est fons bonorum. Et qui tanta fecit ac largitus est nobis, non ab alio mutuatus dedit ; sed de suo effudit : nec mutuum debet alicui, quasi ab illo acceperit : sed ipse semper beneficiorum primus auctor est. Illæ namque veræ sunt divitiæ, redundare et altero opus non habere : « Quoniam ex ipso, » et per ipsum et in ipso sunt omnia[1]. » Ipse invenit, ipse fecit, ipse conservat : nam dives est, nec opus habet ut ab aliquo accipiat ; sapiens est, ac nullius egens consilio. Quid dico consilio ? Nemo potest quæ illius sunt cognoscere, nisi ipse solus et dives et sapiens. Multis siquidem divitiis instructus est, qui ethnicos ita divites reddidit; multa sapientia, ut eos qui Judæis longe inferiores erant, Judæorum doctores constituerit. Deinde postquam obstupuerat, gratiarum actionem refert dicens : « Ipsi gloria in » sæcula. Amen[2] : » Quando enim magnum quidpiam et arcanum dicit mirabundus in gloriam Dei desinit. Hoc et de Filio loquens facit. Nam tunc admiratus illud ipsum quod hic profert : « Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. » Amen. »

VIII. Hunc et nos imitemur, et ubique Deum glorificemus per vitam probe institutam, nec majorum virtutibus confidamus, Judæorum exemplo commoniti. Neque enim est, non est, inquam, apud Christianos talis cognatio, sed affinitas quæ per Spiritum est. Ita enim vel Scytha Abrahæ filius efficitur, et ipsius filius a Scythæ moribus alienior

[1] Rom. xi, 34, 35. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. — [4] Id. ix, 5.

est. Ne igitur patrum recte factis confidamus. Sed si mirabilem habeas parentem, ne putes id tibi esse ad salutem satis, aut ad honorem et gloriam, nisi moribus ipsi cognatus fueris. Quemadmodum etsi patrem habeas improbum, ne putes te ideo damnandum, aut deturpandum, si tua recte componas. Quid enim gentilibus ignominiosius? Attamen illi per fidem cito Sanctorum cognati sunt effecti. Quid Judæis erat Deo familiarius? Verum illi ob incredulitatem alieni facti sunt. Illa enim cognatio naturæ est ac necessitatis, secundum quam omnes cognati sumus. Ab Adamo quippe omnes progeniti sumus. Neque alius alio plus cognationis habet, sive ad Adamum sive ad Noë spectes, sive ad terram omnium matrem. Cognatio autem illa coronis digna, ea est quæ nos distinguit ab improbis. Non enim possunt hic omnes esse cognati, sed qui moribus sunt similes; neque fratres vocamus eos qui ex eodem quo nos utero prodierunt; sed eos qui eumdem exhibent zelum. Illo modo filios Dei vocat Christus, eodemque filios diaboli, sic filios incredulitatis, filios gehennæ, filios perditionis. Sic Pauli Timotheus filius erat ex virtute, ac genuinus filius appellabatur : filii vero sororis ejus ne nomen quidem novimus. Quanquam ille secundum naturam cognatus ejus erat; sed nihil hinc utilitatis. Qui vero ab ipso et natura et patria disjunctus erat ex Lystris civitate[1]; ipsi tamen omnibus propinquior factus est. Nos ergo quoque Sanctorum filii simus; imo Dei filii. Nam quod possimus filii Dei effici audi quomodo dicat : « Estote ergo perfecti, » ut Pater vester, qui est in cœlis[2]. » Ideo Patrem illum precantes vocamus, nec modo gratiam, sed etiam virtutem commemoramus, ne quid indignum tali cognatione faciamus. Et quomodo, inquies, potest quis esse filius Dei? Si omnibus fuerit affectibus vacuus; si mansuetum se exhi-

[1] Act. xvi, 1. — [2] Matth. v, 48.

beat erga eos qui sibi contumeliam vel injuriam inferunt. Nam et Pater tuus talis est erga eos qui se blasphemia impetunt. Ideo cum plura sæpe dixerit, nusquam tamen ait, ut sitis similes Patri vestro nisi cum dicit : « Orate pro » molestiam inferentibus : bene facite iis qui vos oderunt[3] ; » tunc illud etiam præmii adjungit. Nihil enim ita nos Deo propinquos et similes efficit, ut hoc præclarum opus. Ideo Paulus cum dicit : « Estote imitatores Dei[1] ; » hoc ipso modo tales esse jubet. Omnibus certe bonis operibus egemus ; maxime vero humanitate et mansuetudine, quoniam nos ipsi multa egemus humanitate. Nam in multis quotidie peccamus ; ideoque multa egemus misericordia. Plus autem aut minus, non ex doni mensura penditur; sed ex facultate largientium. Ne igitur vel dives altum sapiat, vel pauper animo dejiciatur, quod pauca eroget. Sæpe namque hic plus quam ille dedit. Non oportet ergo se miserum existimare propter paupertatem : id enim faciliorem nobis reddit eleemosynam. Nam qui multa possidet, et arrogantia et plurimum concupiscentia detinetur : qui vero pauca habet, ab hac utraque liber est tyrannide, ideoque plures habet bene faciendi occasiones. Etenim hic facile in carcerem se confert, et ægrotos visitat, potumque aquæ frigidæ dat. Dives vero nihil eorum suscipiet, divitiis nempe suis inflatus. Ne itaque animo concidas ob paupertatem : nam tibi commercium cum regno cœlorum facilius reddit paupertas. Quod si nihil habeas, sed condolentem tantum animam : hujus quoque rei tibi merces reponetur. Ideo jussit Paulus flere cum flentibus[2], et cum vinctis simul vinctos esse. Neque enim flentibus tantum quamdam consolationem affert, si multos condolentes habeat; sed etiam aliis qui in calamitate versantur. Etenim nonnunquam accidit ut consolationis sermo plus laborantem recreet,

[1] Matth. v, 45. — [2] Ephes. v, 1. — [3] Rom. xii, 15.

quam pecuniæ. Ideo enim Deus pecunias jussit egenis largiri, non modo ut illorum paupertati subveniret, sed ut etiam nos doceret proximi malis condolendum esse. Ideoque qui pecunias amat odiosus est, non modo quia egenos despicit; sed quia ipse ad crudelitatem et multam inhumanitatem instituitur: ut et is qui pauperum causa pecunias contemnit, ideo amabilis est, quia misericors est et humanus. Certe Christus cum beatos prædicat misericordes, non eos qui pecuniam erogant tantum; sed etiam eos qui ex animi proposito hoc faciunt, laudat. Hoc ergo animi propositum paratum habeamus ad misericordiam, et omnia sequentur bona. Nam qui benigno et misericordi animo præditus est, si pecunias habeat, largietur illas; si quem in calamitate viderit, flebit lugebitque; si injuste læso occurrerit, ipsi patrocinabitur; si injuria affectum viderit, manum porriget. Cum enim bonorum thesaurum habeat, humanum et misericordem animum, omnia hinc effundet pro fratribus, et omnibus fruetur a Deo repositis præmiis. Ut ergo hæc nos etiam assequamur, ante omnia animum nobis mansuetum paremus. Sic enim et hic positi mille operabimur bona, et futuris fruemur coronis. Quas utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

CAPUT XII.

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum [1].

I. Postquam multa de Dei benignitate disseruerat [2], ostenderatque ejus ineffabilem providentiam, inenarrabilemque benignitatem, quam nemo scrutari queat; illam ipsam deinde profert, quo beneficio affectis suadeat, ut tanto dono dignum exhibeant vitæ institutum. Et cum tantus talisque sit, non recusat illos obsecrare. Idque non super iis, quibus ille frui posset, sed super iis quæ ad ipsorum lucrum cederent. Ecquid miraris si ipse non recuset obsecrare, quando miserationes Dei proponit? Quia enim, inquit, innumera vobis bona a miserationibus Dei procedunt, ipsas revereamini, ipsas adite humiliter: nam ipsæ supplicationem parant, ut ne quid illis indignum faciatis. Per illas igitur ipsas, inquit, obsecro, per quas salutem nacti estis. Quemadmodum si quis cum qui magna accepit beneficia pudore suffundere velit, illum ipsum qui beneficia contulit supplicem inducat. Et quid, quæso, obsecras? « Ut exhibeatis corpora vestra hos» tiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile ob» sequium vestrum. » Cum enim hostiam dixisset; ne quis

[1] Rom. XII, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 146, et tom. XII, p. 426-432.

putaret jubere ipsum corpora occidi, statim subjunxit, viventem. Deinde distinguens illam a judaïca, dicit : « Sanc-» tam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. » Illa enim judaïca corporalis erat, nec multum placebat. « Quis enim hæc requisivit de manibus vestris[1], » inquit? Sæpeque alibi hujusmodi hostias repellit. At non hanc, imo illa priore data, hanc requirebat. Ideo dicebat : « Sa-» crificium laudis honorificabit me[2] ; » ac rursum, « Lau-» dabo nomen Dei mei cum cantico : et placebit Deo plus » quam vitulus novellus, cornua producens et ungulas[3]. » Alibi quoque hostiam illam abjicit et ait : « Numquid man-» ducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum po-» tabo? » additque, « Immola Deo sacrificium laudis, et » redde Altissimo vota tua[4]. » Ita et Paulus hic jubet : « Exhi-» bete corpora vestra hostiam viventem. » Et quomodo, inquies, corpus sacrificium fieri possit? Nihil mali oculus respiciat, et factus est sacrificium. Nihil lingua turpe loquatur, et facta est oblatio. Nihil manus iniquum faciat, et facta est holocaustum. Imovero hæc non sufficiunt, sed etiam ut bona opera edamus opus est, ut manus quidem eleemosynam eroget, os injuria afficientibus benedicat, auditus divinis assidue concionibus operam det. Hostia enim nihil habet immundum, hostia est primitiæ aliorum. Et nos itaque manus, pedes, os et alia omnia ut primitias offeramus Deo. Talis hostia Deo placet, ut Judæorum hostia immunda erat. « Sacrificia enim eorum, » inquit, panis sunt luctus ipsis[5]. » Sed hostia nostra non item. Illa quod immolatum erat mortuum exhibebat; hæc quod immolatum est, vivens efficit. Cum enim mortificaverimus membra nostra, tunc vivere poterimus. Nova quippe est hæc sacrificii lex. Quamobrem inexpectatus

[1] Isaï. I, 2. — [2] Psal. XLIX, 23. — [3] Id. XXXIX, 32. — [4] Id. XLIX, 13. — [5] Osee. IX, 4.

est ignis modus. Neque enim opus habet signis, nec subjecta materia : sed in se ipso ignis noster vivit, nec sacram victimam comburit, sed magis ipsam vivificat. Hanc jam olim Deus victimam quærebat. Quamobrem dicebat Propheta, « Sacrificium Deo spiritus contritus [1]. » Hanc etiam tres pueri offerebant dicentes : « Non est princeps, neque » Propheta, neque locus ad quærendam et impetrandam » misericordiam, sed in animo contrito, et spiritu humiliato » suscipiamur [2]. » Perpende autem quomodo qualibet dictione cum magna accuratione utatur. Non enim dicit : « Facite corpora vestra hostiam; » sed, « Exhibete : » ac si diceret : « Nihil commune deinceps vobis sit cum ipsis, aliis ipsa dedistis. Nam qui equos bellicosos aliis tradunt, nihil commune deinceps in illis habent. » Et tu itaque membra tua eduxisti ad bellum quod contra diabolum est, ad terribilem aciem : ne retrahas illa ad propria ministeria. Aliud item ex hoc ostendit, quod oporteat illa probata et accepta reddere, si velimus illa proferre. Neque enim cuipiam terrenorum hominum illa sistimus, sed regi universorum Deo; non ut prælientur tantum, sed ut ipsum regem sessorem habeant. Neque enim recusat ille membris insidere nostris, imo hoc summe expetit. Et quod rex ipse, qui conservus noster est, admittere noluerit, hoc Angelorum Dominus eligit. Quoniam igitur sistenda sunt illi, et hæc hostia est, omnem ab illis maculam aufer. Nam si maculam habeat, non ultra hostia fuerit. Neque enim oculus qui meretricia respicit, potest immolari, nec manus offerri, quæ rapinæ et avaritiæ dat operam, nec pedes qui claudicant, et ad theatra ascendunt, nec venter qui deliciis servit, voluptatumque concupiscentiam incendit, nec cor iram vel amorem meretricium fovens, nec lingua turpia loquens.

[1] Psal. L, 19. — [2] Dan. III, 38.

II. Ideo oportet undique despicere, ne corpus nostrum maculosum sit. Si enim ii qui veteres illas hostias offerebant, jubebantur omnia circumspicere, nec quod esset succisis auribus, cauda mutila, scabiosum, aut impetiginem habens, offerre permittebantur; multo magis nos qui non irrationabiles oves, sed nos ipsos offerimus, majore accuratione uti oportet atque undique puros esse, ut possimus secundum Paulum dicere : « Ego enim jam delibor, et » tempus resolutionis meæ instat[1]. » Etenim hostia omni purior erat; ideo libamen se ipsum vocabat. Erit autem hoc, si auferamus veterem hominem, si mortificemus membra, quæ sunt super terram, si mundum nobis ipsis crucifigamus. Sic ne gladio, nec ara, nec igne opus habebimus; imo potius his omnibus egebimus, sed non manufactis; sed desursum nobis omnia venient; ignis aderit supernus, gladius, ara nobis erit latitudo cœlestis. Si enim Elia sensibilem hostiam offerente, flamma superne demissa omnia consumpsit, aquam, ligna et lapides; multo magis pro te hoc fiet. Si quid vero fluxum et sæculare habueris, et cum recta voluntate sacrificium offeras, descendens spiritualis ignis sæculare illud absumet, et oblationem totam perficiet. Quid vero est rationabilis cultus? Spirituale ministerium, vita secundum Christum. Sicut igitur qui in domo Dei ministrat et sacrificat, quisquis tandem sit, tunc reprimitur et honorabilior efficitur; sic et nos per totam viam affectos esse oportet, ut Deo ministrantes et sacrificia offerentes. Hoc autem erit si per singulos dies offeras illi sacrificia et tui corporis sacerdos sis, ejusque quæ secundum mentem est virtutis : exempli causa, cum castitatem obtuleris, cum eleemosynam, cum mansuetudinem et injuriarum oblivionem. Hæc cum facis, rationabilem cultum offers; id est, qui nihil habeat corpo-

[1] 2 Tit. IV, 6.

reum, nihil crassum, nihil sensibile. Cum igitur auditoris mentem per hæc nomina erexisset, et unumquemque per suam carnem ac per institutum vitæ sacerdotem esse declarasset, modum etiam dicit secundum quem omnia possunt recte agi. Quis ille modus est? « Nolite conformari, » inquit, huic sæculo, sed transformamini per renovatio» nem mentis vestræ[1]. » Etenim hujus sæculi figura humi repens est, vilis et temporanea, nihil habet sublime, nihil perpetuum, nihil rectum; sed omnia perversa. Si itaque recte vis incedere, ne formes te ipsum secundum figuram hujus vitæ. Nihil enim in ipso manet, et perseverat. Ideo figuram appellat. Et alibi rursum : « Præterit enim figura » hujus mundi[2]. » Nihil enim habet stabile aut fixum; sed omnia temporanea : unde huic sæculo dixit, his verbis fluxum esse declarans; per figuram indicans subsistentia carere. Nam si divitias dixeris, si gloriam, si corporis formam, si voluptatem, si quidvis aliud quod videatur magnumesse, figura tantum est, non rei veritas, demonstratio et larva, non manens substantia. Sed tu ne conformeris huic, sed potius te transforma, inquit, per renovationem mentis. Non dixit : « Te transfigura, » sed, « Te transforma, » ostendens id, quod mundi est, figuram esse; id autem quod virtutis est, non figuram, sed formam quamdam esse veram, quæ naturalem habeat pulchritudinem, quæ non opus habeat externō illo fuco et figura, quæ simul atque comparent dispereunt. Nam hæc omnia prius quam appareant dissolvuntur. Si ergo figuram abjeceris, cito ad formam venies. Nihil enim nequitia infirmius, nihil ita facile veterascit. Deinde quia homines cum essent, consequens erat illos quotidie peccare, auditorem consolatur dicens, quotidie te ipsum renova. Id quod in domibus facimus, vetustate laborantes ipsas quotidie restaurantes; hoc etiam

[1] Rom. XII, 2. — [2] 1 Cor. VII, 31.

in te ipso facito. Peccasti hodie, animam tuam inveterasti; ne desperes, neque concidas; sed per pœnitentiam illam renova, per lacrymas, per confessionem, per bona opera; neque unquam hoc facere desinas. Et quomodo hoc facere poterimus? « Si probetis vos ea quæ potiora sunt · quæ sit » voluntas Dei bona, bene placens et perfecta[1]. » Aut hoc dicit : Renovamini, ut discatis quæ potiora sunt et voluntatem Dei; aut, sic potestis renovari, si discatis quæ potiora sunt, et quid velit Deus. Si enim hoc videris, et rerum naturam edidiceris, omnem jam ad virtutem viam reperisti. Ecquis ignorat, inquies, quæ utilia sunt, et quæ sit voluntas Dei? Qui ad res præsentes inhiant, qui divitias expetendas esse putant et paupertatem despiciunt, qui principatus sectantur, qui ad externam gloriam anhelant, qui se magnos quospiam esse putant, si splendidas domos excitaverint, et magnifica sepulcra comparaverint, si mancipiorum greges habeant, magnumque circumferant eunuchorum agmen. Hi et quæ sibi utilia sint, et quæ sit voluntas Dei ignorant : hæc enim ambo unum sunt.

III. Etenim quæ nobis utilia sunt, Deus vult, et quæ vult Deus, nobis utilia sunt. Quænam sunt ea quæ Deus vult? Ut in paupertate vivamus, in humilitate, in contemptu gloriæ, in temperantia, non in deliciis; in ærumnis, non in quiete; in luctu, non in dissolutione et risu, in aliisque omnibus, quæ ipse præcepit. Verum multi hæc ut malum omen aversantur, nedum putent utilia esse, et Dei voluntatem. Ideoque nunquam ad suscipiendos pro virtute labores prope accedere poterunt. Qui enim ne sciunt quidem quid sit virtus; sed vice illius ipsam nequitiam in admiratione habent, et qui pro casta muliere meretricem secum concludunt, quandonam poterunt a præsenti sæculo abscedere? Idcirco ante alia omnia opus est ut rerum judicium

[1] Rom. XII, 2.

habeamus rectum atque distinctum : atque etiamsi virtutem non sectemur, laudemus tamen illam ; etiamsi vero nequitiam non fugiamus, improbemus tamen, calculosque interea incorruptos servemus. Sic enim ulterius postea procedentes, ipsa opera suscipere poterimus. Propterea præcipit Paulus ut renovemur, ut probetis, inquit, vos quæ sit voluntas Dei. Hic vero mihi etiam Judæos perstringere videtur, qui legi adhærebant : siquidem voluntas Dei etiam erat illa vetus vitæ ratio, at non præcipua, sed propter illorum infirmitatem concessa. Quod autem perfectum et Deo placitum est, novum illud est vitæ institutum. Nam cum rationabilem cultum dixit, ut illum a veteri cultu distingueret ita vocavit. « Dico enim per gratiam quæ data est » mihi,omni versanti inter vos, ut ne altius sapiat, quam » oporteat sapere; sed ita sapiat ut par est sapere, ut uni- » cuique Deus partitus est mensuram fidei[1]. » Supra dixerat : « Per miserationes Dei obsecro vos ; » hic quoque dicit, per gratiam. Vide doctoris humilitatem, vide demissum animum. Nusquam se fide dignum esse dicit, in tali hortatu et consilio; sed modo misericordiam Dei, modo gratiam advocat ad fidem faciendam. Non meus est sermo, inquit, sed Dei est. Neque dixit : « Dico vobis per sapientiam Dei, nec dico vobis per legem positam a Deo ; sed dico vobis per gratiam : » frequenter beneficia commemorans, ut gratiores reddat, et ut ostendat hinc debere illos dictis obsequi. « Unicuique versanti inter vos. » Non illi vel illi tantum ; sed principi, subdito, servo, libero, idiotæ et sapienti, mulieri ac viro, juveni et seni : communis enim hæc lex est, quia et dominica. Ita sermonem non onerosum reddit, omnibus doctrinam proponens, etiam iis qui sunt innoxii, ut qui noxii sunt correctionem illam facilius excipiant. Et quid, quæso, dicis? « Ne quis altius sapiat,

[1] Rom. xii, 3.

» quam oporteat sapere. » Matrem bonorum hic inducit, humilitatem, præceptorem suum imitatus. Quemadmodum enim ille conscenso monte, moralem sermonem habiturus, hinc orsus est, et hæc fundamenta posuit dicens: « Beati pauperes spiritu[1]; » sic et Paulus nunc a dogmaticis ad moralem orationem transiens, universim quidem virtutem docuit, mirabilem hostiam a nobis expetens; cum autem illam per partes descripturus esset, quasi a capite, ab humilitate orditur, et ait: « Non altius » sapiat, quam oporteat sapere, hæc est enim voluntas Dei; » sed sapiat ad sobrietatem; » id est, prudentiam accepimus, non ut illa ad arrogantiam utamur, sed ut ad temperantiam; nec dixit, « Ad humilitatem, » sed, « Ad temperan- » tiam. » Temperantiam autem hic dicit, non eam quæ lasciviæ et lubricitati opponitur virtutem, sed vigilantiam et sensum bonum. Nam et hoc temperantia dicitur, eo quod sanam et temperatam mentem contineat. Ostendens igitur eum, qui moderatus non sit, non posse temperantem esse; id est, stare sanum; sed desipere et insanire, ac demente quovis magis furere, temperantiam vocavit humilitatem. « Quem admodum unicuique mensuram fidei partitus est » Deus. » Quia enim collata dona multos in arrogantiam extulerant et apud istos et apud Corinthios, vide quomodo morbi causam palam faciat, et paulatim detrahat. Cum dixisset enim oportere sapere, ut par est sapere, subjunxit, « Ut unicuique mensuram fidei partitus est Deus, » fidem hic donum vocans. Cum dixit autem « Partitus est, » eum qui minus acceperat consolatus est, eumque qui plus acceperat, depressit. Si enim Deus partitus est, nec tuum hoc munus, cur altum sapis?

IV. Si quis vero dicat hic fidem non vocari donum seu charisma, hoc rursum magis ostendit ipsum arrogantes

[1] Matth. v, 3.

deprimere. Nam si doni causa sit fides, per quam miracula patrantur, et si hoc a Deo est, undenam altum sapis? Nam nisi venisset, nec incarnatus fuisset, quæ ad fidem spectant non invaluissent. Itaque hinc omnia bona initium habent. Si autem ipse det, novit certe quo pacto distribuat. Omnes enim ipse fecit, omniumque pariter curam gerit. Ac quemadmodum quod dederit, id ex benignitate factum est, ita et quod tantum dederit. Non enim qui in summa tota bonitatem suam demonstravit, illa scilicet dona largiendo, in mensura te proditurus erat. Si enim te inhonorare voluisset, ne principium quidem illorum dedisset. Si porro te servare et honorare studuit; ideo namque venit, et tot bona distribuit; cur turbaris ac tumultuaris, atque prudentia tua ad stultitiam abuteris, magis te dehonestans, quam is qui ex natura sua stultus est? Nam ex natura stultum esse, non culpa est; ex nimia vero prudentia stultum fieri, id venia caret, et majus affert supplicium. Tales sunt ii qui in sapientia sua altum sapiunt, et in extremam incidunt arrogantiam. Nihil enim ita stultum reddit ut arrogantia. Idcirco Propheta sic barbarum vocabat: « Stul» tus autem stulta loquetur [1]. » Ut autem ex ejus verbis ipsius stultitiam ediscas, audi quid dicat. « Supra astra » cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo. » Comprehendam manu mea orbem ut nidum, et ut ova » derelicta auferam [2]. » His itaque verbis quid stultius fuerit? singula porro jactantiæ verba hoc sibi opprobrium attrahunt. Si verba singula stultorum in medium adducam dignoscere non poteris, verba-ne arrogantis sint an insipientis; ita unum idemque hoc vitium est. Etenim alius quoque barbarus ait: « Ego sum Deus, et non homo; » aliusque: « Num poterit Deus servare vos aut eripere de » manibus meis [3]? » Et Ægyptius, « Non novi Dominum, et

[1] Isai. xxxii, 6. — [2] Id. x, 54, et xiv, 14. — [3] Dan. iii, 15.

» Israëlem non dimittam [1]. » Insipiensque apud Prophetam talis est, dum dicit in corde suo, « Non est Deus [2]. » Caïn autem : « Num custos fratris mei sum ego [3] ? » An possis cognoscere arrogantium-ne, an stultorum sint verba ? Arrogantia enim a moderatione, et a mente deflectens ; ideo amentia dicitur ; et stultos et arrogantes efficit. « Et si » principium sapientiæ sit timor Domini [4] ; » initium ergo stultitiæ erit non nosse Dominum. Si igitur cognoscere est sapientia ; non cognoscere, stultitia ; et si non cognoscere ex superbia oritur ; initium enim superbiæ est non cognoscere Dominum : ergo superbia, extrema est insipientia. Talis erat et Nabal, ac si non erga Deum, at erga hominem ex arrogantia stultus effectus. At postremo ex timore mortuus est. Cum enim quis ex mensura prudentiæ excidit, et timidus simul et audax redditur, animo scilicet jam infirmante. Quemadmodum enim corpus cum temperatam humorum mensuram amittit, morbis omnibus est obnoxius ; sic et anima cum magnanimitatem simul et humilitatem amiserit, habitum quemdam accipiens, infirma, timida simul et audax atque insipiens evadit, atque se ipsam deinceps ignorabit. Qui vero se ipsum ignorat, quomodo illa quæ supra se sunt cognoscet? Sicut enim is, qui phrenesi detentus est, cum se ipsum ignoret, neque ea quæ ante pedes ejus sunt noverit ; et oculus cum excæcatus fuerit, cætera membra obscurat : sic et in arrogantia contingit. Ideo arrogantes furentibus, et iis, qui ex natura sua stulti sunt, miseriores sunt. Nam perinde atque illi risum movent, perinde atque illi injucundi, et amentes sunt, sed non perinde atque illi miserationem commovent, insaniuntque tamen ut illi, nec veniam impetrant ut illi ; sed odio habentur : et cum utrorumque vitia habeant, venia tamen utrorumque privantur ; dum non

[1] Exod. v, 2. — [2] Psal. xiv, 1. — [3] Gen. iv, 9. — [4] Prov. ix, 10.

ex verbis tantum, sed etiam ex habitu ridiculi sunt. Quid igitur, quæso, cervicem erigis? Quid extremis pedum unguibus incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum non potes vel album vel nigrum facere, et, ac si omnibus imperares, et quasi in aëre incedis? Forsan optares tibi pennas innasci, ut ne super terram incederes: forsan et prodigium esse cupis. Jamvero annon te prodigium effecisti, dum, homo cum sis, volare tentas? Fortasse vero mente volas et undique accensus es. Quî te vocabo, ut arrogantiam tuam dejiciam? An te cinerem dicam, pulverem, fumum, lutum? Vilitatem quidem dixi, necdum tamen imaginem quam volebam attigi. Nam et inflammationem et vacuitatem simul totam illorum depingere volo. Quam ergo imaginem reperiamus iis congruentem? Videntur mihi incensæ stuppæ similes esse. Nam stuppa videtur post immissam flammam inflari et extendi: si vero leviter manu tangatur, tota decidit, et cinere vilior appareret. Tales sunt illorum animæ. Vanam enim illorum inflationem, vel levis contactus dejicere tollereque poterit. Arrogantem enim necesse est omnino infirmum esse: altitudo enim illa nullo modo firma est; sed veluti bullæ aquarum facile rumpuntur; ita et hi facile pereunt. Si vero non credas, da mihi audacem talem et arrogantem, et videbis illum vel ex leviori casu decussum facilius, quam is qui ruit in terram. Quemadmodum enim flamma illa, quæ ex virgultis oritur statim atque accensa fuit, in cinerem vertitur; solida vero ligna, nec facile incenduntur, et multo tempore flammam servant; sic et animæ firmiores, et perseverantiores, non facile incenduntur vel extinguuntur. Hi vero hoc utrumque in uno temporis momento patiuntur. Hæc cum sciamus, humilitatem exerceamus: nihil enim illa potentius; est enim et petra fortior et adamante firmior, et in majori nos securitate collocat, quam turres

et urbes, et muri omnibus diaboli machinis altior; cum contra arrogantia quibuslibet nos captu faciles reddat, quæ bulla aquæ qualibet, ut dixi, facilius rumpitur, et aranеæ tela citius scinditur, et fumo velocius solvitur. Ut igitur in solida petra incedamus, illa relicta, hanc diligamus. Sic enim et in præsenti sæculo requiem inveniemus, et in futuro omnibus fruemur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium et honor, unaque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

CAPUT XII.

Sicut enim in uno corpore membra multa habemus, membra autem omnia non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem, alter alterius membra [1].

I. Rursus eodem utitur exemplo [2], quo ad Corinthios usus est [3], hoc ipsum reprimens vitium. Etenim magna est hujus pharmaci vis, hujusque exempli virtus multum valet ad emendandum arrogantiæ morbum. Cur, inquit, tu altum sapis? et cur alius se ipsum vilipendit? Annon omnes unum corpus sumus, et magni et parvi? Cum igitur secundum caput unum simus, et alter alterius membra, cur ex arrogantia te separas? Cur erubescis de fratre? sicut enim ille membrum tuum est, sic et tu illius, multaque in hoc

[1] Rom. XII, 4, 5. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 147, et tom. XVII, p. 49-55. — [3] 1 Cor. XII, 12.

est honoris æqualitas. Duo siquidem adhibet, quæ possint eorum arrogantiam dejicere ; et quod alii aliorum membra simus, non tantum is qui minor est majoris ; sed etiam is qui major est minoris, et quia omnes unum corpus sumus. Imo et tria posuit : nam donum unum omnibus datum esse ostendit. Ne igitur altum sapias ; etenim tibi a Deo datum est quod tu accepisti, nec tu invenisti. Ideo autem cum de donis seu charismatibus ageret, non dixit, ille majus, hic minus accepit ; sed quid ? diversum. Habentes enim, inquit, dona, non majora et minora, sed diversa. Quid enim si non eadem tibi commissa sunt, sed corpus idem est? et a dono incipiens, in bonum opus desinit. Cum dixisset enim prophetiam et ministerium, et similia, in eleemosynam et curam et patrocinium desinit. Quia enim verisimile erat quosdam virtute quidem præditos esse, sed prophetiam non habere, ostendit hoc donum multo majus illo esse, ut ostendit in Epistola ad Corinthios ; tantoque majus, quod hoc quidem mercedem habeat, illud vero mercede careat : totum et donum et gratia est, ideo ait : « Habentes autem dona secundum gratiam, quæ data est » nobis, diversa, sive prophetiam secundum rationem fi- » dei [1]. » Quia enim sufficienter illos consolatus est, vult etiam acuere, et studiosiores reddere, ostendens ipsos occasiones præbere vel majora vel minora accipiendi. Dicit autem illud a Deo datum esse ; ut cum ait : « Ut unicuique » Deus partitus est mensuram fidei : » et rursus, « Secun- » dum gratiam quæ data est nobis ; » ut superbos reprimeret. Dicit autem initia ab illis poni, ut ignavos incitet. Quod etiam in Epistola ad Corinthios facit, hoc utrumque movens. Cum enim dicit : « Æmulamini charismata [2], » ostendit ipsos causam esse differentiæ donorum. Cum vero dicit : « Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus,

[1] Rom. XII, 6. — [2] 1 Cor. XII, 31.

» dividens singulis prout vult [1], » illud probat, non oportere eos efferri, qui acceperunt, undique morbum illorum curans : quod etiam hic facit ; ac rursus lapsos excitans, dicit : « Sive prophetiam, secundum rationem fidei. » Etiamsi enim gratia sit, at non temere effunditur ; sed mensuram a recipientibus accipiens, tantumdem fluit, quantum viderit vas fidei sibi oblatum. « Sive ministerium » in ministrando [2]. » Hic rem universalem ponit : nam apostolatus, ministerium dicitur : et omne bonum opus spirituale est ministerium. Est quoque et privatæ œconomiæ nomen. Hic porro universaliter ponitur. « Sive qui » docet, in doctrina [3]. » Vide quomodo indiscriminatim illa ponat, quod parvum est primum, et quod magnum est postea, ostendens : hoc rursum docens ut neque inflentur, neque superbiant. « Sive qui exhortatur in exhortando [4]. » Hoc etiam doctrinæ genus est. « Si enim in vobis est ex- » hortationis sermo, inquit, ad populum dicite [5]. » Deinde ostendens, non admodum utile esse virtutem amplecti, nisi cum debita lege hoc fiat, adjicit : « Qui tribuit, in sim- » plicitate [6]. » Non enim satis est dare : sed id oportet largiter facere. Simplicitatem hoc ubique complecti novit. Nam virgines oleum habebant ; sed quia quantum sufficeret non habebant, a toto exciderunt. « Qui præst, in » sollicitudine. » Non enim satis est præesse, nisi cum cura et diligentia hoc faciat. « Qui miseretur, in hilaritate. » Non enim sufficit misereri ; sed id oportet largiter et animo non tristi facere, quin potius læto et gaudente. Neque enim par res est non tristari et gaudere. Hoc ipsum autem ad Corinthios scribens, cum multa diligentia constituit ; nam ad largitatem excitans, ait : « Qui parce seminat, parce et » metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedic-

[1] 1 Cor. XII, 11. — [2] Rom. XII, 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8. — [5] Act. XIII, 15. — [6] Rom. XII, 8.

» tionibus et metet [1]; » animum vero dirigens, addit: « Non » ex tristitia, aut ex necessitate [2]. » Utrumque enim adesse debet miserenti, abundantia et voluptas. Cur enim ploras dans eleemosynam ? Quid doles, dum misereris, et fructum boni operis prodis ? Si enim doles, non misereris; sed crudelis es et inhumanus. Si enim tu doles, quomodo illum in dolore degentem allevare poteris ? Optandum enim est, ne ille quidpiam suspicetur mali, etiamsi cum gaudio dederis. Quia enim nihil ita turpe videtur hominibus esse, ut ab aliis accipere, nisi ex summa hilaritate suspicionem auferas et ostendas te magis accipere, quam dare, potius accipientem dejicies, quam allevabis. Propterea dicit : « Qui miseretur, in hilaritate [3]. »

II. Quis enim regnum accipiens mœstus est ? Quis peccatorum remissionem accipiens in tristitia manet ? Ne itaque expensæ pecuniarum attendas, sed proventui ab expensa advenienti. Nam si qui seminat, gaudet, etsi in incertum seminet : multo magis qui cœlum quasi agrum colit. Ita enim, etsi pauca des, multa dabis ; ut si cum mœstitia multa dederis, ex multis pauca fecisti. Sic vidua multa talenta duobus obolis superavit ; largus enim animus erat. Et quomodo poterit, inquies, is qui in paupertate vivit, et omnia effundit, id alacriter facere ? Interroga viduam, et modum audies, sciesque mentis angustiam non ex paupertate, sed ex voluntatis proposito et illud et quidquid illi contrarium est fieri. Potest enim quis et in paupertate magni, et in divitiis pusilli esse animi. Ideo in largitione simplicitatem quærit, et in misericordia hilaritatem, et in patrocinio diligentiam. Non enim pecuniis tantum vult nos pauperes juvare ; sed etiam verbis, rebus, corpore et aliis omnibus. Cum dixisset præcipuam prærogativam, eam quæ per doctrinam est, eam quæ per adhor-

[1] 2 Cor. IX, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

tationem; hæc enim magis necessaria est, quod animi sit cibus; venit ad eam quæ per pecunias et alia omnia. Deinde ostendens quomodo hæc perficiantur, matrem ipsorum inducit dilectionem : nam ait : « Dilectio, sine si-» mulatione[1]. » Si hanc habeas, non senties pecuniarum expensam, non corporis laborem, non molestiam sermonum, non sudorem et ministerium; sed omnia feres generose, sive corpore, seu pecuniis, seu verbo, seu alio quolibet proximum juvare oporteat. Quemadmodum ergo non largitionem modo exigit, sed in simplicitate, neque modo patrocinium, sed cum diligentia; neque tantum eleemosynam, sed cum hilaritate; sic et charitatem non simpliciter, sed absque simulatione. Nam hoc dilectio est; si hoc fiat, alia omnia sequentur. Etenim qui miserebitur, hilariter miserebitur : sibi enim ipsi dat; et qui præerit, diligenter præerit; sibi enim ipsi præerit; et qui largietur, copiose id faciet; sibi enim præbebit. Deinde quoniam in malis etiam rebus dilectio est, ut illa lascivorum, corumque qui in pecuniis et rapinis una consentiunt; eorum quoque qui in ebrietate et conviviis, hanc ab illis avellens ait : « Odientes malum[2]. » Non dixit : « Abstinentes a malo, » sed, « Odientes malum; » nec simpliciter audientes, sed admodum odientes. Nam præpositio ἀπὸ verbis addita vim verbi auget, hic et in aliis exemplis in textu græco positis. Quia enim multi qui mala non perpetrant, eorum tamen concupiscentiam habent; ideo dixit, admodum odientes. Vult ille ut purus sit animus, utque nequitiam odio et inimicitia magna prosequamur, et impugnemus. Neque enim quia dixi, inquit, « Diligite invicem, » putetis me id dicere, ut in malis rebus mutuam detis operam : nam contrarium prorsus statuo, ut a malitia non solum opere, sed etiam affectu alieni prorsus sitis; nec modo affectu

[1] Rom. XII, 9. — [2] Ibid.

alieni sitis; sed etiam illam summo odio prosequamini et aversemini. Neque hoc satis habens Paulus, virtutis opera inducit his verbis : « Adhærentes bono. » Non dixit, tantum facientes, sed et affectu prosequentes : hoc enim declaravit cum jussit adhærere bono. Ita et Deus cum virum mulieri conjungeret, dicebat, « Adhærebit uxori suæ[1]. » Deinde causas dicit ob quas debemus alius alium diligere. « Charitate fraterna invicem diligentes[2]. » Fratres, inquit, estis, et eosdem partus solvistis : ideoque justum esset ut vos mutuo diligeretis. Hoc et Moyses dicebat iis qui in Ægypto altercabant : « Fratres estis; cur vobis injuriam mutuo infer» tis[3] ? » Quando igitur de externis dicit, sic loquitur, si fieri potest, quantum in vobis est cum omnibus hominibus pacem habetote : quando autem de suis agit, « Charitate » fraterna, inquit, invicem diligentes. » Illic enim expetit ut non pugnemus, nec odio habeamus, vel aversemur ; hic vero ut amemus, nec simpliciter ut amemus; sed etiam affectu amplectamur. Non solum enim, inquit, oportet non simulatam esse dilectionem, sed intensam, ferventem, ignitam. Quæ enim utilitas, inquit, si amas quidem sine dolo, sed non ferventer amas? Quamobrem dixit, « Invi» cem diligentes; » id est, ferventer dilige. Ne expectes ut diligaris ab altero ; sed tu potius ad illum prosili et incipe. Sic etiam ipsius dilectionis mercedem recipies.

III. Cum dixisset ergo causam cur debemus alter alterum diligere, dicit quo pacto dilectio nostra immota maneat : « Honore invicem prævenientes[4]. » Ita enim dilectio et nascitur, et postea perseverat. Nihil certe ita facit amicos, ut si studeamus proximum honorando vincere. Nec dilectio tantum, sed etiam honor inde major evadit. Nam quæ prius dicta sunt a dilectione nascuntur, dilectio autem ab honore, ut et honor a dilectione. Deinde ut non

[1] Gen. II, 24. — [2] Rom. XII, 10. — [3] Exod. II, 13. — [4] Rom. XII, 10.

tantummodo honoremus, aliud quidpiam amplius expetit. « Sollicitudine non pigri [1]. » Nam et hoc dilectionem parit, quando cum honore patrocinium exhibemus; nihil enim ita dilectionem parit, ut honor et patrocinium. Non enim satis est diligere, sed hoc etiam addendum; imo potius hoc ex dilectione gignitur, ut et dilectio ab hoc fovetur, et utraque sese mutuo confirmant. Nam multi sunt qui animo quidem amant, nec manum porrigunt. Ideo undique dilectionem excitat. Et quomodo erimus sollicitudine non pigri? « Spiritu ferventes [2]. » Vide quomodo ubique vehementiam requirat. Neque enim dixit, date tantum; sed addidit, largiter: neque patrocinamini solum; sed et cum sollicitudine; neque, miserimini tantum; sed etiam hilariter; neque honorate solum; sed et patrocinamini; nec diligite modo, sed sine simulatione; neque abstinete a malis; sed et odio habete; neque adhærete solum bonis; sed et conglutinemini; neque tantum diligite; sed cum amabili complexu; neque studete; sed etiam non pigre; neque spiritum habete; sed spiritum ferventem; id est, ut sitis ardentes et concitati. Nam si prædicta illa habeas, spiritum attrahes; si hæc apud te maneant, te ad illa studiosum constituent, omniaque tibi facilia a spiritu et dilectione reddentur, cum utrinque incensus eris. Non vides tauros flammam in dorso gestantes, quomodo sint omnibus intolerabiles? Ita et tu diabolo intolerabilis eris, si utramque flammam acceperis. « Domino servientes [3]. » Per hæc enim omnia Deo servire potes. Quidquid enim pro fratre feceris, ad Dominum tuum pertransit: et quasi ipse beneficium acceperit, mercedem tibi rependet. Vides-ne quo animum ejus, qui talia operatus sit, deduxerit. Deinde postquam ostendit quomodo flamma spiritus accendatur, ait: « Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi in-

[1] Rom. XII, 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

» stantes[1]. » Hæc quippe omnia ignis illius fomites sunt. Quia enim pecuniarum expensam requisivit, corporum laborem, patrocinium, sollicitudinem, doctrinam, et laboriosa alia, inungit rursus athletam dilectione, spiritu et spe. Nihil enim hominis animum ita virilem et ad omnia promptum efficit, ut bona spes. Deinde ante ea quæ sperantur bona, aliud etiam dat præmium. Quia enim spes futurorum erat, dicit, « In tribulatione patientes. » Etenim ante futura illa in præsenti magnum decerpes ex tribulatione fructum, quod constans et probatus reddaris. Cum hoc aliud quoque auxilium præbet, dicens, « Orationi instantes. » Cum ergo dilectio facilitatem afferat, spiritus adjuvet, spes allevet, tribulatio probatum faciat et idoneum ad omnia generose ferenda, et cum his aliam armaturam maximam habeas orationem, et supplicationis opem; quidnam postea erit in præceptis laboriosum? Nihil. Vides-ne quomodo athletam undique firmet, et quam levia ostendat præcepta? Perpende rursum quomodo eleemosynam commendet; nec simpliciter eleemosynam, sed eam quæ Sanctis erogetur. Nam cum supra dixit, « Qui miseretur, in hilaritate, » omnibus manum aperuit. Hic vero de fidelibus agit, ideo hæc subjungit : « Necessitatibus Sanctorum communican- » tes[2]. » Non dixit : « Illorum necessitatibus subministrate, » sed, « Necessitatibus illorum communicate, » ostendens illos majora accipere quam dent, et rem istam esse negotiationem : communicatio quippe est. Tu pecuniam affers, illi tibi fiduciam erga Deum afferunt. « Hospitalitatem sec- » tantes. » Non dicit : « Facientes, » sed, « Sectantes, » erudiens nos ut non egenos expectemus, donec ad nos veniant; sed ut ad illos curramus et sectemur eos. Sic Lot, sic Abraham fecit : nam diem hac in re insumpsit, hanc pulchram expectans venationem, et cum videret, insilie-

[1] Rom. XII, 12. — [2] Ibid. 13.

bat, et obviam currebat, ad terram procidens adorabat, dicebatque : « Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo, » ne transeas servum tuum [1]. » Non quemadmodum nos cum videmus peregrinum aut pauperem, supercilia attollimus, nec dignos putamus quos alloquamur; et si post mille supplicationes emolliti tantillum argenti a famulis dari jusserimus, totum nos probe præstitisse putamus. At non sic ille, verum supplicis et famuli cultu atque forma, etiamsi nesciret quosnam excepturus esset.

IV. Nos autem cum certo sciamus nos Christum excipere, neque sic mansueti efficimur. At ille et rogat et supplicat et adorat : nos autem accedentes contumelia afficimus. Ille per se et uxorem omnia perficit; nos vero ne per famulos quidem. Si vero mensam scire velis quam apposuit, multam quoque hic liberalitatem deprehendes, non quam copia rerum efficiebat, sed quam probi animi divitiæ parabant. Quam multi divites tunc erant; sed nullus quidpiam simile fecit. Quot viduæ erant in Israël? Sed nulla Eliam excepit hospitio. Quot divites etiam erant Elisæi tempore? Sed Sunamitis sola hospitalitatis fructum decerpsit : quemadmodum et Abraham suo tempore cum largitate et alacritate fecit. Ideoque maxime admirandus est, quod cum nesciret quinam advenissent, hæc tamen faceret. Ne itaque tu curiose inquiras, nam propter Christum excipis. Nam si semper curiose scrutaturus es, sæpe probatum virum prætercurres, et mercedem perdes. Atqui is qui non probum excipit, non accusatur, sed et mercedem habet. « Qui recipit Prophetam in nomine Prophe- » tæ, mercedem Prophetæ accipiet [2]. » Qui vero ex hac intempestiva perquisitione virum quempiam probitate insignem prætercurrerit, pœnas dabit. Ne igitur vitam et gesta curiose inquiras : nam hoc extremæ imperitiæ est, pro uno

[1] Gen. xviii, 3. — [2] Matth. x, 41.

pane vitam totam curiose scrutari. Nam si homicida sit, si latro, si quidvis aliud, annon pane et modica pecunia tibi dignus esse videtur? Sed Dominus quidem tuus etiam solem suum illi oriri facit; tu autem diurno cibo illum indignum judicas. Ego vero aliud quidpiam longe majus addam : Si certo scires ipsum mille sceleribus esse obnoxium, ne sic quidem approbandus esses, si illum a diurno cibo privares. Illius enim servus es qui dicit : « Nes» citis cujus spiritus sitis[1]. » Illius es famulus qui lapidantium se curam gerebat; imo potius ejus qui pro illis crucifixus est. Ne mihi dicas : « Alium occidit : » etenim si etiam te occisurus sit, ne sic tamen fame laborantem despicias. Illius quippe discipulus es, qui se crucifigentium salutem desiderabat, qui in ipsa cruce dicebat : « Pater, » dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt[2]. » Illius servus es, qui percutientem se curavit, qui contumelia se afficientem in ipsa cruce coronavit : cui rei quænam possit comparari? Nam initio ambo latrones contumeliis ipsum afficiebant; sed tamen eorum alteri paradisum aperuit. Defletque illos qui ipsum interfecturi sunt : turbatur cum videt proditorem, non quod crucifigendus esset, sed quod ille periret. Turbabatur igitur quod præsciret laqueum, et post laqueum supplicium. Et cum illius scelus cognosset, ad usque extremam horam tulit illum, nec repulit, sed osculatus est proditorem. Dominus tuus osculatur, et labiis excipit eum, qui statim pretiosum sanguinem suum effusurus erat; tu vero pauperi ne panem quidem porrigere dignaris? nec revereris legem quam posuit Christus; his enim ostendit non solum pauperes, sed etiam eos, qui nos ad mortem deducunt, aversari non oportere. Ne mihi igitur hoc dixeris : « Ille mihi mala contulit; » sed cogita quid Christus fecerit, qui ad crucem usque per osculum quo

[1] Luc. IX, 55. — [2] Id. XXIII, 34.

proditurus erat, proditorem emendare curavit. Et vide quam ad pudorem pertrahat : « Juda, inquit, osculo Filium » hominis tradis[1] ? » Quem non emollivisset ? quem non flexisset illa vox ? Quam feram ? quem adamantem ? Sed non miserum illum. Ne itaque dicas, « Ille talem hominem occidit, ideoque illum aversor. » Etiamsi gladium in te illaturus sit, et in guttur tuum dexteram immersurus, ipsam dexteram osculare, quoniam Christus os illud osculatus est, quod sui cædem patravit.

V. Et tu igitur ne odio habeas, sed lacrymare et miserare insidiantem. Dignus enim est cujus misereamur et quem deploremus. Illius enim domestici sumus qui proditorem osculatus est; non enim finem faciam hoc repetendi; et osculo ipso dulciora verba protulit. Non enim dixit, o execrande, o scelestissime proditor, hanccine gratiam nobis tanti beneficii rependis ? Sed quomodo ? Juda, proprio nomine compellans, quod magis miserantis erat et revocantis, quam irati. Nec dixit, doctorem tuum, Dominum et benefactorem; sed Filium hominis. Etiamsi vero nec doctor, nec Dominus tuus esset, cum-ne qui ita mansuete, ita sincere erga te affectus erat, ut etiam in tempore proditionis te oscularetur : cum etiam osculum illud signum proditionis esset; cum-ne, inquam, prodis ? Benedictus es, Domine, quantæ humilitatis, quantæ patientiæ exemplum nobis dedisti ? Sed erga hunc ita se gessit : at erga illos qui cum fustibus et gladiis se invadebant non ita. Quid enim mansuetius verbis quibus illos allocutus est; cum posset illos repente delere, hoc quidem non fecit, sed modeste illis verba ad pudorem inducentia protulit : « Quid » exiistis, quasi ad latronem cum gladiis et fustibus[2] ? » Et cum illos supinos conjecisset; quia tamen quasi sine sensu mansere, libens ille se ipsum tradidit, et sustinuit

[1] Luc. XXII, 48. — [2] Matth. XXVI, 55.

videns vinculis constringi sanctas manus, cum posset omnia movere ac prosternere. Sed tu postea ferocis contra pauperem. Atqui etiamsi sexcentis obnoxius esset sceleribus, egestas et fames possent animum, nisi admodum induratus esset, flectere. Tu vero stas efferatus, et leonis furorem imitans; quanquam illi nunquam mortuorum corpora degustaverunt. Tu vero licet videas tantis confectum malis, jacentem invadis, et corpus per contumelias discerpis, tempestatem tempestati addis, atque eum qui ad portum confugit, in scopulum impellis, naufragiumque infers marinis naufragiis gravius. Et quomodo dices Deo : « Miserere mei? » Veniam peccatorum postulas, dum illum contumelia afficis, qui contra te nihil peccavit, et ob famem tantamque necessitatem pœnas repetis, feras omnes crudelitate superans; illæ enim cogente ventre, proprium sibi cibum arripiunt : tu vero, nemine impellente, vel cogente, fratrem devoras, mordens, discerpens; si non dentibus, at verbis morsu gravioribus. Quomodo ergo sacram oblationem sumes, qui humano sanguine linguam tingis? Quomodo pacem das, dum os bello plenum est? Quomodo sensibili cibo frueris, dum tantum virus colligis? Non paupertati subvenis; cur etiam conteris? Non erigis jacentem; cur illum etiam dejicis? Non tollis tristitiam; cur auges illam? Non das pecunias; cur verbis contumeliam infers? Non audisti quantas pœnas dent ii, qui pauperes non alunt? quibus damnentur suppliciis? « Ite, inquit, in ignem æternum paratum diabolo et ange» lis ejus[1]. » Si ergo qui non nutriunt eos ita damnantur, quas pœnas dabunt ii, qui non modo non nutriunt, sed et ipsis contumelias inferunt? quo supplicio, qua gehenna, non afficientur? Ne ergo tanta nobis incendamus mala; donec facultas est, malum hunc morbum curemus, linguæ

[1] Matth. xxv, 41.

frenum imponamus; nec modo non contumeliis afficiamus, sed etiam consolemur, et verbis et factis, ut nobis multa prius recondita misericordia, promissa nobis bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri gloria unaque Spiritui sancto, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

CAPUT XII.

Benedicite persequentibus vos : benedicite et nolite maledicere [1].

1. Postquam docuit illos quomodo oporteat mutuo affectos esse, membrisque diligenter conglutinatis, educit illos deinceps ad externam pugnæ aciem, faciliorem inde illam reddens. Quemadmodum enim is qui ea quæ ad domesticos spectant non recte composuit, difficilius ea quæ ad extraneos pertinent administrabit; sic is, qui pulchre in istis sese exercuit, facilius res externorum componet. Ideo Paulus ultra procedens, post illud hæc ponit, et ait : « Benedicite persequentibus vos. » Non dixit : « Ne injuriarum recordemini, nec vos ulciscamini; » sed quod multo majus est exigit. Illud enim philosophi viri est, hoc Angeli. Et cum dixisset : « Benedicite, » subjungit, « Et non male- » dicite; » ut ne hoc vel illud, sed id tantum quod ille dicit faciamus. Nam qui nos persequuntur, mercedis nobis conciliatores sunt. Si autem vigiles aliam tibi cum hac

[1] Rom. XII, 14.

mercedem apparabis. Ille tibi persecutionis mercedem parat; tu vero mercedem tibi attrahis benedictionis illius, signumque maximum effers dilectionis erga Christum. Sicut enim is, qui maledicit se persequenti, ostendit se non multum gaudere dum hæc propter Christum patitur; sic qui benedicit, multum exhibet amorem. Ne igitur illi convitieris, ut et ipse majorem referas fructum, et illum doceas rem ex alacritate proficisci, non ex necessitate; celebritatis et diei festi rem esse, non calamitatis et mœroris. Ideo Christus dicebat : « Gaudete cum dixerint omne ma»lum verbum adversum vos mentientes[1]. » Idcirco et Apostoli reversi sunt gaudentes, non solum quod male audissent, sed etiam quod flagellati fuissent. Præter ea quæ dicta sunt, aliud etiam non modicum lucraris, quod sic adversarios percellas, ac per opera illos doceas te aliam carpere viam. Nam si te viderit gaudentem et alacrem dum male pateris, ex rebus ipsis clare discet te spem habere præsentibus rebus majorem. Si contra non hoc feceris, sed fleveris et lamentatus fueris, unde poterit ille scire te aliam vitam expectare? Aliud præterea recte factum edes. Si enim te viderit de contumeliis non dolentem, sed benedicentem, persequendi finem faciet. Vide igitur quanta hinc bona emergant, et tibi merces major, et tentatio minor, et ille persequi cessabit, et Deus glorificabitur, et philosophia tua erranti doctrina erit, qua ad pietatem ducatur. Ideo non contumelia afficientes modo, sed etiam persequentes, et operibus nocentes, jubet contrariis remunerare. Et nunc quidem illis benedicere jussit, progressus vero etiam operibus benefacere ipsis hortatur. « Gaudere »cum gaudentibus, et flere cum flentibus[2]. » Quia enim potest quis benedicere et non maledicere, nec tamen ex dilectione hoc facere, vult ille ut dilectione ardeamus.

[1] Matth. v, 11. — [2] Rom. xii, 15.

Ideo illud subdidit, ut non modo benedicamus; sed et compatiamur, si quando illos in calamitatem lapsos videamus. Etiam, inquies : flentibus condolere merito jussit; aliud vero cur præcepit, cum nihil magni sit ? Atqui illud animo magis philosophico opus habet, gaudere nempe cum gaudentibus, quam flere cum flentibus. Hoc enim ipsa natura efficit; nemo enim est ita lapideus, ut non defleat eum, qui in calamitatibus versatur. Illud autem generosi admodum est animi, prospere agenti non modo non invidere; sed etiam congaudere. Ideo illud primum posuit. Nihil enim ita dilectionem conciliat, ut cum et gaudium et mœrorem communem facimus. Ne igitur, quia tu procul ab ærumnis es, a commiseratione semovearis. Nam cum proximus tuus male patitur, communem facere debes calamitatem. Communes ergo tibi sint lacrymæ, ut tristitiam illius alleves commune gaudium, ut lætitiæ radices ponas, et dilectionem confirmes; et sic ante illum te ipsum juvabis, dum per lacrymas misericordem reddis, et per commune gaudium te ab invidia liberas. Observes autem velim, quam non onerosus sit Paulus. Non enim dixit, « Solve calamitatem, » ne sæpe dicas id fieri non posse; sed quod facilius erat præcepit, et quod in facultate tua situm erat. Licet enim ærumnam amovere nequeas, induc lacrymas, et majorem partem abstulisti. Si non possis augere felicitatem, induc gaudium et magnam accessionem intulisti. Ideo non solum non invidere, sed quod multo majus est, congaudere jubet : id quod multo majus est quam non invidere. « Idipsum invicem » sentientes : non alta sapientes, sed humilibus consen- » tientes[1]. »

II. Multam rursus de humilitate curam gerit, a qua sermonem incœpit. Nam verisimile est illos fastu plenos fuisse,

[1] Rom. XII, 16.

tum ab urbis celebritate, tum aliis multis de causis; ideoque frequenter morbum illum traducit et fastum comprimit. Nihil enim corpus Ecclesiæ ita discindit, ut arrogantia. Quid vero significat illud, « Idipsum invicem sen» tientes? » Advenit tibi pauper in ædes tuas? esto illi sensu similis, ne majorem assumas fastum ob divitias : in Christo nec dives nec pauper est. Ne itaque pudore afficiaris ob externum amictum; sed suscipe illum propter internam fidem. Neque si lugentem videris, indignum putes quem consoleris; neque si prospere agentem, erubescas partem lætitiæ et gaudii suscipere; sed ut erga te ipsum, ita erga illum affectus esto; nam ait : « Idipsum invicem sentientes. » Exempli causa, magnum te esse existimas? magnum et illum putato. Humilem et exiguum suspicaris illum? de te quoque ipso eumdem calculum feras, et inæqualitatem omnem elimina. Quomodo autem id fiat? si arrogantiam abjicias. Ideo subjungit, « Non alta sapientes, sed cum hu» milibus consentientes; » id est, in illorum vilitatem descende, cum illo circumferaris. Ne tantum cum illo humiliter sentias, sed etiam fer opem et manum porrige, non per alium, sed per te ipsum, ut pater filio prospiciens, ut caput corpori; quod et alibi ait, « Vinctis ut simul vinculis » constricti [1]. » Humiles autem hic vocat, non eos tantum qui humiliter sentiunt, sed viles et contemptibiles. « No» lite esse prudentes apud vosmetipsos [2]. » Id est, ne putetis vos sufficere vobismetipsis. Nam alibi quoque dicit Scriptura : « Væ prudentibus apud semetipsos, et in oculis » suis sapientibus [3]. » His autem rursus arrogantiam deprimit, et fastum tumoremque depellit. Nihil enim ita a reliquis amovet et abscindit, ut cum quis putat se sibi satis esse. Ideoque nos Deus ita constituit, ut alter altero opus haberemus. Etiamsi enim prudens sis, alio opus habebis,

[1] Hebr. XIII, 3. — [2] Rom. XII, 16. — [3] Isaï. V, 22.

si te non opus habere putes, omnibus factus es stultior et imbecillior. Nam qui talis est, se omni vacuum auxilio constituet, et in peccatis suis nulla fruetur vel correctione vel venia, ac per arrogantiam suam Deum ad iram concitabit, et in multis delinquet. Accidit namque, sæpe accidit ut qui prudens est, id quod oporteret non videat : et is qui stultior est, aliquid eorum quæ conveniunt reperiat; quod in Moyse et in socero suo contigit, quod in Saüle et in puero suo, quod in Isaaco et in Rebecca. Ne putes ergo te deprimi si altero indigeas. Hoc enim te magis exaltat, hoc te fortiorem facit, hoc te splendidiorem et tutiorem. « Nemini malum pro malo reddentes [1]. » Nam si alium qui tibi insidiatur vituperes, cur te crimini obnoxium facis? Si malum ille fecit, cur tu æmulationem non fugis? Et vide quomodo hic non distinxerit, sed communem legem posuerit. Neque enim dixit : « Fideli malum non reddas ; » sed, « Nemini, » etiamsi gentilis sit, etiamsi scelestus et quisquis tandem fuerit. « Providentes bona coram omnibus » hominibus; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omni» bus hominibus pacem habentes [2]. » Hoc est, « Luceat » lux vestra coram hominibus [3] : » non ut ad vanam gloriam vivamus, sed ut ansam volentibus ne præbeamus adversum nos. Unde alibi quoque dicit : « Inoffensi estote et » Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei [4]. » Bene autem in sequentibus id declarat dicens : « Si fieri potest, quod ex » vobis est. » Aliquando autem fieri nequit, ut cum de pietate sermo est, et quando de injuria affectis concertator. Et quid miraris, si apud alios homines id fieri non semper possit, quandoquidem inter virum et uxorem hanc solvit necessitatem dicens : « Si vero infidelis discedit, discedat [5] ; » id est, quæ penes te sunt præsta et nemini des ansam

[1] Rom. XII, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Matth. V, 16. — [4] I Cor. X, 32. — [5] Id. VII, 15.

belli et pugnæ, non Judæo, non Græco. Sicubi vero pietatem lædi videas, ne præponas concordiam veritati, sed generose persiste usque ad mortem : ac neque sic ex animo pugnes, neque ex voluntatis proposito ipsum averseris ; sed in rebus tantummodo pugnes. Id enim significat illud, « Quod est vobis est : cum omnibus hominibus pacem ha» bentes. » Et si ille pacem non servaverit, tu ne animum tuum tempestate repleas, sed ex proposito voluntatis amicus esto, ut dixi, veritatemque nusquam prodas. « Neque » vos ipsos ulciscentes, charissimi, sed date locum iræ : » scriptum est enim : Mihi vindicta, ego retribuam, dicit » Dominus [2]. » Cui iræ ? Dei. Quia enim hoc maxime videre cupit is qui injuria affectus est, ut ultione fruatur, hoc ipsum Deus abunde dat. Nam si te non ulciscaris, Deus ultor erit. Concede igitur illi, inquit, ut hoc aggrediatur. Id enim significat illud, « Date locum iræ. »

III. Deinde ut magis consoletur, testimonium adduxit, et hac ratione magis illum recreans, majorem ab illo philosophiam requirit dicens : « Si ergo esurierit inimicus » tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, » carbones ignis congeres super caput ipsius. Noli vinci a » malo, sed vince in bono malum [1]. » Quid enim dico, inquit, quod in pace sit vivendum? Nam inimico benefacere jubeo. Etenim ait : « Ciba illum et potum da illi. » Deinde quia rem laboriosam et magnam præcepit, subjunxit : « Hoc » enim faciens carbones ignis congeres super caput ipsius. » Hæc porro dixit illum metu reprimens, et hunc spe retributionis alacriorem reddens. Nam qui injuste læsus est, cum infirmatus fuerit, non de propriis bonis ita afficitur, ut de supplicio ejus qui se læsit. Nihil enim ita jucundum est, ut ultio de inimico sumpta. Quod ergo desiderat, hoc illi primo dat, et postea cum venenum amisit, tunc ad su-

[1] Rom. xii, 19. — [2] Ibid. 20, 21.

blimiora hortatur, dicens, « Noli vinci a malo. » Sciebat enim inimicum, etiamsi fera esset, inimicum tamen non mansurum si cibum ab illo acceperit. Et si is, qui læsus fuit, quantumcumque vindictæ cupidus sit, postquam inimico cibum et potum dederit, non ultra certe vindictam ejus optaturus est. Ideo de fine et exitu rei fiduciam habens, non simpliciter comminatur, sed supplicium vario modo depingit. Non enim dixit : « Vindictam sumes, » sed, « Carbones ignis congeres super caput ejus. » Deinde sic prædicans illum alloquitur : « Noli vinci a malo, sed vince » in bono malum. » Atque ita sensim subindicat non oportere tali animo facere. Nam injuriæ memoriam adhuc retinere, est vinci a malo. At primo quidem illud non dixit; neque enim tempus erat. Cum autem iram illius evacuavit, tunc subjunxit dicens, « Vince in bono malum. » Nam et hoc victoria est. Pugil enim magis vincit, non cum se subjicit ad plagas recipiendas, sed quando erigens se ipsum, id agit ut adversarius in aërem vim suam effundat. Ita enim ipse plagas non accipiet, et ejus vires dissolvet. Id quod etiam in contumeliis evenit. Nam cum contumeliam contumelia repellis, superatus es non ab homine; sed quod turpius est, ab illiberali affectu. Si vero taceas, vicisti, ac sine labore tropæum erexisti, innumerosque habebis te corona donantes, et convitii falsitatem damnantes. Nam qui contradicit, quasi ex convitii morsu contradicere videtur : cum morsum vero sentiat, suspicionem præbet, quod sit dictorum conscius. Si vero deriseris, ex risu calculum et judicium contra te latum solvisti. Si autem velis claram dictorum demonstrationem accipere, ipsum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum ardens contumeliam vicissim profers, an cum convitiantem derides, atque hoc postremum magis audies? Neque enim tantum placet ipsi quod vicissim convitia non reponas,

quantum mordetur quod non possit te commovere. Non vides furore percitos homines, qui plagas acceptas non multum curantes, impetu magno irruunt et plus quam sues agrestes proximi vulnera quærunt, atque ad hoc unum respiciunt, hocque magis curant, quam caveant ne sibi vulnus inferatur? Quando igitur illum ea re privas, quam ipse summopere cupit, omni jam optata re privasti, dejecisti, contemptu dignum ostendisti, et puerulum magis quam virum : et tu philosophi calculum adeptus es, illi vero malæ bestiæ famam conciliasti. Illud et cum verberamur, faciamus : si verberare velimus, ne vicissim verberemus. Sed vis letalem inferre plagam? Verte illi alteram maxillam, et mille illum vulneribus confodies. Nam qui plaudunt et mirantur, graviores sunt quam si illum lapidarent : ante illos etiam conscientia ipsum damnabit, et maximas repetet pœnas, et ac si extrema passus esset, sic erubescens abscedet. Si vero gloriam apud multos quæris, hac quoque magis fueris. Alioquin autem erga illos qui male patiuntur aliqua movemur commiseratione. Quando autem videmus illos non sese ulciscentes, sed sese sponte exponentes, non modo commiseratione, sed etiam admiratione dignos habemus.

IV. Ideo jam ego pene ingemisco, quod qui possemus et præsentibus potiri, si Christi leges ut par est audiremus, et futura etiam consequi; ab utrisque excidimus, dictis non obsequentes, inutiliter philosophantes. Nam utiliter has omnes leges constituit, ostenditque, quid gloriosos redderet, quid turpes et inglorios. Neque hæc ille præcepisset, si hinc Discipulos suos ridiculos facturus fuisset. Sed quia hoc illos omnium splendidissimos reddit, quod non male dicant, cum male audiunt; quod non male faciant, cum male patiuntur; ideo hæc præcepit. Si hoc autem, multo magis gloriosum erit bene dicere, cum male audiunt; lau-

dare, cum convitiis impetuntur; insidiantibus beneficia præstare. Ideo et hanc quoque legem tulit. Discipulis enim suis parcit, scitque probe quid aut parvum aut magnum faciat. Si ergo et parcit et bene novit, cur cum illo contendis, cum alteram viam vis inire? Nam vincere mala faciendo, ad diabolicas pertinet leges. Ideo in olympicis certaminibus ipsi consecratis, sic qui decertant omnes vincunt. At non in Christi stadio ea est coronarum lex; sed contraria omnino; lege enim statutum est eum qui percutitur, non eum qui percutit, coronandum esse. Tale siquidem ipsius stadium omnia e contrario constituta habet; ita ut non ex victoria tantum, sed ex victoriæ modo, majus sit miraculum. Quando enim ea quæ alibi clades habentur, victoriam hic pariunt: hoc Dei potentia, hoc cœli stadium, hoc angelorum theatrum. Scio vos jam accensos esse, et cera molliores esse factos; sed cum discesseritis, omnia effundetis. Ideo doleo, quod dicta ad opus non adhibeamus, cum tamen inde magna lucra reportaturi simus. Nam si mansuetudinem exhiberemus, insuperabiles essemus omnibus, nemoque sive parvus sive magnus nobis vel tantillum nocere posset. Sive enim quis maledixerit tibi, te ille nihil, se vero multum læserit. Si tibi injuriam fecerit, damnum penes injuriam inferentem erit. Non vides in judiciali foro, quod qui injuria affecti sunt, splendidi et cum multa fiducia stent libere loquentes; qui vero læserunt demisso capite, cum pudore et metu versentur? Et quid dico accusationem et injustitiam? Etiamsi gladium inimicus contra te acuerit, dexteramque in guttur immerserit, te quidem nihil læsit, seseque jugulavit. Sermoni fidem facere possit, is qui primus sic interfectus est fraterna manu. Ille enim ad tranquillum portum abiit, immortalem adeptus gloriam; alter vero vita quavis morte miseriore vixit, gemens ac tremens, et in corpore accusa-

tionem sceleris circumferens. Ne itaque hoc, sed illud persequamur. Qui enim male patitur, non habet manens in se malum; neque enim ipse malum peperit; sed aliunde illud accepit, et per patientiam bonum reddidit: qui autem malum intulit, in se plagam nequitiæ habet. Annon Joseph in carcere erat, insidiatrix vero ejus adultera in ædibus splendidis et illustribus? Quem malles esse? Necdum tamen mercedem dixeris, sed ipsa utrinque facta per se perpende: sic enim longe præferes carcerem cum Josepho, ædibus illis in quibus scortum erat. Nam si utriusque animam videris, hanc in latitudine et fiducia multa videbis; Ægyptiæ vero animam, in angustia, pudore, mœrore, tumultu, multaque tristitia. Quanquam illa vincere videtur: at non erat hæc victoria. Hæc cum sciamus, ad mala patienda nos præparemus, ut a malis tandem liberemur, et futura consequamur bona, quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri unaque cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in infinita sæcula. Amen.

FINIS TOMI OCTOGESIMI SECUNDI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 178.

Duo manuscripti nostri, καὶ Φιλιππησίοις. Savil. legendum conjicit, καὶ Εφεσίοις, quia in Epistola ad Ephesios quid simile habetur : at vox sequens δημηγορῶν indicat in concione quadam vel colloquio, quale Mileti habuit, hæc verba reperiri, et vere ibidem habentur.

ANNOTATIO (2) pag. 205.

Platonis doctor Socrates moriturus gallum jubet Æsculapio sacrificari. Vide Platonem in Phædone de morte Socratis. Hæc postrema vox fuit celeberrimi philosophi.

ANNOTATIO (3) pag. 212.

Unctione sicca uti, qualis extra balnea sumebatur ab athletis et in palæstra. Hæc vero servis prohibebantur.

ANNOTATIO (4) pag. 267.

Et non centesimam : centesima, ut alibi diximus, usuræ genus erat, quo fœneratori singulis mensibus centesima pars sortis solvebatur, atque adeo summa capitis seu sortis centesimo mense usuris adæquabatur.

ANNOTATIO (5) pag. 337.

Erat ille Aristippus. Vide Diogenem Laërtium in Aristippo.

ANNOTATIO (6) pag. 376.

Hæc de zizaniis dicta cum Evangelio non omnino consonare videntur.

ANNOTATIO (7) pag. 396.

Abductiones, id est, abductiones ad supplicium et ad cædem, qua voce hoc sensu utitur sæpe Chrysostomus. Eodem usu ἀπάγω legitur in Actibus Apostolorum, cap. XII, 19.

ANNOTATIO (8) pag. 407.

In Glossis dicitur *impostor, stellionator*. Eodem hic sensu vox hæc intelligenda est. Itaque illi pauperes ἐπιθέται erant, qui sub ementita specie panem vel pecuniam emendicabant, quos non repellendos esse ait S. Doctor qui eadem utitur voce Homiliis in Epistolam ad Hebræos.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Procœmium Epistolæ ad Romanos, p. 167.	Ejusdem fragmenta, tom XI, p. 83-85.
Homilia I. In eadem, p. 173.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 85-92.
Homilia II, p. 183.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 92-102.
Homilia III, p. 199.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 102-107.
Homilia IV, p. 209.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 108, 109.
Homilia V, p. 217.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 109-113.
Homilia VI, p. 235.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 113-115.
Homilia VIII, p. 272.	Ejusdem fragmenta et analysis, tom. XI, p. 115-123, et tom. XIX, p. 206-213.
Homilia IX, p. 293.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 123-127.
Homilia X, p. 505.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 127.
Homilia XI, p. 321.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 128.
Homilia XII, p. 338.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, ibid.
Homilia XIII, p. 361.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 128, et tom. XVII, p. 266-275.
Homilia XIV, p. 388.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 129, et tom. XVIII, p. 206-215.
Homilia XV, p. 415.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 129, 130.
Homilia XVI, p. 429.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 130-132, et tom. XVI, p. 534-536.

Homilia XVII, p. 455.

Homilia XVIII, p. 469.

Homilia XIX, p. 487.

Homilia XX, p. 508.

Homilia XXI, p. 519.

Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 132-134. et tom. XVIII, p. 30-33.

Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 134-137.

Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 137-148, et tom. XV, p. 112-125.

Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 146, et tom. XII, p. 426-432.

Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 147, et tom. XVIII, p. 49-55.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI SECUNDI.

HOMILIÆ IN ACTA APOSTOLORUM.

Pagin.

Homilia XLVII. Caput xxi. 3
— XLVIII. Caput. xxii. 13
— XLIX. Caput xxiii. 23
— L. Caput xxiv. 33
— LI. Id. caput. 44
— LII. Caput. xxv. 56
— LIII. Caput xxvii. 70
— LIV. Caput. xxviii. 81
— LV. Id. caput. 90

HOMILIÆ DE MUTATIONE NOMINUM.

Homilia I. Cum lectus esset ile textus, *Paulus autem adhuc spirans minas et cædem*, cum expectarent omnes homiliam in principium capitis noni Actorum habendam : et quod resurrectionis demonstratio sit Pauli vocatio. 99

Homilia II. Ad eos qui reprehendebant eum ob prolixitatem eorum quæ dicta fuerant, et ad eos qui brevitatem orationis ægre ferebant, deque Sauli et Pauli appellatione, et cur primus homo vocatus sit Adam, et quod utiliter ac fructuose; atque in eos qui recens fuerant illuminati. 114

Homilia III. Ad eos qui ipsum reprehenderant ob proœmiorum prolixitatem, quod utile sit reprehensiones æquo animo ferre : et cur Paulo non statim atque credidit nomen mutatum est, itemque quod non ex necessitate, sed ex libera voluntate facta sit hæc mutatio, et in dictum illud : *Saule, Saule, quid me persequeris?* 127

Homilia IV. Reprehensio eorum, qui aberant ab Ecclesia, et cohor-

tatio ad præsentes, ut curam gerant fratrum : et in procœmium Epistolæ ad Corinthios, *Paulus vocatus* et de humilitate. 148

HOMILIÆ IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Procœmium. 167
Homilia I. Caput I. 173
— II. Id. caput. 183
— III. Id. caput. 199
— IV. Id. caput. 209
— V. Id. caput. 217
— VI. Caput II. 235
— VII. Caput III. 250
— VIII. Caput IV. 272
— IX. Id. caput. 293
— X. Caput V. 305
— XI. Caput VI. 321
— XII. Id. caput. 338
— XIII. Caput VII. 361
— XIV. Caput VIII. 388
— XV. Id. caput. 415
— XVI. Caput IX. 429
— XVII. Caput X. 455
— XVIII. Id. caput. 469
— XIX. Caput XI. 487
— XX. Id. caput. 508
— XXI. Caput XII. 519
— XXII. Id. caput. 531

Annotationes. 541
Concordantia. 543

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXXXIII.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XIV.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE!

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES.

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS. — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA DU COLOMBIER, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHEQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS OCTOGESIMUS TERTIUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVI.

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

OPERUM.

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS II.

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

HOMILIÆ XXXII IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

HOMILIÆ XLIV IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS I.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ XXXII IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

HOMILIA XXIII.

CAPUT XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit [1].

I. De hac re plurima verba facit in aliis etiam Epistolis [2], ut domesticos heris, sic et subditos principibus subjiciens. Id vero facit, ostendens Christum non ad eversionem communis politiæ leges suas induxisse, sed ad emendationem, docens ut ne superflua et inutilia suscipiantur bella. Sufficiunt enim insidiæ illæ, quæ propter veritatem nobis parantur, nec par est supervacaneas et inutiles adjicere tentationes. Vide autem quam opportune in hunc sermonem accesserit. Postquam enim magnam illam philosophiam requisivit, et amicis, et inimicis commodos, atque iis qui prospere, et iis qui infeliciter rem gererent, egenis, atque omnibus utiles reddidit, ac vitæ institutum quod Angelis deceret inseruit, iram evacuavit, arrogantiam repressit, illorumque animum in omnibus mansuetum reddidit; tunc de hisce rebus adhortationem inducit. Nam si iis, qui injuriam inferunt, contraria rependere oportet; multo magis iis, qui nos beneficiis

[1] Rom. XIII, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 147-148

ornant obtemperare convenit. Sed hoc quidem in fine adhortationis ponit. Interea vero illa non movet ratiocinia, quæ dixit; sed ea quæ ex debito obedire jubent. Et ostendens hoc omnibus imperari, sacerdotibus etiam et monachis, nec sæcularibus tantum, hoc ab exordio declarat dicens : « Omnis anima potestatibus sublimibus subdita sit; » etsi Apostolus esses, etsi Evangelista et Propheta, etsi quivis alius. Neque enim hæc subjectio pietatem subvertit. Nec simpliciter dixit : « Obediat, » sed, « Subdita sit. » Primum autem jus talis constitutionis, cum fidelibus ratiociniis convenit, quod a Deo hæc præcepta fuerint. Non est enim potestas nisi a Deo. Quid dicis? Omnis-ne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit. Neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est; sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinæ esse sapientiæ dico. Ideo non dixit : « Non enim est prin» ceps nisi a Deo; » sed de re ipsa loquitur dicens : « Non » enim est potestas nisi a Deo. Quæ vero sunt potestates, » a Deo ordinatæ sunt[1]. » Sic et cum quidam Sapiens dicit : « A Deo adaptatur viro mulier[2]; » hoc dicit, quia nuptias Deus constituit, non quia singulos qui mulieres ducunt ipse conjunxerit. Multos quippe videmus qui male, et non ex nuptiarum lege junguntur. Neque hoc Deo imputaverimus. Sed quod Christus ipse dixit : « Qui fecit ab initio, » masculum et fœminam fecit eos; et dixit : Ideo relinquet » homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ[3]. » Hæc Sapiens ille interpretans dicebat : quia illa honoris æqualitas bellum sæpe inducit, multos fecit principatus, multasque subjectiones, ut viri et mulieris, filii et patris, senis et juvenis, servi et liberi, principis et subditi, doc-

[1] Rom. XIII, 1. — [2] Prov. XIX, 14. — [3] Matth. XIX, 4, 5.

toris et discipuli. Ecquid miraris quod hoc in hominibus fecerit, quando idipsum in corpore fecit. Neque enim hic omnia paris honoris fecit; sed hoc minus, illud melius, et alia imperare, alia subdita esse jussit. In brutis quoque idipsum videre est, ut in apibus, in gruibus, in gregibus ovium agrestium. Neque mare hoc bono ordine privatum est; sed et illic multa piscium genera, sub uno ordinantur et militant, et sic longas peregrinationes suscipiunt. Nam ubi nullus principatus est, ubique malum et perturbatio regnant. Cum dixisset ergo undenam sit principatus, subjunxit : « Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi » resistit [1]. » Vide quo rem deduxerit, unde terruerit, ac quomodo ostenderit hoc ex debito fieri. Nam ne fideles dicerent : « Nos viles reddis, et contemptui exponis, » dum eos, qui regno cœlorum potituri sunt, principibus subdit: ostendit se ita non principibus, sed Deo illos subjicere. Nam qui principatibus subjectus est, illi obsequitur. Verum non ita loquitur, nempe quod Deo obsequatur is qui principibus obedit; sed per contrarium terret, et accuratius idipsum probat dicens eum, qui principi non obedit, cum Deo pugnare, qui hanc legem posuit; et hoc ubique demonstrare studet, quod non gratiam illis, sed debitum obediendo præstemus. Ita enim ille principes infideles ad piam religionem magis alliciebat, et fideles ad obedientiam. Etenim rumor undique circumferebatur, quo Apostoli ut seditiosi et novarum rerum auctores incusabantur, qui ad legum communium eversionem omnia facerent et dicerent. Cum enim ostendes communem Dominum nostrum hoc suis omnibus præcipere, eorum, qui Apostolos ut novatores traducebant, ora obstrues, et cum majori fiducia pro veritatis dogmatibus loqueris.

II. Ne itaque talis subjectionis te pudeat. Nam hanc

[1] Rom. XIII, 2.

Deus legem posuit, et eos qui ista contemnunt vehementer ulciscitur. Nam si non obsequaris, pœnas abs te non leves repetet, sed maximas, nec quidquam te repugnantem eximet, quin et ab hominibus gravissimo plecteris supplicio, nemoque tibi patrocinabitur, ac Deum magis irritabis. Quæ omnia subindicans dicebat : « Qui autem » resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt[1]. » Deinde post incussum timorem, ut rei utilitatem ostendat, per ratiocinia id suadet, ita loquens : « Nam principes non sunt » timor bonorum operum, sed malorum[2]. » Postquam enim profundam inflixerat plagam, illosque terruerat, rursus illos erigit, ut sapiens medicus levia adhibens pharmaca, consolando dicens : Quid times? quid exhorrescis? An te bene agentem corripit? an terribilis est virtutis studioso? ideo adjicit : « Vis autem non timere potestatem? » bonum fac et habebis laudem ex illa[3]. » Vides-ne quomodo illum cum magistratu conciliet, dum ostendit illum ipsius laudatorem sedere? vides-ne quomodo iram evacuaverit? « Dei enim minister est tibi in bonum[4]. » Tantum abest ut te terreat, ut etiam laudet : tantum abest ut impediat, ut etiam tecum cooperetur. Cum ergo et laudatorem habeas et adjutorem, cur non te subjicis? Cum alioquin faciliorem tibi virtutem reddat, malos quidem puniens, bonos autem beneficiis et honore donans, Deique voluntati cooperans : ideoque ministrum illum vocavit. Perpende autem : Ego ut temperans sis consulo, et ipse per leges ita dicit : Hortor ne quis avaritiæ studeat, ne rapiat : et ille super hæc judex sedet. Itaque is cooperator est, et nobis auxiliator, et ad eam rem a Deo missus est. Utrinque ergo venerabilis est; et quod a Deo missus est, et quod ad ejusmodi negotium. « Quod si malum feceris, time. » Non ergo princeps timorem incutit, sed

[1] Rom. XIII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 4.

nequitia nostra. « Non ergo frustra gladium portat[1]. » Vides-ne quomodo illum tibi exhibeat armatum ceu quemdam militem, peccatoribus terribilem ostendens? « Dei » enim minister est in iram, ultor ei qui malum operatur[2]. » Ne rursus pœnam audiens, supplicium et gladium, resilias, rursus dicit eum Dei legem implere. Quid enim si princeps ignoret? sed Deus ita instituit. Si ergo et dum punit et dum honorat, Dei minister est, virtutem vindicans, malitiam abigens, id quod Deo placet, cur cum illo contendis, qui tanta inducit bona, rebusque tuis viam parat? nam multi qui prius ex magistratus metu virtutem exercuerunt, postea propter Dei timorem illam amplexi sunt. Crassiores enim, non tam futura tangunt, quam præsentia. Qui ergo multorum animos præparat, vel timore, vel præmiis; ita ut aptiores sint ad doctrinæ verbum, jure minister Dei vocatus est. « Ideo necesse est subditos » esse, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam[3]. «Quid significat, « Non solum propter iram? » Non solum, inquit, quia si non subjectus es, adversaris Deo, et magna tibi mala et a Deo et ab hominibus pertrahis; sed quia etiam magistratus in rebus maximis tibi beneficus est, pacem concilians et administrationem politicam : et quia per magistratus mille bona civitatibus inferuntur. Si illos auferas, omnia abscedent, nec civitates, nec vici, nec domus erunt; non forum, non aliud quidpiam stabit; sed omnia subvertentur, potentioribus infirmiores devorantibus. Itaque etsi ira quædam inobedientem non sequeretur, te tamen subjici oporteret, ut ne videreris sine conscientia esse, et ingratus erga benefactorem. « Ideo enim et tributa solvitis, inquit: Dei enim ministri » sunt, in hoc ipsum incumbentes[4]. » Omissis beneficiis singulis, quæ a magistratibus præstantur civitatibus; ut

[1] Rom. XIII, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

sunt, bonus ordo, pax, alia ministeria, quæ milites spectant, quæ communia officia, ex hoc uno totum ostendit. Quod enim ab illo beneficia accipias, inquit, tu testificaris, mercedem illi persolvens. Vide sapientiam, prudentiamque beati Pauli. Quod enim onerosum videbatur esse et grave, nempe exactiones, hoc argumentum facit illorum providentiæ. Cur enim, inquit, tributa regis pendimus? Annon ut providenti? annon ut præposito sollicitudinis suæ mercedem damus? Atqui non penderemus, nisi a principio novissemus, ex tali principatu nobis lucrum accedere. Verum ideo jam olim ex communi decreto statutum est, ut magistratus a nobis alerentur, quia domesticis neglectis rebus, de publicis solliciti sunt, et in his otium totum impendunt, quo nostra servantur.

III. Cum dixisset ergo ea quæ ad externos pertinent, ad priora sermonem revocat : hoc enim modo fidelem magis pertrahere poterat. Rursusque ostendit Deo ita placere, qua in re consilium suum concludit, ita dicens : « Dei » enim ministri sunt. » Deinde laborem ipsorum ostendens atque miseriam, addit, « In hoc ipsum incumbentes. » Hæc enim illorum vita est, hoc studium, ut pace fruaris. Ideo in alia Epistola non solum illis subditos esse, sed etiam pro illis precari jubet : et postquam illic quoque ostendit lucrum esse commune, subjungit : « Ut placidam » et quietam vitam agamus[1]. » Neque enim parum nobis conferunt ad præsentis vitæ statum, arma moventes, hostes propulsantes, seditiosos in urbibus cohibentes, subortas in omnibus lites solventes. Ne mihi enim dixeris, quod quis sæpe hac potestate abutatur ; sed ipsius constitutionis bonum ordinem respice, et multam videbis ejus, qui a principio hanc legem statuit, sapientiam. « Reddite ergo » omnibus debita : cui tributum, tributum ; cui vectigal,

[1] 1 Tim. II, 2.

»vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, hono-»rem... Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem dili-»gatis[1]. » Iisdem adhuc insistit, non pecunias modo ipsis pendere jubens, sed honorem et timorem. Et quomodo qui supra dixit : « Vis non timere potestatem? fac bonum; » hic dicit : « Reddite timorem? » Intensum dicit honorem, non timorem ex mala conscientia partum, quem supra subindicavit. Nec dixit : « Date; » sed, « Reddite, » et debita adjecit : neque enim ad gratiam hoc facit. Debitum enim est, et nisi præstiteris, ingrati pœnas lues. Neque putes te vilem fieri, et nocumentum accipere secundum philosophiæ tuæ dignitatem, si præsente principe surgas, si caput detegas. Nam si cum tunc principes Gentiles essent, hoc præcepit; multo magis nunc cum fideles sunt, hoc præstandum est. Quod si tu dicas tibi majora concredita esse, disce non adesse nunc tempus tuum. Extraneus enim es et peregrinus. Erit tempus quo omnium splendidissimus apparebis. «Nunc vita tua abscondita est cum »Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, tunc et vos »cum illo apparebitis in gloria[2]. » Ne quæras igitur in hac fluxa vita retributionem; sed si cum timore adesse oporteat coram principe, ne putes indignum hoc esse nobilitate tua. Deus enim ita vult, ut princeps ab illo creatus, suam fortitudinem habeat. Etenim cum is, qui nullius sibi mali conscius est, cum timore astat ante judicem; multo magis is, qui mala perpetrat, timore corripietur. Tu vero hinc etiam splendidior eris. Neque enim ex tali honore præstito vilis efficeris; sed si honorem non exhibeas. Et ipse princeps te magis mirabitur et Dominum tuum hinc glorificabit, etiamsi infidelis sit. « Nemini quidquam »debeatis, nisi ut invicem diligatis. »Rursus ad matrem bonorum confugit et ad dictorum magistram virtutisque

[1] Rom. XIII, 7, 8. — [2] Coloss. III, 3, 4.

omnis causam : dicitque ipsam esse debitum ; non quidem tale quale est tributum, quale vectigal, sed perpetuo colendam : nunquam enim illam reddi vult ; imo semper quidem reddi vult, non tamen impleri, sed semper deberi. Tale quippe debitum est, ut semper detur, semper debeatur. Cum dixisset ergo quomodo diligere oporteat, ejus rei lucrum declarat dicens : « Qui diligit alium, le» gem implevit. » Neque hoc quoque gratiam esse putes ; nam et hoc debitum est : debes quippe fratri dilectionem, ob cognationem spiritualem. Neque hac solum ratione, sed quia membra sumus alter alterius. Et si dilectio hæc recedat, totum dissipatum est. Dilige ergo fratrem. Si enim ex ejus dilectione tanta lucraris, ut totam legem impleas, debes illi dilectionem, ut tali ab illo beneficio affectus. « Illud enim : Non adulterabis : Non occides : » Non furaberis : Non falsum testimonium dices, et si quod » aliud mandatum, in hoc verbo summatim comprehen» ditur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum [1]. » Non dicit simpliciter, impletur, sed summatim comprehenditur, id est breviter, ac totum præceptorum opus in brevi perficitur : nam principium et finis virtutis est dilectio ; hanc habet radicem, hanc materiam, hoc culmen. Si ergo illa est et principium et plenitudo, quid huic par est ?

IV. Verum non simpliciter dilectionem requirit ; sed etiam vehementem. Neque enim simpliciter dixit : « Dilige proxi» mum tuum, » sed, « Sicut te ipsum. » Ideo enim Christus et Legem et Prophetas ab illa pendere dicebat [2]. Et cum quo posuisset dilectionis genera, vide quo illam deduxerit. Cum dixisset enim primum mandatum esse : « Diliges « Dominum Deum tuum, » subdidit : « secundum vero ; » nec tacuit, sed adjecit, « Simile huic : Et proximum tuum si-

[1] Rom. XIII, 9. — [2] Matth. XXII, 89.

» cut te ipsum. » Quid huic benignitati par fuerit? Quid huic mansuetudini? cum immenso spatio ab illo distemus, dilectionem illam inter nos mutuam, juxta illam adducit, qua ipse diligitur, et similem huic esse dicit. Ideoque mensuram utrique prope eamdem ponens, de illa dicebat, « Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua ; » de hac vero quæ proximi est, sicut te ipsum dicit. Paulus vero, si hæc non fuerit, non multum utilitatis ab illa carpi dicit. Quemadmodum ergo nos cum quemdam diligimus, dicimus : « Si illum diligas, me diligis; sic et ille idipsum declarans dicebat, « Simile est huic ; » et Petro : « Si diligis me, pasce » oves meas. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio[1]. » Vides-ne quomodo utramque virtutem habeat, abstinentiam a malis, nam ait: « Malum non operatur, » et bonorum operationem? Plenitudo enim Legis est, inquit; non solum nobis agendorum doctrinam breviter inducens, sed et ipsorum exhibitionem facilem reddens. Non enim hoc solum curat ut discamus ea quæ scire debemus, quod Legis officium est; sed et ad operationem ipsius magnum nobis inducit auxilium, non partem præceptorum, sed universam in nobis virtutem perficiens. Diligamus ergo nos invicem, ut qui hoc pacto eum qui dilexit nos Deum diligamus. Apud homines enim si quem ab alio amatum diligas, repugnat illius amator. Hic vero dignatur Deus amorem te communem habere, ac non communem habentem odit. Humanus quippe amor invidia et livore plenus est : divinus, omni passione vacuus. Propterea quærit qui secum in amore communicent. Dilige mecum, inquit, et tum ego te magis amabo. Vides-ne verba ardentis amatoris? Si dilectos meos dilexeris, tunc credam me sincere a te diligi. Etenim salutem nostram admodum desiderat, et hoc jam

[1] Rom. XIII, 10.

olim declaravit. Quando hominem efformavit, audi quid dixerit : « Faciamus hominem ad imaginem nostram[1] ; » et rursum : « Faciamus ei adjutorium[2], » neque bonum est eum esse solum. Et cum postea prævaricatum increpavit, vide quam mansuete id faciat. Non enim dixit illi : « Sceleste, execrande, tot acceptis beneficiis, diabolo postea in omnibus credidisti, et benefactore relicto, maligno dæmoni hæsisti? » Sed quid ait? « Quis tibi dixit quod nudus » esses, nisi quod de ligno, de quo solo præceperam tibi » ne comederes, comedisti[3] ? » Ac si pater, cum filio ne gladium contingeret præcepisset, illi non obsecuto, et vulnerato diceret : « Unde vulneratus es? Inde scilicet, quia me non audisti. » Vides-ne amici potius dicta, quam Domini? Amici, inquam. contempti, nec ideo amare cessantis. Imitemur ergo illum, et cum increpamus, hanc servemus mansuetudinem. Nam et mulierem cum eadem mansuetudine increpat; imo non increpatio; sed admonitio et emendatio erant quæ dicebat, atque ad futura cautio. Propterea ad serpentem nihil dicit (1) : ille namque erat malorum auctor, et non potuit ad alium tranferre culpam. Propterea illum vehementer punivit. Neque hic substitit, sed et terram maledicti participem fecit. Quod si hominem ejecit e paradiso, et ad laborem damnavit : ideo maxime ipsum adorare et admirari debemus. Quia enim deliciæ hominem ad ignaviam deduxerant; lætitiam abscindit, doloremque quasi murum ad ignaviam propulsandam posuit, ut ad ejus dilectionem redeamus. Quid vero erga Caïnum fecit? annon eodem usus est mansuetudinis modo? Nam ab illo contumelia affectus, non contumeliam retulit, sed hortatur et dicit : « Cur concidit » vultus tuus[4] ? » Etsi factum illud nullam habebat veniam. Ostendit hoc et frater junior. At neque sic increpat; sed

[1] Gen. I, 26. — [2] Id. II, 18. — [3] Id. III, 11. — [4] Id. IV, 6.

quid ait? « Peccasti? quiesce, ne adjicias ultra. Ad te » conversio ejus erit, et tu dominaberis illius[1], » de fratre loquens. Si enim times ait : Ne propter hostiam, primogeniti prærogativam a te auferam; confide, omnem siquidem principatum in illum in manus pono tuas. Tantum melior evadas, et dilige eum, qui in nullo te læsit : nam utriusque curam gero. Et hoc mihi maxime gaudio erit, si nihil inter vos sit dissidii. Sicut enim mater prolis amans; sic et Deus omnia facit et machinatur, ut ne quis ab altero divellatur.

V. Ut autem id quod dico per exemplum clarius percipias, cogita mihi Rebeccam turbatam et undique circumcursantem, cum major frater juniorem impugnabat. Etsi Jacobum amaret, Esaü tamen non aversabatur. Ideo dicebat : « Ne forte duobus filiis una die orber[2]. » Ideo Deus tunc dicebat : « Peccasti? quisce : aderit conversio illius; » sic cædem avertere volens, et pacem inter ambos quærens. Postquam vero illum Caïn occidisset, neque sic providentia sua illum destituit; sed rursus mansuete fratricidæ loquitur dicens : « Ubi est Abel frater tuus[3]? » ut hoc pacto rem confiteretur. Ille vero ut prius concertat, idque cum majore et graviore impudentia. Sed neque sic absistit Deus; imo rursus amatoris contumelia affecti et despecti verba facit, aitque : « Vox sanguinis fratris tui » clamat ad me[4]. » Ac rursus cum homicida terram ipsam perstringit, in illam iram emittens suam, dicens : « Male» dicta terra, quæ aperuit os suum ut exciperet sanguinem » fratris tui[5]; » imitatus eos qui casus deplorant. Id quod etiam David faciebat, postquam Saül ceciderat. Nam et ille montibus, qui sanguinem exceperant, maledicebat his verbis : « Montes Gelboë, ne cadat super vos ros, nec

[1] Gen. IV, 7. — [2] Id. XXVII, 45. — [3] Id. IV, 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11.

» pluvia, quia ibi projecta sunt scuta fortium[1]. » Ita et Deus quasi funebrem cantum edens, ait : « Vox sangui- » nis fratris tui clamat ad me. Et nunc maledictus tu de » terra, quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem » fratris tui de manu tua. » Hæc porro dicebat efferves- centem illius furorem reprimens, et suadens ut vel defunc- tum diligeret. Illius vitam extinxisti, ait, cur inimicitiam non jam extinguis? Sed quid facit? Sed quid facit Deus? Et illum et hunc diligit. Utrumque enim ille efformavit. Quid ergo? impunitum-ne homicidam relinquat? At sic ille pejor fiet. An puniet? At patre quovis amantior est. Vide igitur quomodo et puniat simul et amorem exhibeat; imo vero non punit, sed corrigit tantum. Neque enim oc- cidit illum, sed tremore constrinxit, ut culpam exueret, ut vel sic ad ipsius amorem reverteretur, et cum defuncto pacisceretur. Neque enim volebat eum inimicum defuncti ex hoc sæculo migrare. Tales sunt ii qui amant, quando beneficia præbentes non diliguntur, coguntur vehementes fieri et comminari, non sponte quidem, sed ab ipso amore ad hoc deducti, ut vel sic eos qui se despiciunt attrahant. Quanquam enim hæc dilectio necessitatem quamdam affe- rat : attamen ipsos etiam per hoc consolatur, quod admo- dum diligat, itaque vel ipsa punitio ex amore procedit. Nam qui non dolent quod odio habeantur, neque punire cupiunt. Vide ergo et Paulum hæc Corinthiis dicentem : « Quis est, inquit, qui me lætificet, nisi qui contristatur » ex me[2]? » Itaque cum magis supplicium auget, tunc amorem ostendit. Sic et Ægyptia quod multum amaret, vehementer etiam Josephum ulta est. Sed illa quidem ad malum, impudicus enim amor erat; Deus autem ad bo- num : digna quippe erat amante dilectio. Propterea non recusat ad crassiora verba descendere, humanorumque

[1] 1 Reg. 1, 21. — [2] 2 Cor. 11, 2.

affectum verbis uti, seseque æmulatorem vocare. « Deus » enim æmulator sum[1], » inquit, ut discas amoris vehementiam. Diligamus ergo illum ut ipse vult : magna quippe res esse putatur. Si nos avertamus, manet adhortans; si converti nolimus, punit quia diligit, non ut pœnas repetat. Vide ergo quid dicat in Ezechiele ad civitatem, quæ diligebatur, sed contemnebat eum : « Ducam ad te ama- » tores tuos, et tradam te in manus eorum, et lapidabunt » te, et occident, et auferetur zelus meus a te, et requies- » cam, et non amplius curam tui geram[2]. » Quid amplius dixerit vehemens amator ab amata contemptus, et postea rursum amore illius incensus. Nihil enim non agit Deus ut diligatur a nobis; ideoque neque Filio suo pepercit. At nos immites ac crudeles sumus. Sed simus tandem mansueti, diligamusque Deum ut diligere par est, ut cum voluptate virtute fruamur. Si enim qui mulierem habet dilectam, nihil sentit ex iis quæ quotidie tristia accidunt : qui hoc divino et puro amore tenebitur, cogita quanta fruetur voluptate. Hoc enim, hoc, inquam, regnum cœlorum est, hoc bonorum fruitio, hoc voluptas, hoc lætitia, hoc gaudium, hoc beatitudo; imo quidquid dixero, nihil unquam potero dignum afferre : sola experientia hoc docere bonum potest. Ideo dicebat Propheta : « Delectare » in Domino; » et, « Gustate et videte quoniam suavis est » Dominus[3]. » Obsequamur ergo, et delectemur in ejus dilectione. Sic enim hinc jam regnum cœlorum videbimus, et vita vivemus angelica : atque in terra versantes, nihil minus habebimus quam ii qui in cœlo habitant, et postquam hinc migraverimus, omnium splendidissimi ante tribunal Christi sistemur, ineffabilique gloria fruemur; quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, unaque Spiri-

[1] Exod. xx, 5. — [2] Ezech. xxiii, 22. — [3] Psal. xxxvi, 4.

tui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

CAPUT XIII.

Et hoc, scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere[1].

I. Postquam omnia, quæ par erat, præcepit, illos ad bona opera exequenda ab eo quod urget impellet. Nam in foribus, inquit, astat judicii tempus : quemadmodum Corinthiis scribebat, « Tempus jam contractum est[2], » et Hebræis rursum : « Adhuc modicum aliquantulum, et qui » venturus est veniet, et non tardabit[3]. » Sed illic quidem laborantes erigens, et sudoribus frequentium tentationum consolationem adhibens, hæc dicebat. Hic vero dormientes excitans. Nam ad utrumque utilis nobis est hic sermo. Quid vero significat dictum illud : « Hora est jam nos de » somno surgere? » Id est, prope est resurrectio, prope est tremendum judicium; prope est dies illa ut clibanus accensa, et opus demum est ut ab ignavia nos expediamus. « Nunc enim propior est nostra salus, quam credidimus[4]. » Vides-ne quomodo jam illis resurrectionem adesse dicat? Tempore procedente, inquit, præsentis vitæ spatium insumitur, futuri vero sæculi tempus propius accedit. Si ergo paratus sis, et si omnia quæ præcepit feceris, salutis dies erit; sin contra feceris, non item. Sed interim non a tristibus, sed a jucundis hortatur, hac ratione illos a præ-

[1] Rom. XIII, 11.— [2] 1 Cor. VII, 29.— [3] Hebr. X, 37.— [4] Rom. XIII, 11.

sentium rerum affectu solutos reddens. Deinde, quia verisimile erat illos initio studiosiores esse, vigente nempe illorum desiderio, tempore vero procedente, hoc studium omne minui ac pene marcescere; dicit jam contrarium facere oportere, non procedente tempore dissolvi; sed potius vires exerere. Quando enim regis imminet adventus, tum tanto magis sese apparare oportet, quanto propius est bravium, tantoque magis sese excitare oportet ad certamina. Nam et cursores hoc agunt, cum ad cursus finem devenerunt, et ad bravium accipiendum, tunc magis excitantur; ideo dixit : « Nunc enim propior est nostra » salus, quam credidimus. Nox præcessit, dies autem ap» propinquavit[1]. » Si igitur illa desinit, hæc autem appropinquat; quæ hujus sunt deinceps faciamus, non quæ illius. Nam et in sæcularibus rebus ita fieri solet; et cum videmus noctem ad diluculum properare, et canentem audimus hirundinem, singuli proximum excitamus, licet adhuc nox non abscesserit: sed cum prorsus desiit, urgemus denique mutuo dicentes : Jam dies est, et diurna opera omnia aggredimur, assumptis vestibus, excussis somniis, somnoque depulso, ut nos paratos dies inveniat, ac nondum exortis solis radiis, tunc incipimus surgere, et operi manum admovere. Quod illic facimus, hoc jam quoque faciamus, phantasias exuamus, a somniis præsentis vitæ eruamur, profundum somnum deponamus, et pro vestimentis virtute induamur : hæc quippe omnia declarans ait : « Abjiciamus ergo opera tenebrarum et induamur » arma lucis[1]. » Nam ad aciem et pugnam dies nos advocat. Verum ne timeas, aciem et arma audiens. In armatura enim sensibili, durum est et exosum armari, hic vero desiderabile optabileque est. Lucis enim arma sunt; ideoque radio splendidiorem te reddunt, fulgorem magnum

[1] Rom. XIII, 12. — [2] Ibid.

emittentem, et in tuto te collocant : arma enim sunt, quæ te fulgentem reddunt, cum lucis arma sint. Quid ergo ? Annon necesse est pugnare ? Necesse quidem est pugnare, sed non defatigari et laborare. Neque enim bellum est hoc, sed chorea et celebritas. Talis est armorum natura, talis ducis virtus. Ac quemadmodum sponsus e thalamo cum specioso cultu prodit; sic et ille qui his munitus est armis : nam miles simul et sponsus est. Cum dicit autem : Dies appropinquavit, non jam sinit eam prope, sed jam lucere curat; ait enim : « Sicut in die honeste ambulemus[1]. » Jam enim adest dies, et ab iis quæ multi hortando adhibent, ab iisdem ipse attrahit illos, nimirum a decoro et honestate : multam quippe gloriæ, quæ a plurimis exhibetur, curam habent. Nec dixit, Ambulate, sed, « Ambulemus. » ut non onerosa sit hortatio, et tolerabilis increpatio. « Non » in comessationibus et ebrietatibus. » Bibere non vetat, sed præter mensuram bibere : non frui vino, sed cum temulentia frui vetat; ut et quod sequitur cum eadem mensura ponit : « Non in cubilibus et impudicitiis. » Neque hic vetat cum mulieribus misceri, sed scortari. « Non in con- » tentione et æmulatione. » Nam pravorum affectuum fomenta extinguit, concupiscentiam et iram. Quapropter non ipsa solum, sed ipsorum fontes aufert.

II. Nihil enim ita concupiscentiam incendit, et iram inflammat, ut vinum et temulentia. Ideo cum prius dixisset, « Non in comessationibus et ebrietatibus, » tunc adjecit, « Non in cubilibus et impudicitiis, non in conten- » tione et æmulatione[2]. » Neque hic constitit, sed cum a pravis nos vestimentis exuisset, audi quo nos ornatu postea decoret dicens : « Sed induimini Dominum nostrum Jesum » Christum[3]. » Non jam opera dicit, sed magis illos excitavit. Nam cum de malitia loqueretur, opera memoravit;

[1] Rom. XIII, 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 14.

cum autem de virtute agit, non jam opera, sed arma dicit, ostendens virtutem cum qui illa ornatur in omni securitate constituere, et in omni splendore. Neque hic constitit, sed rem majorem sermone aggrediens, quod longe horribilius est ipsum Dominum dat nobis indumentum, ipsum regem. Qui enim illo indutus est, omnem prorsus possidet virtutem. Cum autem dicit, « Induimini, » undique nos illo circumdari jubet; ut alibi ait, « Si vero » Christus in nobis; » et rursus, « In interiorem nostrum » hominem habitare Christum [4]. » Etenim animam nostram vult domum ejus esse, nosque illo indui ut vestimento; ut omnia nobis ille sit intus et foris. Etenim ipse plenitudo nostra est. Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis, et via, et vir et sponsus : « Despondi enim vos uni » viro, virginem castam [2]. » Est et radix, potus, cibus et vita. Nam ait : « Vivo jam non ego : vivit vero in me Chris- » tus [3]. » Est Apostolus, summus sacerdos, doctor, pater, frater, cohæres, et sepulcri consors et crucis. « Consepulti » enim sumus ipsi, inquit, et complantati facti similitudini » mortis ipsius [4]. » Est et supplex. « Pro Christo enim le- » gatione fungimur [5]. » Est et advocatus apud Patrem : nam « Supplicat pro nobis [6]. » Est et domus et hospes : « Qui » enim in me manet, et ego in illo [7]. » Est et amicus; « Vos » amici mei estis [8]; » et fundamentum, et lapis angularis. Et nos ipsius membra, agricultura, ædificatio, palmites et cooperarii. Quid enim non nobis esse vult, omni modo nos sibi conglutinans et conjungens? Id quod vehementer amantis est. Obtempera igitur ei, ac de somno surgens, induc illum : illo indutus, morigeram ipsi carnem præbe. Hoc enim subindicavit dicens : « Carnis curam ne feceritis

[1] Ephes. III, 16, 17. — [2] Id. I, 23. — [3] 2 Cor. XI, 2, et Galat. II, 20. — [4] Rom. VI, 4. — [5] 2 Cor. V, 20. — [6] Rom. VIII, 34. — [7] Joan. VI, 56. — [8] Id. XV, 14.

» in desideriis [1]. » Sicut enim non bibere, sed inebriari vetuit, non sponsam ducere, sed lascivire; sic nec curam gerere carnis prohibuit, sed ad concupiscentias tantum, ne scilicet necessitatem prætergrediamur. Nam quod illius curam gerere non prohibeat, audi quid Timotheo dicat: « Vino modico utere propter stomachum tuum, et fre- » quentes tuas infirmitates [2]. » Ita et hic curam geras quidem, sed ad sanitatem, non ad lasciviam. Neque enim illud cura et providentia esset, si flammam incenderes, si graviorem fornacem faceres. Ut clarius discatis quid sit curam ejus habere ad concupiscentiam, et ut talem curam fugiatis. Ebriosos, ventri studentes, eos qui se vestibus pretiosis ornant, deliciantes, eos qui vitam mollem et dissolutam ducunt cogitate, et intelligetis quid dictum sit. Illi enim nihil non agunt, non ut valetudine fruantur, sed ut luxurientur, ut concupiscentiam incendant. Sed tu qui Christum induisti, illis omnibus præcisis, unum quære tantum, ut sana sis carne: hactenus illam cura, et non ultra; sed totam curam in spiritualibus impende. Ita enim ex hoc somno surgere poteris, illis variis concupiscentiis non gravatus. Nam somnus est præsens vita, et quæ ad illam spectant a somniis nihil omnino differunt. Ac quemadmodum ii qui dormiunt, et insana verba proferunt, et nihil sani plerumque vident, ita et nos, imo pejus affecti sumus. Nam qui in somno turpia vel patravit vel dixit, expergefactus, a tupitudine liberatur, nec dat pœnas; hic autem non ita se res habet; sed et turpitudo et supplicium immortalia sunt. Rursus qui in somniis divites sunt, orto die se frustra divites fuisse deprehendunt; hic vero et ante diem hoc ipsum deprehendunt, et antequam hinc abeatur, somnia illa avolarunt. Excutiamus ergo hunc pravum somnum; nam si nos dormientes dies ille deprehendat,

[1] Rom. XIII, 14. — [2] 1 Tim. V, 23.

mors nos excipiet immortalis : et ante diem illum, inimicis omnibus hinc captu faciles erimus, et hominibus et dæmonibus : ac si nos occidere velint, nemo impediturus est. Quod si multi essent qui vigilarent, non tantum foret periculum. Cum autem unus tantum vel duo sint qui accensa lucerna, cæteris omnibus quasi multa nocte dormientibus, vigilent, ideo multa opus nobis est vigilantia, multa cautione, ne intolerabilia patiamur.

III. Annon splendidus nunc videtur esse dies? Annon omnes nos putamus et vigiles et cautos esse? Attamen, etsi forte quod dicturus sum cum risu excepturi sitis, hoc tamen dicam; iis qui multa nocte dormiunt et stertunt omnes similes sumus. Et si incorpoream substantiam videre possemus, ostenderem vobis quomodo plerique stertant; diabolus vero muros suffodiat et jacentes occidat, ac quæ intus sunt auferat, quasi in profundis tenebris omnia pro libito faciens. Imo vero, et si id oculis percipere non valeamus, verbo tamen describamus, et cogitemus quot sint ii, qui pravis concupiscentiis gravati sunt, quot gravi lasciviæ sopore detenti, qui lucem spiritus extinxerunt. Ideoque alia pro aliis vident, alia pro aliis audiunt, et nulli ex iis quæ hic dicuntur attendunt. Quod si ego mentior hæc dicens, et tu vigil stas; dic mihi, quid hic hodie factum est, annon hæc tanquam somnia audisti? Et scio quidem quosdam dicturos esse; neque enim adversus omnes loquor; sed tu qui his obnoxius es, qui frustra huc ingressus es, dic quis Propheta, quis Apostolus nobiscum et de quibusnam rebus locutus est? Sed non dicere possis. Nam multa hic quasi in somno disseruisti, verasque res non audisti. Hæc vero mulieribus quoque a me dicta sunto : nam ille multo somno deditæ sunt; atque utinam somno ! nam qui dormit, nec malum nec bonum quidpiam loquitur. Qui autem ita vigilat ut vos vigilatis, multa in malum

capitis sui verba profundit, usuras numerans, fœnorum cogitationes versans, impudentis cauponæ et negotiationis memor, spinas multas plantans in anima sua : nec injectum semen vel tantillum sinens respicere. Sed expergiscere et has spinas radicitus evelle, ebrietatemque excute : nam hinc somnus venit. Ebrietatem autem non ex vino tantum dico, sed ex sæcularibus etiam curis, et postea illam quæ ex vino procedit. Hæc porro non divitibus tantum ; sed etiam pauperibus dico ; maximeque iis qui amicorum convivia parant. Neque enim hoc deliciæ sunt aut recreatio; sed pœna et supplicium : deliciæ enim veræ sunt, non turpia loqui, sed honesta proferre, satiari, non disrumpi. Quod si id voluptatem esse putas, vespere voluptatem mihi illam ostende. Verum non poteris. Necdum dico inde parta damna, sed interim te de voluptate alloquor, quæ cito marcescit. Statim enim atque solutum convivium est, lætitia avolavit. Quod si vomitum dicam, gravedinem capitis, mille morbos et animæ captivitatem; quid ad hæc dices? Numquid enim quia pauperes sumus, turpiter agere debemus? Hæc porro dico, non quod conventus prohibeam vel convivia, sed ut turpiter agere vetem, et quod velim delicias esse vere delicias, non pœnam aut supplicium, non ebrietatem vel nimiam comessationem. Discant gentiles, quod Christiani deliciari sciant, sed deliciari cum decoro : nam ait ille, « Exultate Domino » cum tremore[1]. » Quomodo exultandum est? hymnos recitando, precando, Psalmos inducendo, vice illorum illiberalium canticorum. Ita Christus mense aderit, et benedictione totum convivium implebit, cum oraveris, cum spiritualia cecineris, cum pauperes ad eorumquæ apposita sunt, communionem vocaveris; denique cum in convivio bonum ordinem et temperantiam constitueris.

[1] Psal. II, 11.

Sic locum in ecclesiam convertes, cum pro intempestivis clamoribus et plausibus, omnium Dominum hymnis celebrabis. Nec mihi dicas aliam invaluisse legem; sed quæ male se habent emenda. « Sive manducatis enim, inquit, » sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam » Dei facite[1]. » Nam a talibus mensis malæ oriuntur concupiscentiæ, hinc lasciviæ, hinc uxores in contemptu, meretrices vero in honore apud vos sunt : hinc domorum eversiones, et innumera mala, omnia susdeque fiunt, et puro fonte dimisso, ad cœni cloacam curritis. Nam cœnum est meretricis corpus. Neminem alium interrogo quam te ipsum, qui in luto volutaris; annon de te ipso erubescas, annon te post peccatum? impurum reputes. Quapropter, obsecro, fugite fornicationem et hujus matrem, ebrietatem. Quid seminas ubi metere non licet; imo si metas, multum tibi dedecoris fructus afferet? Nam si nascatur puerulus, et tibi dedecus affert, et ipse injuria afficitur, qui propter te spurius et ignobilis nascitur. Etiamsi innumeras ipsi pecunias reliqueris, inglorius domi, inglorius in civitate, inglorius in foro judiciali est et qui ex meretrice et qui ex serva est ortus. Inglorius tu quoque et vivens et mortuus. Etiamsi enim decedas, manent tamen turpitudinis monumenta. Cur ergo omnia deturpas?

IV. Cur seminas ubi arvum corrumpere fructum curat? ubi multæ sunt sterilitatis causæ? ubi ante generationem cædes? Nam meretricem non meretricem solum manere sinis, sed etiam homicidam facis. Vides-ne ab ebrietate fornicationem, a fornicatione adulterium, ab adulterio cædem? Imo cæde pejus quidpiam, neque enim scio quo nomine appellem. Neque enim quod natum est occidit, sed ne nascatur prohibet. Quid ergo? Et donum Dei contumelia afficis, et cum ipsius legibus pugnas, et quod ma-

[1] 1 Cor. x, 31.

ledictio est, hoc quasi beneditionem quæris, et generationis promptuarium, cædis promptuarium facis, et eam, quæ ad prolis procreationem tibi data est mulier, ad patrandam cædem instruis? Ut enim amatoribus semper formosa et amabilis sit, et plus pecuniæ corradat, neque hoc facere recusat, multum ignis inde in caput tuum accumulans. Etiamsi enim hoc illius sit facinus, sed tu in causa es. Hinc idololatriæ. Multæ enim ut jucundæ appareant, incantationes, libamina, philtra, et innumera alia machinantur. Attamen post tantam turpitudinem, post cædes, post idololatriam, res hæc multis indifferens esse videtur, multis etiam uxores habentibus : ubi major est malorum colluvies. Nam hinc veneficia deinceps parantur, non in meretricis uterum; sed in eam, quæ læsa fuit, uxorem, insidiæ innumeræ, dæmonum invocationes, mortuorum incantamenta, bella quotidiana, pugnæ irreconciliabiles et assiduæ contentiones. Ideo Paulus cum dixisset, « Non in cubilibus et impudicitiis, » addidit, « Non in » contentione et æmulatione; » gnarus hujusmodi bella, domorum eversiones, liberorum injurias, et innumera mala parere. Ut ergo hæc omnia fugiamus, Christum induamus, et cum illo semper simus. Nam hoc est illo indutum esse, ab ipso nunquam deseri, ipsumque in nobis per sanctitatem et mansuetudinem nostram semper comparere. Sic et de amicis dicimus : ille talis talem istum induit, dilectionem magnam significantes, perpetuumque consortium. Qui enim induitur, illud esse apparet quo induitur. Appareat itaque semper in nobis Christus. Et quomodo apparebit? Si quæ illius sunt feceris. Quid vero fecit ille? « Filius hominis, inquit, non habet ubi caput » suum reclinet[1]. » Hoc et tu imitare. Cum cibum sumere oportuit, hordeaceis panibus usus est. Cum peregrinandum fuit, nusquam equi et subjugalia; sed tantum itineris pe-

[1] Luc. IX, 58.

dibus confecit : ut et defatigaretur. Cum dormiendum fuit, super pulvinari in prora navis jacuit. Cum recumbendum fuit, in fœnum concidere jussit. Vestimenta ejus vilia erant : sæpeque solus versabatur, neminem secum ducens. Illa etiam quæ in cruce, et quæ in contumeliis fecit, ubi didiceris, imitare : et sic Christum induisti, si carnis curam non habueris ad concuspiscentias. Neque enim voluptatem res illa habet. Etenim ipsæ concupiscentiæ alias graviores pariunt, et nunquam satietatem habebis, sed magnum tibi paries tormentum. Sicut enim is qui perpetuo sitit, etiamsi mille adsint fontes, nullum inde fructum percipiet; cum non possit morbum extinguere; sic et qui perpetuo in concupiscentiis vivit. Si vero intra necessaria te contineas, nunquam hac febri corripieris; sed omnia illa abscedent, ebrietates, lasciviæ. Tantum ergo comede, quantum satis sit ad sedandam famem; ita induere, ut tegaris tantum; neque carnem vestimentis exornes, ne illam perdas. Nam molliorem illam efficis, et ejus valetudinem labefactas, dum nimia illam mollitie dissolvis. Ut ergo illam ut bonum animæ vehiculum habeas, ut gubernator tuto ad navis clavos sedeat, et miles facile arma tractet, omnia recte componas. Non enim qui multa habet, sed qui paucis indiget, inexpugnabilis est. Ille enim, etsi nihil patiatur injuriæ, timet; hic vero etsi injuriam patiatur, meliore animi situ erit, quam ii qui nullam patiuntur injuriam; ideoque in majori alacritate versabitur. Ne igitur hoc quæramus, ut nemo molestiam inferat; sed ut etiamsi molestiam inferre velit, non possit tamen. Hoc vero non alio modo fieri poterit, quam si inter necessaria se contineat, nec plura concupiscat. Sic enim et hic deliciari poterimus, et futura consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

CAPUT XIV.

Infirmum autem in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationum. Alius credit se posse manducare omnia. Qui autem infirmus est, olera manducat[1].

I. Scio multis intellectu difficile esse quod dictum est. Quapropter opus est primo totius hujusce loci argumentum exponere, et exponere quid emendare volens hæc scripserit. Quid ergo vult emendare? Multi ex credentibus Judæorum erant, qui legis conscientia detenti, etiam post acceptam fidem, ciborum adhuc observantiam custodiebant, nondum audentes omnino a lege recedere. Deinde, ne deprehenderentur a suillis carnibus abstinere tantum, ab omnibus deinceps carnibus abstinebant, et olera tantum comedebant, ut illud magis jejunium esse videretur, quam legalis observatio. Alii rursum perfectiores erant, qui ab horum nullo abstinebant, quique illis talia observantibus onerosi ac molesti erant, exprobrantes, incusantes, et in mœstitiam conjicientes. Timens ergo beatus Paulus, ne paululum quid emendare volentes, totum subverterent; neve dum vellent eos ad ciborum indifferentiam deducere, id efficerent, ut illi a fide resilirent; et cum ante opportunum tempus totum emendare studerent, circa capitalia damnum inferrent, a Christi confessione illos assidue increpando removentes, ita ut in utraque incorrigibiles manerent; vide quanta utatur prudentia, et quo-

[1] Rom. XIV, 1, 2.

modo cum solita sibi sapientia, utrique parti providere curet. Neque enim increpantibus audet dicere : Perperam agitis, ne illos in suis observationibus firmaret; neque rursus dicit illos probe facere, ne vehementiores accusatores redderet, sed cum mensura correptionem illam instituit. Et videtur quidem fortiores increpare, sed totum in illos alios effundit, dum priores alloquitur. Hæc enim maxime emendatio molestiam non affert, quando ad alium sermone converso, alium perstringit. Neque enim eum qui increpatur, in iram efferri sinit, sed clam et sensim emendationis pharmacum adhibet. Vide quam prudenter illud agat et quam opportune. Cum dixisset enim : « Carnis cu» ram ne feceritis ad concupiscentias, » tunc ad hunc transit sermonem, ut ne videretur pro illis loqui qui increpabant et omnia comedere jubebant. Nam infirmior pars majori semper cura indiget. Ideo ad fortiorem statim sermonem dirigit dicens : « Infirmum autem in fide. » Vides-ne jam plagam illi inflictam? Cum dixit enim infirmum, ægrum illum esse demonstrat. Deinde alteram infligit dicens, « Assumite. » Ostendit enim iterum illum multa egere cura, quod extremæ ægritudinis signum est. « Non in disceptа» tionibus cogitationum. » Ecce tertiam infert plagam. Hinc enim declarat hujusmodi peccatum ejus esse, ut ii qui in eadem re non secum delinquunt, amicitiaque tamen ipsi conjuncti sunt, et ejus curationis sollicitudinem gerunt, dijudicentur. Vides-ne quomodo videatur quidem hos alloqui, et illos clam nec onerose increpet? Deinde ambos mutuo conferens, alium laudibus afficit, alium accusat. Subjungit enim : « Alius enim credit se manducare posse » omnia, » a fide commendans illum; « Qui vero infirmus » est, olera comedit, » hunc rursus vituperans ab infirmitate. Deinde quia tempestivam inflixit plagam, illum postea consolatur hic verbis : « Is qui manducat, non manducan-

» tem non spernat[1]. » Non dixit, « Sinat; » non dixit, « Ne » accuset; » non dixit, « Ne corrigat; » sed, « Ne vituperet, » ne respuat, » ostendens illos rem multo risu dignam facere. De altero autem non item; sed quomodo? « Qui non » manducat, manducantem non judicet[2]. » Sicut enim perfectiores, hos despiciebant, ut modicæ fidei, et subdolos, nothos, et adhuc judaïzantes; sic illi hos judicabant, ut prævaricantes, vel etiam gulæ deditos, quorum, ut verisimile est, multi ex gentibus erant. Quare subjunxit, « Deus » enim illum assumpsit[3]. » De illo alio autem non ita dixit: Quanquam despici quidem manducantis erat quasi helluonis; judicari autem, non manducantis quasi modicæ fidei. Sed ille hæc permutavit ostendens illum non modo dignum non esse qui despiciatur, sed posse etiam alium despicere. An et ego illum condemno, inquit? Nequaquam. Propterea adjecit, « Deus illum assumpsit. » Cur ergo de lege illum alloqueris quasi prævaricantem? Deus enim illum assumpsit, id est, ineffabilem suam erga illum gratiam exhibuit, et ab omni crimine liberavit. Deinde rursus ad fortem convertit sermonem: « Tu quis es qui judicas alie- » num servum[4]? » Unde palam est illos etiam judicavisse, neque solum despexisse. « Domino suo stat aut cadit. »

II. Ecce rursus aliam plagam. Et videtur quidem indignatio esse adversus fortem, infirmum vero perstringit. Cum dicit, « Stabit autem, » ostendit illum adhuc titubare, multaque egere attentione, tantaque cura, ut Deum ad hæc ut medicum advocet. « Potens est enim Deus statuere » illum[5]. » Id quod de iis qui admodum desperati sunt dicimus. Deinde, ne desperet, infirmum illum servum vocat dicens: « Tu quis es qui judicas alienum servum? » Et hic rursus etiam illum clam perstringit. Non enim propterea jubeo illum non judicari, quod ille talia faciat, quæ judi-

[1] Rom. XIV, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid.

cari non debeant, sed quia alienus est servus; id est, non tuus, sed Dei. Deinde illum rursus consolans non dixit, « Cadit; » sed quid? « Stat aut cadit. » Sive autem hoc, sive illud fuerit, utrumque ad Dominum spectat; ad illum quippe damnum tendit servo cadente; et illo stante, lucrum ad Dominum spectat. Hæc porro, nisi scopum Pauli respiciamus, qui vult illos non ante opportunum tempus increpari, indigna erunt illa cura quæ Christianos deceat. Sed, ut semper dico, qua mente hæc dicantur scrutari oportet, et de qua materia loquatur, et quid emendare velit cum hæc loquitur. Nec mediocriter autem illum pudefacit dum hæc loquitur. Nam si Deus, inquit, qui damnum patitur, nihil interim facit, quomodo tu non importunus sis, et præter modum curiosus, qui illum angis et exagitas? « Alius judicat diem inter diem; alius vero judi» cat omnem diem[1]. » Hic mihi videtur sensim de jejunio adumbrate loqui. Nam verisimile erat quosdam, qui jejunarent, eos qui non jejunarent assidue judicare : vel etiam in observationibus verisimile est quosdam fuisse qui statis diebus abstinerent, et statis non abstinerent. Quare dicebat : « Unusquisque in suo sensu abundet[2]. » Sic enim et observantium timorem abegit, rem esse indifferentem dicens; et insurgentium in eos contentionem abstulit, ostendens non tanta illos sollicitudine perpetuo exagitare opus esse. Non tanta autem sollicitudo exhiberi oportebat, non spectando rei naturam; sed quia nondum tempus erat, et quia illi nuper ad fidem accesserant. Nam Colossensibus scribens, hoc magno studio prohibet dicens : « Videte ne quis » vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secun» dum traditionem hominum, secundum elementa mundi, » et non secundum Christum[3]. » Et rursum : « Ne quis igitur » vos judicet in cibo aut in potu, et ne quis vobis bravium

[1] Rom. XIV, 5. — [2] Ibid. — [3] Coloss. II, 8.

» intercipiat[1]. » Galatis autem scribens, cum magna accuratione exigit ab illis in talibus rebus philosophiam et perfectionem[2]. » Hic autem non eadem utitur severitate, quod recens illi ad fidem accessissent. Ne itaque ad omnia trahamus illud, « Unusquisque in suo sensu abundet. » Nam cum de dogmatibus agitur, audi quid dicat : « Si quis vobis » evangelizaverit præterquam quod accepistis, etiamsi An» gelus fuerit, anathema sit[3]. » Et iterum : « Timeo ne sicut » serpens Evam decepit, sic corrumpantur sensus vestri[4]. » Et Philippensibus scribens dicebat « Videte canes, videte » malos operarios, videte concisionem[5]. » Apud Romanos autem, quia nondum tempus erat hæc emendandi, « Unus» quisque, inquit, in suo sensu abundet. » Nam de jejunio sermo erat, et illorum itaque arrogantiam reprimens, et horum metum abigens sic loquebatur, « Qui sapit diem, » Domino sapit : et qui non sapit diem, Domino non sapit : » et qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit » Deo : et qui non manducat, Domino non manducat et » gratias agit Deo[6]. » Adhuc in iisdem insistit; hoc autem vult significare : non de capitalibus agitur. Nam quod quæritur est, utrum et hic et ille propter Deum operentur : si ambo in gratiarum actionem desinant. Nam et hic et ille gratias agit Deo. Si ergo ambo gratias agunt, non magnum est discrimen. Tu vero mihi consideres, velim, illum hic etiam judaïzantem clam perstringere. Si enim illud quod quæritur est ut gratiæ agantur, palam est eum qui comedit gratias agere; non vero eum qui non comedit. Quomodo enim hoc faciat, cum adhuc legi adhæreat? quod et ad Galatas dicit : « Qui in lege justificamini, a gratia excidis» tis[7]. » Sed hic id quidem subindicat, sed non hoc ita declarat : nondum enim tempus erat. At interim illos tolerat,

1 Coloss. II, 16. — 2 Galat. I. — 3 Ibid. 8. — 4 2 Cor. XI, 3. — 5 Philip. III, 2. — 6 Rom. XIV, 6. — 7 Galat. V, 4.

et per sequentia illud magis aperit : « Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Deo » vivimus ; sive morimur, Deo morimur[1]. » Id clarius his verbis significat. Nam qui legi vivit, quomodo potest Christo vivere ? Neque hoc tantum his verbis probat, sed eum, qui ad illorum emendationem properabat, retinet, et patienter agere ipsi suadet, ostendens impossibile esse quod Deus illos contemnat, sed eos ipsum opportuno tempore emendaturum esse.

III. Quid ergo illud est, « Nemo nostrum sibi vivit ? » Liberi non sumus, Dominum habemus qui vult nos vivere, et non vult nos mori : et hæc ambo magis ad illum spectant, quam ad nos. Ilis enim ostendit ipsum magis nos curare, quam nos ipsi curemus, et divitias suas vitam nostram putare, mortemque nostram damnum suum. Non enim nobis ipsis morimur tantum, sed Domino ; siquidem moriamur. Mortem vero hic eam quæ ex fide est dicit. Satis quidem illud est ad persuadendum, quod Deus curam nostri gerat, quod et ipsi vivamus et ipsi moriamur. Verum non hoc contentus, aliud subjungit dicens : « Sive ergo vivi- » mus, sive morimur, Domini sumus. » Et ab illa morte ad naturalem transiens, ne videatur asperiorem facere sermonem, aliud signum, illudque maximum providentiæ suæ dat. Quale est illud ? « In hoc enim Christus et mortuus est » et resurrexit, et revixit, ut et mortuorum et vivorum do- » minetur[2]. » Itaque et hoc tibi persuadeat ipsum semper curare salutem et emendationem nostram. Nisi enim tantam erga nos providentiam habuisset, quæ necessitas erat œconomiæ seu incarnationis ? Qui ergo tantam curam gerit, ut nos sui efficiamur, ut etiam formam servi acceperit, et mortuus sit, ipse postquam sui facti sumus nos contemnet ? Non est hoc, non utique est ; nollet enim tantum negotii

[1] Rom. XIV, 7, 8. — [2] Ibid. 9.

projicere. In hoc enim, inquit, et mortuus est, quasi quis dicat, ille servum suum contemnere non possit; suum enim curat marsupium. Neque ita nos pecunias amamus, ut ille salutem nostram. Ideo non pecunias, sed sanguinem suum pro nobis effudit: et ideo nunquam eos abjicere possit pro quibus tantum pretium solvit. Vide autem quomodo potentiam ejus ineffabilem esse ostendat. In hoc enim, inquit, mortuus est, et revixit, ut mortuis et viventibus dominetur. Et supra: « Sive vivimus, sive morimur, ipsius » sumus. » Vides-ne intensam dominationem? Vides-ne fortitudinem inexpugnabilem? Vides-ne providentiam accuratissimam? Ne mihi viventes dixeris, inquit; etiam defunctis providet. Si autem defunctis, sine dubio et viventibus. Nihil enim omisit quod ad illud dominium attineat. Majoremque sibi in homines jurisdictionem apparavit, ut seorsim ab aliis omnibus nostri curam habeat. Homo quippe argentum deponit, ideoque servum suum sibi diligentissime retinet. Ipse vero mortem deposuit, et tanto empti pretio, cujus dominium sibi cum tanto studio et negotio acquisivit, salutem non nihili ducet. Hoc porro dicit judaïzantem pudore afficiens, suadensque illi, ut beneficii magnitudinem recolat, et quod cum mortuus esset revixerit, et quod a lege nihil lucratus fuerit, et quod ingrati admodum animi esset, relicto eo, qui tanta pro illo designavit, ad legem recurrere. Cum ergo illum satis perstrinxisset, rursus erigit dicens: « Tu vero quid judicas fratrem tuum? aut etiam » tu quare spernis fratrem tuum[1]? » Et videtur quidem illa ut paria ponere, ex dictis autem multum interesse discriminis ostendit. Et primo quidem fratris appellatione controversiam dirimit; postea vero terribilis illius diei commemoratione. Cum dixisset enim, « Quare spernis fratrem » tuum? » subjungit: « Omnes enim stabimus ante tribunal

[1] Rom. XIV, 10.

» Christi[3]. » Et videtur quidem hæc dicens perfectiorem increpare, verum judaïzantis mentem perstringit, non modo a beneficio accepto pudefaciens illum, sed etiam a futuro supplicio terrens. « Omnes enim, inquit, stabimus ante tri» bunal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Domi» nus, quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua » confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se ra» tionem reddet Deo[4]. » Vides-ne rursus quomodo judaïzantis mentem concutit, dum videtur alterum incessere? Tale siquidem est quod subindicat, ac si diceret : Quid tibi curæ est? An tu pro illo pœna plectendus es? Sed non ita loquitur; id ipsum vero subindicavit, mitius enuntians et dicens : « Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Ita» que unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo : » et Prophetam induxit omnium subjectionem ipsi testificantem, et subjectionem omnimodam, eorumque hominum, qui in Veteri Testamento erant universorumque omnino. Neque simpliciter dixit : « Unusquisque adorabit; » sed etiam confitebitur, id est, rationem gestorum reddet.

Esto itaque sollicitus, communem Dominum videns in tribunali sedentem, neque scindas vel dividas Ecclesiam, rejecta gratia ad legem recurrens. Nam lex quoque ipsius est; ecquid legem dico? et qui in lege et qui ante legem. Neque lex a te, sed Christus et a te et ab humana omni natura rationes repetet. Vides-ne quomodo solvit legis metum? Deinde ne videretur quasi de industria ut terreret illum hæc dicere, sed quasi ex præsenti serie eo devenisse, rursus in eodem argumento insistit dicens : « Non ergo » amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne » ponatis offendiculum fratri, vel scandalum[2]. » Hæc autem non minus ad illum, quam ad hunc pertinent; ideo utrique possunt aptari, et perfecto cui offendiculo est ciborum

[1] Rom. XIV, 11, 12. — [2] Ibid. 13.

observatio, et imperfectiori, qui de nimia reprehensione offendebatur. Tu vero mihi perpendas velim quantas dabimus pœnas, qui in quavis re offendiculo simus. Si enim, ubi res acta illicita erat, quod intempestiva increpatio esset, illam prohibuit, ne fratri res offendiculo esset; quando ne emendantes quidem offendiculo simus, quas digni erimus pœna? Si enim non servare culpa non vacat, ut ostendit is qui talentum defodit; offendiculo esse, quid non afferet damni? Quid ergo, inquies, si ille ex me offenditur, cum sit infirmus? Ideo certe omnia jure merito patiaris. Si enim fortis esset, non tanta egeret cura. Nunc autem quia infirmior est, ideo multa opus habet sollicitudine. Illam igitur ipsi præbeamus, et undique illam sustentemus. Non enim propriorum tantum malorum rationem dabimus, sed etiam eorum, in quibus aliis offendiculo fuimus. Cum autem illæ rationes subeundæ graves sint, si hæ quoque addantur, quomodo salutem obtinebimus? Ne putemus enim si peccatorum socios inveniamus, nos hinc excusationem habituros esse. Hoc nobis supplicii additamentum erit. Nam serpens plus quam mulier punitus est, ut et mulier plus quam vir, et Jezabel graviores dedit pœnas, quam Achab, qui vineam rapuerat: ipsa enim totum negotium texuerat, et regi offendiculo fuerat. Et tu igitur cum aliis perniciei causa fueris, graviora patieris quam ii qui a te supplantati sunt. Neque enim peccare ita perdit, ut et alios ad peccatum inducere. Ideo dicit: « Non solum hæc faciunt, » sed etiam facientibus consentiunt [1]. » Itaque cum quosdam peccantes viderimus, non modo non impellamus, sed etiam ex barathro nequitiæ retrahamus: ne ipsi aliorum perniciei pœnas subeamus. Ac frequenter memoriam repetamus tremendi tribunalis, fluvii ignei, vinculorum insolubilium, tenebrarum omni luce expertium, stridoris den-

[1] Rom. I, 32.

tium, vermis venenati. Verum, inquies, benignus est Deus. Ergo hæc mera verba sunt, nec dives ille, qui Lazarum contempsit, supplicio afficitur? nec virgines illæ fatuæ, ex thalamo ejiciuntur? qui Christum non aluerunt, non abeunt in ignem paratum diabolo et angelis ejus? qui sordidis vestiebatur indumentis, manibus et pedibus ligatis, non peribit? Qui centum denarios exegit, non traditus est tortoribus? non verum est id quod de mœchis dictum fuit: «Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extin»guetur[1]?» Sed hæ comminationes tantum sunt? Etiam, inquies. Et quomodo, quæso, tantam rem audes pronuntiare, et ex te ipso calculum ferre? Ego enim et ab iis quæ dixit et ab iis quæ fecit Christus, contrarium demonstrare valeo. Si enim propter futura supplicia non credis, saltem ex iis quæ jam facta sunt crede. Nam quæ facta sunt et in opus exierunt, minæ non sunt et verba. Quis ego sub Noë orbem totum inundavit, et grave illud naufragium curavit, totamque generis nostri perniciem? Quis postea fulmina illa et incendia immisit in Sodomorum terram? Quis Ægyptum totam in mare demersit? Quis sexcenta hominum millia in deserto consumpsit? Quis Synagogam Abironis combussit? Quis jussit terram os aperire, ac Core Dathan et socios absorbere? Quis septuaginta hominum millia uno temporis momento sub Davide perdidit? Dicam-ne eos qui privatim plexi sunt? Caïnum perpetuo supplicio traditum? Charmen cum toto genere suo lapidatum? Eum qui, quod ligna in sabbato collegisset, lapidatus est? Quadraginta duos pueros illos, qui sub Elisæo, a feris devorati sunt, nec veniam ob teneram ætatem sunt consecuti?

V. Quod si post gratiam quoque eadem ipsa videre cupis, considera quanta passi sint Judæi, quomodo mulieres

[1] Marc. IX, 44.

infantes suos comederint, aliæ assantes, aliæ alio modo consumentes. Quomodo intolerabili fami traditi, variisque bellis, priscas omnes tragœdias calamitatum suarum mole superarint. Quia enim Christus hæc illis mala intulit, audi illum hæc prædicentem et per parabolas, et clare ac dilucide; per parabolas, ut cum dicit: «Eos vero qui noluerunt » me regnare, adducite huc et occidite[1]: » ac per vineam, per nuptias. Clare autem ac dilucide, ut cum comminatur: Cadent in ore gladii, et captivi abducentur in gentes et erit anxietas in terra gentium, in angustia, resonante mari et fluctibus, arescentibus hominibus a timore [2]. « Et » erit tribulatio qualis nunquam fuit ab initio neque erit [3].» Ananias vero et Saphira pro paucorum argenteorum furto quantas dederint pœnas, omnes nostis. Annon vides quotidianas calamitates? An neque ista contigerunt? Non vides etiam nunc fame pereuntes? Eos qui vel elephantiasi vel alio morbo detinentur? Eos qui in penuria perpetua vivunt? Eos qui millia intolerabilia patiuntur? Quomodo æquum fuerit alios plecti, alios non plecti? Nam si non injustus est Deus, ut certe non est, peccatorum utique pœnas dabis. Quod si utpote benignus non puniat, neque illos puniri oportuit. Nunc autem ob talia verba nostra, multos hic punit Deus, ut cum comminantibus verbis non obsequamini, saltem ob illatum vere supplicium credatis. Et quia prisca illa non ita nos terrent, per ea quæ in singulis generationibus accidunt, suo tempore socordes corrigit. Et cur, inquies, non hic omnes punit? ut aliis spatium ad pœnitentiam tribuat. Et cur non omnes illic supplicio afficit? Ne hinc plerique ejus Providentiæ non credant. Quot latrones capti sunt, quot hinc migrarunt, non datis pœnis? Ubi est ergo Dei benignitas, ubi justum judicium? Meum namque fuerit jam abs te sciscitari.

[1] Luc. XIX, 27. — [2] Id. XXI, 24. — [3] Matth. XXIV, 21.

Nam si nemo prorsus supplicio afficeretur, posses illo confugere; cum vero alii dent pœnas, alii non, etsi gravius peccaverint, quomodo rationi consonum esse possit, ut pro iisdem sceleribus, non eædem pœnæ infligantur? Quomodo non videbuntur injuste puniri ii qui plectuntur? Cur ergo non omnes hic puniuntur? Audi ipsum Christum his de rebus respondentem. Quia enim quidam ex turri delapsa interierant, hac de re quærentibus dixit : « Putatis quod hi peccatores plus quam omnes erant? » Non dico vobis; sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes » simul peribitis [1]; » adhortans nos, ut ne fiduciam habeamus, cum cæteris pœnas dantibus, nos, qui multa peccata admisimus, pœnas non damus; nisi enim immutemur, puniemur haud dubie. Et cur, inquies, in æternum punimur, cum hic brevi tempore peccaverimus? Quo pacto homo, qui hic brevissimo tempore cædem patravit, in perpetuum ad metalla damnatur? At Deus, inquies, res hujusmodi non facit. Cur itaque paralyticum triginta octo annis in tanta pœna detinuit? Quod enim peccatorum causa illum punierit, audi quid dicat : « Ecce sanus factus » es, noli amplius peccare, ne tibi quid deterius con- » tingat [2]. » Attamen, inquies, solutionem invenit. Illic vero non ita se res habebunt. Quod enim finem non habitura sint, audi illum dicentem : « Vermis eorum non mo- » ritur, ignis non extinguetur [3]; » et, « Ibunt hi in vitam » æternam, et isti in supplicium æternum [4]. » Si ergo vita æterna est, supplicium est æternum. Non vides quanta comminatus est Judæis? An illa evenerunt, aut verba tantum data fuere? « Non manebit lapis super lapidem [5]. » Num mansit? Quid vero quando dixit. « Erit tribulatio » qualis non fuis [6]. » Annon id evenit? Lege historiam Jo-

[1] Luc. XIII, 4. — [2] Joan. V, 14. — [3] Marc. IX, 44. — [4] Matth. XXV, 46. — [5] Luc. XXI, 6. — [6] Matth. II, 21.

sephi, et vix respirare poteris, si solum audias quæ illi his de causis passi sunt. Hæc dico, non ut mœrore afficiam, sed ut cautiores reddam, ne superflue vos demulcens ad graviora patienda deducam. Nam cur, quæso, non dignus es supplicio cum peccas? Annon omnia tibi prædixit? Nonne minatus est? Nonne terruit? Nonne innumera pro salute tua fecit? Nonne lavacrum regenerationis dedit, et priora omnia condonavit? Nonne post remissionem et lavacrum, pœnitentiæ opem tibi peccanti dedit? Nonne etiam postea facilem tibi viam fecit ad remissionem peccatorum?

VI. Audi igitur quæ præceperit : Si dimittas proximo, dimittam tibi et ego [1]. Quam habet hoc difficultatem? « Judicare pupillo et justificate viduam, et venite, et dis- » ceptemus, inquit, et si fuerint peccata tua sicut phœni- » ceum, ut nivem dealbabo [2]. » Quid in hac re laboris? « Dic tu peccata tua, ut justificeris. » Quam hoc habet difficultatem? « Peccata tua eleemosynis redime [3]. » Quid hac in re sudoris? Dixit Publicanus : « Propitius esto mihi « peccatori [4], » et descendit justificatus. Quis labor fuerit Publicanum imitari? Sed post hæc tanta non vis credere, quod sit pœna et supplicium. Ergo ne diabolum quidem puniri dixeris. « Ite, inquit, in ignem paratum diabolo et » angelis ejus [5]. » Nam si gehenna non esset, neque ille puniretur : Quod si ille puniatur, palam est et nos, qui ejus opera patramus, puniendos esse. Nam et nos inobedientes fuimus, etsi non iisdem in rebus. Quomodo non times cum audacter loqueris? Cum enim dicis : « Benignus est Deus, nec puniet; » si puniat, non benignus secundum te deprehendetur. Vides-ne in quæ verba proferenda vos diabolus impellat? Quid autem, an monachi, qui montes occuparunt, et mille modis pietatem exercent, sine

[1] Matth. VI, 14. — [2] Isaï. I, 18. — [3] Dan. IV, 24. — [4] Luc. XVIII, 14. — [5] Matth XXV, 41.

corona abibunt? Nam si mali non puniuntur, nullaque est retributio, dicet fortasse alius, neque bonos coronari. Nequaquam, inquies: hoc Deo congruens est, ut regnum sit solummodo, et non gehenna. Ergo scortator et mœchus et qui mille mala patravit, iisdem fruetur bonis, quibus ii qui castitate et sanctitate floruerunt: et Paulus cum Nerone stabit, imo diabolus cum Paulo. Si enim non est gehenna, et tamen resurrectio est, improbi iisdem fruentur bonis quibus justi. Ecquis vel admodum insanus homo hoc dixerit? Imo quis dæmonum hoc protulerit? Nam et illi gehennam esse fatentur. Quapropter clamabant dicentes: « Venisti huc ante tempus torquere nos[1]? » Quomodo non times et exhorrescis, cum, dæmonibus fatentibus, tu neges? Quomodo non intelligis quis sit horum magister malorum dogmatum? Nam is qui ab initio hominem decepit, qui bona proposita spe, quæ in manu ejus erant bona excussit: hic est qui etiam nunc hæc dicere et sentire suggerit. Ideoque aliquibus suadet ut suspicentur non esse gehennam, ut in gehennam conjiciat. Quemadmodum contra Deus minatur gehennam, et præparavit gehennam, ut edoctus ita vivere, ut non incideres in gehennam. Atqui si cum gehenna sit, diabolus tibi hæc suadet, quomodo dæmones, si non fuisset, esse illam confessi fuissent, qui admodum curant, ut nos nihil tale suspicemur esse, ut hinc ignaviores facti, cum illis in ignem incidamus. Quomodo ergo, inquies, tunc confitebantur? Necessitatem instantem non ferentes. Hæc itaque omnia cogitantes; desinant ii qui talia dicunt et se et alios decipere. Nam verborum hujusmodi pœnas dabunt, terribilia illa traducentes, et multos qui sui curam gerere vellent, avertentes, neque barbaros Ninivitas imitati. Illi namque, etiamsi omnium imperiti, audientes quod civitas

[1] Matth. VIII. 29.

sua subvertenda esset, non modo non fidem negarunt; sed etiam ingemuerunt: sacco se præcinxerunt, et admodum demissi sunt, nec finem fecerunt hæc omnia præstandi, donec iram Dei placarent. Tu vero qui tantam habes rerum experientiam, verbis hæc quæ dicta sunt contemnis? Itaque contraria tibi contingent. Quemadmodum enim illi dicta timentes, reipsa supplicium non experti sunt; sic et tu verba minacia contemnens, reipsa pœnas experieris. Et si nunc hæc dicta tibi fabula esse videntur; sed secus cum res ipsæ tunc tibi fidem facient. Non vides quid et hic fecerit Christus? Quomodo duobus latronibus præsentibus, non iisdem utrumque dignatus sit, sed alium in regnum induxerit, alium in gehennam miserit? Ecquid dico latronem et homicidam? Neque enim apostolo pepercit, quia proditor factus est. Sed cum videret eum ad laqueum tendere, seseque strangulare, ac medium disrumpi; « Nam crepuit medius, et effusa sunt » omnia viscera ejus[1]; » attamen cum hæc omnia præsciret, permisit eum hæc omnia pati, a præsentibus, de futuris etiam omnibus tibi fidem faciens. Ne igitur vos ipsos decipiatis, diabolo obtemperantes: hæc enim sunt ejus consilia. Nam si et judices, et domini et præceptores, etiamsi barbari sint, bonos honorant et malos puniunt; quomodo consentaneum fuerit Deum contraria facere, et iisdem dignari, bonum et improbum? Quandonam ergo a malitia liberi erimus? Nam qui nunc supplicium expectant, et inter tot versantur timores, a judicibus, a legibus nec tamen a malitia desistunt; cum eo venerint ut hunc timorem deponant, quod non solum in gehennam non delapsuri sint, sed quod etiam regnum sint adepturi, quandonam a nequitia desistent? An hoc, quæso, benignitatis fuerit, malitiam fovere, et nequitiæ præmium statuere? iis-

[1] Act. I, 18

dem dignari bonis castum et lascivum, fidelem et impium, Paulum et diabolum? At quousque nos nugabimur? Quamobrem obsecro et oro, ab hac insania liberi, et ad vos ipsos redeuntes, animæ vestræ persuadeatis ut timeat et tremat; ut et a futura gehenna liberetur, et hac vita temperanter acta, futura bona assequatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

CAPUT XIV.

Scio et persuasum habeo in Domino Jesu, quod nihil sit commune per se : nisi qui existimat aliquid commune esse, illi commune est[1].

I. Cum prius eum, qui fratrem judicabat increpasset, atque illum ab increpando avertisset, tum demum de dogmate decernit, et placide infirmiorem instituit, multam hic quoque exhibens mansuetudinem. Non enim dicit; «Pœnas dabit,» neque aliud quid simile; sed timorem tantummodo a re abigit; ut eo facilius dictis suis morem gerat. Aitque, « Scio et persuasum habeo. » Deinde, ne quis ex non credentibus diceret : « Et quid ad nos si tu persuasus es? ne quæ enim ita fide dignus es, ut contra tantam legem, et oracula de cœlo allata stare possis, » subjungit, « In Domino; » id est, ab illo didici, ab illo certior factus sum. Non ergo humanæ mentis calculus est.

[1] Rom. XIV, 14.

Qua igitur de re persuasus est? Quid nosti? Dic : « Quod » nihil sit commune per se. » Natura, inquit, nihil immundum, sed a proposito utentis tantum. Illi ergo soli immundum est, non omnibus. Illi enim, inquit, qui existimat commune esse, commune est. Cur ergo non corrigit fratrem, ne putet immundum esse? Cur non a tali consuetudine et suspicione pro virili abducis, ut ne illud commune faciat? Timeo, inquit, ne mœrore illum afficiam. Quare subjungit : « Si autem propter cibum frater tuus » contristatur, jam non secundum charitatem ambulas [1]. » Vides-ne quomodo interim illum sibi familiarem reddat, ostendens se tantam illius rationem habere; ita ut ne illum mœrore afficiat, nondum audeat imperare illi ea quæ admodum necessaria sunt, ut eum ex indulgentia et ex charitate magis alliciat? Neque enim postquam timorem abegit, ipsi vim infert, ut attrahat, sed ipsum sui dominum relinquit. Par quippe non erat ut in mœrorem injiciendo, illum a cibo sumendo abduceret. Vides-ne quantam charitatis curam habeat? Sciebat enim illam omnia emendare posse. Quapropter majus quidpiam hic ab illis exigit. Non modo enim, inquit, illos non oportet in necessitatem inducere, sed si oporteat illis indulgere, id non recusandum est. Ideo hæc subjungit : « Noli cibo tuo illum perdere, pro » quo Christus mortuus est [2]. » An fratrem tuum tanti non facis, ut per abstinentiam a cibis ejus animam lucreris? At Christus neque servitutem, neque mortem illius gratia recusavit; tu vero neque cibos contemnis, ut illi salutem parias? quanquam enim non omnes lucraturus esset Christus, attamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat implens. Tu vero cum scias te illum propter cibum in majoribus subvertere, et adhuc contendis, atque eum quem Christus tanti facit, ita contemnendum putas, et illum

[1] Rom. XIV, 15. — [2] Ibid.

quem Christus dilexit, nullo in pretio habes? Ille non pro infirmo tantum, sed etiam pro inimico mortuus est; tu vero pro infirmo ne a cibo quidem abstines? et Christus quod maximum erat fecit: tu vero neque quod minus est facis? cum tamen ipse sit Dominus, tu vero frater. Hæc sane verba poterant illum coërcere: ostendunt enim illum contentiosum esse, et cum magna a Deo acceperit, ne modica quidem retribuere. « Non ergo blasphemetur bo-» num vestrum. Non est enim regnum Dei esca et potus[1]. » Bonum hic aut fidem dicit, aut futuram præmiorum spem, aut perfectam pietatem. Non modo enim, inquit, fratrem non juvas; sed et ipsum dogma, gratiam Dei, et donum blasphemari curas. Quando enim litigas et contendis, quando mœrore afficis, quando scindis Ecclesiam, et fratrem conviciis oneras, et quasi inimicum habes, externi blasphemant. Itaque non modo nihil inde emendatur, imo contrarium omnino accidit. Bonum enim vestrum est dilectio, fraternus amor, conjunctio et colligatio, vita in pace et mansuetudine acta. Deinde rursus ut hujus timorem, illius contentionem solvat, ait: « Non est enim reg-» num Dei esca et potus[2]. » Num ab illis probati esse possumus? quod et alibi dicit: « Neque si manducemus, » abundabimus; neque si non manducemus, minus habe-» bimus[3]. » Neque probatione hic opus est, sed satis est sententiam dixisse; ac si diceret: « Num si manducaveris hoc in regnum te inducit? » Ideoque illos carpens, ut altum ea de causa sapientes, non cibum modo dixit, sed et potum addidit. Quænam ergo sunt quæ in regnum inducunt? Justitia, pax, gaudium, vita cum virtute acta, pax cum fratre servata, cui contraria est contentio; lætitia, quæ ex concordia oritur, quam aufert increpatio. Hæc porro non uni tantum, sed utrique dicit.

[1] Rom. XIV, 16, 17. — [2] 1 Cor. VIII, 8. — [3] Ibid.

Erat enim hæc utrique dicendi opportunum tempus.

II. Deinde quia dixerat pacem et gaudium; pax vero et gaudium in malis etiam rebus invenitur; subjunxit, « In » Spiritu sancto. » Itaque qui fratrem perdit, pacem subvertit et gaudium, magisque læsit, quam is qui pecunias rapit. Quod autem pejus est; alius servavit, et tu injuria afficis et perdis. Cum autem hæc, nempe cibus, et ea quæ videtur esse perfectio, in regnum non inducant, inducant autem illa quæ hæc subvertunt, quomodo non oporteat modica contemnere, ut majora firmentur? Deinde quoniam increpatio illa ex vana gloria sensim suboriebatur, hæc adjicit: « Qui enim in his servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus[1]. » Non enim sic te mirabuntur omnes propter perfectionem, ut propter pacem et concordiam. Hoc quippe bono omnes fruentur, illo nullus. « Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt » mutuo custodiamus[2]. » Hoc ad illum, nempe infirmum pertinet, ut in pace sit; aliud ad fortiorem, ne fratrem suum dejiciat. Attamen illa utrique communia reddidit, cum dixit, « In invicem, » ostenditque sine pace non facile ædificari posse. « Noli propter escam destruere opus Dei[3]. » Salutem fratris sic vocans, et timorem augens, ostendensque illum contra conatum suum facere. Non solum enim, inquit, non ædificas quod putas, sed destruis, non hominis, sed Dei ædificium, neque magnæ cujusdam rei causa, sed vilis rei gratia; pro cibo, inquit. Deinde ne ex indulgentia hujusmodi, infirmior in mala sua opinione firmaretur, rursus docet illum his verbis: « Omnia quidem munda; » sed malum est homini, qui per offendiculum manducat[4]: » qui nempe cum conscientia mala. Itaque etiamsi coëgeris et ille comederit, nihil hinc utilitatis. Non enim immundum cibus facit, sed propositum quo comeditur.

[1] Rom. XIV, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid.

Nisi autem illud correxeris, frustra omnia fecisti, magisque nocuisti. Neque enim par res est quidpiam immundum putare, et immundum esse putantem degustare. Dupliciter igitur hic peccas, dum et contentione præjudicium auges, et impurum comedere cogis : igitur ne cogas, donec illi persuaseris. « Bonum est non comedere carnes, nec bibere vinum, neque quidpiam in quo frater tuus scandalizatur. aut offenditur, aut infirmatur[1]. » Rursus plus exigit, ut non modo non cogat, sed ut sese illi accommodet. Nam et ille hoc sæpe fecit; ut quando circumcidit, quando se totondit, quando judaïcam illam oblationem obtulit. Nec dicit illi ut hoc faciat, sed quasi opinionem suam profert; ut ne infirmiorem illum ignaviorem reddat. Et quid dicit ? Bonum est non comedere carnes, et quid dico carnes ? etiamsi vinum, etiamsi aliud quidvis offendiculo sit, abstine : nihil enim par est saluti fratris tui. Hocque Christus significat, qui de cœlo descendit, et omnia pro nobis passus est. Perpendas etiam velim, quomodo et illum quoque perstringat dicens : « Offenditur, » aut scandalizatur, aut infirmatur. » Ne mihi dicas, inquit, quod præter rationem, sed quod corrigere queas; nam satis justificatur ille, cum ita juvatur, quod infirmus sit : et tibi nullum hinc damnum emergit. Neque enim hypocrisis est illud, sed ædificatio et prudens consilium. Nam si coëgeris illum, et repugnabit, et te damnabit, et magis firmabitur ut non comedat. Si vero indulgens fueris, te amabit, nec dolorem suspectum habebit, ac deinceps poteris sensim in illo recta seminare dogmata. Si vero semel in te odium conceperit : aditum omnem verbis tuis præclusisti. Ne itaque cogas illum, sed tu propter illum abstine, non quasi ab immundo; sed quia alioquin illi offendiculo res erit : et sic ille magis te amabit. Ita et ipse

[1] Rom. XIV, 21.

Paulus præcepit dicens : « Bonum est non comedere car-» nes ; » non quod immunda res sit, sed quod frater scandalizetur et infirmetur. « Tu fidem habes ? penes temetipsum » habe[1]. » Hic mihi videtur perfectionem vanæ gloriæ tacite accusare : hoc autem vult indicare. Vis mihi ostendere te perfectum et consummatum esse ? Ne id mihi declares, sed satis sit tibi conscientia.

III. Fidem autem hic, non eam quæ circa dogmata est dicit, sed eam quæ ad rem propositam spectat. De illa enim dicit, « Ore autem confessio fit ad salutem[2] ; et, » Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego » eum[3]. » Illa enim subvertit, nisi eam confiteamur ; hæc vero, si intempestive confiteamur. « Beatus qui non judi-» cat semetipsum in eo quod probat[4]. » Rursus infirmiorem incessit, ostenditque hanc ipsi sufficere coronam, conscientiæ nempe. Etiamsi enim homo non viderit, tu tibi sufficis, ut sis beatus. Quia enim dixit : « Penes semetipsum habeat : » ne putaret hoc tribunal exiguum esse, ait hoc toto orbe tibi melius esse. Etsi omnes te accusant, si tu te ipsum non damnes, nec conscientia reprehendat, beatus es. Non autem de omnibus universim hoc dixit. Multi namque sunt qui semetipsos non damnant, quique admodum delinquunt ; hi omnium miserrimi sunt. Sed interim præsenti argumento insistit. (« Qui enim » discernit, si manducaverit, damnatus est[5]. » Rursum hoc dicit suadens illi ut infirmo parcat. Quæ enim utilitas si discernens manducet, et semetipsum damnet ? Ego enim illum probo qui manducat cum nulla hæsitatione. Vide quomodo illum inducat, non tantum ad comedendum, sed ad comedendum cum pura conscientia. Deinde causam dicit, ob quam damnatus est, his verbis : « Quia non

[1] Rom. XIV, 22. — [2] Id. X, 10. — [3] Luc. IX, 26. — [4] Rom. XIV, 22. — [5] Ibid. 23.

» ex fide. » Non quod immundus sit cibus, sed quod non ex fide comedatur. Non enim mundum esse credidit, sed ut immundum attigit. Per hæc porro ostendit ipsis, quantum damni inferant, qui nondum persuasos cogant attingere res quæ sibi adhuc immundæ videntur, ut ideo ab increpando desistant. « Omne autem quod non est ex fide, » peccatum est[1]. » Cum enim non confidat, inquit, nec credat esse mundum, quomodo non peccaverit. Hæc porro omnia Paulus de proposito argumento dixit, non de aliis omnibus. Et observa quantum curet ne offendiculo sit. Nam superius dixit: « Si autem propter cibum frater tuus » contristatur, non jam secundum charitatem ambulas[2]; » si vero mœstitiam inferre non oportet, multo magis offendiculo esse non oportet. Ac rursus, « Ne cibi causa destruas » opus Dei. » Nam si Ecclesiam diruere grave est et impium, multo magis templum spirituale destruere. Homo enim Ecclesia pretiosior est. Neque enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter hæc templa. Omnia itaque nostra undique circumspiciamus, et nullam cuivis præbeamus ansam. Stadium quippe est præsens vita, et innumeros undique oculos habere oportet, nec putandum est ignorantiam satis esse ad excusationem. Sunt enim, sunt utique de ignorantia repetendæ pœnæ, quando scilicet ignorantia excusari nequit. Quandoquidem et Judæi ignorarunt; sed hæc ignorantia non erat digna venia. Græci quoque ignorarunt, sed defensionem non habent. Quando enim ea quæ sciri nequeunt ignoraveris, culpæ obnoxius non eris; quando autem ea, quæ scire facile posses, ignoras, extremas dabis pœnas. Alioquin vero, nisi admodum socordes fuerimus, et si omnia quæ penes nos sunt adhibeamus, in iis quæ ignoramus Deus nobis manum porriget: quod et Philippensibus Paulus dicebat:

[1] Rom. XIV, 23. — [2] Ibid. 15.

« Et si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revela-» bit[1]. » Quando autem ne ea quidem quæ penes nos sunt, perficere volumus, neque illius ope fruemur : quod et Judæis accidit. Ideo enim in parabolis loquor eis, inquit, quia videntes non vident[2]. Quomodo videntes non videbant ? Pulsos dæmonas videbant, dicebantque , « Dæmonium » habet[3] : » videbant suscitatos mortuos , nec adorabant , sed ipsum interficere conabantur. At non talis erat Cornelius. Ideo quia omnia quæ penes se erant diligenter fecerat, quod reliquum erat Deus adjecit. Ne ergo dicas, « Quomodo illum sincerum et probum Gentilem Deus neglexit ? » Nam primo an quis sincerus sit non potest homo scire, sed ille solus qui singula corda formavit. Deinde illud quoque dicendum, hominem illum sæpe non curavisse, nec diligentem fuisse. Et quomodo poterat, inquies, cum sit admodum sincerus ? At hominem hunc simplicem et sincerum observes velim, et circa res sæculares examines, videbisque in his illum magnam diligentiam adhibuisse, quam si voluisset circa spiritualia exhibere, non neglectus fuisset : nam quæ ad veritatem spectant sole clariora sunt. Et quocumque quis migraverit, facile salutem suam curabit, si attendere voluerit, neque hoc leve negotium putaverit, Num in Palæstina hæc negotia conclusa sunt? Num in parvo orbis angulo ? Non audisti hanc Prophetæ vocem : « Omnes cognoscent me a parvo usque ad magnum[4] ? » Annon vides rei veritatem ? Quomodo ergo illi veniam consequentur, qui cum videant veritatis dogma extensum, nec satagunt, nec curant ut discant ?

IV. An hoc, inquies, exigis a rustico et barbaro ? Non a rustico et barbaro tantum, sed a quibuslibet, etiamsi plusquam barbari fuerint. Cur enim, quæso te, si circa sæcularia injuriam patiatur, et contradicere scit, et vim

[1] Philip. III, 15. — [2] Matth. XIII, 13. — [3] Id. XII. — [4] Jerem. XXXI, 34.

inferentes propulsare, nihilque non agit et aggreditur, ut ne vel minime lædatur; in spiritualibus vero non pari prudentia utitur? Et cum lapidem adorat et Deum putat, cum dies festos celebrat, et pecunias profundit, multumque timorem exhibet, nusquam socors ex simplicitate comparet; cum autem verum Deum requirere oporteret, tu mihi sinceritatem et simplicitatem memoras? Non ita se res habet, non ita: nam socordiæ hoc imputandum crimen est. Quos enim simpliciores et agrestiores esse putas, eosne qui Abrahami tempore erant, an hodiernos hosce? Illos sine dubio. Quandonam piam religionem invenire facilius fuit, an nunc, an tunc temporis? Nunc utique. Nunc enim apud omnes nomen Dei proclamatur, Prophetæ prædixerunt, res effectum habuit, et gentium religio confutata fuit. Tunc vero plurimi sine doctrina erant, peccatum regnabat, neque lex erat quæ instituerat, neque Propheta, neque miracula, non doctrina, non multitudo Deum agnoscentium, non aliud quid simile, sed quasi in profundis tenebris, atque in nocte illuni et hyemali, res omnes positæ erant. Attamen admirabilis ille et generosus vir, cum tot essent impedimenta, et Deum noverat, et virtutem exercebat, et multos in eumdem zelum induxit, et hoc, cum non esset externæ illius sapientiæ peritus. Quomodo enim potuisset, cum nondum litteræ inventæ fuissent? Attamen quia quæ sua erant intulit, Deus etiam quæ sua erant adjecit. Neque enim dicere possis Abrahamum a patribus suis piam religionem accepisse; nam et ille idololatra erat. Attamen a talibus ortus progenitoribus, et barbarus in medio barbarorum educatus, cum nullum pietatis doctorem haberet, et Deum novit, et nepotibus suis omnibus, quibus lege et Prophetis frui datum est, usque adeo factus est clarior et probatior, ut nec sermone exprimi queat. Quare? Quia sæcularia non multum curabat,

et spiritualibus sese totum dediderat. Quid vero Melchisedech, nonne et ipse iisdem vixit temporibus? atque ita claruit, ut sacerdos Domini appellaretur? Etenim fieri nequit, nec ullo modo fieri possit, ut qui vigilat contemnatur. Ne vero istæc vos conturbent; sed gnari mentis esse dominium, nostra circumspiciamus, ut meliores evadamus. Ne a Deo rationes repetamus, neque exploremus cur hunc reliquit et hunc vocavit. Nam idipsum facimus ac si quis domesticus, re male gesta, heri sui œconomiam curiose exploraret. Miser et infelix, cum oporteret rationes tuas scrutari, et cogitare quomodo herum placare possis, rationes repetis eorum, de quibus ipse rationes reddere debes; illa prætercurris de quibus pœnas daturus es. Quid ergo, inquies, Græco dicam? Hæc quæ supra dicta sunt. Et vide ne tantummodo Græcum alloquaris, sed quomodo illum emendare poteris cogita. Quando vitam tuam explorans, hinc offendiculum patitur, hic cogita quid dicturus sis. Pro illo enim, etiamsi scandalizetur, rationem non dabis; a vita vero tua, si hinc ille lædatur, extremum subibis periculum. Cum viderit te de regno philosophantem, et tamen ad præsentia inhiantem, gehennam timentem, et mala præsentia metuentem, tunc sollicitus esto. Cum his conspectis ille te reprehendet ac dicet: «Si regnum desideras, cur res præsentes non despicis? Si tremendum tribunal expectas, cur præsentes ærumnas non contemnis? Si immortalitatem speras, cur mortem non derides?» Cum hæc dixerit, sollicite considera, quid responsurus sis. Cum viderit te, qui cœlos expectas, pecuniarum jacturam trementem, lætumque de unius oboli lucro, ac modicæ pecuniæ causa animam prodere, tunc sollicitus esto. Hæc enim, hæc, inquam, sunt, quæ Græcum offendunt. Itaque si tuam curas salutem, pro his defensionem tibi para, non verbis, sed rebus et factis. Nam propter illam quæstionem,

nemo unquam Deum blasphemavit; propter vitam autem pravam mille sunt undique blasphemiæ. Hoc itaque corrige. Alioquin rursus tibi Græcus dicet : « Unde discam quod possibilia præceperit Deus? Nam ecce tu cum a majoribus Christianus sis, et in hac bona religione educatus, nihil tamen illa dignum facis? » Quid ergo dices? Omnino dices : « Ostendam tibi alios qui hæc faciant, monachos nempe in desertis sedentes. » Atqui non erubescis cum te Christianum esse confiteris, et ad alios remittis, ut qui non possis ostendere te ea quæ Christianorum sunt facere? Etenim ille statim dicet : Igitur quæ necessitas est ad montes et deserta migrare? nam si non possibile sit in mediis civitatibus philosophari, multa hinc criminatio huic religioni inferetur, si debeamus, relictis urbibus, ad deserta currere. Sed ostende mihi hominem uxorem, liberos, et domum habentem, qui philosophiæ studeat. Quid ergo ad hæc dicemus? Annon necesse est demisso capite erubescere? Neque enim Christus ita præcepit. Sed quomodo? « Luceat lux vestra coram hominibus [1], » non coram montibus vel desertis inviisque locis. Hæc porro dico non ut iis detraham qui montes occuparunt, sed lugens eos qui in urbibus habitant, quia virtutem inde expulerunt. Quamobrem, obsecro, philosophiam ex montibus huc inducamus, ut civitates sint vere civitates. Hæc possunt Græcum emendare, hæc a mille offendiculis liberare. Quamobrem si velis et illum a scandalo liberare, et hinc mille frui mercedibus, vitam tuam emenda, et undique splendere cura, ut homines « Videant opera vestra bona et glo »rificent patrem vestrum, qui in cœlis est[2]. » Sic enim et nos frui poterimus ineffabili illa et magna gloria, quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, unaque Spiritui sancto

[1] Matth. v, 16. — [2] Ibid.

gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

CAPUT XV.

Ei autem (2) qui potens est vos confirmare secundum Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti: manifestati autem nunc per Scripturas propheticas, secundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei, in cunctis gentibus cogniti. Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui gloria in sæcula. Amen [1].

I. Mos est semper Paulo precationibus et glorificatione adhortationem claudere [2]. Sciebat enim rem non esse levis momenti. Illud porro ex amore et pietate solet facere. Etenim præceptoris est filiorum et Dei amantis, non solum verbo docere, sed etiam per precationem Dei auxilium Discipulis conciliare: quod et hic facit. Hac porro serie legendum est: « Ei autem qui potest vos confirmare gloria » in sæcula. Amen. « Rursus de infirmis illis agit, et ad illos sermonem convertit. Nam cum increparet, communem faciebat increpationem. Nunc vero cum precatur, supplicationem pro istis ponit. Cum dicit autem, « Confirmare, » adjicit quo pacto, « Secundum Evangelium meum. » Hoc vero dicens significabat illos nondum confirmatos esse, et stare quidem, sed nutantes. Deinde ut fide dignum reddat sermonem, adjicit, « Et prædicationem Jesu Christi; » id

[1] Rom. xvi, 25-27. — [2] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 149-152.

est, ipse prædicavit : si ipse prædicavit, non nostra sunt dogmata, sed illius leges. Deindeque de illa prædicatione philosophans, ostendit multæ beneficentiæ esse donum istud, multique honoris. Et primo quidem ab ipso prædicante hoc probat, deindeque ab iis quæ prædicabantur : Evangelia enim erant. Ad hæc vero, ex eo quod nemini nota fuissent ante nos. Hoc porro subindicavit dicens : « Secundum revelationem mysterii ; » quod certe amicitiæ maximæ signum est, quod nos mysteriorum participes fecerit, et neminem ante nos. « Temporibus æternis taciti, » manifestati autem nunc. » Olim quidem prædefinitum erat, nunc autem apparuit. Quomodo apparuit ? « Per » Scripturas propheticas. » Hic rursum metum infirmi abigit. Quid enim times ? Ne deficias a lege ? Hoc vult lex, hoc jam olim prædixit. Si autem examinaveris cur nunc manifestatum sit, non tutam rem facis, cum mysteria Dei curiose inquiris, et rationes exigis. Neque enim talia curiose examinanda sunt, sed amanda et amplectenda. Ideoque hoc animi propositum refrenans adjecit, « Secundum » præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei. » Fides enim obedientia opus habet, non curiosa perquisitione. Ac cum Deus præcipit obedire, non curiose inquirere oportet. Deinde aliunde illos confirmat dicens : « In cunctis gen» tibus cogniti. » Neque enim tu solus, sed universus orbis ita credit, non hominem sed Deum habens doctorem. Quapropter adjecit : « Per Jesum Christum. » Non cognitum autem fuit tantum, sed etiam confirmatum. Utrumque vero ipsius opus est. Ideoque ita legendum est : « Ei » autem qui potest vos confirmare per Jesum Christum. » Nam, ut dixi, utrumque ipsi ascribit ; imovero non utrumque tantum, sed et gloriam in Patrem. Ideoque dixit : « Cui gloria in sæcula. Amen. » Glorificat etiam de incomprehensibilitate mysteriorum horum stupefactus. Ne-

que enim etiam nunc postquam apparuerunt, cogitationibus illa comprehendi possunt, sed per fidem illa nosse oportet; alio autem modo non licet. Bene dixit : « Soli sapienti » Deo. » Cum enim cogitaveris, quo pacto gentes induxerit, et cum aliis olim probe viventibus commiscuerit, quomodo desperatos servarit, quomodo terra indignos in cœlum induxerit, et a præsenti vita delapsos, in æternam illam et ineffabilem transtulerit, et a dæmonibus conculcatos Angelis æquales fecerit, et paradisum illis aperuerit, omniaque vetera mala solverit, et hæc brevi tempore, perque facilem et compendiosam viam ; tunc sapientiam cognosces, cum videbis illud, quod neque Angeli, neque Archangeli sciebant gentiles derepente per Jesum edoctos fuisse. Cum ergo oporteret ejus mirari sapientiam, ipsumque glorificare, tu circa exigua versaris, adhuc in umbra sedens, quod non valde est Christum glorificantis. Qui enim illi non fidit, nec fide persuasus est, ejus operum magnitudini testimonium non præbet. Verum pro illis gloriam ipsi refert Paulus, illosque ad idem studium provocat. Cum vero audis illum dicentem : « Soli sapienti Deo, » ne putes hoc dici ad contemptum Filii. Si enim hæc omnia, per quæ sapientia ejus ostenditur, per Christum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, palam est ea, quæ ad sapientiam spectant, paria esse. Cur ergo, soli, dixit? ad differentiam universæ creaturæ. Reddita igitur glorificatione, rursus a precatione in adhortationem venit, ad fortiores sermonem convertens, ac dicens : « Debemus autem nos qui potentes » sumus. » Debemus, non gratificamur. Quid debemus? « Imbecillitates infirmorum sustinere [1]. »

II. Vides-ne quomodo illos encomiis efferat, non solum quod potentes vocet; sed quod illos secum statuat? Neque hoc solum modo, sed ex utilitate illos allicit, et sine ali-

[1] Rom. xv, 1.

qua molestia. Tu enim potens es, inquit, et si te demittas, nihil hinc tibi damni: ille vero de extremis periclitatur, nisi sustentetur. Neque dixit: « Infirmos, » sed, « Imbecillitates infirmorum, » ad misericordiam ipsos attrahens et advocans; ut alibi dicit: « Vos spirituales hujusmodi hominem instruite [1], » Potens factus es? Redde Deo mercedem, qui te talem fecit. Reddes autem, si ægroti infirmitatem emendaveris. Nam et nos infirmi eramus; sed a gratia potentes facti sumus. Hoc autem non hic tantum faciendum est, sed etiam erga eos qui alio modo infirmantur. Exempli causa, si iracundus quis fuerit, aut conviciator, aut si aliquo hujusmodi vitio laboret, id sustine. Quomodo autem hoc fiet? Audi sequentia. Cum enim dixisset: « Debemus » sustinere; » adjunxit: « Et non nobis placere. Unusquisque » vestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem [2]. » Id est: Potens es? experimentum potentiæ tuæ sumat infirmus. Fortitudinem ille tuam ediscat: illi placeas; nec simpliciter dixit, placeas, sed, in bonum; neque tantum in bonum; ne dicat perfectus: « Ecce enim illum ad bonum traho, » sed adjecit, « Ad ædificationem. » Itaque etiamsi dives sis, etiamsi in potentia sis, ne tibi ipsi, sed pauperi et egeno placeas; sic enim et vera gloria frueris, et utilitatem multam afferes. Nam sæcularis gloria confestim avolat; illa vero, quæ ex spiritualibus nascitur manet, si ad ædificationem hoc facias. Ideoque ab omnibus illud exigit. Neque enim ille vel ille, sed unusquisque vestrum. Deinde quia magnum quidpiam præcepit, et propriam demittere perfectionem jussit, ut corrigatur alterius infirmitas, rursus Christum in medium adducit. « Etenim Christus non » sibi placuit [3]. » Quod ille quidem semper facit. Nam cum de eleemosyna loqueretur, ipsum adducebat dicens: « Cog» noscite gratiam Domini, quia cum dives esset, propter

[1] Galat. VI, 15. — [2] Rom. XV, 2. — [3] Ibid. 3.

» nos factus est pauper [1]. » Et cum ad dilectionem adhortaretur, inde etiam adhortabatur dicens : « Quemadmodum » et Christus dilexit nos [2]. » Et cum de ferendo pudore atque periculis consilium daret, ad ipsum confugit dicens : « Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione » contempta [3]. » Ita et hic Christum idem fecisse ostendit, et Prophetam inducit idipsum olim prædicentem. Quapropter subjungit : « Sicut scriptum est : Et opprobria » exprobrantium tibi ceciderunt super me [4]. » Quid vero sibi vult illud, « Non sibi placuit? » Poterat ille non opprobria ferre ; poterat non pati quæ passus est, si sua spectare voluisset. At ille noluit; sed quod nostrum erat respiciens, quod ad se pertinebat neglexit. Et cur non dixit, « Se ipsum evacuavit » ? Quia non hoc solum ostendere volebat, quod homo factus sit, sed quod et contumeliam passus, et malam apud plurimos acceperit famam, cum infirmus esse putaretur. Nam dicebant ei : « Si Filius Dei es, descende de cruce ; » et, « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum fa» cere [5] ? » Ideo rem commemorat ad præsens argumentum ipsi utilem, exhibetque multo plus quam promisit. Non enim Christum solummodo opprobriis affectum ostendit; sed etiam Patrem : nam ait : « Opprobria exprobrantium » tibi ceciderunt super me, » id est, nihil novi accidit, nihil peregrinum. Qui enim in veteri lege exprobrare illi cogitaverant, iidem contra Filium furore correpti sunt. Hæc porro scripta sunt, ut nos imitemur. Hic illos ad patientiam in tentationibus munit deinceps : nam ait : « Quæ» cumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; » ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem » habeamus [6] ; » id est, ne excidamus. Varii siquidem sunt agones, intus et foris, ut roborati et consolatione accepta

[1] 2 Cor. VIII, 9. — [2] Ephes. V, 25. — [3] Hebr. XII, 2. — [4] Rom. XV, 3. — [5] Matth. XXVII, 40 et 42. — [6] Rom. XV, 4.

per Scripturas, patientiam exhibeamus ; ut in patientia viventes, maneamus in spe ; nam alia ab aliis mutuo generantur, patientia a spe, spes a patientia : quæ ambo a Scripturis nascuntur. Deinde rursus ad orationem sermonem convertit, dicens : « Deus autem patientiæ solatii det vobis » idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Chris» tum [1]. » Quia enim quæ sua erant dixerat, Christi exempla subjecit, testimonium ex Scripturis attulit, ostendens se cum Scripturis etiam patientiam dare. Ideo dicebat : « Deus autem patientiæ et solatii, det vobis idipsum sapere » in alterutrum, secundum Christum Jesum. » Hoc enim est dilectionis, ut quod de se ipso sentit, idipsum de alio sentiat.

III. Deinde ut ostendat se non simpliciter dilectionem quærere, subjungit, « Secundum Christum Jesum ; » quod ubique facit, quoniam aliud est dilectionis genus. Et quodnam est concordiæ lucrum ? « Ut unanimiter, inquit, uno » ore glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu » Christi [2]. » Non dixit solum uno ore, sed et una anima hoc fieri jussit. Vides-ne quomodo totum corpus conjunxerit, et quomodo rursum sermonem in glorificationem concluserit ? Unde potissimum ad consensum et concordiam inducit. Deinde rursum in eadem adhortatione pergit dicens : « Propterea, suscipite vos mutuo, sicut et Christus suscepit » vos ad gloriam Dei [3]. » Rursus exemplum a supernis ducit, et ineffabile lucrum. Nam hoc maxime Deum glorificat, quod hoc consensu nos mutuo muniamus. Itaque etiamsi dolens pro hac re a fratre dissentias, cogitans te, si iram dimittas, Dominum tuum glorificare, etiamsi non propter fratrem, propter hoc ipsum reconciliare ; imo propter hoc ipsum primo. Nam hoc Christus semper susdeque versat, et Patrem alloquens dicebat : « In hoc cognoscent omnes quod

[1] Rom. xv, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7.

» tu me miseris, si fuerint unum[1]. » Obtemperemus igitur, et nos mutuo jungamus. Hic enim non jam infirmos tantum, sed omnes excitat. Et si quis a te discindi cupiat, ne discindaris tu, neque hoc frigidum verbum proferas : « Si me dilexerit, diligo; et si non dilexerit dexter oculus, effodiam illum : » nam satanica sunt hæc dicta, et ad gentilium simultates pertinent. Tu vero qui ad majus institutum vitæ vocatus es, et in cœlo descriptus, majoribus es legibus subditus. Ne ista dixeris; sed cum te ille diligere nolet, tunc majorem illi dilectionem exhibe, ut illum allicias. Membrum enim est. Membrum autem cum per necessitatem quampiam a reliquo corpore scinditur, nihil non agimus, ut illud rursus uniamus, et tunc majorem impendimus curam. Etenim major est merces, cum non diligere volentem attraxeris. Si enim ad prandium invitare jubet eos, qui nobis non possunt vicem rependere, ut merces augeatur, multo magis in dilectione hoc faciendum est. Nam is qui dilectus diligit, mercedem tibi reddidit : qui vero dilectus non diligit, Deum tibi debitorem constituit, ac præterea cum te diligit, non multa cura opus habet; cum autem non diligit, tunc tuo opus habet auxilio. Ne igitur curæ ac diligentiæ causam reddas ignaviæ causam, nec dicas : « Quia infirmatur, ideo ipsum negligam; » morbus enim est dilectionis frigiditas; sed tu fove id quod refrigeratum est. Quid vero, inquies, si non incalescat? Mane semper quæ tua sunt faciens. Quid si magis aversetur? Rursus majorem tibi mercedem conciliat, et tanto magis te ostendit Christi imitatorem. Nam si diligere invicem, discipulorum insigne est : « In hoc enim, inquit, cog-» noscent omnes quod Discipuli mei estis, si diligatis invi-» cem[2]; » cogita quantum sit odientem se diligere. Nam Dominus tuus eos qui se oderant diligebat et hortabatur;

[1] Joan. XVII, 8. — [2] Id. XIII, 35.

et quanto infirmiores erant, tanto magis illorum gerebat curam, et clamabat dicens : « Non opus habent bene va-» lentes medico, sed qui male habent[1] : » et publicanos peccatoresque sua dignabatur mensa, et quanto majori illum ignominia dedecoravit Judæorum populus, tanto majorem illi honorem et curam exhibuit; imo multo majorem. Hunc et tu æmulare. Neque enim parva res est hoc opus, sed sine quo ne Martyr quidem admodum potest placere Deo[2], quemadmodum Paulus dicit. Ne itaque dicas : « Odio habeor, et ideo non diligo. » Ideo enim magis amare debes. Alioquin autem, non potest is qui diligit tam cito odio haberi, sed etiamsi fera quis fuerit, diligentes se diliget. « Hoc enim, inquit, faciunt Ethnici et Pu-» blicani[3]. » Quod si quisque diligentes se diligit, eos, qui odio habiti diligunt, quis non dilexerit? Hoc itaque exhibeto, et ne finem facias hoc dicendi : « Quantumcumque me odio habeas, te diligere non cessabo : » et omnem contentionem sedasti, et omnem animum emollivisti. Morbus enim hic aut ex inflammatione oritur, aut ex frigiditate. Sed utrique dilectionis ex ardore suo mederi solet. Non vides turpes illos amatores, ut alapas, sputa, opprobria, et innumera mala patiuntur a mulieribus illis meretricibus. Quid ergo hunc solvet amorem? Contumeliæ? Nequaquam, imo magis accendent : etiamsi illæ quæ hæc faciunt, præterquam quod scorta sunt, ex obscuro et vili genere sint : qui vero hæc patiuntur, claros sæpe possint progenitores numerare, et alia ratione illustres sint : attamen ne hoc quidem illos solvit, nec ab amata avellit.

IV. Annon erubescimus, quod non tantam secundum Deum dilectionem exhibere possimus, quantam illa vis diabolici et dæmoniaci amoris? Non cogitas hoc maximum esse telum contra diabolum? Non consideras quod malus

[1] Matth. IX, 12. — [2] 1 Cor. XIII, 5. — [3] Matth. V, 47.

ille dæmon instet, illudque exosum membrum ad se trahat, suumque facere conetur? Tu vero prætercurris, et pugnæ præmium prodis? Nam veluti præmium in medio jacet frater. Si viceris, coronam accipies; sin ignave agas, incoronatus discedes. Finem ergo fac satanicum illud dictum proferendi : « Si frater meus me oderit, ne videre quidem illum volo. » Nihil enim turpius hoc dicto, etiamsi illud generosi esse animi putent multi. At nihil his ignobilius, stultius, immanius. Ideo maxime doleo, quod multi putent ea quæ ad malitiam pertinent, esse virtutem : ac quod despicere et contemnere splendidum et honestum videatur esse. Hic maximus est diaboli laqueus, quod nequitiæ bona tribuatur fama, quare difficile est malum hoc deleri. Etenim multos ego audivi gloriantes, quod sibi adversantes non adirent : atqui Dominus tuus in ea re gloriatur. Quoties illum homines conspuerunt? Quoties aversati sunt? Ille vero non cessat accurrens. Ne igitur dicas : « Me odio habentes adire non possum; » sed dic: « Respuentes me respuere nequeo. » Hoc dictum est Discipuli Christi, ut illud aliud diaboli. Hoc illustres fecit et claros, aliud vero turpes ac ridiculos. Ideo miramur Moysem, quod, ipso Deo dicente: « Dimitte me, et iratus conteram » illos [1], » non potuerit illos respuere, qui illum sæpe aversati fuerant; sed dicebat : « Si quidem hoc peccatum illis di» mittis, dimitte; sin minus, et me dele [2]. » Dei enim amicus et imitator erat. Ne itaque gloriemur in iis, ob quæ nos pudere deberet. Neque dicamus ea quæ dicunt forenses et infimum vulgus : « Innumeros aversari scio. » Sed etiamsi quis alius hoc dixerit, irrideamus illum et os illi obstruamus, quia in iis gloriatur, de quibus pudere illum oporteret. Quid, quæso, dicis : « Aversaris hominem fidelem, quem, infidelis cum esset, Christus non res-

[1] Exod. xxxii, 32. — [2] Ibid.

puit?» Quid dico, non respuit? Ita illum, inimicus et deformis cum esset, dilexit, ut etiam pro illo moreretur. Ille, inquam, eum qui talis erat, ita dilexit, tu vero nunc, dic mihi, cum speciosus et mirabilis factus est, illum respuis, qui membrum Christi et corpus dominicum factus est? Annon cogitas quid dicas? annon sentis quanta audeas? Caput habet Christum et mensam et vestimentum, et vitam et lucem et sponsum, et omnia ipsi ille est, et dicere audes: «Illum repuo?» Neque illum tantum, sed et innumeros alios cum illo? Cohibe te, o homo, et seda furorem: agnosce fratrem. Disce hæc verba stulti esse atque lymphati, contraria dicito: «Etsi millies me respuat, ego non discedam;» sic et fratrem lucraberis, et ad gloriam Dei vitam duces, atque futura consequeris bona. Quæ utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor, imperium et gloria, una cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et per omnia sæcula. Amen.

HOMILIA XXVIII.

CAPUT XV.

Dico autem Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum[1].

I. Rursus de Christi cura et sollicitudine disserit, eidem adhuc capiti inhærens, et ostendens quæcumque ille propter nos fecerit, et quomodo sibi ipsi non placuerit. Posteaque illud probat eos ex gentibus, qui credebant, magis debito-

[1] Rom. xv, 8.

res esse Deo. Si ergo magis debitores sunt, tenentur Judæos fideles infirmantes sustinere. Postquam enim illos vehementer perstrinxerat, ne hinc isti sublatis animis essent, ipsorum rursus arrogantiam deprimit; Judæis quidem ex promissione patribus facta, bona data fuisse ostendens; gentilibus vero ex sola misericordia et benignitate : ideo dicebat : Gentes autem super misericordia glorificare Deum. Ut vero clarior res sit, ipsa rursus verba audi, ut discas quid sit, pro veritate Dei Christum fuisse ministrum circumcisionis, ad confirmandas promissiones patrum. Quid ergo est quod dicitur? Promissio Abrahamo facta fuerat dicens : « Tibi dabo terram et semini tuo, et in semine tuo » benedicentur omnes gentes[1]. » Verum postea quotquot ex semine Abrahæ erant, facti sunt pœnis obnoxii. Violata quippe lex iram in illos concitavit, et promissione patribus facta demum illos privavit. Adveniens vero Filius, cum Patre cooperatus est, ut promissiones illæ veræ deprehenderentur, et ad effectum adducerentur. Cum enim legem omnem et circumcisionem adimplevisset, atque sic et per crucem quoque a maledictione per transgressionem allata liberasset, non permisit ut promissio caderet. Cum ergo dicit, ministrum circumcisionis, hoc sibi vult ipsum, cum venisset et totam legem implevisset, ac circumcisus fuisset, semen Abrahæ factum, maledictionem abstulisse, iram Dei sedavisse, illosque demum idoneos effecisse, qui promissionem accepturi erant, semel ab offensa sua liberatos. Ne ergo dicerent ii qui accusabantur : « Quomodo ergo Christus circumcisus fuit et totam legem implevit? » in contrarium istud invertit. Non ut maneret lex hoc fecit, inquit, sed ut illam solveret, teque ab imminente maledictione eriperet, atque a legis dominio te prorsus liberaret. Quia enim tu legem transgressus fueras, ideo ipse illam imple-

[1] Gen. XII, 7.

vit non ut tu impleres, sed ut tibi promissiones patribus factas confirmaret, quas lex abrogaverat, ostendens te offendisse et hæreditate indignum esse. Itaque et tu per gratiam salutem nactus es : nam ejectus eras. Ne itaque disceptes, neque contendas, intempestive legi adhærendo, quæ te a promissione amovisset, nisi tanta pro te passus esset Christus. Hæc porro passus est; non quod tu salute dignus esses, sed ut Deus verax agnosceretur. Deinde ne hoc gentilem inflaret, ait : « Gentes autem super misericordia glorificent »Deum[1]. » Hoc est, Judæi quidem saltem promissiones habuere, etsi indigni essent; tu vero neque hanc habebas, sed ex sola benignitate salute donatus es. Tametsi illis nihil amplius ex promissione accessurum erat, nisi advenisset Christus. Attamen ut illos temperet, nec sinat insurgere contra infirmos, promissiones commemorat. De gentilibus vero dicit, quod ex misericordia solum salutem nacti sint : ideoque magis debent Deum glorificare. Gloria autem Deo est, quando coadunamur, quando jungimur, quando unanimiter illum celebramus, quando infirmum portamus, quando abruptum membrum non contemnimus. Deinde et testimonia inducit, in quibus ostendit conjungi debere Judæos fideles cum gentilibus credentibus, ita dicens : « Sicut scriptum est : Propterea confite»bor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. Et, »Lætamini gentes cum populo ejus. Et, Laudate omnes »Gentes Dominum, et collaudate eum omnes populi. Et, »Erit radix Jessæ, et qui exurget imperare gentibus : in »ipso gentes sperabunt[2]. » Hæc porro omnia produxit, ostendens ipsos debere simul conjungi, et glorificare Deum; simulque Judæum reprimit, ne contra gentilem insurgat, cum Prophetæ omnes gentiles advocent ; illique qui ex

[1] Rom. xv, 9. — [2] Ibid. 9-12.

gentibus est modeste agere suadet, ostendens illum majori esse gratiæ obnoxium.

II. Deinde sermonem rursus in precationem concludit, dicens : « Deus vero spei impleat vos omni gaudio et pace » in credendo, ut abundetis in spe in virtute Spiritus » sancti [1]. » Id est, ut liberemini ab hac mutua rixa, et nunquam a tentationibus dejiciamini. Hoc erit, si vos abundaveritis in spe. Hoc autem omnium causa est bonorum. Hoc a Spiritu sancto erit, nec simpliciter a Spiritu sancto, sed si ea quæ penes nos sunt conferamus. Ideo ait, « In credendo. » Sic enim potestis repleri gaudio, si credatis, si speretis. Sed non dixit : « Si speretis, » sed, « Si abundetis in » spe ; » ita ut non modo consolationem malorum reperiatis, sed et gaudio exultetis propter abundantiam fidei et spei. Sic et Spiritum attrahetis : sic postquam ille advenerit, bona omnia servabitis. Quemadmodum enim vitam nostram esca continet, atque hanc vita dispensat ; sic si bona habeamus opera, Spiritum habebimus. Si Spiritum habeamus, bona habebimus opera ; sicut e contrario, nisi opera habeamus, Spiritus avolat. Si autem a Spiritu sancto vacui fuerimus, etiam circa opera claudicabimus. Abeunte siquidem illo, spiritus immundus accedit. Quod palam est ex Saüle. Quid enim si nos non suffocat perinde atque illum ? Sed alio modo præfocat per mala opera. Cithara ergo Davidis opus nobis fuerit, ut divina cantica animæ concinamus, et ea quæ ad illum pertinent, et ea quæ ex bonis operibus procedunt. Nam si vel alterum fecerimus, et cantionem audientes, canenti per opera repugnemus, ut tunc Saül faciebat, pharmacum nobis in damnationem erit, et immanior fiet insania. Nam antequam audiamus, timet malignus dæmon, ne audientes corrigamur : cum autem audientes iidem ipsi manemus, ipsi

[1] Rom. xv, 13.

metus abscedit. Psallamus canticum per opera, ut peccatum ipso dæmone deterius ejiciamus. Dæmon enim non omnino privat nos regno cœlorum; sed et aliquando vigilanti prodest; peccatum autem omnino excludit. Peccatum enim dæmon est voluntarius, ac spontanea insania, ideoque non habet qui misericordiam et veniam tribuant. Hoc ergo incantationis genere cantemus animæ sic affectæ, et ab aliis Scripturis et a beato Davide. Psallat os, et mens erudiatur. Neque enim illud spernenda res est. Nam si linguam canere doceamus, illa canente animam pudebit contraria volentem. Neque enim illud tantum boni hinc decerpemus, sed et nos multa sciemus quæ nobis utilia erunt. Nam et de præsentibus et de futuris tibi David loquitur, de visibili et de invisibili creatura. Si de cœlo discere velis, an nempe maneat vel mutetur; clare tibi respondet et dicit : « Cœli sicut vestimentum veterascent, » et sicut amictum involves eos, Deus, et mutabuntur [1]. » Si de forma ejus audire velis, audies : « Extendens cœlum » sicut pellem [2]. » Si de dorso ejus plura quis scire cupiat, dicet tibi rursum : « Qui tegis aquis superiora ejus [3]. » Neque hic sistit, sed etiam de latitudine et de altitudine tibi disserit, hæc paria ostendens; « Quantum distat ortus ab » occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Secun- » dum altitudinem cœli a terra, corroboravit Deus miseri- » cordiam suam super timentes se [4]. » Quod si terræ quoque fundamenta scrutari volueris, neque illa tibi celabuntur; sed audies psallentem et dicentem : « Quia super maria » fundavit eam [5]. » Si discere cupias unde veniant terræ motus, te omni dubio liberabit sic dicens : « Qui respicit » terram et facit eam tremere [6]. » Si noctis usum requiras, illum ab ipso disces. « In ipsa pertransibunt omnes bestiæ

[1] Psal. CI, 27. — [2] Id. CIII, 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Id. CII, 11, 12. — [5] Id. XXIII, 2. — [6] Id. CIII, 32.

» sylvæ [1]. » Si quæras cui rei montes sint utiles, respondet tibi : « Montes excelsi cervis. » Et cur petræ sint, dicit tibi, « Petra refugium chœrogrylliis et erinaciis [2]. » Cur sint infructuosæ arbores disce : « Illic passeres nidificabunt [3]. » Cur in desertis fontes? Ibi volatilia cœli habitabunt, et bestiæ agri [4]. Ad quid vinum? Non tantum ut bibas; nam ad id satis esset aqua, sed ut lætificeris et placide agas : « Nam vinum lætificat cor hominis [5]; » ita doctus scies quousque vino uti debeas. Unde alantur volatilia, et agrestes feræ? audies dicentem : « Omnia a te expectant, ut » des illis escam in tempore [6]. » Si dixeris, ad quid jumenta? Respondet tibi hæc etiam propter te facta esse : « Qui pro- » ducit, inquit, jumentis fœnum, et herbam servituti homi- » num [7]. » Quænam lunæ utilitas? Audi illum dicentem, « Fecit lunam in tempora [8]. » Et quod omnia fecerit, sive visibilia, » sive invisibilia, clare docuit, dicens : « Ipse dixit, et facta » sunt; ipse mandavit, et creata sunt [9]. » Et quod etiam mortis solutio futura sit, illud te docet dicens : « Deus redimet » animam meam de manu inferi, cum acceperit me [10]. » Unde nobis corpus? et hoc dicit, « Recordatus est quo- » niam pulvis sumus. » Quo demum abit? « Revertetur in » pulverem suum [11]. » Cur hæc omnia? Propter te; « Gloria » et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera » manuum tuarum [12]. » An nos homines quid commune habemus cum Angelis? et hoc dixit ita psallens : « Minuisti » eum paulo minus ab Angelis [13]. » De dilectione Dei : « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Domi- » nus timentium se [14]. » De iis quæ post hæc nos exceptura sint, et de tranquilla sorte illa : « Convertere, inquit, ani-

[1] Psal. CIII, 20. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 11, 12. — [5] Ibid. 15. — [6] Ibid. 27. — [7] Ibid. 14. — [8] Id. CXLVIII, 6. — [9] Id. LXVIII, 16. — [10] Id. CII, 14. — [11] Id. CIII, 29. — [12] Id. VIII, 6, 7. — [13] Ibid. — [14] Id. CII, 13.

» ma mea in requiem tuam [1]. » Cur adeo magnum est cœlum? hoc quoque dicet : « Cœli enarrant gloriam Dei [2]. » Ad quid facta est nox et dies? Non ut illa luceat, et hæc quietem det tantum, sed ut nos instituant : « Non sunt » loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces » eorum [3]. » Quomodo mare circumdet terram? « Abyssus » sicut vestimentum amictus ejus [4]. » Ita siquidem hebraïcum habet.

III. Ab iis, quæ dicta sunt, initio ducto, alia omnia edisce tis, quæ circa Christum, quæ circa resurrectionem, quæ circa futuram vitam, de requie, de punitione, deque iis, quæ ad mores spectant, de dogmatibus omnia, et innumeris repletum bonis librum invenietis. Si in tentationes incideris, multam inde referes consolationem : si in peccata, innumera pharmaca hic reperies : si in paupertatem, si in ærumnam, multos videbis portus. Si justus fueris, multam cautionem et securitatem inde lucraberis : si peccator fueris, multam consolationem : si justus sis, et gravia patiaris, audies dicentem : « Propter te mortifica» mur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis. Hæc » omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te [5]. » Si vero facta tua te extollant, dicentem audies : « Ne intres in » judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in cons» pectu tuo omnis vivens [6]; » et statim humilis evades. Si peccator sis, et de te ipso desperes, audies frequenter canentem : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdu» rare corda vestra, sicut in exacerbatione [7]; » et statim te eriges. Si diadema in capite gestaveris, et altum sapias, disces : « Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas » non salvabitur in multitudine virtutis suæ [8]; » et poteris modeste agere. Si dives sis et gloriosus, rursus audies

[1] Psal. CXV, 7. — [2] Id. XVIII, 2. — [3] Ibid. 4. — [4] Id. CIII, 6. — [5] Id. XLIII, 18 et 23. — [6] Id. CXLII, 2. — [7] Id. XCIV, 8 — [8] Id. XXXII, 16.

psallentem : « Væ qui confidunt in virtute sua, et in multi-» tudine divitiarum suarum gloriantur[1]; » et, « Homo, » sicut fœnum dies ejus, tanquam flos campi, sic efflore-» bit [2]; » et, « Non descendet post eum gloria ejus [3] : » nihilque in terra magnum esse putabis. Nam quod omnium splendidissimum est, gloria et potentia, cum tam vile sit, quid aliud in terra existimatione dignum fuerit? An in mœrore versaris? audi illum dicentem : « Quare tristis es » anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deum, » quoniam confitebor illi [4]. » Sed quosdam vides præter meritum celebres? Dic : « Noli æmulari in malignantibus, » quoniam tanquam fœnum arescent, et quasi olera her-» barum cito decident[5]. » Vides-ne justos et injustos plecti? Audi quod non eadem de causa; nam ait : « Multa flagella » peccatoris [6]. » De justis autem non dixit, flagella; sed « Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his libera-» bit eos Dominus [7], » Et rursum, « Mors peccatorum pes-» sima [8]; » et, « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanc-» torum ejus [9]. » Hæc frequenter dicito, hinc eruditaris. Nam singula verba sensuum pelagus immensum habent. Nos autem illa perfunctorie transcurrimus. Si autem volueritis dicta accuratius examinare, multas videbitis divitias. Sed interim ex dictis instantes pravi actus reprimi poterunt. Cum enim nec invidere permittant, neque dolore et mœrore intempestive affici, neque divitias quidpiam esse putare, nec ærumnas, nec paupertatem; neque vitam ipsam tanti facere, omnibus te passionibus liberant. Pro his autem omnibus gratias agamus Deo, et thesaurum hunc ita tractemus, « Ut per patientiam et consolationem » Scripturarum spem habeamus, » et futuris fruamur bonis,

[1] Psal. XLVIII, 7. — [2] Id. CII, 11. — [3] Id. XLVIII, 8. — [4] Id. XLI, 12. — [5] Id. XXXVI, 1. — [6] Id. XXXI, 10. — [7] Id. XXXIII, 20. — [8] Ibid. 22. — [9] Id. CXV, 5.

quæ utinam omnes consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto honor, imperium et gloria, nunc et semper, in infinita sæcula. Amen.

HOMILIA XXIX.

CAPUT XV.

Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis bonitate, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere [1].

1. Dixerat [2], « Donec sum gentium Apostolus, ministerium meum glorificabo; » dixerat, « Ne forte nec tibi » parcat; » dixerat, « Ne sitis prudentes apud vosmetipsos; » et rursus : « Tu vero quid judicas fratrem tuum? et, « Tu » quis es, qui judicas alienum servum [3]? » Et alia longe plura his similia. Quia ergo multis in locis asperiore usus est sermone, iis medetur demum : et quod initio dixerat, in fine repetit. Initio quidem dixerat : « Gratias ago Deo » meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in » universo mundo; » hic vero : « Certus sum, inquit, quo- » niam pleni estis bonitate; ita ut possitis alterutrum mo- » nere; » quod magis est quam illud prius. Nec dixit, « Au- » divi; » sed, « Certus sum, nec opus habeo ab alio discere; » sed ego ipse, id est, qui increpo, qui accuso. « Et quod » pleni estis bonitate. » Hoc ad illam admonitionem spectat quam paulo ante fecerat, ac si diceret : « Non quasi immi-

[1] Rom. xv, 14. — [2] Vide D. Guillon, tom. xi, p. 152, et tom. xviii, p. 408-411. — [3] Rom. xi, 13 et 21 : xii, 16; et xiv, 4 et 10.

tes ac fratrum osores vos sic hortatus sum, ut eos suscipiatis, nec dimittatis, opus Dei non dissolvatis. Scio enim quod pleni sitis bonitate. » Videtur autem mihi hic universam virtutem sic vocare. Et non dixit, habetis, sed, « Pleni » estis bonitate. » Et quod sequitur cum eadem emphasi profert, « Repleti omni scientia. » Quid enim, si dilexissent quidem, sed nescivissent quo pacto oporteret cum dilectis agere? Propterea adjecit, « Omni scientia; » ita ut possent alios monere; nec modo discere, sed etiam docere. « Audacius autem scripsi vobis ex parte [1]. » Vide Pauli humilitatem, vide sapientiam, quomodo in præcedentibus profundam inflixerit plagam, et postquam quod volebat perfecit, multa deinceps utatur medela. Præter ea enim quæ dicta sunt, sufficiebat quod se asperius audaciusque locutum fateretur, ut illorum animum mitigaret. Hoc et ad Hebræos scribens facit, ita loquens : « Confidimus au- » tem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti : » tametsi ita loquimur [2]. » Et Corinthiis similiter : « Laudo » vos, quia per omnia mei memores estis; et sicut tradidi » vobis traditiones, ita tenetis [3]. » Galatis autem scribens dicebat : « Confido in vobis, quod nihil aliud sentiatis [4]. » Et ubique in ipsius Epistolis hanc sententiam frequenter videas; hic vero maxime. Nam in majore erant dignitate constituti, opusque erat tumentem illorum animum deprimere, non perstringendo solum, sed etiam remittendo; nam diversa illud ratione facit. Propterea hoc loco dicit, « Audacius vobis scripsi; » neque hoc satis illi fuit; sed adjecit, ex parte, hoc est, sensim. Neque hic constitit, sed quid ait? « Tanquam in memoriam vobis reducens. » Nec dixit: « Docens, » sed, « In memoriam reducens, » id est, paululum commemorans. Vides-ne finem cum exordio consentire? Sicut enim illic dicebat : « Fides vestra annuntia-

[1] Rom. xv, 15. — [2] Hebr. vi, 9. — [3] 1 Cor. xi, 2. — [4] Gal at. v, 10.

» tur in universo mundo ; » sic et in Epistolæ fine : « Obe-» dientia vestra ad omnes pervenit. » Et sicut in exordio dicebat : « Desidero enim videre vos, ut aliquam vobis spi-» ritualem gratiam impertiar ad confirmandos vos, » id est, ad mutuam capiendam consolationem ; ita et hoc loco dixit, « Tanquam in memoriam vobis reducens. » De throno namque doctoris hic et illic descendens, tanquam fratres alloquitur, et amicos et æquales ; id quod maxime doctoris est, ad auditorum utilitatem sermonem varie tractare. Vide ergo quomodo, cum dixisset, « Audacius scripsi, et ex parte, » et tanquam in memoriam revocans, non hæc satis habuerit, sed adhuc humilius loquens dicat : « Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo. » Quod etiam in principio dicebat, « Debitor sum ; » id est, non honorem mihi arripui, neque prior in illum insilivi ; sed Deus jussit, et hoc per gratiam, non quasi dignum ad hoc deputans. Nolite igitur exasperari : neque enim ego in vos insurgo. Deus est qui præcipit. Et sicut illic dicit, « Cui servio in » Evangelio Filii ejus ; » ita et hic cum dixisset, « Per gra-» tiam quæ data est mihi a Deo, » subjunxit : « Ut sim ego » minister Jesu Christi in gentibus, sancte administrans » Evangelium Dei[1]. » Postquam enim supra dicta multis probaverat, ad id quod gravius erat sermonem vertit, non simpliciter cultum ponens, ut in principio, sed liturgiam et sacrum ministerium. Hoc est enim mihi sacerdotium, prædicare et annuntiare. Hoc offero sacrificium. Sacerdoti autem nemo vitio vertit, quod curet immaculatam offerre hostiam. Hoc porro dicebat, ut simul eorum animos erigeret, et ipsos esse hostiam ostenderet, ac sese purgaret, quod ita præceptum fuisset. Gladius enim meus, inquit, est Evangelium, prædicationis verbum ; causa vero, non ut ego gloriam nanciscar, non ut ego splendidus vi-

[1] Rom. xv, 16.

dear; sed, « Ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata » in Spiritu sancto [1]. » Id est, ut animæ Discipulorum acceptæ sint. Non tantum ut me honoraret Deus in hoc adduxit, quantum ut vestri curam gereret.

II. Et quomodo fuerit acceptabilis oblatio? In Spiritu sancto : non enim fide tantum opus est, sed etiam spirituali vitæ instituto, ut Spiritum sanctum semel datum retineamus. Neque enim ligna et ignis, non ara et gladius, sed Spiritus omnia apud nos est. Propterea nihil non ago, ut ne ignis ille extinguatur : hoc enim mandatum mihi fuit. Cur ergo iis loqueris quibus non est opus? Propter hoc ipsum, inquit, non doceo, sed commonefacio; ut sacerdos astat ignem accendens, sic et ego animum vestrum excitans. Et vide, non dixit : « Ut fiat oblatio vestra, » sed, « Gentium. » Cum vero dicit, gentium, orbem dicit, terram, et mare in universum, illorum reprimens animos, ut ne dedignentur illum habere doctorem, qui ad terminos terræ contenderet. Quod etiam initio dicebat : « Sicut » et in reliquis gentibus Græcis et Barbaris, sapientibus et » insipientibus debitor sum. Habeo igitur gloriam in Christo » Jesu ad Deum. » Quia enim sese valde humilem exhibuerat, sermonem rursus erigit, idque in ipsorum gratiam facit, ne contemptibilis esse videatur. Dum autem sese extollere videtur, moris sui non oblitus sic dicit : « Habeo gloriationem. Glorior, inquit, non in me ipso, neque in nostra diligentia, sed in Dei gratia. « Non enim audeo aliquid » loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obe» dientiam gentium verbo et factis, in virtute signorum et » prodigiorum, in virtute Spiritus Dei [2]. » Neque enim possis dicere, inquit, quod hæc ex fastu loquar : nam hæc sacerdotii mei sunt symbola, et ordinationis meæ signa multa proferenda habeo; non tunicas talares; non mi-

[1] Rom. xv, 16. — [2] Ibid. 18, 19.

tram aut tiaram, non tintinnabula, sicut illi veteres ; sed longe iis horribiliora signa et miracula. Neque enim dici potest me ordinatum quidem fuisse, sed jussa non executum esse : imo potius non ego feci, sed Christus. Ideo in hoc glorior, non de vulgaribus rebus, sed de spiritualibus ; hæc enim sunt quæ ad Deum pertinent. Quod enim ea propter quæ missus sum perfecerim, et non ex fastu verba prodeant, ostendunt miracula, et gentium obsequentia. « Non enim ausim quidquam loqui eorum quæ Chris» tus non operatus est per me, ad obedientiam gentium, » verbo et opere, in virtute signorum et prodigiorum, in » virtute Spiritus Dei. » Vide quanta vi contendat ut omnia ostendat esse Dei, et nihil sui ipsius. Sive enim quid loquar, sive faciam, sive miracula operer, omnia Deus, omnia Spiritus sanctus facit. Hoc autem dicit ostendens Spiritus dignitatem. Vides-ne quomodo hæc veteribus illis mirabiliora et terribiliora sint, sacrificium, oblatio, symbola ? Cum enim dicit : « In verbo et opere, in virtute sig» norum et prodigiorum, » hoc significat, nempe doctrinam, regni Dei philosophiam, operum et instituti vitæ specimen, suscitatos mortuos, pulsos dæmones, cæcos sanatos, salientes claudos, alia prodigia, quæ omnia operabatur Spiritus sanctus in nobis. Deinde horum demonstrationem, (quia hæc interim prolata fuerant,) Discipulorum multitudinem. Ideo subjungit. « Ita ut ab Jerusalem per cir» cuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium » Christi. » Numerat igitur et urbes et regiones et gentes et populos, non eos tantum qui sub Romanis, sed etiam eos, qui sub Barbaris erant. Ne mihi enim solam Phœnicem et Syriam et Ciliciam et Cappadociam adeas, sed etiam quæ retro sunt cogita, Saracenos, Persas, Armenios, aliosque Barbaros. Ideo enim dixit : « Per circuitum, » ut non solum viam tritam carpas, sed etiam australem Asiam

mente percurras. Et sicut imbrem miraculorum uno verbo prætercurrit, dicens : « In virtute signorum et pro-» digiorum ; » sic et innumeras urbes, gentes, populos, regiones hoc uno verbo comprehendit, « Per circuitum. » Erat enim ab omni fastu procul. Et hæc illorum gratia dicebat, ut ne altum de se saperent. Et in exordio quidem dicit : « Ut aliquem fructum in vobis habeam, sicut et in » reliquis gentibus[1] ; » hic vero sacerdotii necessitatem ponit. Quia enim asperius locutus fuerat, potestatem suam clarius ostendit. Ideo ibi quidem simpliciter dicit : « Sicut » et in reliquis gentibus ; » hic autem locum omnem memorat, ut illorum fastum undique succidat ; nec simpliciter dixit : Prædicare Evangelium, sed, implere Evangelium Christi. « Ita vero studens evangelizare, ubi non est no-» minatus Christus[2]. »

III. Ecce aliam hyperbolem, quod non solum tot gentes evangelizaverit et converterit, sed quod non eos adierit qui jam didicerant. Adeo scilicet abstinebat, quominus sese projiceret in alienos discipulos, atque gloriæ causa hoc faceret, quia studebat illos docere qui nondum audivissent. Neque enim dixit : « Ubi nondum credide-» rant, » sed, « Ubi nondum nominatus fuerat Christus, » quod majus quidpiam est. Et cur talia sollicite curabat? « Ne super alienum fundamentum ædificarem[3], » inquit. Hæc porro dicit se ab inani gloria alienum ostendens, illisque insinuans se non ex gloriæ amore, neque ut apud illos in honore esset, ad scribendum se contulisse, sed ut ministerium suum impleret, et sacerdotium perficeret, utpote qui illorum cuperet salutem. Alienum vero Apostolorum fundamentum dicit, non ex personæ qualitate, neque ex prædicationis natura ; sed secundum mercedis rationem. Etenim prædicationes alienæ non erant, sed

[1] Rom. I, 13. — [2] Id. XV, 20. — [3] Ibid.

quantum ad mercedem tantum alienæ. Nam merces eorum quæ alii cum labore operati erant, huic aliena erat. Deinde prophetiam impletam dicit : « Sicut scriptum est : » Quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non » audierunt, intelligent[1]. » Vides-ne accurrentem ubi major labor, ubi major sudor erat ? « Quapropter et impediebar » plurimum venire ad vos[2]. » Vide rursus, ut exordio similem finem attexat, nam Epistolam incipiens dicebat : « Sæpe proposui venire ad vos, sed impeditus sum usque » ad hoc tempus[3]. » Hic vero causam memorat qua impeditus fuit, nec semel, sed bis ac pluries. Nam ut illic ait : « Sæpe proposui venire ad vos, » sic et hoc loco, « Impe- » diebar plurimum venire ad vos ; » id quod maxime desiderium ejus declarat, quod pluries tentaverit. « Nunc vero » ulterius locum non habens in his regionibus[4]. » Vides-ne quomodo ostendat se non ut gloriam apud ipsos sibi pareret, et scribere, et eos adire velle ? « Cupiditatem autem » habens veniendi ad vos ex multis jam annis, cum in » Hispaniam proficiscar, spero fore ut itinere videam vos, » et a vobis deducar illuc, si vestri consortio prius ex parte » satiatus fuero[5]. » Ne videretur enim illos despicere si diceret, quia nihil mihi faciendum incumbit, propterea ad vos proficiscor, rursus dilectionis sermonem movet dicens : « Cupiditatem habens veniendi ad vos a multis annis. » Non ideo venire cupiebam, quod in otio essem, sed ut concupiscentiam, quam olim parturiebam, jam parerem. Deinde ne et hoc illos inflaret, vide quomodo illos reprimat, dicens : « Cum in Hispaniam proficiscar, spero fore » ut itinere videam vos. » Ideo namque illud posuit, ut ne altum saperent. Simul enim et dilectionem suam vult ostendere, et illos a fastu cohibere. Ideo frequenter illud apponit, ac deinceps ea quibus utraque confirmantur hinc

[1] Rom. xv, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Id. I, 13. — [4] Id. xv, 23. — [5] Ibid. 24.

inde spargit. Ideo rursum, ne dicerent, nos invisit, quia hac transeundum est via, subjungit, « Ut a vobis deducar illuc; id est, ut vos mihi testes sitis, quod non vos despiciens, sed necessitate vocante, vos prætercurram. » Quia vero hoc etiam illis aliquid mœroris afferre videbatur, suavius ipsi medetur dicens : « Si vestri consortio prius ex » parte satiatus fuero. » Cum enim dicit : « In itinere, » se gloriam non ab illis quærere ostendit; cum vero dicit : « Sa- » tiatus fuero, » se illorum dilectionem magni facere ostendit, nec utcumque amare, sed vehementer; ideoque non dixit tantum : « Satiatus fuero, » sed addit, « Ex parte. » Nullum enim tempus me satiare poterit, nec consortii vestri fastidium ingenerare. Vides-ne quomodo dilectionem ostendat, quandoquidem vel festinans, non prius profecturum se dicat, quam cum satiatus fuerit? id quod magni affectus animi argumentum est, et quod tam ferventibus utatur verbis. Neque enim dixit, invisero, sed satiatus fuero, parentum verba imitatus. Et in principio quidem dicebat : « Ut aliquem fructum habeam; » hic vero, ut satiatus sim : quæ ambo valde attractum indicant. Maximum enim illorum erat encomium, si ex obedientia fructum illi præbituri erant; amoris vero sui genuinum erat indicium. Et Corinthiis scribens dicebat : « Ut vos me de- » ducatis, quocumque iero[1]; » in omnibus suam erga Discipulos dilectionem exhibens, cui par nihil. Ideoque in principio Epistolarum sic semper exorditur, et in eadem ipsa desinit.

IV. Quemadmodum enim pater prolis amans, unicum et genuinum filium diligit, sic ille fideles omnes diligebat : ideoque dicebat. « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » Quis scandalizatur, et ego non uror[2]? » Nam præ aliis omnibus hoc insit oportet in doctore. Ideoque Petro dice-

[1] 1 Cor. xvi, 6. — [2] 2 Cor. xi, 29.

bat Christus : « Si diligis me, pasce oves meas[1]. » Qui enim Christum diligit, gregem quoque illius diligit. Et Moysem tunc Judæorum populo præfecit, quando ille suam erga populum benevolentiam exhibuit. Et David quoque tunc ad regnum pervenit, cum prius populi amans compertus fuisset[2]. Sic igitur, cum adhuc juvenis esset, populi causa doluit, ita ut animam exponeret suam, quando Barbarum illum prostravit. Etsi vero dixit : « Quid dabitur ei qui » Alienigenam illum occiderit? » non mercedem requirens hoc dicebat, sed ut sibi crederetur, et sibi pugna adversus illum committeretur. Cum ergo post victoriam ad regem ingressus est, de mercede ne verbum quidem fecit. Et Samuël populum amabat, ideoque dicebat : « Absit a me » ut in hoc peccem, ut cessem precari Domino pro vobis[3]. » Ita et Paulus, imovero non ita, sed multo plus quam omnes alii ardebat erga subditos sibi. Ideoque discipulos suos usque adeo erga se affecit, ut diceret : « Si possibile » fuisset, oculos vestros eruissetis, mihique dedissetis[4]. » Ideo Judæorum præceptores, plus quam omnes alios Deus increpat dicens : « O pastores Israël! num pascunt pasto- » res se ipsos? Annon oves pascunt? Isti vero contrarium » fecerunt. Lac enim, inquit, comeditis, lana vos tegitis, » quod pingue erat mactabatis, et oves non pascebatis[5]. » Et Christus optimi pastoris normam efferens dicebat : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis[6]. » Hoc David multis in locis fecit, et cum terribilis illa ira e cœlo imminebat contra totum populum, cum omnes enim occi- derentur, dicebat : « Ego pastor peccavi, ego pastor ini- » que egi; isti, qui grex sunt, quid fecerunt[7]? » Ideoque cum eligendum supplicium esset, non famem, non hos- tium persecutionem elegit, sed a Deo immissam mortem;

[1] Joan. XXI, 16. — [2] 1 Reg. XVII. — [3] Id. XII, 20. — [4] Galat. IV, 15. — [5] Ezech. XXXIV, 2, 3. — [6] Joan. X, 11. — [7] 2 Reg. XXIV, 17.

quod expectaret alios quidem in tuto ponendos esse, se autem ante alios omnes percutiendum fore. Quia vero illud non ita contigit, luget ac dicit : « In me sit manus » tua; si vero non satis sit, etiam in domo patris mei. Ego, » enim, inquit, pastor peccavi; » ac si diceret : « Etiamsi illi peccaverint, ego obnoxius supplicio eram, qui non correxi. Cum vero peccatum sit meum, ego pœnas dare debeo. » Etenim culpam augere volens, pastoris nomen usurpavit. Ita ergo iram sedavit, ita sententiam revocari curavit. Tantum valet confessio. « Justus enim, in princi- » pio sermonis, accusator est sui[1]. » Tanta res est sollicitudo et commiseratio optimi pastoris. Etenim ejus viscera discerpebantur, illis cadentibus, ac si ejus genuini filii necarentur. Ideoque iram in se converti precabatur. Et initio cædis illud fecisset, nisi grassantem illam ad se quoque venturam sperasset. Cum porro vidit illud non fieri, calamitatem vero illos opprimentem non ultra tulit; sed magis accensus est, quam super Amnone primogenito suo. Tunc enim mortem sibi non postulavit, nunc vero id precatur ut ante alios cadat. Talem oportet esse principem, magis de aliorum quam de suis calamitatibus dolere. Tale quid piam quoque erga filium passus est, ut disceres illum non magis, quam subditos, filium dilexisse. Tametsi enim lascivus esset juvenis et parricida, attamen dicebat : « Quis » dabit mihi ut moriar pro te[2] ? » Quid dicis, o beate, omniumque hominum mitissime? te filius occidere conatus est, et in mille te mala conjecit; et cum ille de medio sublatus est, et tropæum jam erectum est, tunc mortem optas? Etiam, inquit : exercitus enim meus non mihi vicit; sed nunc vehementius impugnor, quam antea, et viscera mea nunc magis discerpuntur. Hi itaque eos, qui sibi commissi fuerant, curabant.

[1] Prov. XVIII, 17. — [2] 2 Reg. XVIII, 33.

V. Beatus vero Abraham, etiam eorum, qui sibi concrediti non fuerant, magnam gerebat curam, et tantam, ut etiam se magnis exponeret periculis. Quod enim non pro fratris filio tantum hoc faceret, sed pro Sodomitis, non prius destitit a Persarum insecutione, donec omnes liberavit. Quanquam licebat illi recepto fratris filio abscedere, noluit tamen : omnium enim pariter gerebat curam; id quod etiam ex sequentibus declaravit. Cum enim non jam barbarorum exercitus illos obsessurus esset, sed ira divina illorum urbes funditus esset eversura, et non jam armis, nec pugna vel acie opus esset, sed supplicatione, tantam ille adhibuit sollicitudinem, quantam si ipse periturus fuisset. Ideoque semel, bis, ter et pluries ad Deum accedit, et ad naturam confugit dicens : « Ego autem terra » sum et cinis[1]. » Et quia sciebat illos per se iræ Dei traditos, propter alios hos servari precatur. Ideoque dicebat Deus : « Num abscondam a servo meo Abraham, quæ fac» turus sum[2] ? » ut discamus, quam hominum amans sit Justus. Neque ille a precando destitisset, nisi Deus prior destitisset. Et videtur quidem ille pro justis precari, sed totum pro illis aliis faciebat. Nam justorum animæ admodum sunt mites ac benignæ, et pro suis atque etiam pro alienis, et usque ad bruta suam extendunt mansuetudinem. Ideoque Sapiens quidam dicebat : « Justus miseratur » animas jumentorum suorum [3]. » Si autem jumentorum, quanto magis hominum? Sed quia jumentorum mentionem feci, perpendamus illos ovium pastores in Cappadocum regione, quot et quanta patiantur ut bruta illa animantia tueantur. Sæpe autem nive obruti per tres mansere dies. Dicuntur autem etiam Libyæ pastores, non minores istis labores subire, per integros menses difficile desertum illud, immanissimis repletum feris, pervagantes. Si autem

[1] Gen. XVIII, 27. — [2] Ibid. 17. — [3] Prov. XII, 10.

circa bruta tantæ impenduntur curæ, quam defensionem habebimus nos qui rationabiles animas nobis concreditas habentes, gravi somno dormiamus? An respirare omnino oporteret? an quiescere? et non undique circumcursare, et mille sese mortibus exponere pro talibus ovibus? An ignoratis gregis istius dignitatem? Annon pro illo Dominus tuus innumera operatus est, ac demum sanguinem suum effudit? Tu vero quietem quæris? Ecquid deterius fuerit talibus pastoribus? Annon cogitas circa illas oves adesse lupos, lupis vulgaribus multo acerbiores et immaniores? Non tecum reputas qua opus habeat anima is qui talem præfecturam sit administraturus? Sed homines qui populis præsunt, de vulgaribus rebus consulentes, noctes diebus vigilantes adjungunt; nos vero qui de ipso cœlo certamen habemus, in ipso quoque die dormimus? Ecquis nos demum liberabit a supplicio, hisce delictis debito? Nam si corpus trucidandum, si sexcentæ subeundæ mortes essent, annon quasi ad celebritatem eo currere oporteret? Hæc porro non modo pastores, sed etiam oves audiant, ut pastores inde alacriores fiant, ut magis illorum propositum acuant, ut ipsi nihil aliud quam obsequentiam præbeant. Ita et Paulus jussit: « Obedite præpositis vestris, et » subditi estote: quia ipsi vigilant pro animabus vestris, » tanquam rationem reddituri[1]. » Cum autem dicit, vigilant, mille dicit labores, curas, pericula. Nam bonus pastor, et qualem Christus optat, cum innumeris conferri potest Martyribus. Siquidem Martyr semel propter Christum moritur; ille millies propter gregem; si talis ille pastor fuerit, qualem decet. Qui talis enim est, quotidie mori potest. Propterea vos, laborem cognoscentes, cooperamini precibus, sollicitudine, alacritate, amicitia, ut nos vestra gloriatio, et vos nostra sitis. Ideo enim et Apostolorum

[1] Hebr. XIII, 17.

coriphæo, qui plus quam alii omnes ipsum amabat, gregem commisit, prius sciscitatus si diligeretur ab ipso; ut discas hoc præ aliis omnibus signum dilectionis erga ipsum ab illo poni[1]. Nam hoc virili opus habet animo. Hæc porro a me dicta sunt de optimis pastoribus, non de me ipso, et de nostri similibus : sed si quis talis sit qualis Paulus erat, qualis Petrus, qualis Moyses. Hos itaque imitemur et præfecti et subditi. Licet enim subdito pro parte pastoris numerari, domi, in amicos, in domesticos, in uxorem, in filios. Si sic nostra dispensemus, omnia consequemur bona, quæ nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu imperium, honor et gloria, nunc et semper, in omnia sæcula. Amen.

HOMILIA XXX.

CAPUT XV.

Nunc autem proficiscor Jerosolymam, ministrans sanctis. Placuit enim Macedoniæ et Achaïæ collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerosolymæ. Placuit enim ipsis, et debitores sunt eorum [2].

I. Quoniam dixerat, « Locum in his regionibus amplius » non habeo, et concupiscentiam habeo a multis annis ve» nire ad vos [3]; » cum esset adhuc moram facturus, ne videretur illis illusisse, causam dicit cur interim tardet, dicitque : « Proficiscor Jerosolymam [4]; » et videtur quidem cunctationis causam dicere. Per hæc autem aliud

[1] Joan. xxi, 15. — [2] Rom. xv, 25-27. — [3] Id. i, 10. — [4] Ibid. 11.

quidpiam apparat, incitatque illos ad eleemosynam erogandam, diligentioresque reddit. Nam nisi hoc efficere voluisset, satis erat dixisse ; « Proficiscor Jerosolymam : » nunc autem et causam peregrinationis adjicit : « Proficiscor » enim, inquit, ministrans sanctis : » et in hoc sermone immoratur, ratiociniaque movet dicens quod debitores sint; et, « Si spiritualium ipsorum consortes factæ sunt » gentes, debent etiam in carnalibus ministrare. » Ut discant illi imitari ipsos. Ideoque maxime Pauli sapientiam admirari oportet, quia hunc consilii dandi modum excogitavit. Ita enim acceptior illis fuit, quam si hortatus esset. Putassent enim se contumelia affici, si ad æmulationem Corinthios illis et Macedonas proposuisset. Propterea sic illos ibidem hortatur dicens : « Certiores vos facio, fratres, de » gratia Dei quæ data est Ecclesiis Macedoniæ [1]. » Rursusque Macedonas per istos hortatur : « Zelus enim, qui ex vobis est, » plurimos excitavit [2]. » Et per Galatas etiam idipsum facit, ut cum dicit : « Quemadmodum præcepi Ecclesiis Galatiæ, » sic et vos facite [3]. » Cum Romanis vero non item, sed multo demissius. Hoc ipsum facit et circa prædicationem, ut cum dicit : « An ex vobis egressum est verbum Dei ? » aut ad vos solos pervenit [4] ? » Nihil enim ita forte est ut zelus. Ideo sæpe illud memorat : nam et alibi dicit : « Quemadmodum in omnibus Ecclesiis præcipio [5] : » et rursum, « Sicut ubique in omni Ecclesia doceo [6]. » Colossensibus vero dicebat : « Fructificat et crescit Evangelium » Dei in toto mundo [7]. » Hoc etiam hic facit de eleemosyna loquens. Et perpende quomodo magnifice dictionibus utatur. Non enim dixit : Proficiscor eleemosynam deferens, sed, ministrans. Quod si Paulus ministrat, cogita quanta res fiat, cum orbis doctor deferendam accipit, et quod ad

[1] 2 Cor. VIII, 1. — [2] Id. IX, 2. — [3] 1 Cor. XVI, 1. — [4] Id. XXIV, 36. — [5] Id. VII, 17. — [6] Id. IV, 17. — [7] Colos. I, 6.

Romanos peregrinaturus et quod illos usque adeo videre desiderans, hoc illi præferat. « Placuit enim Macedoniæ et » Achaïæ ; » id est, probaverunt et desiderarunt « Commu- » nicationem aliquam. » Rursus non dixit, eleemosynam, sed communicationem. Illud autem, « Aliquam, » non sine causa posuit, sed ne videretur hos carpere. Nec dixit simpliciter in pauperes, sed, « In pauperes sanctorum, » duplicem faciens commendationem, et a virtute et a paupertate. Neque hoc satis illi fuit ; sed subjunxit, « Debito- » res sunt. » Deinde ostendit quomodo sint debitores. « Nam si spiritualium ipsorum, inquit, consortes factæ » sunt gentes, debent etiam in carnalibus ministrare ipsis. » Id est, propter ipsos venit Christus, illis qui ex Judæis erant omnia promissa fuerant ; ex ipsis est Christus ; ideo dicebat : « Ex Judæis est salus [1] ; inde sunt Apostoli, inde Prophetæ, inde bona omnia. Horum igitur omnium consors fuit orbis. Si ergo in majoribus, inquit, participes fuistis, et si cœnarum illis paratarum vos ingressi consortes fuistis, secundum Evangelii parabolam, debetis etiam carnalia communicare et tradere illis. Neque dixit, communicare, sed ministrare, illos in diaconorum ordine constituens, eorumque qui regibus tributa pendunt ; neque dixit in carnalibus vestris, ut dixerat, in spiritualibus ipsorum. Spiritualia quippe ipsorum erant ; carnalia vero non horum tantum sunt, sed communia omnibus. Pecunias enim omnium jussit esse, neque possidentium eas tantum. « Hoc igitur » cum consummavero, et obsignavero eis fructum hunc [2] ; » hoc est, quasi in regia penuaria deposuero, quasi in tuto et securo loco. Nec dixit, eleemosynam ; sed rursus, fructum ; ostendens lucrum accedere largitoribus. « Per vos » proficiscar in Hispaniam. » Rursus Hispaniam memorat, ostendens quam impiger et quam fervidus esset erga His-

[1] Joan. IV, 22. — [2] Rom. XV, 28.

panos. « Scio autem quod veniens ad vos, in plenitudine » Evangelii Christi veniam [1] : » Quid est in plenitudine benedictionis? vel de pecuniis loquitur, vel simpliciter de omnibus bonis operibus. Benedictionem enim ut plurimum eleemosynam solet appellare, ut quando dicit : « Quasi » benedictionem, non quasi avaritiam [2] ; et ex veteri more ita vocabatur. Quia vero hic addidit « Evangelii, » didicimus non de pecuniis tantum dictum fuisse ; sed et de aliis omnibus ; ac si diceret : « Scio autem quod veniens videbo vos in omnibus probatos, et in bonis florentes, ac mille laudibus dignos secundum Evangelium. » Estque hoc genus consilii admirandum, quod encomiis eos præveniat. Quando enim recusat hoc per modum adhortationis facere, ad hunc venit correctionis modum. « Obsecro » autem vos per Dominum Jesum Christum et per dilec- » tionem Spiritus [3]. »

II. Hic rursus Christum et Spiritum præmittit, et nusquam hic Patrem memorat. Hæc porro dico, ut cum videris ipsum Patrem et Filium memorare, aut Patrem solum, ne Filium vel Spiritum dejici putes. Nec dixit : « Spiritus » sed, « Dilectionis Spiritus. » Quemadmodum enim Christus dilexit mundum, et Pater quoque, ita et Spiritus. Quid, quæso, obsecras? » Ut mecum con- » certetis in orationibus pro me ad Deum. Ut liberer ab » incredulis, qui sunt in Judæa [4]. » Magnum certe illi certamen propositum erat, ideo preces illorum implorat. Non dixit : « Ut manus conseram, » sed, « Ut liberer ; » quemadmodum Christus jussit, « Orate ne intretis in tentationem [5]. » Hæc vero dicens significabat improbos quosdam lupos, qui feræ magis quam homines essent, se invasuros esse. Ex hoc aliud etiam apparat, ut probet se ministerium hoc

[1] Rom. xv, 29. — [2] 2 Cor. ix, 5. — [3] Rom. xv, 30. — [4] Ibid. 31. — [5] Matth. xxvi, 41.

sanctis præstandum juste suscepisse, siquidem tot adhuc essent increduli, ut, quo ab illis liberetur, preces postulet. Nam qui inter tot inimicos versabantur, fame erant periturí; ideoque necesse erat ut aliunde cibum acciperent. « Et ut ministerium meum in Jerusalem acceptum sit sanc-» tis. » Id est, ut grata sit hostia mea, utque cum alacritate dona suscipiant. Vides-ne quomodo rursus accipientium dignitatem extollat, quandoquidem tanti populi precibus utendum est, ut missa suscipiantur? Ex hoc autem aliud quidpiam ostendit, nempe quod non sufficiat eleemosynam dedisse, ut ea accepta sit : quando namque ex necessitate et invitus quis dederit, vel ex injuste partis, vel ad vanam gloriam, fructus abscedit. « Ut cum gaudio » veniam ad vos per voluntatem Dei [1]. » Quemadmodum in principio dixit : « Si quo modo prosperum iter habeam » in voluntate Dei, ut veniam ad vos [2] ; » ita et hic ad eamdem voluntatem confugit et dicit : « Ideo festino, et inde eripi opto, ut quamprimum vos videam, et cum gaudio videam, nec minimum inde mœrorem attraham : « Et vo-» biscum requiem habeam. » Vide quomodo rursum se a fastu alienum ostendat. Non enim dixit, ut doceam vos, ut instituam, sed, ut vobiscum requiem habeam. Atqui ille erat qui decertabat, et pugnabat : quomodo igitur dicit, Ut vobiscum requiescam? Ad gratiam illis loquitur, et alacriores illos reddit, cum coronarum consortes facit, ostenditque illos etiam certare et laborare. Deinde, ut semper facere solet, precationem adhortationi adjicit dicens : « Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Com-» mendo autem vobis Phœben sororem, quæ ministra est » Ecclesiæ, quæ est in Cenchreis [3]. » Vide quantum illam honoret; nam illam ante alios omnes memorat, et sororem vocavit : nec parva res erat Pauli sororem vocari. Dignita-

[1] Rom. xv, 32. — [2] Id. i, 10. — [3] Ibid. 33, et xvi, 1.

tem quoque adjicit, ministram vocans. « Ut illam suscipia-» tis in Domino, ut decet sanctos [1]. » Hoc est, propter Dominum, ut honore fruatur apud vos. Nam qui propter Dominum suscipit, etiamsi non magnum quempiam sus cipiat, cum sollicitudine suscipit. Cum autem illa sancta esset, cogita quo cultu illa digna fuerit. Ideo adjicit, « Ut » decet sanctos ; » ut tales suscipere oportet. Duplici autem de causa digna est quæ curetur a vobis, et quod propter Dominum suscipiatur, et quod sancta sit. « Et assis-» tatis ei in quocumque negotio vobis indiguerit [2]. » Vides-ne quam studeat, ut ne onerosus sit? non enim dixit, ut liberetis eam ; sed ut quæ penes vos erunt afferatis, et manum porrigatis ; et in quibus ope vestra eguerit : non quocumque in statu illa sit, sed in quibus opera vestra eguerit ; si in iis egeat, in quibus vos auxiliari possitis. Deinde ineffabilis laus sequitur. « Etenim ipsa multis af-» fuit, et mihi ipsi [3]. » Vides-ne prudentiam? Primo laudes, deinde in medio adhortationem, postea rursum laudes posuit, utrinque præstanda officia laudibus beatæ mulieris concluens. Quomodo enim non beata, quæ tanto Pauli testimonio celebratur, quæ potuit illum juvare, qui totum orbem emendavit? Hoc enim illius virtutum colophon erat. Ideoque hoc postremum posuit dicens : « Et mihi » ipsi. » Quid est illud, et mihi ipsi? Prædicatori orbis, ei qui tot tantaque passus est, qui innumeris hominibus suf-ficit. Imitemur ergo et viri et mulieres sanctam illam, et eam quæ sequitur cum viro suo. Quinam illi sunt? « Salu-» tate, inquit, Priscillam et Aquilam, adjutores meos in » Christo Jesu [4]. » Illorum virtutem Lucas quoque testifi-catur tum quando dicit : « Mansit apud illos Paulus : erant » enim scenofactoriæ artis [5] ; » tum quando ostendit mu-

[1] Rom. xv, 33, et xvi, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 3. — [5] Act. xviii, 3.

lierem illam Apollo virum suscepisse, et viam Domini illum docuisse.

III. Magna illa sunt ; sed multo majora quæ Paulus dicit. Quid enim ait? Primo comministros vocat, ineffabilium laborum et periculorum participes ostendens. Deindeque ait : « Quia pro anima mea suas cervices supposuerunt[1]. » Vides-ne consummatos martyres? Verisimile quippe est sub Nerone innumera fuisse pericula, quia jusserat Judæos omnes Roma pelli. « Quibus non ego solus gratias ago, » sed et omnes Ecclesiæ gentium[2]. » Hic hospitalitatem, et pecuniarum subministrationem subindicat, celebrans illos quod et sanguinem suum, et opes totas communes proposuerint. Vides-ne generosas mulieres, quibus sexus infirmitas ad virtutis cursum non impedimento fuit? idque jure merito : nam « In Christo Jesu non est masculus, non » fœmina[3]. » Et quod de priore dixit, hoc ipsum de ista dicit. Nam de illa dicebat : « Quæ multis affuit, et mihi » ipsi ; » de hac rursus, « Non ego solus gratias ago, sed et » omnes Ecclesiæ gentium. » Ne videretur enim per adulationem hæc dicere, alios adducit testes mulieribus his multo plures. « Et, quæ in domo illorum est, Ecclesiam[4]. » Ita enim probati et clari erant, ut domum suam Ecclesiam facerent ; tum quod omnes fideles redderent, tum quod peregrinis omnibus illam aperirent. Neque enim simpliciter solet domos Ecclesias appellare, nisi pietas multa, et magnus Dei timor in illis radicatus fuerit. Ideo Corinthiis etiam dicebat : « Salutate Aquilam et Priscillam cum » Ecclesia, quæ in domo illorum est[5]. » Et de Onesimo scribens dicit : « Paulus Philemoni et Appiæ dilectæ, et » Ecclesiæ, quæ est in domo tua[6]. » Potest enim etiam qui matrimonio junctus est mirabilis et generosus esse. Ecce

[1] Rom. xvi, 4. — [2] Ibid. — [3] Galat. iii, 28. — [4] Rom. xv, 5. — [5] 1 Cor. xvi, 19. — [6] Philem. 1.

et isti connubio juncti admodum clari erant, etsi ars illorum splendida non esset : erant enim scenofactoriæ artis; seu tentoriorum artifices ; attamen omnia virtus tegebat, et plus quam solem illustres reddebat, neque illis nocebat vel ars vel connubium, sed dilectionem, quam Christus expetit, illi exhibebant : nam ait : « Majorem hac charitatem » nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro ami» cis suis [1]. » Et quod signum Discipuli est, hoc exhibuerunt. Nam crucem acceperunt, et secuti sunt Christum. Etenim qui hoc pro Paulo fecerunt, multo magis pro Christo fortitudinem ostenderunt. Hæc et pauperes et divites audiant. Nam si ii qui manibus sibi victum parant, et officinæ præsunt, tantam exhibuere largitatem, ut Ecclesiis plurimis utiles essent, quam excusationem habeant divites qui pauperes contemnunt ? Illi namque ne sanguini quidem suo pepercerunt, ut Deo placerent; tu vero pecuniis modicis parcis, animam sæpe tuam despiciens. Verum fortasse erga Doctorem illi tales fuere, erga discipulos vero non item? At hoc dici nequit, nam Ecclesiæ gentium, inquit, ipsis gratias agunt. Etsi enim ex Judæis essent, ita sincere credebant, ut etiam gentibus cum omni alacritate ministrarent. Tales oportet esse mulieres. « Non in tortis » crinibus, aut auro, aut sumptuosa veste [2] ; » Sed his ornatas recte factis. Quænam, dic quæso, unquam regina ita splenduit? quænam ita celebratur, ut illa uxor tentoriorum artificis? Illa in omnium ore versatur, non decem, non viginti annis, sed usque ad (secundum) Christi adventum. Et omnes illam super iis deprædicant, quæ magis eam ornant, quam regium diadema. Quid enim majus, quid par ei esse poterit, quæ Pauli adjumento fuit, quæ periculis suis orbis doctorem servavit? Perpende autem quot reginæ taceantur; tentoriorum vero artificis uxor ubi-

[1] Joan. xv, 13. — [2] 1 Tim. II, 9.

que celebratur cum viro suo, et in toto, quem sol respicit, orbe hæc mulier laudatur. Persæ, Scythæ, Thraces, et qui extremas habitant terras, mulieris philosophiam concinunt, beatamque illam prædicant. Quantas divitias, quot diademata, quot purpuras non libenter abjicias, ut tale testimonium acquiras? neque enim possit quispiam dicere illos tunc in periculis fuisse tales, et pecuniam largiter spargentes, sed prædicationem non curavisse: nam ideo illos cooperatores et comministros vocat, nec pudet vas electionis illud mulierem comministram vocare; sed etiam hac de re gloriatur. Non enim sexum attendit, sed propositum coronat. Quid huic ornatui par? Ubi nunc sunt divitiæ vestræ, quibus undique circumfluitis? Ubi facici cultus et ornatus? Ubi vana gloria? Disce mulieris ornatum, non corpori circumpositum, sed qui animam exornet et nunquam deponatur; qui non in arca reponitur, sed in cœlis.

IV. Respice laborem illorum circa prædicationem, martyrii coronam, in pecuniis liberalitatem, erga Paulum dilectionem, erga Christum amorem. Confer istis tua, studium circa pecuniam, certamen cum meretricibus, contentionem pro fœno; et tunc videbis quinam illi fuerint, et quis tu sis. Imo potius non modo conferas, sed æmulare mulierem, depositoque fœni onere; hoc est enim vestimentorum sumptus, ornatum accipe cœlestem, et disce unde tales facti sint Priscilla et qui cum illa erant. Undenam tales facti sunt? Per duos annos Paulum hospitio acceperunt: biennium autem illud, quid non in anima eorum effecerit? Quid ergo faciam, inquies, qui Paulum non habeo? Si volueris, plenius illum habebis, quam illi. Neque enim illos Pauli conspectus tales fecit; sed verba Pauli. Itaque, si volueris, et Paulum, et Petrum, et Joannem, et totum Prophetarum chorum cum Apostolis habe-

bis frequenter tecum conversantes. Accipe Beatorum illorum libros, et lege frequenter illorum Scripturas, et te poterunt talem efficere, qualis erat tabernaculorum opificis uxor. Et quid dico Paulum? ipsum, si velis, habebis Pauli Dominum. Nam per Pauli linguam ipse te alloquetur. Et alio quoque modo poteris hunc suscipere, cum sanctos suscipies, cum iis, qui in illum credunt, ministrabis. Sic et abeuntibus illis, multa pietatis monumenta habebis. Solet enim ea mensa, in qua Sanctus comedit, et sella in qua sedit, et lectus in quo jacuit, illum qui suscepit compungere, etiam postquam ille abierit. Quantum putas compunctam fuisse Sunamitidem, in superius conclave illud ingredientem, ubi manebat Elisæus, videntem mensam et lectum, in quo Sanctus ille jacebat? quantam inde pietatem conceperit? Nisi enim hoc ita esset, non projecisset illuc filium mortuum, nisi multum utilitatis inde tulisset. Nam si nos post tantum temporis spatium illo ingressi ubi Paulus manebat, ubi ligatus est, ubi sedit et disserit, quasi alis assumptis erigimur, et ad diei illius recordationem ex locis ipsis remittimur; cum adhuc recentes res essent, quo non religionis affectu movebantur, ii qui cum pietate hospitio suscipiebant? Hæc cum sciamus, sanctos excipiamus, ut splendeat domus, ut a spinis liberetur, ut domuncula portus fiat; excipiamus, et pedes illorum abluamus. Non es tu Sara melior, nec nobilior, aut ditior, etiamsi regina esses. Trecentos illa ac decem et octo vernaculos habebat, quo tempore vel duos habere servos, divitiæ erant. Ecquid dico trecentos decem et octo domesticos? totum orbem in semine et promissionibus possidebat: virum habebat Dei amicum, ipsum Deum patronum, quod regnis omnibus majus erat. Attamen, cum in tanto splendore esset et gloria, ipsa farinam miscebat, et in reliquis omnibus ministrabat, comendentibusque astabat instar ancillæ. Non

es tu Abrahamo nobilior, qui ea, quæ famulorum erant faciebat, post tropæa illa, post honorem a rege Ægypti acceptum, postquam reges Persarum profligaverat, et splendida erexerat tropæa. Neque respicias vile esse id quod apparet, sanctos, qui apud te divertunt, pauperes et pannosos plerumque. Sed illius memor esto vocis dicentis : « Quantum fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis ; » et, « Ne contemnatis unum ex his minimis meis, quia An» geli eorum semper vident faciem Patris nostri qui in » cœli est [1]. » Illosque alacriter excipe, qui per salutationes pacis innumera tibi bona afferunt. Et cum Sara etiam Rebeccam tecum reputa, quæ et adaquavit et potum dedit, et intro vocavit hospitem, omni calcato fastu. Ideoque magnam hospitalitatis accepit mercedem. Tu vero si velis etiam majorem accipies. Non enim filii fructum solummodo dabit tibi Deus, sed etiam cœlum, et bona quæ illic sunt, atque a gehenna liberationem, peccatorumque veniam. Nam magnus est, utique magnus hospitalitatis fructus. Sic et Jothor, etsi barbarus, generum habuit illum, qui cum tanta potestate mari imperavit : nam filiæ ejus hunc optimum venatum reti suo ceperunt. Hæc cogitans, et mulierum illarum virilitatem considerans, necnon earum philosophiam, præsentem calca fastum, vestium ornatum, aureorum varietatem, unguentorum usum ; et missa mollitie, delicataque agendi et incedendi ratione, omnem illam curam in animam transfer, inque mente tua cœlorum desiderium incende. Nam si te hic amor capiat, cœnum et lutum deprehendes, et ea quæ nunc miraris deridebis. Non potest enim mulier spiritualibus ornata recte factis, hæc ridicula quærere. Rejectis igitur his omnibus, quæ forensium uxores, quæ saltatrices et tibicinæ, multa cum ambitione sectantur, philosophiam tibi compone, hospitalitatem,

[1] Matth. xxv, 40, et xviii, 10.

sanctorum curam, compunctionem, preces frequentes. Hæc aureis vestimentis meliora sunt, hæc lapillis et monilibus honestiora. Hæc et apud viros acceptam te reddunt, et apud Deum magnam tibi ferent mercedem. Hic est Ecclesiæ ornatus, ille vero theatrorum : his cœlis dignus est, ille equis et mulis; ille etiam mortuorum corporibus apponitur, hic in anima solum bona splendet, in qua Christus habitat. Hunc ergo possideamus ornatum, ut ubique et nos venerandi simus, et Christo placeamus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

CAPUT XVI.

Salutate Epænetum dilectum meum, qui est primitiæ Achaïæ in Christo[1].

I. Multos etiam ex iis qui studiosi admodum videntur esse, hanc puto Epistolæ partem prætercurrere ut superfluam, et quæ nihil magni habeat : atque idipsum illis in genealogia, quæ in Evangelio habetur, evenire existimo. Quia enim nominum est catalogus, non se magnum inde lucrum facturos arbitrantur. Et aurificum quidem pueri minima quoque ramenta curiose perquirunt; hi vero tantas auri massas prætercurrunt. Ne hoc itaque patiantur, satis sunt ea quæ dicta fuere, ut illos ab hac socordia abducant. Nam quod non parvum inde lucrum carpi possit, ex supradictis jam ostendimus, animum vestrum ex his salutationibus erigentes. Hodie quoque tentabimus ex hoc quoque

[1] Rom. xvi, 5.

loco auri metallum extrahere : potest enim vel in simplicibus nominibus magnus inveniri thesaurus. Nam si didiceris cur Abraham sic vocatus sit, cur Sara, cur Israël, cur Samuël, hinc multarum rerum historiam invenies : atque a temporibus et locis hoc ipsum poteris colligere. Nam qui studiosus est, hinc divitias acquirit ; qui vero negligens est, ne ab iis quidem quæ manifesta sunt, quidpiam lucratur. Etenim Adami nomen non modica nos philosophia imbuit, itemque filii ipsius, atque uxoris, aliorumque plurium. Nomina quippe, multarum rerum sunt monumenta : ac Dei beneficentiam, mulierumque gratiarum actionem ostendunt : nam cum ex Dei dono concepissent, ipsæ filiis suis nomina imponebant. Sed quid nunc de nominibus philosophamur ; cum tot tantæque sententiæ negligantur, et multi ne nomina quidem librorum sciant? Attamen non ideo nobis ab hujusmodi rerum studio recedendum est : Debebas, enim inquit, argentum deposuisse ad nummularios[1]. Quapropter, etiamsi nemo sit qui excipiat, quod nostrum est faciamus, et ostendamus nihil supervacaneum vel frustra proferri in Scripturis. Nisi enim hæc aliquid lucri habuissent, Epistolæ adjecta non fuissent, neque Paulus hæc scripsisset. Verum quidam ita sunt rudes ac stupidi, cœlisque indigni, ut non modo nomina, sed integros libros supervacaneos esse dicant, ut Leviticum, Librum Josuë, aliosque plures. Sic etiam Vetus Testamentum multi insipientes repudiarunt : et progressi in prava illa consuetudine, etiam multa Novi Testamenti absciderunt. Sed horum quidem, utpote ebriorum, et carni viventium, non multa nobis ratio est. Si quis vero sit philosophiæ amator, et spiritualis concionis amicus, audiat neque ea quæ in Scriptura minuscula esse videntur, frustra vel incassum jacere, et vetera etiam multum afferre lucri.

[1] Matth. XXV, 27.

Hæc enim omnia figuræ sunt[1], inquit, et ad nostram institutionem scripta. Ideoque Timotheo dicebat: « Attende » lectioni, adhortationi[2], » ad veterum librorum lectionem ipsum inducens, hominem tantum habentem spiritum, ut dæmonia ejiceret, et mortuos suscitaret. Proposito itaque nostro hæreamus. « Salutate Epænetum dilectum meum. » Licet hinc observare, quomodo singulis suas variæ laudes distribuat. Neque enim parva hæc laus est, sed magna admodum, et multam indicans virtutem, quod Paulus illum dilectum habeat, qui nesciebat ex gratiæ affectu, sed ex judicio diligere. Deinde aliud sequitur encomium, « Qui » est primitiæ Achaïæ. » Vel enim hoc dicit, quod alios omnes credendo præverterit, quæ non modica laus est; vel quod plus pietatis exhibuerit, quam reliqui omnes. Ideo cum dixisset, qui est primitiæ Achaiæ, non tacuit, ne mundanam suspicareris gloriam, sed addidit, in Christo. Si enim in civilibus rebus qui primas tenet, magnus esse videtur et splendidus; multo magis in his. Quia enim verisimile erat eum humili genere ortum esse, veram nobilitatem dicit et prærogativam, inde illum exornans. Neque Corinthi solum, sed etiam universæ gentis illum dicit esse primitias, ac si janua et introitus aliis factus sit: talium vero merces non modica est: nam qui hujusmodi est, ex alioram recte factis non modicam excerpet mercedem, quod illis in principio multum contulerit: « Salutate Mariam » quæ multum laboravit vobis[3]. » Quid hoc est? rursum mulier coronatur et prædicatur; rursum nos viri pudore afficimur; imo non solum non afficimur pudore, sed cohonestamur; ideoque cohonestamur, quod tales apud nos sint mulieres; sed pudore afficimur, quod procul ab illis retro relinquamur. Sed si discamus undenam illæ ornentur, cito et nos illas attingemus. Undenam ergo ornantur?

[1] 1 Cor. x, 11. — [2] 1 Tim. iv, 13. — [3] Rom. xvi, 6.

Audiant viri ac mulieres; non ab armillis, non a monilibus, neque ab eunuchis, et ab ancillis, et a vestibus auro intertextis, sed a sudoribus pro veritate susceptis. « Quæ » multum, inquit, laboravit nobis; » non sibi tantum, neque propriæ virtuti, id quod multæ jam mulieres faciunt, jejunantes, humi cubantes; sed etiam aliis, Apostolorum et Evangelistarum cursum suscipientes. Quomodo igitur dicit: « Mulierem docere non permitto[1]? » ne in medio præsideat prohibens, et a throno excludens, non autem a verbo doctrinæ. Nam si hoc esset, quomodo dixisset ei quæ infidelem habebat virum: « Quid enim scis, mulier, » num virum salvatura sis[2]? » Quomodo permisisset ut pueros admoneret dicens: « Salvabitur autem per filiorum ge- » nerationem, si manserint in fide, et dilectione, et sancti- » ficatione cum castitate[3]? » Quomodo Priscilla Apollo virum instituit[4]? Non igitur colloquium illud seorsim habitum prohibens, hoc dicebat: sed illam prædicationem, quæ in medio et in communi theatro habebatur, quæ doctoribus competit. Et rursus, si fidelis vir fuerit, et valde perfectus, qui possit uxorem docere, ut ipsa sapientior fiat; non impedit quominus doceat illam et corrigat. Nec dixit, « Quæ multa docuit, » sed, « Quæ multum laboravit, » ostendens illam et sermone et aliis in rebus ministrasse, sive pericula subeundo, sive pecunias dispensando, sive peregrinationes suscipiendo.

II. Erant enim tunc mulieres leonibus ardentiores, cum Apostolis partem laborum in prædicatione suscipientes: ideoque una cum illis peregrinabantur, et in reliquis omnibus ministrabant. Et Christum quoque sequebantur mulieres, quæ ex suis facultatibus ministrabant, et doctori serviebant. « Salutate Andronicum et Juniam cognatos

[1] 1 Tim. II, 12. — [2] 1 Cor. VII, 16. — [3] 1 Tim. II, 15. — [4] Act. XVIII, 18-26.

» meos[1]. » Hoc quoque encomium videtur esse : at multo majus est quod sequitur. Quale illud est ? « Concaptivos » meos : » hæc enim maxima est corona, et magna proclamatio est. Et ubinam captivus fuit Paulus, ut dicat, « Concaptivos meos ? » Captivus quidem non fuerat, sed graviora quam captivi passus erat : non modo a patria abalienatus et domo, sed et cum fame decertans et cum morte assidua, et cum innumeris aliis. Captivo enim hoc solum grave est, quod a domesticis sejunctus, servus, sæpe pro libero fiat. Hic autem imbres tentationum dicere possis, quas Beatus ille subivit, raptatus, circumactus, flagellatus, vinctus, lapidatus, in mare demersus, innumeros habens insidiatores. Et captivi quidem neminem habent adversarium postquam abducti sunt ; sed illis admodum providetur ab iis qui illos ceperunt. Hic vero sæpe inter medios versabatur hostes, et ubique hastas videbat et acutos gladios, aciesque et pugnas. Quia igitur verisimile erat illos multorum ipsius periculorum consortes fuisse, concaptivos illos vocat, ut et alibi dicit, « Aristar» chus concaptivus meus. » Alia deinde laus sequitur : « Qui » sunt insignes inter Apostolos[2]. » Atqui vel Apostolos fuisse magnum erat : inter eos autem insignes esse, cogita quantum sit encomium. Insignes porro erant ab operibus, a recte factis. Papæ ! quanta mulieris hujusce philosophia, ut etiam Apostolorum nomine appellaretur. Neque hic gradum sistit, sed aliam rursus laudem addit : « Qui etiam » ante me fuerunt in Christo. » Etenim et hæc laus est maxima, præsiliisse, et ante alios venisse. Perpende autem mihi beatam illam animam, quam a vana gloria pura alienaque esset. Post tantam enim talemque gloriam alios sibi præponit, nec occultat quod ipse post alios venerit, neque pudet ipsum hoc confiteri. Et quid miraris si non pudet

[1] Rom. XVI, 7. — [2] Colos. IV, 10.

ipsum, quando et pristinam suam vitam palam incessere non recusat, se blasphemum et persecutorem vocans ? Quia igitur non poterat eos aliunde sibi præponere, quæ sivit cum qui post alios venisset, nempe se ipsum, illicque invenit laudem ipsis tribuendam, sic loquens : « Qui etiam » ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliam dilec- » tum meum[1]. » Rursus hunc laudat a dilectione. Nam dilectio Pauli propter Deum erat, innumera complectens bona. Si enim a rege diligi magnum est, a Paulo diligi quantum est encomium ? Neque enim nisi magna præditus virtute fuisset, ad amorem ipsum attraxisset. Solebat enim eos qui in nequitia viverent, non modo non diligere ; sed etiam anathematizare. Ut quando dicit : « Si quis non amat » Dominum Jesum Christum, anathema sit[2] ; » et, « Si quis » vos evangelizaverit præter quam quod accepistis, ana- » thema sit[3]. Et Urbanum adjutorem meum in Christo[4]. » Hoc majus est illius encomium ; nam hoc præcedentem etiam complectitur laudem. « Et Stachyn dilectum meum. » Rursus hunc eadem laude coronat. « Salutate Apellem pro- » batum in Christo[5]. » Nihil huic laudi par est, nempe irreprehensibilem esse, et in rebus ad Deum spectantibus nullam præbere accusandi ansam. Cum enim dicit, « Pro- » batum in Christo, » omnem virtutem comprehendit. Et cur nusquam dicit : Dominum meum talem ? Quia hæ laudes majores illa erant. Illæ quippe laudes honoris tantum essent, hæ virtutem indicant. Atque etiam hac ratione honoravit illos, non utcumque, quod multos ex inferioribus, cum sublimibus et magnis salutaret. Quod enim salutaret, et cum aliis salutaret in eademque Epistola, omnes similiter honoravit ; quod vero propria cuilibet poneret encomia, propriam singulorum virtutem nobis

[1] Rom. XVI, 8. — [2] 1 Cor. XVI, 22. — [3] Galat. I, 8. — [4] Rom. XVI, 9. — [5] Ibid. 10.

declarabat; ita ut non invidiam pareret ex eo quod alios honoraret, alios secus, neque socordiam vel confusionem omnes iisdem laudibus dignando, qui iisdem tamen non digni essent. Vide ergo quomodo rursus ad claras mulieres veniat. Cum dixisset enim: « Salutate eos qui sunt ex Aris-» tobuli domesticis. Et Herodionem cognatum meum, et » eos qui sunt ex Narcissi domo[1]. » Quos verisimile est non tales fuisse, quales ii qui supra memorati sunt, quare non omnes nominatim memorat, congruentem ipsis laudem reddens, quod fideles sint. Hoc enim sibi vult illud, « Qui » sunt in Domino. »

III. Ad mulieres rursum salutationem transfert dicens: « Salutate Thryphænam et Tryphosam, quæ laborant in » Domino[2]. » Et de illa alia quidem jam dixerat, quod laboraverit nobis; de his vero quod laborent, nec parvum hoc est encomium, nempe in operibus omnino versari, nec modo operari, sed etiam laborare. Persidem vero etiam dilectam vocat, hanc esse majorem ostendens; nam ait: « Salutate Persidem dilectam; » multumque illam suscepisse laborem testificatur dicens: « Quæ multum labora-» verit in Domino. » Ita solebat singulos secundum dignitatem suam compellare: hos alacriores reddens, dum eos nulla debita laude privaret, sed etiam vel minimam virtutem prædicaret; alios vero studiosiores reddens, et ad eumdem zelum talibus encomiis concitans. « Salutate Rufum » electum in Domino, et matrem illius, et meam[3]. » Hic quoque universa bona sunt, quando et filius talis et mater talis est, et plena domus est benedictione, et radix cum fructu convenit. Neque enim simpliciter dixisset matrem illius, et meam, nisi magnam mulieris virtutem testificaretur. « Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, » Patrobam, Hermen, et eos qui cum ipsis sunt fratres[4]. »

[1] Rom. xvi, 9. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14.

Hic ne respicias quod hos sine laudibus memoret, sed quod etiam eos qui longe omnibus inferiores erant salutatione non dedignaretur; imovero non minima laus hæc est, quod fratres illos vocet, quemadmodum et sequentes sanctos appellat : nam ait : « Salutate Philologum et Ju» liam, et Nereum et sororem ejus, et Olympam, et om» nes qui cum eis sunt Sanctos[1]. » Quod quidem maxima dignitas erat, et honoris ineffabilis magnitudo. Deinde ne qua contentio oriretur, quod hos hoc, illos alio modo salutasset, alios nominatim, alios indefinite, alios cum majoribus, alios cum minoribus encomiis; jam illos commiscet et conjungit dilectionis pari honore, et osculo sancto, dicens : « Salutate invicem in osculo sancto[2]. » Per hanc pacem cogitationem omnem quæ turbare posset amovet, et simultatis ansam eliminat; ut ne major minorem despiceret, nec minor majori inviderct; sed et superbia et invidia pelleretur, hoc osculo omnia mitigante, et adæquante. Propterea non solum salutare illos hoc modo jubet, sed et omnium ecclesiarum salutem sic illis mittit: nam ait, « Sa» lutant vos, non hunc vel illum speciatim, sed in communi universos, « Omnes Ecclesiæ Christi. » Vides-ne quomodo ex salutationibus istis non modica lucrati fuerimus? Quot thesauros prætercursi eramus, nisi hanc Epistolæ partem accurate exploravissemus, quantum penes nos erat? Si quis vero repertus fuerit vir sapiens et spiritualis, profundius penetrabit, pluresque videbit margaritas. Sed quia sæpe nonnulli quæsiere cur in hac Epistola tot homines salutaverit, quod in nulla alia fecit; hoc utique dicemus, id illum facere quod nondum Romanos vidisset. Atqui, inquies, neque Colossenses viderat, et tamen nihil tale fecit. Verum Romani celebriores aliis omnibus erant, et ex aliis urbibus plurimi eo se contulerant, quasi ad tu-

[1] Rom. xvi, 15. — [2] Ibid. 16.

tiorem et regiam urbem. Quia igitur illi in extranea urbe degebant, et multa eos in securitate versari oportebat, ac quidam ex ipsis Paulo noti erant, et quidam eorum pro ipso præsentes ministeria multa et magna subierant, jure illos per litteras commendat. Etenim non modica tum erat Pauli gloria, sed tanta, ut ex ejus tantum litteris plurimi multam haberent commendationem. Non modo enim venerabantur, sed etiam timebant illum. Nisi enim hoc fuisset, non dixisset, « Ipsa quippe multis affuit et mihi ipsi; » et rursum, « Optabam ego ipse anathema esse[1]. » Ac Philemoni scribens dicebat : « Utpote Paulus senex, nunc au- » tem et vinctus in Christo Jesu[2]. » Et Galatis : « Ecce ego » Paulus dico vobis; » etc., « Tanquam Christum Jesum » suscepistis me[3]. » Et Corinthiis scribens dicebat; « Tan- » quam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam; » et, « Hæc autem transfiguravi in me et Apollo, ut in nobis » discatis non ultra quam scriptum sit sapere[4]. » Ex quibus omnibus palam est, omnes de illo magnam concepisse existimationem. Cum vellet igitur illos in securitate et honore esse, singulos salutavit, exornans illos quantum poterat. Alium quippe dilectum vocavit, alium cognatum, alium utrumque, alium concaptivum, alium cooperatorem, alium probatum, alium electum. Et hanc quidem a dignitate; neque enim tantum dixit, quæ ministrat; nam si hoc fuisset, certe Tryphænam, Tryphosam et Persidem sic vocasset; sed aliam quidem ordinationem diaconissæ habentem, aliam vero cooperariam et administram, aliam matrem, aliam a laboribus quæ subiit celebravit. Et alios quidem a domo, alios a fratrum suorum nomine, alios appellat sanctos, alios solo prolato nomine honorat; alios primitias vocando, alios a tempore quod priores accesserint. Verum

[1] Rom. IX, 3. — [2] Philem. I, 9. — [3] Galat. III, 2, et IV, 14. — [4] 1 Cor. IV, 18 et 6.

plus quam omnes Priscillam et Aquilam. Etiamsi enim omnes fideles essent : at non omnes similes, sed pretio dispares. Ideo omnes ad majora ducens, nullius laudes occultat. Si enim ii qui plura fecerunt, non majorem mercedem accepturi essent, multi segniores evaderent.

IV. Ideo in regno non par erit honor, neque inter discipulos, omnes æquales sunt; sed tres aliis præminebant, atque inter tres illos multum discriminis intercrat. Multa quippe accuratio apud Deum est, ad usque ultimos. « Etenim stella » a stella differt in gloria[1], inquit. » Quanquam omnes erant Apostoli, omnes supra duodecim thronos sessuri, omnes sua reliquerant, omnes cum Christo versati sunt; attamen tres ille accepit. Atque ex his etiam quosdam eminere, et præcellere dixit. Nam ait : « Sedere autem ad dexteram vel si» nistram, non est meum dare, sed quibus paratum est[2]. » Ac Petrum ipsis anteponit dicens : « Diligis me plus his[3] ? » Et Joannes plus quam alii omnes diligebatur. Etenim accuratum omnium examen erit, et si paululum superes proximum, quantulumcumque illud fuerit, neque hoc negliget Deus. Hoc autem jam prisce factum videre est. Nam Lot justus erat, sed non quantum Abraham; Ezechias quoque, sed non quantum David : itemque omnes Prophetæ, sed non perinde atque Joannes. Ubinam ergo sunt illi, qui, cum tanta adhibita sit diligentia, gehennam esse nolunt ? Si enim justi omnes non iisdem fruentur bonis, si vel parum alios antecellant, « Stella enim, inquit, a » stella differt in gloria[4]; » quomodo peccatores iisdem fruentur bonis, quibus justi? Hanc enim confusionem ne homo quidem faceret, nedum Deus faciat. Si autem vultis et in iis qui peccaverunt, et in his quæ jam facta sunt, hoc vobis discrimen ostendam, nec non accuratum judicium.

[1] 1 Cor. xv, 41. — [2] Marc. x, 40. — [3] Joan. xxi, 17. — [4] 1 Cor. xv, 41.

Perpende autem : peccavit Adam, peccavit et Eva, et ambo transgressi sunt, sed non æqualiter. Igitur nec pari sunt pœna plexi. Tantum enim erat discrimen, ut Paulus diceret : « Adam non deceptus est, mulier vero seducta, » in transgressione fuit[1]. » Atqui seductio una fuit. Attamen Dei examen accurate factum tantum ostendit discrimen, ut Paulus hoc diceret. Rursum Caïn punitus fuit; Lamech vero qui post illum occidit, nihil tale passus est; etiamsi et hoc et illud cædes esset, et hæc Lamechi multo gravior, quia ille exemplo dato non melior effectus est. Attamen quia ille neque fratrem post admonitionem occidit, neque accusatore opus habuit, neque interrogante Deo impudenter respondit; sed nemine redarguente se ipsum reprehendit et damnavit, veniam consecutus est. Ille vero, quia contraria fecerat, supplicio est affectus. Vide cum quanta diligentia et accuratione Deus gesta examinat. Ideo illos qui tempore diluvii erant alio, Sodomitas alio supplicio affecit. Rursum Israëlitas diverso modo, eos qui in Babylone, necnon eos qui sub Antiocho, ostendens se magnam habere nostrorum operum rationem. Et illi quidem septuaginta annis servierunt, hi vero quadringentis. Illi filios suos comederunt, et innumeris aliis calamitatibus plexi sunt; neque sic tamen sunt liberati, neque isti, neque ii, qui in Sodomis vivi combusti sunt. Nam ait, « Tolerabilius » erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum, quam civitati » illi[2]. » Etenim si ille nos peccantes nihil curaret, nec probe agentes, fortassis rationi consonum esse posset dicere, nullum fore supplicium. Si vero tantam adhibet curam, ut nos non peccemus, et si tanta molitur ut probe agamus, palam est illum peccantes punire, et bene agentes coronare. Tu vero mihi consideres velim multorum inæqualem judicandi formam. Hic enim Deum accusant,

[1] 1 Tim. II, 14. — [2] Matth. X, 15.

quia sæpe patienter moratur multosque negligit, scelestos, lascivos, violentos, qui non dant pœnas; ac postea cum comminatur, acerbi et molesti sunt atque incusant. Atqui si hoc molestum est, illud etiam approbandum erat et laudandum. Sed, o stultitiam! o stultam, et asinariam sententiam! o animam peccati ac voluptatis amantem atque ad nequitiam respicientem! Etenim a voluptatis amore hæc dogmata omnia nascuntur; ita ut si ii, qui talia dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuasi essent, nec dubitarent. Et ubinam, inquies, quove in loco hæc gehenna erit? Cur hoc tibi curæ est? Quod enim quæritur est, ut ostendatur an sit, non ubi reposita sit et quo in loco. Quidam enim fabulantes dicunt, in valle Josaphat, id quod de præterito quodam bello dictum est, ad gehennam trahentes. Scriptura vero non hoc dicit. Sed quonam in loco, inquies, erit? Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim regum carceres et metalla procul posita sunt, ita extra mundum hunc erit gehenna.

V. Ne ergo quæramus ubinam sit, sed quomodo illam fugiamus. Neque quia Deus non omnes hic punit, ideo futuris fidem neges. Nam benignus est et patienter moratur. Ideo comminatur, nec statim in gehennam conjicit: nam ait, « Nolo mortem peccatoris [1]. » Si vero non est mors peccatoris, hoc frustra dicit. Et scio quidem his sermonibus nihil ingratius vobis esse, sed iis nihil mihi jucundius. Atque utinam et prandentes et cœnantes et in balneo et ubique de gehenna loqueremur; neque enim hic ærumnas ægre ferremus, neque in bonis deliciaremur. Quid enim mihi grave dicere possis? paupertatem? morbum? captivitatem? mutilationem corporis? Verum illa omnia risu sunt digna, si cum supplicio illo comparentur, etiamsi eos qui semper fame torquentur dixeris, etiamsi eos qui a prima

[1] Ezech. XVIII, 32.

ætate cæci sunt, et cibum emendicant; hæc mala cum illis comparata nihil sunt. Hæc itaque frequenter versemus; nam gehennæ memoria non sinit incidere in gehennam. Non audis Paulum dicentem, « Qui supplicium luent æternum a facie Domini [2] ? » Non audis qualis Nero fuerit, quem Antichristi mysterium vocat Paulus? « Nam mysterium, inquit, iniquitatis jam operatur [2]. » Quid ergo ? Nihil-ne patietur Nero? Nihil Antichristus ? Nihil diabolus ? Ergo semper Antichristus erit, et diabolus. Neque enim nisi plexi fuerint, a malitia sua desistent. Etiam, inquies; sed quod punitio quidem et gehenna sit, cuivis manifestum est; verum soli infideles in illam incident. Cur, quæso te ? Quia fideles, inquies, Dominum suum agnoverunt. Et quid hoc est? Nam si vita illorum impura fuerit, propterea graviores dabunt pœnas, quam infideles. « Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur [3]; » et, « Servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit, vapulabit multis [4]. » Si vero nulla vitæ danda sit ratio; sed hæc frustra dicta fuere, neque diabolus punietur. Nam et Deum novit, magis quam multi hominum. Dæmonesque omnes illum cognoscunt, et horrent, atque judicem confitentur. Si igitur nulla sit vitæ neque operum ratio danda hi quoque effugient. At non ita se res habent, non ita; ne vos ipsos decipiatis, dilecti. Si enim non sit gehenna, quomodo Apostoli judicabunt duodecim tribus Israël? Cur dicit Paulus : « Nescitis quia Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia [5] ? » Quomodo Christus dicebat : « Viri Ninivitæ surgent in judicio, et condemnabunt generationem istam [6] ? » Et, « Tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii [7] ? » Quid ergo ludis in non ludicris? Quid

[1] 2 Thess. I, 9. — [2] Id. II, 7. — [3] Rom. II, 12. — [4] Luc. XII, 48. — [5] 1 Cor. VI, 3. — [6] Matth. XII, 41. — [7] Id. XI, 24.

te ipsum decipis, et animæ tuæ imponis, o homo? Cur contra Dei benignitatem pugnas? Ideo enim gehennam apparavit et comminatus est, ut ne incidamus, timore illius meliores facti. Itaque qui sermonem de gehenna de medio tollit, nihil aliud facit ignarus, quam quod hac fallacia in illam impellit et conjicit. Ne itaque manus dissolvas eorum qui pro virtute laborant, neque dormientium socordiam augeas. Nam si multis persuasum fuerit non esse gehennam, quandonam a malitia discedent? Ubinam justitia apparebit? Non dico de peccatoribus et justis, sed de peccatoribus et peccatoribus. Cur ille talis hic punitus fuit, ille qui eadem, imo qui graviora perpetraverat, punitus non fuit? Si enim non sit gehenna, nihil poteris ista redarguentibus respondere. Ideo obsecro, ut ab his ridiculis dictis desistentes, os obstruamus iis qui his in rebus nobis contradicunt. Nam vel minimarum rerum tum in peccatis, tum in bonis operibus accuratum fiet examen. Etenim rationem daturi sumus impudici aspectus, verbi otiosi ac ridiculi, convicii, iracundiæ, et ebrietatis; ac rursum in bonis operibus mercedem accipiemus pro calice aquæ frigidæ, pro verbo bono, et pro solo gemitu. Nam ait: « Pone signum » in facie gementium et lugentium [1]. » Quomodo igitur dicere audes, eum qui cum tanta accuratione nostra examinat, frustra et incassum gehennam comminatus est? Ne, obsecro, ne te tam vana spe perdas, eosque qui tibi fidem habent. Nam si nostris sermonibus non credis, examina Judæos, Gentiles, hæreticos omnes, qui tibi quasi uno ore respondebunt judicium fore ac retributionem. Annon sufficiunt homines? Interroga ipsos dæmonas, et audies clamantes: « Quid venisti huc ante tempus torquere » nos [2]? Iisque omnibus collectis: menti tuæ persuade ne frustra nugetur; ut ne per experientiam gehennam esse

[1] Ezech. IX, 4. — [2] Matth. VIII, 29.

discat; sed hinc resipiscens, et tormenta illa effugere poteris, et futura assequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

CAPUT XVI.

Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt : et declinate ab illis. Nam qui tales sunt, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones ac benedictiones seducunt corda innocentium [1].

I. Rursus adhortatio [2], et precatio post adhortationem. Cum dixisset enim observandos esse eos qui dissidia facerent, neque illis esse obtemperandum, subjungit : « Deus » autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris; » et, « Gratia Domini vobiscum [3]. » Vide autem quam placide adhortetur; non quasi consilium dans, sed quasi supplicans, multique cum honoris significatione. Etenim fratres illos vocat, et supplicat eis. « Rogo vos, fratres, inquit. » Deinde illos sollicitos reddit, mala inferentium dolum indicans. Quasi enim non per se manifesti sint, ait : « Rogo autem vos ut observetis; id est, ut accurate scrutemini, et discatis ac perquiratis. » Quosnam, quæso? « Eos qui » dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos

[1] Rom. xvi, 17, 18. — [2] Vide D. Guillon, tom. xii, p. 152, et tom. xvi, p. 547-552. — [3] Rom. xvi, 20.

» didicistis, faciunt. » Hæc quippe potissimum Ecclesiæ eversio, cum nempe divisa est. Hæc diaboli sunt arma, illud omnia susdeque vertit. Donec enim corpus unitum fuerit, non potest introitum habere, sed ex dissensione offendiculum oritur. Dissensio autem unde? A dogmatibus, quæ præter doctrinam Apostolorum inferuntur. Hæc vero talia dogmata unde? Quod ventri aliisque affectibus serviatur. « Nam qui tales sunt, inquit, Domino non serviunt, » sed ventri suo. » Itaque non offendicula, non dissidia evenient, nisi dogma quodpiam præter apostolicam doctrinam excogitatum fuerit. Quod hic declarans dicebat, « Præter doctrinam. » Nec dixit, « Quam docuimus, » sed, « Quam vos didicistis, » prævertens illos et ostendens persuasos fuisse, audivisse et suscepisse. Et quid faciemus illis qui mala isthæc operantur? Non dixit, « Simul aggre- » dimini, et impugnate, » sed, « Declinate ab illis. » Nam si vel ex ignorantia vel ex errore id agebant, corrigere oportebat. Quia vero scientes peccant, resilite. Alibi quoque hoc ait : « Subducite vos, inquit, ab omni fratre, qui inor- » dinate ambulat [1]. » Et Timotheo de fabro ærario loquens, talia hortando dicebat : « Quem et tu observa [2]. » Deinde eos qui talia auderent traducens, causam dicit ob quam tale dissidium excogitarunt : « Qui tales sunt, inquit, Do » mino Jesu Christo non serviunt, sed ventri suo. » Hoc Philippensibus etiam scribens dicebat : « Quorum Deus » venter est [3]. » Hic vero mihi eos, qui ex Judæis erant, subindicare videtur, quia ut gulosos maxime semper exagitare solet. Etenim Tito scribens de illis dicebat, « Malæ bestiæ, » ventres pigri [4]. » Et Christus illos hac de causa carpens ait : « Devoratis domos viduarum [5]. » Et Prophetæ de illis ipsos accusant : « Impinguatus est, inquit, et incrassatus

[1] 2 Thess. III, 6. — [2] 1 Tim. IV, 15. — [3] Philip. III, 19. — [4] Tit. I, 12. [5] Matth. XXIII, 14.

» est, et recalcitravit dilectus [1]. » Ideoque Moyses hortabatur dicens, « Cum comederis et biberis, repletusque » fueris, recordare Domini Dei tui [2]. » Et in Evangeliis cum Christo dicerent : « Quod signum ostendis nobis [3] ? » et alia omnia prætercurrerent, manna commemorant. Sic ubique huic subditi vitio apparent. Quomodo ergo non pudeat Christi fratrem, si ventris servos, doctores habeat? Et erroris quidem occasio hæc est, insidiarum vero modus, alius rursum morbus est, nempe adulatio. « Nam per dul- » ces sermones, inquit, seducunt corda innocentium, » et bene dixit, « Dulces sermones, » verborum enim tenus est obsequium : mens autem non talis est, sed dolo plena. Nec dixit, « Vos seducunt, » sed, « Corda innocentium. » Neque hoc contentus fuit; sed ne quod dicit gravius reddatur, subjungit : « Vestra enim obedientia ad omnes per- » venit [4]. » Hoc vero facit, non sinens eos impudenter agere, sed encomiis prævertens illos, et testium multitudine retinens. Neque enim ego solus testificor, sed orbis universus. Nec dicit, « Prudentia vestra; » sed, « Obedientia » vestra; » id est, persuasio obsequens, quod illorum mansuetudinis testimonium est. « Gaudeo igitur de vobis. » Non modica hæc laus est. Post laudem sequitur admonitio. Ne enim a culpa illos liberans, ut ignorantes, ignaviores reddat, rursus illis insinuat his verbis : « Sed volo vos sapientes » esse ad bonum, sinceros autem ad malum [5]. » Vides-ne quomodo rursum illos perstringat, licet sine ulla suspicione? hoc enim est subindicantis, quod ex illis quidam seducti sint. « Deus autem pacis conteret Satanam sub pe- » dibus vestris velociter [6]. » Quia enim memoraverat illos qui dissidia et offendicula parabant; Deum pacis jam dicit, ut confidant se ab illis esse liberandos. Nam qui de pace

[1] Deut. xxxii, 15. — [2] Id. vi, 11. — [3] Joan. ii, 18. — [4] Rom. xvi, 19. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 20.

gaudet, ea quæ illam labefactare possunt dissolvet. Neque dixit, « Subjiciet; » sed, quod majus est, « Conteret; » neque solum illos, sed et ducem eorum hac in re Satanam. Neque solum conteret, sed sub pedibus vestris; ita ut ipsi victoriam reportarent, et erecto tropæo illustres essent. A tempore quoque consolatio illa datur : subjungit enim, velociter. Hoc autem simul precatio et prophetia erat. « Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum [1]. » Arma fortissima, murus infractus, turris inconcussa : illis quippe gratiam memoravit, ut alacriores redderet : si enim ex gravioribus liberati fueritis, et per gratiam tantum, multo magis a minoribus eripiemini; quia et amici facti estis, et quæ penes vos erant intulistis.

II. Vide quomodo neque precationem sine operibus, neque opera sine precatione ponat. Cum enim obedientiam illorum testificatus esset, tunc pro illis precatus est, ostendens utrisque nobis opus esse, et iis quæ a nobis sunt, et iis quæ a Deo, siquidem per diligentiam servandi simus. Non enim solum antea, sed et nunc, etiamsi magni simus et probati, ejus gratia opus habemus. « Salutat vos Timotheus adjutor meus. » Vides-ne rursus solita encomia? « Et Lucius et Jason et Sosipater cognati mei [2]. » Jasonis hujus Lucas quoque meminit, fortitudinemque ejus nobis commendat dicens, quod duxerint eum ad magistratus urbis clamantes. Et alios quoque verisimile est ex insignibus fuisse. Neque enim simpliciter cognatos memoraret, nisi pietate sibi similes essent. « Saluto vos ego Tertius, qui scripsi » Epistolam [3]. » Non modica hæc quoque laus est, scribam esse Pauli. Verum hoc non ideo dixit, ut sese laudaret, sed ut ferventem apud illos dilectionem ex hoc ministerio conciliaret. « Salutat vos Gaius hospes meus, et universæ » Ecclesiæ [4]. » Vides-ne quantam illi coronam nexuit, tantam

[1] Rom. XVI, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 23.

hospitalitatem testificans, et universam Ecclesiam in ejus domo congregans? Hospitem enim hic vocat eum qui hospites excipit. Cum autem audis illum Pauli hospitem fuisse, non illum hospitalitatis tantum causa lauda, sed etiam vitæ probitatis. Non enim apud illum diversatus esset, nisi ille virtute sua dignus fuisset. Qui enim multa Christi præcepta etiam transcendere curabat, non hanc prætergressus esset legem, qua jubebatur hospites explorari; et apud dignos diversari. « Salutat vos Erastus arcarius civi» tatis, et Quartus frater [1]. » Non sine causa posuit, « Arca» rius civitatis; » sed ut Philippensibus scribebat : « Salu» tant vos, qui ex domo Cæsaris sunt [2], » ut indicaret prædicationem ad optimates etiam pervenisse; ita et hic quoque dignitatem memorat, idipsum hic probare volens et ostendere eum, qui attendat, nec divitias, nec principatus curas, neque aliud simile quidpiam impediturum esse. « Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum vobis. Amen [3]. » Vides-ne unde incipienda et terminanda sint omnia? Nam hinc et Epistolæ fundamentum jecit, et tectum imposuit, simul illis et matrem bonorum omnium invocans, et beneficentiam omnem commemorans. Hoc est enim maxime generosi doctoris, non verbo tantum, sed etiam oratione discipulos juvare. Ideo dicebat : « Nos autem orationi et » ministerio verbi assidue incumbemus [4]. » Quis ergo et nobis bene precabitur, postquam Paulus hinc abscessit? Hi Pauli æmulatores; tantum modo nos tali patrocinio dignos exhibeamus, ut ne hic tantum Pauli vocem audiamus; sed etiam postquam illo migraverimus, Christi athletam videre mereamur. Imo si hic audierimus, illic quoque ipsum videbimus; licet non prope stantes; videbimus tamen fulgentem prope solium regium : ubi Cherubini glorificant, ubi Seraphini volant. Illic Paulum cum Petro

[1] Rom. XVI, 23. — [2] Philip. IV, 22. — [3] Rom. XVI, 24. — [4] Act. VI, 4.

videbimus, in Sanctorum choro coryphæum et patronum, veraque illic dilectione fruemur. Nam si hic usque adeo homines diligebat, ut cum penes illum esset dissolvi et esse cum Christo, malnerit hic esse; longe magis ardentem illic ostendet amorem. Propterea ego Romam diligo, quanquam aliunde illam laudare possim, a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis. Sed missis illis omnibus, ideo illam beatam prædico, quia Paulus et dum viveret illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac præsens ipsos allocutus est, vitamque ibidem clausit. Ideoque hinc clarior est civitas, quam ex aliis omnibus. Ac quemadmodum corpus magnum et robustum duos illa urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum corpora. Non ita splendet cœlum, cum radios sol emittit, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate et exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgentem, et sublatum in occursum Domini. Qualem rosam Christo mittit Roma, quibus coronis urbs illa circumdatur, quibus aureis catenis cingitur, quos habet fontes. Propterea urbem admiror, non propter auri copiam, vel propter columnas aliumque fastum; sed propter has Ecclesiæ columnas.

III. Quis mihi nunc dederit, ut corpus Pauli circumplectar, ut sepulcro hæream, ut pulverem videam corporis illius quæ Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem ubique disseminantis? Pulverem, inquam, illius corporis, per quod ubique discurrebat? pulverem corporis, per quod Christus loquebatur, et lux splendebat omni fulgure clarior; et vox exiliebat quovis tonitru dæmonibus terribilior, per quod beatum illud dictum emit-

tebat: « Cupio anathema esse pro fratribus meis[1]? » Per quod loquebatur coram regibus, nec erubescebat? Per quod Paulum didicimus, et Pauli Dominum? Non ita tonitru nobis formidabile est, ut vox illa dæmonibus. Nam si vestimenta ejus horrebant, multo magis vocem. Hæc vinctos illos duxit, hæc orbem expurgavit, hæc morbos solvit, nequitiam expulit, veritatem reduxit, Christum insidentem habuit, et cum illo quoquoversum prodibat: et quod ipsi Cherubini erant, hoc erat et Pauli vox. Ut enim in virtutibus illis, ita et in Pauli voce insidebat. Nam digna fuit quæ Christum exciperet, illa tantum loquens, quæ Christus diligeret, et ad ineffabilem volans altitudinem, ut Seraphini. Quid enim sublimius illa voce dicente: « Certus » sum quod neque Angeli, neque Principatus, neque Potes» tates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, ne» que profundum, neque creatura alia poterit nos separare » a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu[1]? » Quot alas tibi videtur habere vox isthæc? quot oculos? Ideo dicebat: « Non enim cogitationes illius ignoramus[2]. » Propterea fugiebant dæmones, non modo loquentem audientes, sed etiam procul positi vestimentum videntes. Oris hujus pulverem videre vellem, quo magna et arcana Christus locutus est, et majora quam per se ipsum; ut enim majora per Discipulos suos operatus est, ita et majora locutus est: per quod Spiritus mirabilia illa oracula orbi contulit. Quid enim non operatum est os illud eximium? Dæmonas expulit, peccata solvit, tyrannos ad tacendum compulit, philosophorum linguas obstruxit, orbem Deo obtulit, barbaris ut philosopharentur suasit, omnia quæ in terra erant composuit, et quæ in cœlo, ut voluit coaptavit, ligans quos volebat et solvens illic, secundum datam sibi potentiam. Nec oris tantum, sed etiam cordis illius pulverem videre

[1] Rom. IX, 3. — [2] Id. VIII, 38, 39. — [3] 2 Cor. II, 11.

vellem, quod si quis cor orbis fuisse dixerit, non erraverit, nec si innumerorum fontem bonorum, ac principium et elementum vitæ nostræ dixerit. Nam spiritus vitæ inde in omnia effundebatur, ac membris Christi dabatur, non per arterias emissus, sed per bonorum propositum. Adeo latum cor illud erat, ut civitates integras, populos, et gentes caperet. Nam ait: « Cor meum dilatatum est[1]. » Attamen tam latum cor aliquando cohibuit et strinxit amor, qui ipsum dilatabat. « Ex multa enim tribulatione et angustia cordis, » inquit, hanc vobis scripsi[2]. » Et dissolutum videre cuperem, quod ardeat erga singulos pereuntes, quod iterum parturiat abortivos filios, quod Deum videat; « Nam qui » mundo corde sunt, inquit, Deum videbunt[3]. » Cor hostiam factum: sacrificium enim Deo est spiritus contritus[4]. Cor cœlis sublimius, orbe latius, radio splendidius, igne ardentius, adamante fortius, fluvios emittens: nam ait: « Flu» mina de ventre ejus fluent aquæ vivæ[5] : » ubi erat fons saliens, et irrigans, non faciem terræ, sed hominum animas. Unde non flumina tantum, sed etiam fontes lacrymarum emanabant et nocte et die. Cor, inquam, quod novam ducebat vitam, non hanc nostram; nam ait, « Vivo » autem, jam non ego, vivit vero in me Christus[6]. » Cor itaque Christi erat cor Pauli, et Spiritus sancti tabula, et gratiæ liber. Cor quod propter aliorum peccata tremebat: « Timeo enim, inquit, ne frustra laboraverim vobis: Ne » sicut serpens Evam seduxit: Ne forte veniens, non quales » volo inveniam vos[7]. » Pro se ipso autem et timebat et confidebat. « Timeo, inquit, ne aliis prædicans, ipse repro» bus efficiar[8]; » et, « Certus sum quod neque Angeli, neque » Principatus poterunt nos separare[9]. » Cor quod Christum

[1] 2 Cor. VI, 11. — [2] Id. II, 4. — [3] Matth. V, 8. — [4] Psal. L, 19. — [5] Joan. VII, 38. — [6] Galat. II, 20. — [7] Galat. IV, 11; 2 Cor. XI, 3, et XII, 20. — [8] 1 Cor. IX, 27. — [9] Rom. VIII, 38.

ita diligere meruit, ut nullus alius dilexit, quod mortem et gehennam sprevit, et fraternis lacrymis conterebatur. « Quid enim facitis, inquit, flentes et conterentes cor » meum[1] ? » Cor patientissimum, et non sustinens tempus quo metuebat ne Thessalonicenses deficerent[2].

IV. Vellem pulverem videre manuum catenis constrictarum, per quarum impositionem Spiritus dabatur, per quas hæ litteræ scriptæ sunt : « Videte, inquit, qualibus » litteris scripsi vobis manu mea[3] ; » ac rursus, « Salutatio » mea Pauli manu[4]. » Manuum, inquam, illarum, quas videns vipera, in rogum cecidit. Vellem pulverem videre oculorum, probe excæcatorum, et postea rursus videntium ad salutem orbis, qui et Christum in corpore videre dignati sunt, qui terrena videbant, et non videbant, qui illa quæ non videntur videbant, qui somnum non noverant, qui mediis in noctibus vigilabant, qui non eadem quæ invidi patiebantur. Vellem quoque pulverem videre pedum illorum, qui orbem peragrantes non laborabant, qui in ligno vincti erant, quando carcerem concussit ; qui terram habitatam et inhabitatam circuierunt, ac sæpe vias emetiebantur. Et quid opus est singula recensere? Vellem sepulcrum videre, ubi jacent arma justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, et mortua dum ille viveret, in quibus omnibus vivebat Christus, quæ crucifixa erant mundo, membra Christi, quæ Christum induebant, templum Spiritus, ædificium sanctum, quæ Spiritu ligata erant, quæ confixa erant timore Dei, quæ stigmata Christi habebant. Hoc corpus urbem illam quasi mœniis cingit, quod omni turre et vallis innumeris tutius est : et cum hoc etiam Petri corpus : nam illum viventem honoravit. « Ascendi, inquit, » videre Petrum[5]. » Ideoque hinc demigrantem illum con-

[1] Act. xxi, 13. — [2] 1 Thess. iii, 5. — [3] Galat. vi, 11. — [4] 2 Cor. xvi, 21. — [5] Galat. i, 18.

tubernalem facere gratia dignata est. Vellem videre leonem spiritualem. Quemadmodum enim leo ignem emittens in vulpium greges, sic in dæmonum et philosophorum turmam incidit, ac velut fulminis jactus, in dæmonis phalanges illatus est. Neque enim in acie contra illum stabat; sed ita timebat tremebatque, ut si vel umbram ejus videret, aut vocem audiret, procul fugeret. Sic igitur illum qui fornicatus erat, tradidit illi cum procul esset[1], et rursus ex illius manibus abripuit; sic et alios, ut discerent non blasphemare. Perpende autem quomodo eos, qui sub illo ordinati sunt ad pugnam, educat stimulans et acuens: ac nunc quidem Ephesiis dicat: « Non est nobis colluctatio » adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus » et potestates[2]. » Deinde præmium ponit in cœlestibus, dicens: « Non enim circa terrena nobis certamen est, sed » circa cœlos et ea quæ in cœlis sunt. » Nunc vero aliis dicit: « Nescitis quia Angelos judicabimus, quanto magis » sæcularia[3]? » Hæc itaque omnia cogitantes, stemus generose. Nam et Paulus homo erat, ejusdem nobiscum naturæ, et alia omnia habens communia. Sed quia multum erga Christum amorem exhibuit, cœlos transcendit, et cum Angelis constitutus est. Itaque si voluerimus et nos paululum excitari, et ignem illum in nobis ascendere, poterimus sanctum illum æmulari. Neque enim, si id fieri non posset, exclamasset ille dicens: « Imitatores mei estote, » sicut et ego Christi[4]. » Ne ergo solummodo admiremur ipsum, nec obstupeamus tantum, sed et imitemur, ut mereamur hinc migrantes illum videre, et ineffabilis gloriæ consortes esse. Quam utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. VI. — [2] Ephes. VI, 12. — [3] 1 Cor. VI, 7. — [4] Ibid. IV, 16.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ XLIV IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS I.

PROOEMIUM.

Corinthus nunc prima Græciæ civitas multis olim florebat ornamentis et commodis, atque opum abundantia cæteris omnibus præstabat : quapropter ex scriptoribus exteris quispiam locum vocabat ἀφνειὸν (3), id est, opulentum. Sita est enim in Isthmo Peloponnesi et ad mercimonia admodum opportuna erat. Oratoribus autem et philosophis plena erat, atque ex septem illis qui Sapientes vocabantur, quidam Corinthius erat (4). Hæc porro a nobis non ostentationis causa, nec ad eruditionem exhibendam dicta sunt : quid enim juvat hæc nosse? sed hæc ad Epistolæ argumentum nobis conferunt. Multa in hac urbe passus est Paulus, et Christus in illa apparens ei, dixit : « Ne taceas ; » sed loquere : quia multus est mihi populus in hac civi» tate [1]. » Et mansit ibi duos annos. In hac quoque dæmon exiit, quem Judæi adjurantes gravia ab illo passi sunt : in hac item quidam pœnitentia ducti libros magicos combusserunt : et visa sunt quinquaginta millia : in hac demum Gallione proconsule in tribunali sedente, Paulus verberaratus est. Videns ergo diabolus civitatem magnam et populosam, veritatem accepisse ; illam, inquam, divitiis et sapientia mirabilem, Græciæque præcipuam ; res enim

[1] Act. XVIII, 10.

Atheniensum et Lacedæmoniorum, sublato jam olim ipsis imperio, misere jacebant; videns item Corinthios alacri animo verbum Dei suscepisse, quid facit? Homines dividit. Sciebat enim regnum omnium potentissimum in se ipsum divisum, stare non posse. Occasionem autem habuit ad insidias parandas, habitantium divitias atque sapientiam. Hinc illis in factiones adversum se mutuo divisis, cum quidam eorum se suopte arbitrio delegissent, multitudini præfuerunt; et alii quidem his, alii illis sese dediderunt; illis ut divitibus, his ut sapientibus qui plus possent docere: quibus adjunctis sibi, gloriabantur se plura dicere, quam Apostolus; id quod ille subindicans dicebat: « Non » potui vobis loqui tanquam spiritualibus [1]. » Certe non ex Pauli penuria; sed ex illorum infirmitate factum est ut non multa audirent. Et hoc indicat illud: « Sine nobis » divites facti estis [2]. » Quæ res non parva, sed omnium perniciosissima erat, quod Ecclesia discinderetur. Ad hæc autem aliud scelus admittebatur, quod quidam cum noverca sua coiret, nec modo non corriperetur, sed etiam cœtus cogeret, et sequacibus suis suaderet ut altum saperent. Ideo ait: « Et vos inflati estis, et non magis luxistis [3]. » Ad hæc autem quidam ex iis qui perfectiores habebantur, cum ob ingluviem ea quæ idolis immolata fuerant degustarent, et in templis accumberent, omnia pessumdabant. Alii rursum lites et contentiones habentes pro pecuniis, externis tribunalibus hæc omnia negotia sua permittebant. Multi quoque comati apud illos circuibant, quos etiam tonderi jubet. Aliud quoque delictum erat non parvum, quod in Ecclesiis seorsim comederent, neque egenis impertirent. In alia etiam re peccabant, quod de charismatibus altum saperent, indeque inter illos æmulatio oriretur: quod ipsum quoque Ecclesiam scindebat. Resurrectionis

[1] 1 Cor. III, 1. — [2] Id. IV, 8. — [3] Id. V, 2.

quoque doctrina apud illos claudicabat. Quidam apud illos futuram corporum resurrectionem non admodum credebant, græcæ adhuc stultitiæ morbo laborantes. Hæc quippe omnia ortum habebant ex philosophiæ externæ stultitia : et hæc erat malorum mater. Hinc discindebantur, quod ipsum a philosophis didicerant. Nam et illi sibi mutuo adversabantur, imperii et vanæ gloriæ causa aliorum semper sententiam impugnantes, et nova prioribus addere studentes. Sic autem affecti erant, quia ratiociniis sua permittebant. Illi autem scripserunt ei Fortunatam, Stephanam et Achaïcum mittentes, quorum opera ipse Epistolam misit : et hoc indicavit in fine Epistolæ, non de omnibus loquens, sed de connubio et de virginitate. Ideo dicebat : « De qui» bus autem scripsistis mihi [1]. » Ille porro, et de quibus scripserunt, et de quibus non scripserunt Epistolam texit; cum omnia illorum vitia edidicisset. Et cum litteris Timotheum mittit ; gnarus vim magnam habituras litteras esse, nec parvam accessionem allaturam discipuli præsentiam. Quia vero ii, qui Ecclesiam diviserant, verentes ne ambitionis causa id fecisse viderentur, propositi sui obtentus excogitaverunt, quod nimirum perfectiora docerent et sapientiores aliis essent ; contra hunc morbum primo insurgit Paulus, radicem malorum deprimens, necnon dissensionem inde subortam : multaque loquendi fiducia utitur. Hi enim maxime omnium discipuli sui erant. Idcirco ait : « Si aliis non sum Apostolus, vobis certe sum. Vos enim » estis signaculum apostolatus mei [2] : » Et aliis infirmiores erant, ideo dicit : « Non enim ut spiritualibus locutus » sum : nondum enim poteratis, sed nec nunc potestis [3]. » Hoc autem dicit, ne putarent eum ita loqui de tempore præterito. Cæterum verisimile est non corruptos omnes fuisse ; sed quosdam inter illos fuisse admodum sanctos.

[1] 1 Cor. VII, 1. — [2] Id. IX, 2. — [3] Id. III, 1-3.

Et hoc in medio Epistolæ significavit dicens : « Mihi autem » pro minimo est ut a vobis judicer ; » et adjiciens : « Hæc » autem transfiguravi in me et Apollo [1]. » Quia igitur ex arrogantia omnia gignebantur mala, et quod existimarent se quid amplius scire, hunc morbum ante alios tollit, et incipiens dicit.

HOMILIA I.

CAPUT I.

Paulus vocatus Apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco, et ipsorum et nostro, gratia vobis est pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo [2].

I. Vide quomodo statim a principio arrogantiam dejecit, et humi stravit omnem illorum existimationem, vocatum se dicens. Neque enim inveni, inquit, id quod didici ; neque ex mea sapientia apprehendi ; sed cum Ecclesiam persequerer et devastarem. Hic autem totum vocantis est, vocati nihil, ut ita dicam, nisi quod obediat. « Christi » Jesu. » Magister vester Christus est : et vos inscribitis homines doctrinæ præfectos ? « Per voluntatem Dei. » Deus enim hoc voluit ut vos sic salvi essetis. Nos enim nihil præclare egimus ; sed per voluntatem Dei salutem invenimus : et quia id ipsi placuit, vocati sumus ; non quod digni fuerimus. « Et Sosthenes frater. » Rursus modeste agit,

[1] I Cor. IV, 3 et 6. — [2] Id. I, 1-3.

minorem in eodem secum ordine ponens, Apollo sibi exæquans. Nam multum spatii erat Paulum inter et Sosthenem. Quod si cum tantum interesset discriminis, inferiorem sibi adjunxit, quid dicere possint illi, qui honore sibi pares despiciunt? « Ecclesiæ Dei. » Non hujus aut illius, sed Dei. « Quæ est Corinthi. » Vides-ne quomodo in singulis dilectionibus illorum fastum dejiciat, per omnia mentem cœlo assuefaciens. Ecclesiam autem Dei vocat, ostendens eam oportere esse unitam. Si enim Dei est, unita et una est, non Corinthi solum, sed etiam in toto orbe. Ecclesiæ quippe nomen, non separationis; sed unionis et concordiæ nomen est. « Sanctificatis in Christo Jesu. » Rursus nomen Jesu, et nusquam hominum nomen ponit. Quid est autem sanctificatio? Lavacrum, purgatio. In memoriam enim illis revocat immunditiam suam, a qua liberavit eos, et suadet ut humiliter sentiant: non enim ex præclaris suis gestis, sed ex Dei clementia sanctificati sunt. « Vocatis sanctis. » Etenim hoc ipsum, inquit, ex fide salutem consequi, non ex vobis est: non enim primi accessistis, sed vocati estis. Itaque neque illud exiguum a vobis totum est. Quanquam etiamsi accesseritis innumeris obnoxii malis, neque sic vobis gratia habenda est, sed Deo. Quapropter ad Ephesios scribens dicebat: « Gratia salvifacti » estis per fidem. » Et hoc non ex vobis, neque fides vestra tota ex vobis. Neque enim vos credendo prævenistis, sed vocati obedistis. « Cum omnibus invocantibus nomen Do» mini nostri Jesu Christi. » Non hujus aut illius, sed nomen Domini. « In omni loco et ipsorum et nostro. » Etiamsi enim litteræ ad Corinthios solum scriptæ sint; at omnes in universa terra fideles memorat, ostendens unam esse debere in orbe Ecclesiam, licet multis in locis separatam, multoque magis eam, quæ est Corinthi. Quod si locus separat; ad Dominus illos conjungit, communis cum sit:

ideo conjungens illos subjunxit, « Et nostri et ipsorum. » Est autem hoc illo magis proprium. Sicut enim ii qui uno in loco sunt, cum plurimos habent dominos contrarios, divisi sunt, et nihil ad concordiam a loco juvantur, dominis diversa jubentibus et ad se trahentibus : « Non potestis enim, » inquit, servire Deo et mammonæ [1] ; » sic qui in diversis locis sunt, si non diversos habebant dominos, sed unum tantum, nihil ad concordiam servandam a locis læduntur, uno domino illos copulante. Non dico igitur, inquit, vos, Corinthii cum sitis, cum Corinthiis tantum concordes esse debere ; sed cum omnibus qui in orbe sunt, cum communem habeatis Dominum. Ideo secundo adjecit, nostri. Quia enim dixit : « Nomen Domini nostri Jesu Christi ; » ne apud insipientes separare videretur, rursus adjicit, « Domini nostri et ipsorum. » Et ut clarius evadat id quod dico, sic legam ut sensus postulat. Paulus et Sosthenes Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, et omnibus invocantibus nomen Domini nostri et ipsorum in omni loco ; sive Romæ, sive ubicumque fuerint. « Gratia vobis et pax a Deo patre » nostro, et Domino Jesu Christo. » Vel sic rursum, ut etiam melius esse existimo : Paulus et Sosthenes iis qui Corinthi sunt sanctificatis, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum et nostri. Id est, gratia vobis et pax vobis qui Corinthi estis sanctificati et vocati ; non solis, sed cum omnibus qui in omni loco invocant nomen Domini nostri Jesu Christi et ipsorum. Si autem ex gratia pax est, cur magnum sapis ? Cur tantum inflaris, cum per gratiam servatus sis ? Si vero pacem habes apud Deum, cur te aliis ascribis ? hoc enim est dissidere. Quid enim si cum hoc et cum illo gratiam habetis ? Ego autem peto ut a Deo hæc vobis utraque fiant, et ab illo et ad illum. Neque enim

[1] Matth. VI, 24.

firma manserint nisi superna gratia fruantur : neque si non sint ad ipsum, nobis quidquam proderunt, si cum omnibus pacem habentes, cum Deo bellum habeamus ; ut nihil nocumenti nobis erit, si ab omnibus impugnemur, et cum Deo pacem habeamus : ac rursum nulla utilitas si ab omnibus celebremur, et Dominum offendamus ; ut etiam nullum periculum, si omnes nos aversentur et odio habeant, Deusque non approbet et diligat. Vera enim gratia et vera pax a Deo est. Nam qui gratiam, quæ a Deo est habet, neminem timet, etiamsi innumera gravia patiatur ; nec dico hominem ; sed neque etiam diabolum. Qui vero Deum offendit, omnes suspectos habet, etiamsi in tuto esse videatur. Istabile namque est genus hominum ; et non solum amici et fratres ; sed etiam patres, parva sæpe de causa mutati, quem genuerunt, quem procrearunt, magis quam omnes hostes abjecerunt : et filii patres extulerunt. Animum adhibe.

II. Gratiam habuit David apud Deum ; gratiam habuit Absalom apud homines. Quem finem uterque habuit, et uter magis probatus et clarus fuerit nostis. Gratiam habuit Abraham apud Deum ; Pharao autem apud homines : hi namque gratiam ejus aucupantes uxorem Justi ipsi prodiderunt, uter igitur splendidior, uter beatus fuerit, cuivis perspicuum est. Ecquid de justis loquor ? Gratiam apud Deum habuere Israëlitæ, et odio habebantur ab hominibus Ægyptiis : et eos qui se odio habebant superarunt, idque conspicuo quo scitis omnes modo. Hoc ergo curemus omnes : quamvis servus quis sit, hoc procetur ut apud Deum magis quam apud herum suum gratiam inveniat ; quamvis uxor fuerit, plusquam conjugis, servatoris sui Dei gratiam quærat ; quamvis miles magis quam imperatoris aut principis ; supernam benevolentiam expetat. Sic enim etiam apud homines amabilis eris. Quomodo autem quis gratiam

inveniat apud Deum? Quo alio modo, quam ab humilitate? « Deus enim, inquit, superbis resistit, humilibus autem » dat gratiam[1]; » et, « Sacrificium Deo spiritus contribula- » tus, et humiliatum cor Deus non despiciet [2]. » Nam si apud homines tam desiderabilis est humilitas, multo magis apud Deum. Ita et gentiles gratiam invenerunt, ita et Judæi gratia exciderunt : « Justitiæ namque Dei non subjecti » fuerunt[3]. » Humilis gratiosus et suavis omnibus est, perpetuo in pace vivens, nullamque habens belli occasionem. Etiamsi enim illum contumelia et conviciis afficias, etiamsi quidvis dixeris, tacebit ille, et leniter feret : et tantam servabit apud omnes pacem, quantam ne dicere quidem possis : etiamque apud Deum. Mandata quippe Dei eo tendunt ut cum hominibus pax habeatur : et vitam nostram ita recte transigimus si mutua cum aliis pace fruamur. Deum enim nemo lædere poterit : natura quippe illa perniciei obnoxia non est et omni passioni superior. Nihil ita mirabilem Christianum reddit ut humilitas. Audi enim Abrahamum dicentem : « Ego autem sum terra et cinis [4]; » et Deum rursus de Moyse quod fuerit omnium hominum mitissimus. Nihil enim illo humilius fuit, qui cum tanti populi dux esset, cum regem et exercitum Ægyptiorum omnium quasi muscas in mare demersisset, et tanta in Ægypto, tanta in mari Rubro et in deserto perpetrasset, tantarumque rerum testimoniis frueretur sic affectus erat quasi unus ex plebe : eratque socero gener humilior, illiusque consilium accepit. Non moleste tulit; non dixit : « Quid hoc? Post tot tantaque præclare gesta venisti nobis consilia daturus? » Quod tamen multi faciunt, etiamsi quis optimum det consilium : personæ humilitatem despectui habentes. At non sic ille; sed per humilitatem omnia recte agebat. Hinc aulas despexit regias, quia vere

[1] Prov. III, 34. — [2] Psal. L, 18. — [3] Rom. X, 3. — [4] Gen. XVIII, 27.

humilis erat : mentem enim sanam et excelsam facit humilitas. Quantæ enim et mentis et animi magnitudinis fuerit et domum et mensam regiam despicere ? Reges enim quasi dii colebantur apud Ægyptios, ac divitiis thesaurisque fruebantur innumeris. Attamen ille his omnibus dimissis, abjectisque Ægypti sceptris, ad captivos et oppressos, qui in luto et lateribus versabantur, quos servi regis horrebant : nam illos abominabantur Ægyptii [5], » inquit ; confugit, illosque dominis præposuit. Unde palam est hunc humilem, excelsum magnanimumque esse. Arrogantia enim ex vili mente et illiberali animo nascitur ; mansuetudo autem, ex magno et excelso animo.

III. Et si placet, utrumque exemplis discutiamus. Dic enim mihi, quid Abrahamo excelsius fuit ? atqui ille erat qui dicebat : « Ego sum terra et cinis [2] : » ille erat qui dicebat. « Ne sit pugna inter me et te [3]. » Verum hic humilis manubias despexit persicas, et barbarica contempsit tropæa. Hoc porro ex animi magnitudine et sublimitate faciebat. Ille namque vere sublimis est, qui sincere est humilis, non adulator, non qui ironia utitur. Aliud enim est magnanimitas, aliud arrogantia. Hoc autem hinc manifestum est. Sit quis lutum esse lutum putans et illud despiciat ; alius autem qui lutum pro auro habeat, admiretur et magni faciat ; uter excelsi animi est ? annon is qui lutum non admiratur ? Uter vero abjecti animi et vilis est ? nonne qui illud admiratur et magni facit. Ita hic etiam reputa : eum nempe qui se terram et cinerem dicit, excelsum esse, quamvis hoc dicat ex humilitate : illum vero qui se nec terram nec cinerem esse putat, sed se ipsum colit, et altum de se sapit : vilem utique esse, qui parva magni faciat. Unde palam est ex magna animi sublimitate Patriarcham hanc emisisse vocem : « Ego autem sum terra et cinis, » ex mentis sublimitate,

[5] Exod. I, 13. — [2] Gen. XVIII, 27. — [3] Id. XIII, 8.

non ex arrogantia. Quemadmodum enim in corporibus aliud est vegetum et bona carnis habitudine esse; aliud esse humore inflatum; licet in utroque caro promineat: at in hoc corrupta, in illo sana; ita etiam aliud est esse arrogantem, quod est esse humore turgentem; aliud esse sublimem, quod est vegetum esse. Et rursus, est quidam corporis statura procerus; alius autem brevis statura, acceptis calceis fit altior. Utrum ergo vocabimus procerum et magnum, quæso? annon eum qui ex natura sua procerus est? ille enim alienum hoc habet, et super humilia ascendens. Si procerus effectus est; id quod etiam multi homines faciunt, qui pecuniis et gloria sese extollunt, idque non est altitudo. Excelsus enim est ille, qui horum nullo opus habens, sed omnia despiciens, in se magnitudinem obtinet. Simus ergo humiles, ut sublimes efficiamur: nam qui se humiliat, exaltabitur[1]; sed non ille arrogans talis est: omnium quippe est vilissimus. Bulla enim inflatur; sed hæc inflatio non solida est. Ideoque hujusmodi homines inflatos vocamus. Qui enim moderate sentit, ne in magnis quidem altum sapit, vilitatem suam notam habens. Qui autem vilis est, etiam in parvis magnum sapit. Adipiscamur ergo ex humilitate sublimitatem: consideremus humanarum rerum naturam, ut futurorum desiderio incendamur. Non alio quippe modo potest quis humilis fieri, quam per divinarum rerum amorem, et præsentium despectum. Ut enim si quis regnum sit assecuturus, deindeque pro illa purpura aliquis ei vulgarem exhibeat honorem, illum nihili faciet; ita et nos præsentia omnia deridebimus, si honorem illum concupiscamus. Non videtis pueros, cum ludentes aciem statuunt et milites, præcedentibus præconibus et lictoribus, et puer medius instar ducis incedit, et quam sint illa puerilia? Talia sunt hu-

[1] Matth. XXIII, 12.

mana, et his viliora, quæ hodie sunt, et cras non erunt. Simus ergo his altiores: et non solum hæc non concupiscamus, sed etiam erubescamus si quis nobis illa tribuat. Ita enim horum depulso amore, divinum illum consequemur, et immortali fruemur gloria: quam nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

CAPUT I.

Gratias ago Deo meo semper pro vobis, de gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omni divites facti estis in illo[1].

1. Quod alios hortatur ut faciant cum dicit: « In gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum; » hoc ipsum ille faciebat, docens nos ab hujusmodi semper verbis incipere, et ante omnia Deo gratias agere. Nihil enim tam amat Deus, quam ut grato animo simus, et pro nobis et pro aliis. Ideoque in omni fere Epistola hoc præmittit. Hic vero magis necessario hoc facit, quam in aliis. Nam qui gratias agit, ut beneficio affectus id agit, et gratiam gratia rependit. Gratia vero nec debitum, nec merces, nec retributio est. Quod ubique dicere necesse erat; maxime vero Corinthiis, qui inhiabant ad eos, qui scindebant Ecclesiam. « De meo. » Ex ingenti affectu quod commune erat

[1] 1 Cor. 1, 4, 5.

rapit, et sibi proprium facit; quod etiam Prophetæ semper dicere solebant : « Deus, Deus meus. » Hortaturque illos ut hoc ipsum dicant. Nam qui ita loquitur, ab humanis omnibus recedit, et ad illum tendit, quem cum affectu multo vocat. Hoc enim proprie et vere dicere potest is, qui a sæcularibus rebus ad Deum semper ascendit, et ubique illum omnibus præponit, ipsique perpetuo gratias agit, non solum de gratia jam data; sed si quid postea boni factum sit, pro eo etiam laudem ipsi refert. Ideo non solum dixit, Gratias ago; sed etiam, « Semper pro vobis, » nos instituens, ut illi semper gratias habeamus, neminique alteri; sed Deo tantum. « De gratia Dei. » Vides-ne quomodo illos ubique corrigat. Ubi enim est gratia, non sunt opera : ubi sunt opera, non est amplius gratia. Si ergo gratia, quare altum sapitis? cur inflati estis? « Quæ data est vo- » bis. » Et per quem data est? an per me, an per alium Apostolum? Nequaquam; sed per Jesum Christum. Illud enim, « In Christo Jesu, » hoc significat. Vide quomodo sæpe illud « In, » pro illo, « Per quem, » ponatur, non minus ergo est quam « Per. Quod in omni divites facti » estis. » Rursus per quem? In ipso, inquit, nec modo divites facti estis; sed etiam in omni. Cum ergo divitiæ sunt, et Dei divitiæ, et in omni, et per Unigenitum, cogita quam ineffabilis sit thesaurus. « In omni verbo et in » omni scientia. » Verbo, non externo, sed Dei. Est enim scientia sine verbo, et est scientia cum verbo. Sunt namque plurimi qui scientiam nacti, verbum non habent; ut idiotæ, et qui non possunt ea quæ in mente habent clare exprimere. At non vos tales estis, inquit, sed et cogitandi et loquendi facultatem habetis. « Sicut testimonium Christi » confirmatum est in vobis[1]. » In laudum et gratiarum actionis ordine et modo valde illos tangit. Non enim per ex-

[1] 1 Cor. I, 6.

ternam philosophiam, inquit, neque per externam eruditionem; sed per gratiam Dei, et divitias, et scientiam et verbum ab ipso datum potuistis veritatis dogmata discere et confirmari in testimonium Domini, id est, in prædicationem. Multa enim habuistis signa, multa miracula, ineffabilem gratiam, ita ut prædicationem acceperitis. Si ergo confirmati estis per signa et gratiam, cur vacillatis? Hæc porro simul sunt et increpantis et prævenientis dicta. «Ita ut ni» hil vobis desit in ulla gratia[1]. » Magnum quidpiam hic quæritur. Si divites sunt in omni verbo, ita ut nihil desit illis in ulla gratia, quomodo carnales sunt? Nam si tales fuerunt in principio, multo magis nunc. Quomodo ergo illos carnales vocat? «Non enim potui vobis loqui, inquit, ut » spiritualibus; sed ut carnalibus[2]. » Quid ergo dicendum est? Quod cum ab initio credidissent, et charismata omnia consecuti essent; nam zelo incensi erant; negligentiores postea evaserint. Aut si hoc non ita se habeat, quod non omnibus hæc vel illa dicantur; sed alia iis qui in culpa erant, alia iis qui laudibus insignes erant. Nam quod adhuc charismata haberent: «Psalmum habet aliquis, inquit, re» velationem habet, linguam habet, interpretationem ha » bet: omnia ad ædificationem fiant; » et, «Prophetæ autem » duo vel tres loquantur[3]. » Aliud quidpiam dici potest: ut moris est apud nos id quod plus est totum dicere, ita etiam hic ille dixit. Ad hæc autem puto illum etiam quæ sua sunt subindicare, ut et in secunda ad eosdem Epistola dicit; «Signa quidem Apostoli facta sunt in vobis in omni patien» tia. » Et rursum: « Quid enim est quod minus habuistis, » quam cæteræ Ecclesiæ[4]? » vel ut jam dixi, quæ ab se facta sunt commemorat; vel hæc iis, qui adhuc probati erant, dicit. Erant quippe ibi sancti multi, qui ad sanctorum ministerium se dediderant, et primitiæ Achaïæ facti sunt, ut in

[1] 1 Cor. I, 7. — [2] Id. III, 1. — [3] Id. XIV, 26, 27. — [4] 2 Cor. XII, 12, 13.

fine declarat. Alioquin vero etiamsi laudes non omnino affines sunt veritati, attamen prudenter adhibentur, ut viam parent iis quæ dicenda sunt. Nam qui statim a principio importuna loquitur, infirmioribus auditum claudit ad cætera verba : si enim auditores honore pares sint, irascuntur ; si admodum inferiores, dolore afficientur. Ne igitur hoc eveniat, ab iis quæ encomia videntur esse initium ducit. Neque enim hoc encomium illorum erat, sed gratiæ Dei. Nam quod peccata remissa ipsis essent, et quod justificati essent, hoc superni doni erat; propterea in iis immoratur, quæ Dei benignitatem ostendunt, ut morbum eorum magis curet. « Expectantibus revelationem Domini » nostri Jesu Christi. » Quid tumultuamini, inquit, quid turbamini, quod non adsit Christus ? Adest quidem, et dies jam pro foribus est. Et considera sapientiam, quomodo illos cum ab humanis abduxisset, exterruit tremendum tribunal commemorans, et ostendens non bona tantum initia requiri, sed fidem quoque. Nam cum his charismatibus et aliis virtutibus, oportet etiam dici illius remisisci : multisque laboribus est opus, ut possit quis ad finem pervenire.

II. Revelationem autem commemorat ostendens illam, etiamsi non videatur, sed esse tamen et nunc adesse, et tunc apparituram esse. Patientia igitur est opus ; ideo enim miracula accepistis, ut firmi maneatis. « Qui et con- » firmabit vos usque in finem sine crimine[1]. » Hic videtur quidem illos demulcere ; sed quod dicitur omni adulatione vacat. Solet enim illos tangere, ut cum dicit : « Tanquam » non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. » Et rursum, « Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate et » Spiritu mansuetudinis? » et, « An experimentum quæritis » ejus qui in me loquitur Christi[2] ? » Latenter autem ipsos

[1] 1 Cor. I, 8. — [2] Id. IV, 18 et 21, et 2 Cor. XIII, 3.

accusat; cum dicit enim, « Confirmabit, » et, « Sine cri-» mine, » ostendit illos adhuc fluctuare, et crimini esse obnoxios. Tu vero consideres velim quomodo illos semper nomini Christi affigat, et nullius hominis, neque magistri, sed frequenter dilecti illius mentionem faciat, quasi ab ebrietate quadam temulentos educere parans. Nusquam enim in alia Epistola tam frequenter nomen Christi jacet. Hic vero in paucis versibus sæpe, et hoc nomine fere totum contexit proœmium. Considera autem superius. « Pau-» lus vocatus Apostolus Jesu Christi, sanctificatis in Christo » Jesu. Invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi, » gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. » Gratias ago Deo meo, de gratia quæ data est vobis in » Christo Jesu. Sicut testimonium Christi confirmatum est » in vobis. Expectantibus revelationem Domini nostri Jesu » Christi. Qui et confirmabit vos sine crimine in die Do-» mini nostri Jesu Christi. Fidelis est Deus, per quem vo-» cati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini » nostri. Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Jesu » Christi[1]. » Vides-ne frequentiam nominis Christi? Unde palam est etiam illis, qui admodum insipientes sunt, ipsum non sine causa nec casu ita facere; sed hujus pulchri nominis frequentia illorum tumorem exhaurit, et saniem morbi expurgat. « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societa-» tem Filii ejus[2]. » Papæ! quantam hic rem dicit? quantam doni magnitudinem exhibet? In societatem Unigeniti vocati estis, et vos hominibus addicitis? quid hac miseria pejus? Et quomodo vocati estis? Per Patrem. Quia enim per illum et in illo frequenter dicebat de Filio, ne putarent se illum ut minorem commemorare, id Patri ascribit. Non per hunc vel alium, inquit, sed per Patrem vocati estis: per ipsum etiam divites facti estis. Rursus vocati estis, non

[1] Cor. I, 1-8. — [2] Ibid. 9.

ipsi accessistis. Quid vero sibi vult illud, « In societatem » Filii ejus ? » Audi illum hoc clarius alibi dicentem : « Si » sustinemus, et conregnabimus : si commorimur, simul » vivemus[1]. » Deinde, quia rem magnam dixit, addidit etiam ratiocinium certum cui non possit contradici. Nam ait : « Fidelis Deus, » id est, verus. Si verus, quæ promisit faciet. Promisit autem se nos socios facturum unigeniti Filii, ad hoc quippe nos vocavit : dona enim et charismata ejus sine pœnitentia sunt, necnon Dei vocatio. Hæc autem nunc prius ordine ponit in sermone, ut ne post vehementem accusationem, in desperationem cadant. Quæ a Deo sunt promissa omnino comparebunt, nisi nos admodum effrenes fuerimus : quemadmodum Judæi vocati noluerunt bona accipere. Hoc vero jam non vocantis erat, sed ingrati illorum animi. Ipse namque dare volebat; illi vero nolentes accipere, se ipsos ejecerunt. Nam etiamsi ad rem laboriosam et asperam vocasset, recusantes venia digni non fuissent; sed potuissent saltem hoc obtendere. Si autem ad purgationem, ad justitiam, ad sanctificationem, ad redemptionem, gratiam, donum et præparata bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit; et Deus est qui vocat, et per se ipsum vocat, qua venia digni fuerint qui non accurrunt? Ne quis ergo in Deum culpam referat. Non enim ex vocante fit quod non credatur; sed ex iis qui resiliunt. Sed oportebat, inquies, vel invitos inducere. Apage : non enim vim vel necessitatem infert. Quis enim ad honores et coronas et convivia et celebritates vocans, invitos et vinctos trahit? Nemo certe. Hoc enim esset injuriam facere. Ad gehennam invitos mittit : ad regnum lubentes vocat. Ad ignem ligatos ducit, etiam ejulantes; ad innumera bona non sic. Nam hoc ipsa quoque bona odiosa

[1] 2 Tim. II, 12.

reddat; nisi talis sit illorum natura, ut ad illa sponte accurratur, et gratiam habeant maximam.

III. Et quî fit, inquies, quod non omnes ipsa eligant? ob propriam infirmitatem. Et cur illorum infirmitatem non abscindit? Et quo pacto, dic mihi, exscindere opus est? Annon creaturam condidit docentem ejus benignitatem, et potentiam? « Nam cœli, inquit, enarrant » gloriam Dei[1]. » Annon Prophetas misit? Annon vocavit et honoravit? Annon miracula fecit? Annon legem dedit et scriptam et naturalem? Annon Filium suum misit? Annon etiam Apostolos? Annon signa fecit? Annon gehennam comminatus est? Nonne regnum promisit? Nonne quotidie solem suum oriri facit? Nonne quæ præcepit ita facilia sunt, ut multi vi philosophiæ suæ ejus data superent? « Quid oportebat facere vineæ, et non » feci[2]? » Et cur non fecit nobis, inquies, scientiam et virtutem naturalem? Quis hæc dicit? Græcus-ne, an Christianus? Ambo quidem, sed non eadem de causa : verum alter de scientia, alter de vita contendit. Primum igitur nostro respondebimus; non enim mihi tanta cura est de exteris, quanta de propriis membris. Quid ergo dicit Christianus? Ipsam nobis virtutis scientiam indi oportebat. Indidit certe. Nisi enim indidisset, unde nossemus ea quæ agenda, et quæ non agenda sunt? Undenam leges et tribunalia? At non scientiam, sed ipsam actionem (dare oportuit.) Et cujusnam rei mercedem accepturus eras, si totum ex Deo fuisset? Dic enim mihi, tec-ne et Græcum peccantes similiter punit Deus? Minime. Habes enim interim eam quæ ex scientia manat fiduciam. Quid ergo, si quis nunc diceret tibi, et te et Græcum pro scientia eadem consecuturos esse, annon id ægre ferres? Arbitror sane. Diceres enim, cum Græcus ex se posset scientiam invenire, noluit. Si

[1] Psal. xviii, 2. — [2] Isaï. v, 4.

ergo ille diceret; « Oportebat Deum nobis scientiam naturaliter indere, » annon irrideres, diceresque ei; « Cur non quæsivisti? cur non conatus es ut ego? ac cum multa stares fiducia diceresque extremæ esse insipientiæ Deum incusare, quod naturæ scientiam non indiderit. » Hoc autem diceres, quia illa quæ ad scientiam spectant in te recte se habent. Sic etiam si ea quæ ad vitam pertinent, recte se haberent, non talem quæstionem moveres; verum quia circa virtutem socors et ignavus es; ideo insanos hosce profers sermones. Quomodo autem oportuit ex necessitate fieri bonum? ergo futurum erat ut bruta animalia nobiscum de virtute certarent, cum quædam eorum nobis temperantiora sint. Sed mallem, inquies, ex necessitate bonus esse, et omni mercede privari, quam ex libero arbitrio malus, puniri et supplicio affici. Sed non est unquam necessitas esse bonum. Si ergo ignoras quid agendum sit, ostende, et tunc dicemus id quod opus est dicere. Si vero libidinem malam esse nosti, cur malam rem non fugis? Non possum, inquies; verum alii, qui majora recte gesserunt, te accusabunt, tibique vi magna os obstruent. Tu enim fortasse etiam cum uxore tua non caste agis; alius vero absque uxore integram servat castitatem. Quam ergo habes defensionem, qui modum non serves, dum alius ipsa septa transilit? At non parem, inquies, habeo corporis naturam, non par propositum voluntatis. Quia non vis, non quia non potes. Ostendo namque omnes esse ad virtutem idoneos. Nam quod non potest quis facere, neque instante necessitate poterit. Quod si instante necessitate possit, qui non facit, ex proposito voluntatis non facit; exempli causa, volare et ad cœlum ferri gravi corpore præditum, omnino fieri nequit. Quid ergo, si rex jusserit hoc facere, et mortem comminetur dicens: « Homines non volantes jubeo concidi vel uri: vel quid simile pati, »

num quis ipsi obediet? Nequaquam: hoc enim natura ferre nequit. Sin autem de castitate idipsum statuat, justaque ponat, ut libidinosus puniatur, uratur, flagelletur, et mille tormenta patiatur, annon multi edicto pareant? Non, inquies, nam lex est, quæ jubet non mœchari, neque omnes obsequuntur. Non quod infirmus et levis sit timor; sed quia multi se latere posse sperent. Quod si legislator et judex adessent libidinem impleturis, posset tunc metus libidinem arcere. Nam si aliam minorem necessitatem induxero, et ab amata muliere abstractum abduxero, et vinctum inclusero, poterit ferre, et nihil grave pati. Ne ergo dicamus, hunc natura bonum, illum natura malum esse. Nam si natura bonus sit, nunquam poterit malus fieri; et si natura malus, nunquam bonus erit. Nunc autem videmus celeres mutationes, et ab his in alia mutari, et ab illis in alia cadere. Et hæc non in Scripturis tantum videre est; exempli causa, quod publicani facti sint Apostoli, et discipuli proditores, et meretrices castæ mulieres, et latrones præclare agentes, et Magi adorantes, et impii in pietatem conversi, idque tam in Veteri, quam in Novo Testamento. Imo quotidie similia accidere videmus. Si vero naturalia hæc essent, non mutarentur. Nam cum simus natura passibiles, nullo unquam studio impassibiles erimus. Quod enim natura tale est, nunquam excidet a naturalibus. Nullus a dormiendo abstinuit, nullus a corruptione ad incorruptionem transire potuit: nullus ab esurie liberatus est, ita ut non ultra esuriat. Ideo hæc non in crimen vertuntur, neque nobis ea exprobramus. Neque aliquem accusaturus quispiam dixit: « O impure, et passionibus obnoxie; » sed aut adulterium, aut stuprum, aut quid simile semper obnoxiis proferimus, et ad judices adducimus qui criminentur et puniant, et pro contrariis honore afficiant. Cum ergo tum ex iis quæ inter nos mu-

tuo facimus, tum ex iis quæ in judicio patimur, et in legibus descripsimus; tum ex iis de quibus nos ipsos damnamus, licet nullus accuset; ex eo quod etiam per ignaviam pejores, per timorem meliores efficiamur, demumque ex eo quod alios videamus præclare agentes ad philosophiæ culmen venisse, palam sit penes nos esse ut recte agamus; cur nos frustra frigidis obtentibus et excusationibus decipimus, quæ non modo nobis veniam non concilient, sed potius intolerabile supplicium; cum oporteret diem illum terribilem præ oculis habentes, virtutis curam gerere et post modicum laborem incorruptibiles coronas accipere? Nihil enim nobis proderunt hæc verba; sed conservi, qui contraria recte egerunt, peccatores omnes damnabunt, crudelem misericors, malum bonus, audacem modestus, invidum benevolus, vanæ gloriæ cupidum philosophus, segnem studiosus, lascivum castus. Sic nobis judicium Deus feret, utrumque statuet ordinem, hos laudans, illos puniens. Verum absit, ut præsentium quispiam ex numero eorum sit qui punientur et ignominia afficientur; sed sint potius ex numero eorum qui coronantur, et divinum regnum obtinent, quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

CAPUT I.

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eadem mente, et in eadem sententia[1].

I. Quod semper dicebam[2], sensim et paulatim increpationes fieri oportere, hoc et Paulus hic facit. Rem enim magnam ingressurus multis plenam periculis, et quæ posset Ecclesiam funditus evertere, mitiore utitur sermone. Ait enim se obsecrare illos; obsecrare autem per Christum, quasi ipse solus non sufficeret ad talem supplicationem et ad persuadendum. Quid est autem, obsecro, per Christum? Christum adhibeo socium; et in auxilium, ejus nomen injuria et contumelia affectum. Admodum apposite, ut ne illi impudenter agerent : impudentes enim peccatum facit. Ideo nisi statim vehementer increpes, immitem et impudentem efficis. Si increpaveris, cervicem flexisti, loquendi libertatem abstraxisti, ut deorsum aspiceret fecisti. Quod efficiens Paulus interim obsecrat per nomen Christi; et quidnam obsecrat? « Ut idem dicatis » omnes, et non sint in vobis schismata. Schismatis emphatica vis, ipsumque accusationis nomen, satis erant ut illos acriter perstringerent. Non enim fuerunt multæ partes integræ; sed etiam una perierat. Nam si Ecclesiæ essent integræ, multi essent cœtus. Si autem schismata, unum

[1] 1 Cor. I, 10. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 231-239, et tom. XV, p. 30-34.

periisset. Nam quod integrum est, cum in multa dividitur, non modo non multa efficitur : sed quod unum erat perit. Talis est schismatum natura. Deinde quia admodum perstrinxerat schismatis nomine, rursus lenit et mitigat his verbis : « Sitis autem perfecti in eadem mente et in eadem » sententia. » Quia enim dixerat : « Ut item dicatis ; » ne putetis, inquit, me concordiam dixisse in verbis solum sitam : eam enim quæ in mente est concordiam requiro. Sed quia fieri potest ut idipsum mente dicant, sed non in rebus omnibus, ideo illud etiam addidit : « Sitis autem » perfecti. » Qui enim in aliquo junctus est, et in aliquo dissidet, non utique perfectus est, neque in toto consentit. Fierique potest ut quis cogitatione concordet, neque tamen sententia : ut cum eamdem habentes fidem, charitate juncti non sumus. Sic enim secundum cogitata juncti sumus ; eadem quippe cogitamus ; sententia vero non item : quod etiam tunc factum est, cum hic quidem illum, ille alium eligeret. Ideo ait et mente et sententia jungi debere. Neque enim quod in fide dissiderent schismata erant ; sed quod sententia dirimerentur, secundum humanam contentionem. Sed quoniam is qui accusatur, donec testes non habet, impudenter agit ; vide quomodo non concedens ut negent, testes adducat. « Significatum enim est » mihi de vobis, fratres, ab iis qui sunt Chloes[1]. » Neque statim hoc dixit, sed primo accusationem posuit, quod ipsum significantibus credidisse probat. Nisi enim hoc esset, non accusasset. Neque temere Paulus credidit ; neque statim dixit sibi significatum esse, ne videretur quasi ab illis inductus accusare : neque tacuit (eorum nomen) ne videretur ex se solo dicere. Rursus illos fratres nominat. Licet enim peccatum manifestum esset, nihil impediebat quominus illos adhuc fratres vocaret. Considera

[1] 1 Cor. 1, 11.

autem prudentiam, quomodo non separatam personam posuerit, sed domum totam, ne ipsi impeterent eum qui id dixisset; ita enim et illum texit, et accusationem sine metu aperuit. Non vidit enim solum quod illis, sed etiam quod his expediret. Ideo non dixit : « Significatum mihi est a quibusdam ; » sed etiam domum indicavit, ut ne videretur comminisci. Quid significatum est? « Quod contentiones » sint in vobis. » Quando illos increpat, dicit : « Ne sint in » vobis schismata. » Cum autem quæ aliorum sunt annuntiat, mitius effert his verbis : « Significatum enim est mihi, » quod contentiones sunt in vobis, » ut ne eos qui dixerant, una impeteret. Deinde genus contentionis dicit : « Quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum » Pauli : Ego autem Apollo, ego vero Cephæ[1]. » Contentiones enim dico, inquit, non eas quæ de rebus privatis sunt, sed graviores. « Quod unusquisque vestrum dicit. » Non enim partem, sed totam Ecclesiam corruptio devastabat. Atqui nec de se ipso, nec de Petro, nec de Apollo dicebant; sed ostendit, quod si his innitendum non est, multo minus aliis. Quod autem non de his dicerent, infra dicit : « Hæc » autem transfiguravi in me et Apollo, ut in nobis discatis » non supra id quod scriptum est sapere[2]. » Quod si Pauli, Apollo et Cephæ non oportebat sibi nomina ascribere, multo minus aliorum. Si doctorem et primum Apostolorum, qui tantum instituerat populum, non oportebat sibi ascribere, multo minus eos qui nihil erant. Cum hyperbole itaque illos a morbo abducens, festinans hæc nomina ponit. Alioquin vero minus molestam orationem reddit, non nominatim recensens eos qui scindebant Ecclesiam, sed quasi larvis quibusdam Apostolorum nominibus ipsos obtegens. « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego » vero Cephæ.

[1] 1 Cor. I, 12. — [2] Id. IV, 6.

II. Non se Petro præferens, posuit illum ultimum; imovero Petrum sibi valde præponens, per amplificationem locutus est, ne putaretur hoc per invidiam facere, et præ livore ipsi honorem auferre. Ideo se ipsum primum posuit. Nam qui se primum reprobat, non quod honorem amet hoc facit, sed quod talem gloriam admodum despiciat. Totum ergo impetum primus excipit, tuncque ponit Apollo, postea Cepham. Non ergo sese extollens id fecit; sed in iis quæ fieri non oportebat, per propriam personam primo correctionem facit. Sed quod ii qui huic vel alii se ascriberent, peccarent, palam est : ac recte illos corrigit dicens : « Non bene facitis dicentes : Ego quidem sum » Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ. » Cur autem addidit : « Ego vero Christi? » Nam si ii qui se hominibus ascripserunt peccavere, non certe ii qui se Christo addicebant. Sed non eos hac de re accusabat quod se Christo ascriberent, sed solum quod non omnes. Puto autem ipsum hoc ex se adjecisse, ut graviorem faceret accusationem, et ostenderet Christum uni datum esse parti, etiamsi illi hoc non sic facerent. Quod enim hoc subindicaverit, per ea quæ sequuntur ostendit dicens : « Divisus est Chris» tus[1] ? » Id est, Christum concidistis, et corpus ejus divisistis. Vides iram? vides increpationem? vides sermonem indignatione plenum? Cum enim non probatione utatur, sed interroget tantum, hoc facit quasi absurditas illa in confesso sit. Quidam vero aliud subindicare putant cum ait : « Divisus est Christus; » nempe dispertiit apud homines et divisit Ecclesiam, et partem quidem ipse cepit, aliamque illis dedit. Deinde absurditatem illam tollit dicens : « Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine » Pauli baptizati estis[2] ? » Vide mentem Christi amantem : quomodo in nomen suum deinceps totum adducat, uber-

[1] 1 Cor. I, 13. — [2] Ibid.

tim ostendens hunc honorem nemini competere. Ac ne videatur invidia motus hæc dicere, ideo se frequenter circumversat : et prudentiam considera. Non enim dixit : « Num Paulus mundum condidit ? Num Paulus vos ex nihilo produxit? » Sed quæ in fidelibus erant eximia , et magnæ providentiæ , ea ponit, crucem et baptismum, et bona inde parta. Nam Dei erga homines amorem ostendit mundi creatio, maxime vero illa per crucem demissio. Et non dixit : « Num Paulus mortuus est pro vobis? » Sed , « Num Paulus crucifixus est ? mortis quoque genus indicans ; et in nomine Pauli baptizati estis?» Nec dixit : « Num » Paulus vos baptizavit? » multos enim ille baptizavit. Verum id non quærebatur, a quo nempe baptizati fuissent , sed in cujus nomine baptizati essent. Quia enim hoc schismatum causa fuerat, quod ex baptizantibus nomen acciperent ; hoc etiam corrigit dicens : « An in nomine » Pauli baptizati estis ? » Et ne dixeris, inquit : Quis baptizavit ; sed in cujus nomine. Non enim quæritur quis baptizet ; sed quis in baptismate vocetur : hic enim peccata dimittit. Hic gradum sistit, nec quæ sequuntur persequitur. Non enim dicit : « Num Paulus vobis futura bona promisit? Num Paulus vobis promisit regnum cœlorum ? » Cur ergo hæc non adjicit? Quia non par res est regnum promittere et crucifigi. Illud enim nec periculum habebat, nec afferebat ignominiam : hoc vero hæc omnia. Alioquin autem ab his illa probat. Cum dixisset enim : « Qui proprio » Filio suo non pepercit, « adjicit, » quomodo non etiam cum » Filio omnia nobis donabit[1] ? » Et rursum , « Si enim ini» mici cum essemus , reconciliati sumus Deo per mortem » Filii ejus , multo magis reconciliati salvabimur[2]. » Ideo non illa subjunxit , et quod illa quidem nondum haberent , horum autem jam experientiam accepissent, et quod

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Id. V, 10.

illa quidem in promissionibus; hæc vero jam facta essent. « Gratias ago Deo meo, quia neminem vestrum baptizavi, » nisi Crispum et Gaium [1]. » Cur altum sapitis, quod baptizetis; quando ego gratias ago quod hoc non fecerim? Cum hæc autem dicit, illorum tumorem prudenter tollit; non vim baptismatis, absit; sed arrogantiam eorum, qui de dato baptismate gloriabantur, primo ostendens non ipsorum esse donum; secundo gratias agens Deo ea de causa. Nam magnum quidem est baptisma, sed non illum magnum facit is qui baptizat, sed qui in baptismate invocatur. Baptizare enim nihil est, quod ad humanum atti net laborem; sed multo minus est, quam evangelizare. Nam magna quidem res est baptisma, iterum dico, et sine baptismate non possumus regnum consequi. Sed potest hoc facere vir non admodum præclarus; evangelizare autem multi laboris est.

III. Causam vero dicit cur gratias agat, quod nullum baptizaverit. Quænam illa est? « Ne quis dicat quod in no- » mine meo baptizati estis [2]. » De illis-ne hoc dicebant? Minime. Sed timeo, inquit, ne eo morbus deveniat. Nam si cum viles et nullius pretii homines baptizarent, hæresis nata est; si ego, qui baptismum annuntiavi, multos baptizassem, verisimile erat eos, qui convenerant, non modo nomine meo vocandos fore, sed etiam baptisma mihi ascripturos fuisse. Si enim a minimis tantum ortum est malum, forte longe gravius a majoribus provenisset. Cum igitur eos qui corrupti erant hoc modo increpasset, ac dixisset: « Baptizavi autem et Stephanæ domum [3], » illorum fastum rursus deprimit dicens: « Cæterum nescio » an aliquem alium baptizaverim. » Hinc enim ostendit non curæ illi fuisse hoc frui apud vulgus honore, nec gloriæ causa ad hoc venisse. Non his tantum, sed etiam in se-

[1] 1 Cor. I, 14. — [2] Ibid. 15 — [3] Ibid. 16.

quentibus illorum fastum deprimit dicens : « Non enim » misit me Christus baptizare, sed evangelizare[1]. » Nam hoc et laboriosius erat, sudore multo opus habebat ferreoque animo, omniaque continebat. Ideoque Paulo commissum fuit. Et cur ad baptizandum non missus, baptizabat? Non pugnans adversus eum qui se miserat, sed ex abundanti hoc faciebat. Non enim dixit : « Prohibitum mihi fuit, » sed, « Non sum missus ad hoc ; sed ad rem maxime » necessariam. » Nam evangelizare unius aut duorum erat ; baptizare autem cujuslibet est qui præditus sit sacerdotio. Hominem namque catechumenum et persuasum baptizare cujuslibet est : voluntas enim accedentis deinceps totum efficit, cum Dei gratia. Cum autem infideles sunt ad fidem instituendi, multo opus est labore, multa sapientia : tunc autem etiam subeundum erat periculum. In baptizando enim totum factum est, et persuasus est is qui in mysterium est admittendus ; nihilque magnum est persuasum baptizare. Hic vero multus labor, ut voluntas et propositum mutetur, error convellatur, et veritas inseratur. Verum hæc ille non ita dicit, neque probatione utitur : nec dicit nullum esse laborem baptizare, sed evangelizare secus ; scit enim semper modum tenere, et in comparatione cum externa sapientia valde contendit, ubi vehementiore uti potuit oratione. Non ergo contra jussum mittentis baptizabat. Sed sicut cum de viduis dixissent Apostoli : « Non » expedit nobis relicto verbo Dei ministrare mensis[2], » ille ministravit non illis repugnans, sed ex abundantia fervoris id fecit ; ita et hic quoque. Nunc enim simplicioribus presbyteris hoc committimus, et doctrinæ verbum sapientioribus : illic enim labor et sudor est. Quapropter et ipse ait : « Qui recte præsunt presbyteri duplici honore dignentur ; » maxime autem qui laborant in verbo et doctrina[3]. » Quem-

[1] 1 Cor. I, 17. — [2] Act. VI, 2. — [3] 1 Tim. V, 17.

admodum enim docere eos qui ludicra certamina adeunt, strenui et sapientis est prædotribæ ; coronam autem victori imponere, ejus etiam est qui certare nequit, etsi corona victorem reddit splendidiorem ; sic de baptismo dicendum : nullus potest sine illo salutem consequi ; nihil tamen magnum facit is qui baptizat, cum voluntatis propositum paratum invenit. « Non in sapientia verbi, ut non evacuetur » crux Christi [1]. » Cum depressisset illorum tumorem, qui quod baptizarent altum sapiebant ; transit postea ad illos, qui de externa sapientia gloriabantur, et adversus illos vehementius armatur. Adversus illos enim qui quod baptizarent inflabantur, dicebat : « Gratias ago quod nullum baptizaverim, et quod Christus me ad baptizandum non miserit, « nec vehementibus usus est argumentis ; sed quæ volebat paucis subindicans, prætercurrit : hic autem a principio gravem infligit plagam dicens : « Ut non evacuetur » crux Christi. » Cur ergo altum sapis de iis ob quæ pudore suffundi oporteret? Si enim hæc sapientia cum cruce pugnat et cum Evangeliis concertat, non gloriari de illa, sed pudore affici oportet. Hæc enim causa fuit cur Apostoli non sapientes, sive philosophi fuerint, non ex charismatis imbecillitate, sed ut ne prædicatio læderetur. Non ergo illi verbum confirmabant, sed labefactabant ; at idiotæ vere confirmabant. Hoc fastum confregit, hoc tumorem compressit, hoc modeste agere suasit. At si non in sapientia verbi, cur Apollo virum doctum miserunt? Non vi orationis confidentes, inquit, sed quia potens erat in Scripturis, et confutabat Judæos. Alioquin autem id quod quærebatur erat, ut qui primas tenebant et verbum serere cœperunt non essent docti. Hi magna virtute opus habebant, ut a principio errorem depellerent ; et tunc in ipso ingressu magna fortitudine opus erat.

[1] 1 Cor. I, 17.

IV. Qui ergo eruditis ab initio opus non habuit ut errorem depelleret, si postea eruditos admisit, non quasi illis indigens hoc fecit, sed quasi non discernens. Sicut enim sapientibus hujusmodi non egebat ad id quod volebat perficiendum; ita si postea illos inveniret, non rejiciebat. Tu vero mihi illud ostende, an Petrus et Paulus eruditi essent; sed non poteris : erant enim idiotæ et illitterati. Quemadmodum igitur Christus, quando Discipulos misit in orbem, cum potentiam suam primum in Palæstina ostendisset illis, et dixisset : « Quando misi vos sine crumena » et pera et calceis, numquid vobis aliquid defuit[a] ? » Tunc permisit ut deinceps et peram et crumenam haberent. Ita hic quoque fecit. Nam id quod quærebatur erat ut Christi potentia ostenderetur; non ut propter externam sapientiam a fide ejicerentur ii qui accederent. Cum ergo Græci Discipulos accusabunt ut idiotas, nos, plusquam illi, accusemus ipsos. Nec quis dicat Paulum sapientem, id est, doctum fuisse; sed eos qui apud illos ob sapientiam et eloquentiam celebres sunt extollentes, illos omnes qui apud nos fuere, rudes fuisse dicamus. Non parum enim in hac quoque parte illos dejiciemus; sic quippe splendida erit victoria. Hæc autem dixi, quia Christianum quempiam aliquando audivi contra Græcum ridicule disputantem; ambo namque, in disputatione, rem suam confutabant et pessumdabant. Nam quæ Christianum dicere oportuisset, illa dicebat Græcus; et quæ Græcum dicere par erat, hæc Christianus opponebat. Nam cum de Paulo et de Platone quæstio esset, Græcus ille ostendere conabatur Paulum indoctum et rudem fuisse. Christianus vero ex simplicitate probare contendebat Platone doctiorem et disertiorem fuisse Paulum. Ita porro Græcus victor fuisset, si hæc vicisset propositio. Nam si Platone doctior et elo-

[a] Luc. XXII, 35.

quentior fuit Paulus, multi, ut verisimile est, opponent illum non gratia, sed eloquentia superasse. Itaque sic loquens Christianus, pro Græco stabat. Quod autem Græcus dicebat, pro Christiano cedebat. Nam si, ut dicebam, ineruditus erat Paulus, et tamen Platonem vicit, splendida fuit victoria: indoctus quippe ille omnes discipulos ejus adortus, persuasos secum abduxit. Unde palam est non in sapientia humana prædicationem prævaluisse, sed per Dei gratiam. Ne igitur in eadem incidamus, neve irridcamur; cum contra Græcos sic disputamus, Apostolos tanquam indoctos accusemus. Talis enim accusatio encomium est. Et cum dixerint illi agrestes fuisse Apostolos, nos addamus etiam fuisse indoctos, illitteratos, pauperes, viles et obscuros. Non sunt hæc maledicta Apostolis illata, sed ad illorum gloriam cedit, quod tales cum essent, toto orbe terrarum fuerint clariores. Ili enim idiotæ, agrestes, indocti, sapientes illos, potentes, tyrannos, qui divitiis, gloria et externis cæteris rebus fruebantur et gloriabantur, quasi nec viri essent profligarunt. Unde palam est magnam esse crucis potentiam, et hæc non humana vi facta esse. Non enim humanæ naturæ sunt illa, sed supra naturam patrata sunt; cum autem supra naturam, et admodum ultra naturam quædam efficiuntur cum decoro et utilitate; palam est illa ex divina quadam virtute et operatione facta esse. Animadverte autem: piscator, tentoriorum artifex, publicanus, imperitus, illitteratus, ex Palæstina regione longinqua venientes, philosophis, oratoribus, dicendi peritis, ex patria expulsis omnibus, brevi temporis spatio illos vicerunt, cum periculis multis; populis et regibus ipsos oppugnantibus, ipsa pugnante natura, temporis antiquitate, obsistente etiam longa consuetudine, armatis dæmonibus, diabolo in acie stante et omnia movente, reges, principes, populos, gentes, urbes, Barbaros,

Græcos, philosophos, oratores, sophistas, scriptores, leges, tribunalia, supplicia varia, mortes innumeras et diversas. Attamen hæc omnia ita repulsa sunt et cesserunt, loquentibus piscatoribus, perinde ut tenuis pulvis, qui vehementium ventorum impetum ferre nequit. Discamus ergo sic cum Græcis disputare, ut ne simus tanquam bestiæ et pecora; sed parati semper ad spem nostram tuendam. Et interim hoc caput meditemur, quod non parvum est, illisque dicamus : « Undenam infirmi, fortes illos vicerunt; duodecim, universum orbem? » Non iisdem utentes armis, sed nudi contra armatos pugnantes.

V. Dic enim, si duodecim viri rei militaris imperiti, in armatam pugnatorum innumerabilium aciem irrumpentes, non inermes tantum, sed etiam corpore infirmi, ab illis nihil male paterentur, neque innumerabilibus telis impetiti sauciarentur : habentes autem tela infixa corpori nudo, omnes prosternerent; non armis utentes, sed manu ferientes : deinde alios occiderent, alios captivos abducerent, nullis acceptis vulneribus; an quis diceret rem talem gestam humanam esse ? Atqui apostolicum tropæum longe illo mirabilius est : longe enim mirabilius est quam nudum non vulnerari, quod imperitus et illitteratus atque piscator tantam superet gravitatem, ac neque a paucitate, neque a paupertate, neque a periculis, neque a prævia consuetudine, neque a severitate rerum quas præcipiebant, neque a quotidianis mortibus, neque ab eorum qui decepti fuerant multitudine, neque ab eorum qui deceperant auctoritate, impedirentur. Sic ergo illos prosternamus et contra ipsos pugnemus : ac vita prius, quam sermone, impetamus illos. Hoc enim magnum certamen est, hæc ratiocinatio est, cui contradici non possit, quæ per opera procedit. Etiamsi enim innumera verbis philosophemur, si non meliorem quam illi vitam exhibeamus, nullum est

lucrum. Non enim dictis attendunt, sed facta nostra examinant, et dicunt : « Tu prior verbis tuis obtempera, et tunc alios admone. Quod si cum dicis innumera esse bona in futuro sæculo, quasi illa non sint præsentibus addictus videaris, credibiliora mihi sunt facta, quam dicta tua. Cum enim video te aliena rapientem, de iis qui defuncti sunt ultra modum lugentem, aliaque multa prave agentem, quomodo tibi credam dicenti resurrectionem esse? » Etiamsi enim hæc non dicant, hæc cogitant et in mente versant; et hoc impedit quominus infideles Christiani fiant. Inducamus ergo illos per vitam nostram. Multi et illitterati viri philosophorum mentem ita perculsere, utpote qui operum philosophiam exhiberent, et vocem tuba clariorem per vitæ institutum et philosophiam emitterent. Hæc quippe lingua fortior est. Cum enim dicam non oportere injuriarum meminisse, deindeque Græco innumera inferam mala, quomodo potero verbis illum inducere, cum gestis ipsum depellam? Venemur ergo illos per vitæ institutum, et per hasce animas ædificemus Ecclesiam, et has congeramus divitias. Nihil est animæ æquiparandum, ne totus quidem mundus. Itaque etiamsi innumeras pauperibus pecunias erogaveris, nihil tale efficies quale is qui vel unam animam convertit. « Qui enim educit pretiosum ex vili, quasi os meum erit[1], » inquit. Magnum quidem bonum est egenorum misereri; sed nihil tantum, quantum ab errore liberare. Qui enim hoc facit Paulo et Petro similis est. Licet enim illorum prædicationem suscipere, non ut periclitemur quemadmodum illi, et famem, pestem cæteraque toleremus; jam enim pacis tempus est; sed ut alacriter studium exhibeamus. Licet enim domi sedentes hanc exercere piscationem. Si quis habet amicum, aut cognatum, aut familiarem, hæc faciat, hæc dicat; et

[1] Jerem. xv, 19.

similis erit Petro et Paulo. Quid dico, Petro et Paulo? os erit Christi. Nam « Qui educit pretiosum a vili, quasi os » meum erit, » inquit. Etiamsi hodie non persuaseris, cras persuadebis; etiamsi nunquam persuaseris, tu perfectam habebis mercedem. Etiamsi non omnibus persuaseris, ex multis paucos attrahere poteris; quandoquidem Apostoli non omnibus hominibus persuasere, omnes tamen allocuti sunt, et de omnibus mercedem habent. Non enim ab exitu recte factorum, sed a mente recte operantium, coronas decernere Deus solet : etiamsi duos jeceris obolos, accipit, et quod erga viduam fecit, hoc et erga doctores operatur. Ne itaque quia non potes orbem terrarum servare, paucos despicias, neque ex magnorum desiderio, a minoribus te abstrahas. Si centum non potueris, decem cures; si denos non possis, ne quinos spernas; si quinos non possis, ne unum despicias; si unum non potueris, neque sic animo deficias, nec quæ penes te sunt cohibeas. Non vides quomodo in contractibus, non solum ex auro, sed etiam ex argento mercatores commercia exercere soleant? Nam si ne parva quidem despiciamus, magna etiam apprehendemus. Si vero parva contemnamus, neque illa ipsa facile percipiemus. Sic quisque dives efficitur parva et magna colligens. Sic et nos faciamus, ut in omnibus divites facti, regnum cœlorum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

CAPUT I.

Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est; iis vero qui salvi fiunt, nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi Scriba? Ubi inquisitor sæculi hujus [1].

I. Laborantibus et animo fractis [2], etiam salubres cibi insuaves sunt, amici et necessarii importuni, neque sæpe cognoscuntur, ac videntur inferre molestiam. Sic quoque solet accidere iis qui animas perdunt : nam quæ ad salutem ducunt ignorant, et illos qui ipsorum curam gerunt molestos esse putant. Hoc autem fit, non ex ipsa rei natura, sed ex illorum morbo. Et quod insani faciunt, cum illos odio habent qui ipsorum curam gerunt, illosque conviciis impetunt; hoc quoque faciunt infideles. Sed quemadmodum qui conviciis impetuntur tum maxime eorum miserentur, et lacrymantur, utpote qui hoc extremum esse ægritudinis indicium putent, quod illi amicissimos sibi non noscant; ita et nos circa Græcos faciamus, et magis quam propter uxores circa illos ejulemus, quia communem ignorant salutem. Non enim ita vir uxorem debet amare, ut nos homines omnes, illosque ad salutem attrahere, sive Græcus sit, sive quisquis alius. Lugeamus ergo illos, quia verbum

[1] 1 Cor. I. 18-20. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, p. 432-443, et tom. XV, p. 34-37.

crucis stultitia ipsis est, cum ipsum sapientia et virtus sit. Nam « Verbum crucis, pereuntibus, inquit, stul-» titia est. » Quia enim verisimile est illos, cum crux a Græcis irrideretur, ei quæ apud illos habebatur sapientia obstitisse et Græcorum dictis, consolans ipsos Paulus dicit : Ne putetis rem esse insolitam ac stupendam. Hanc res isthæc habet naturam, ut a pereuntibus virtus ejus non cognoscatur. Mente namque capti sunt ac desipiunt. Ideo convicia efferunt, et salutaria pharmaca moleste ferunt. Quid vero dicis, o homo? Servus propter te Christus factus est, formam servi accipiens, crucifixus est, et resurrexit. Et cum oporteret illum resuscitatum ideo adorare, et ejus benignitatem admirari; quia quæ nec pater, nec amicus, nec filius pro te fecit, hæc omnia Dominus operatus est propter te inimicum, qui illum offenderas. Cum oporteret ergo illum propterea admirari, tu rem tanta sapientia plenam, stultitiam appellas? Sed nihil mirum. Nam pereuntium est non agnoscere ea quæ ad salu tem ducunt. Ne turbemini igitur. Non enim novum, neque inexpectatum est illud, quod nempe a desipientibus magna derideantur. Illos, qui sic affecti sunt, per humanam sapientiam persuadere non licet. Imo si ita persuadere volueris, contrarium efficis. Nam ea, quæ rationem superant, sola fide opus habent. Etenim si ratiociniis persuadere voluerimus, quomodo Deus factus sit homo, et in vulvam virginalem ingressus sit ; et si rem fidei non permittamus, magis irridebunt illi. Ergo qui ratiociniis id quærunt, illi sunt qui pereunt. Ecquid dico de Deo? nam si circa creaturas hoc faciamus, multus sequetur risus. Sit enim homo qui velit omnia ratiociniis ediscere, et tentet tua persuaderi ratione, quomodo lucem aspiciamus. Tu autem ratiocinio illi persuadere conare. Sed non poteris. Si enim dixeris, quod sufficiat oculos aperire ad videndum, non modum

dixisti, sed quod fieri solet. Cur enim non auribus videmus, inquiet, et nec oculis audimus? Cur non naso audimus, nec auribus olfacimus? Si ergo illo ea de re quærente, non possumus horum rationem reddere, et ille rideat, annon magis non ridebimus? Nam si ambo ex eodem cerebro principium habent, ambaque membra vicina sunt, quomodo non eadem ipsa possunt facere? Sed non poterimus causam dicere, neque modum ineffabilis et variæ operationis; et si tentemus, irridebimur. Ideo Dei potentiæ et immensæ sapientiæ cedentes, taceamus. Ita ergo si ea quæ Dei sunt per externam sapientiam explicare velimus, multus sequetur risus, non propter rerum imbecillitatem, sed propter hominum amentiam. Res enim magnas nullus sermo potest explicare. Animum autem adhibe: cum dixero, crucifixus est, Græcus dicit: Et quomodo hoc rationi consentaneum est? Sibi non opem tulit cum crucifigeretur et tentaretur tempore crucis; et quomodo postea resurrexit, et aliis opem tulit? Nam si poterat, oportebat ante mortem agere. Nam hoc quoque dicebant Judæi. Qui autem sibi ipsi opem non tulit, quomodo aliis tulit? Non est hoc, inquit, rationi consentaneum. Est enim crux, o homo, supra rationem et ineffabilis virtutis. Nam in malis gravibus constitutum, iis malis superiorem apparere, et sic congressum vincere, immensæ virtutis est. Ut enim in tribus pueris, ingressos in fornacem conculcasse flammam mirabilius erat, quam si ingressi non fuissent; et in Jona, in cetum incidentem a bellua nihil passum esse multo majus erat, quam si non incidisset; sic et in Christo longe mirabilius fuit mortuum solvisse mortem, quam si mortuus non fuisset. Ne dicas ergo: Cur sibi opem non tulit in cruce? Nam cum morte confligere volebat. Non descendit de cruce, non quod non posset, sed quod nollet. Eum enim, quem mortis tyrannis

detinere non potuit, quomodo clavi crucis detinere potuissent.

II. Sed hæc nobis nota sunt infidelibus non item. Ideo dicebat verbum crucis pereuntibus stultitiam esse, nobis autem salutem consequentibus, virtutem esse Dei. Scriptum est enim : « Perdam sapientiam sapientium, et pru» dentiam prudentium reprobabo. » Nihil grave hactenus posuit, sed primo ad Scripturæ testimonium venit, et tunc fiducia inde assumpta, vehementiore utitur sermone, et ait : « Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? » Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? » Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam » quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam » Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos » facere credentes [1]. » Cum dixisset, « Scriptum est : Per» dam sapientiam sapientium, » ex rebus demonstrationem inducit dicens : « Ubi sapiens, ubi scriba? » simul et Judæos et Græcos perstringens. Quis enim philosophus, quis eorum qui in syllogismis versati sunt, quis ex iis qui judaïca norunt, salutem dedit et veritatem docuit? Nemo. Sed totum piscatorum fuit. Cum propositum ergo concludisset, illorumque fastum depressisset, ac dixisset : « Nonne infatuavit Deus sapientiam hujus mundi? » causam etiam dicit propter quam hæc ita facta sunt. Quia enim in sapientia Dei, inquit, non cognovit mundus per sapientiam Deum, crux apparuit. Quid sibi vult autem, in sapientia Dei? in ea quæ apparuit per opera, per quæ cognosci voluit. Propterea enim et hæc et similia probavit; ut convenienter ex iis quæ cernuntur conditor in admiratione haberetur. Magnum est cœlum, et immensa terra : Conditorem ergo mirare. Nam magnum hoc cœlum non modo ab eo factum, sed facile factum est, et immensa terra quasi nihil

[1] 1 Cor. I, 21.

producta fuit. Ideo de illo quidem dicit : « Opera digitorum » tuorum sunt cœli [1] ; » de terra autem : « Qui terram fecit » tanquam nihil. » Quia ergo per hanc sapientiam noluit Deum cognoscere, per stultitiam, quæ esse videtur, prædicationis, persuasit; non per ratiocinia, sed per fidem. De cætero ubi sapientia Dei est, humana non ultra est opus. Nam dicere eum, qui hunc tantum mundum creavit, Deum esse oportere immensa et ineffabili virtute præditum, humanæ sapientiæ erat sic ratiocinari, et per hæc illum comprehendere. Nunc autem non ratiociniis, sed fide sola opus est. Nam in crucifixum, et in sepultum credere, et certum habere eumdem ipsum resurrexisse, ac superne sedere, in sapientia non eget, neque ratiociniis, sed fide. Apostoli enim non cum sapientia prodiere, sed cum fide, fueruntque externis sapientibus sapientiores et sublimiores, et tanto magis, quanto majus est ea quæ Dei sunt fide suscipere, quam ratiocinia movere. Hoc enim humanam superat mentem. Quomodo autem perdidit sapientiam? Per Paulum et similes nobis cognitus, ostendit illam inutilem esse. Ad suscipiendam enim evangelicam prædicationem, neque sapiens juvatur a sapientia, neque imperitus læditur ab ignorantia. Sed si qui oporteat admirabile dicere, imperitia ad suscipiendum opportunior et facilior est, quam sapientia. Pastor enim et rusticus hanc citius suscipiet, ratiocinia comprimens, et Domino se dedens. Sic ergo ille sapientiam perdidit. Quia enim prior se ipsam dejecit, ad nihil deinceps utilis est. Cum oporteret enim eam sua indicare et per opera Deum videre, noluit : ideoque si se jam inducere vellet, non potest. Non enim res ita se habent. Hæc enim ad cognitionem Dei via longe major illa est. Ideo fide et simplicitate opus est : illam oportet semper quærere et externæ sapientiæ anteponere. Nam stultam

[1] Psal. ci, 26.

fecit Deus, inquit, sapientiam. Quid est autem, stultam fecit? Stultam esse ostendit ad fidem comprehendendam. Quia enim altum sapiebant de illa, ipsam cito confutavit. Quænam illa sapientia, quæ caput bonorum non inveniat? Effecit igitur ut illa stulta appareret, quia illa se primam refellit. Si enim quando ratiociniis licebat invenire, nihil ostendit, nunc cum res feruntur majores, quomodo quidpiam perficere poterit, cum sola fide opus est, non facundia? Stultam ergo illam ostendit Deus. Placuit autem ipsi per stultitiam prædicationis salutem donare; stultitiam, quæ vere non talis est, sed talis esse videtur. Hoc porro majus est, quod non aliam sapientiam illa excellentiorem inducens, per eam quæ stultitia videbatur esse, superavit. Platonem quippe ejecit, non per alium sapientiorem philosophum, sed per ignarum piscatorem. Ita enim et major clades fuit et splendidior victoria. Deinde crucis virtutem ostendens ait: « Quoniam » et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. » Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis » quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis au- » tem vocatis, Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem et » Dei sapientiam[1]. »

III. Magna est dictorum prudentia. Vult enim dicere quomodo per contraria vicit Deus, et quomodo prædicatio non sit humana. Hoc autem vult significare. Cum dicimus, inquit, Judæis: Credite; respondent: Mortuos suscitate, sanate dæmoniacos, ostendite nobis signa. Nos autem quid ad hæc dicimus? Crucifixus et mortuus est is qui prædicatur. Hoc vero possit non modo nolentes non attrahere, sed etiam volentes repellere: attamen non repellit, sed attrahit et detinet et vincit. Rursum Græci a nobis exigunt eloquentiam et sophismatum gravitatem.

[1] 1 Cor. 1, 21-24.

Nos autem his quoque crucem prædicamus. Et quod Judæis imbecillitas ese videtur, hoc Græcis est stultitia. Cum autem illis non modo ea quæ petunt non præbemus, sed etiam petitis contraria damus; crux enim non modo signum non videtur esse; sed etiam si ratione examinetur, signi ademptio putatur; nec modo non videtur virtutis demonstratio, sed etiam imbecillitatis argumentum; nec modo non sapientiæ ostensio, sed etiam stultitiæ suspicio; cum ergo signa et sapientiam quærentes non solum non accipiant ea quæ petunt, sed contraria iis quæ desiderant audiant, ac deinde per contraria persuadeantur, quomodo non ineffabilis fuerit ejus qui prædicatur virtus? Quemadmodum si cui eorum qui fluctibus jactantur et portum desiderant, non ostendens portum, sed alium pelagi partem sæviorem, posses efficere, ut gratias agens sequeretur; vel si medicus saucium, et medicamenta cupientem, non pharmacis, sed iterum urendo pollicens se sanum redditurum esse, ad se illum attraheret: hoc enim magnæ virtutis esset. Ita et Apostoli non modo per signum, sed etiam per rem quæ signis contraria esse videbatur, superaverunt. Quod etiam in cæco Christus fecit. Cum vellet enim ipsum curare, per rem quæ cæcitatem augeret, illam sustulit; nam lutum imposuit. Ut ergo per lutum cæcum sanavit, sic orbem terræ per crucem adduxit: id quod scandali additio erat, non sublatio scandali. Sic etiam in creatione fecit, contraria contrariis apparans. Arena quippe mare cinxit, infirmo validum refrenans. Aquæ terram imposuit, molli et fluido, densum et solidum imponens. Per Prophetas quoque parvo ligno ferrum eduxit. Sic et cruce orbem attraxit. Quemadmodum enim aqua terram gestat, ita crux orbem terræ portat. Magnæ igitur virtutis et sapientiæ argumentum est per contraria persuadere. Crux enim scandalum esse videtur; et tamen non

solum non offendiculo est, sed etiam trahit. Hæc itaque omnia cogitans Paulus, et obstupescens dicebat. « Quod » stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infir» mum est Dei, fortius est hominibus[1]. » Sultum et infirmum dicens, de cruce loquitur, non quod est, sed quod videtur esse significans : nam secundum illorum opinionem respondet. Etenim quod per syllogismos philosophi facere non potuere, hoc perfecit ea quæ videbatur esse stultitia. Quis ergo sapientior, is qui multis persuadet, an is qui paucis, imo vero nulli? is qui de rebus maximis persuadet, an is qui de iis, quæ non oporteret? Quantum laboravit Plato circa lineam et angulum et punctum, ac de numeris paribus et imparibus, et inter se æqualibus et inæqualibus ac de similibus aranearum telis; hæc enim inutiliora vitæ sunt, quam hujusmodi textura, et cum nec parvum nec magnum inde fructum attulisset, sic vitam finivit? Quantum laboravit ut ostenderet animam esse immortalem, et nihil clarum dixit, ac cum nemini auditorum id persuasisset, sic diem obiit? Crux autem per ignaros homines persuasit, imo persuasit toti orbi terrarum; non de levibus rebus disserens, sed de Deo et de vera religione, deque evangelico vitæ instituto, ac de futuro judicio, atque rusticos indoctosque omnes fecit philosophos. Vide quomodo quod stultum est Dei sapientius sit hominibus, et infirmum fortius. Quomodo fortius? Quod totum orbem pervaserit, et omnes vi ceperit, et quod innumeris Crucifixi nomen extinguere conantibus, contrarium evenerit : hoc nomen floruit, et majorem in modum accrevit. Illi vero perierunt et in exitium ruerunt : ac viventes adversus mortuum bellum gerentes, nihil potuere. Itaque quando me mortuum Græcus dicit, tunc ostendit se admodum stultum esse; quando ego qui ab illo stultus

[1] 1 Cor. I, 25.

esse existimor, sapiente sapientior appareo. Cum me vocabit infirmum, tunc se ipsum infirmiorem ostendet. Quæ enim per Dei gratiam recte agere potuerunt publicani et piscatores, hæc philosophi, tyranni, et ut ita dicam totus orbis innumera circumcurrens, ne imaginari quidem potuit. Quid enim crux non induxit? De immortalitate animæ sententiam, de resurrectione corporum, de despectu præsentium et de futurorum desiderio. Homines Angelos fecit, et omnes ubique philosophantur, omnemque virtutem exhibent.

IV. Sed etiam apud illos, inquies, multi mortem contempsere. Quinam, quæso? an ille qui cicutam bibit? Sed si velis, innumeros tales ex Ecclesia proferam. Si enim liceret ingruente persecutione epota cicuta excedere, essent omnes illo clariores. Alioquin autem bibit ille, cum non liceret sibi aut bibere aut non bibere; sed vellet nollet hæc oportuit facere; quod non virtutis, sed necessitatis erat. Nam latrones et homicidæ, sententia judicum damnati, graviora passi sunt. Apud nos autem contrario modo res se habet. Non enim inviti Martyres passi sunt, sed sponte, et cum penes illos esset non pati, adamante quolibet firmiorem exhibuere virtutem. Non mirum ergo est si ille cicutam biberit, cum non posset a tali potu abstinere, et ad extremam provectus esset senectutem: dicebat enim se annos septuaginta natum quando vitam contempsit, si tamen hoc sit contemnere: non enim ego illud dixerim, imo neque ullus alius. Sed ostende mihi aliquem in tormentis pro pia religione perseverantem, ut ego innumeros ubique per orbem proferam. Quis effossis unguibus, id fortiter tulit? Quis cum eruerentur articuli? Quis cum corpus ejus discerperetur et separaretur a capite? Quis cum ossa ejus extraherentur? Quis in sartagine frequenter positus? Quis in lebetem injectus? Hæc mihi ostende. Nam ex cicuta

mori perinde est atque dormientem permanere. Mors enim hujusmodi somno suavior esse dicitur. Quod si qui etiam tormenta pertulerunt, horum certe laus periit, pro turpi enim causa pericrunt; alii ut qui secreta revelassent, alii ut qui tyrannidem affectassent; alii in turpissimis rebus deprehensi; alii frustra et temere, nulla de causa, sese detulerunt. Sed non ita apud nos. Ideo illorum quidem gesta tacentur; hæc vero florent, et in dies accrescunt. Quod cogitans Paulus dicebat : « Infirmum Dei fortius est » omnibus hominibus. » Quod enim divina sit prædicatio, inde etiam manifestum est. Undenam in mentem venit duodecim hominibus, iisque ignaris, in lacubus, fluviis et deserto manentibus, ut res tantas aggrederentur; et iis qui nunquam fortasse in urbem et in forum venerant, ut contra totum orbem aciem instruerent? Quod enim formidolosi essent et pusilli animi, ostendit ille qui de iis scripsit, qui id non recusavit, neque illorum obtegere vitia voluit quod maximum est veritatis argumentum. Quid igitur ille de illis dicit? Quod Christo comprehenso, post innumera edita miracula, alii fugerint, ille vero aliorum Coryphæus ipsum negaverit. Undenam ergo illi, qui vivente Christo Judæorum impetum non tulerant, illo mortuo et sepulto, cum non resurrexisset, ut vos dicitis, neque allocutus illos fuisset, neque animum indidisset, contra tantum orbem terræ aciem instruxerunt? Annon apud se dixissent : « Quid hoc est? Se ipsum non potuit servare, et nos proteget? Sibi opem non tulit vivus, et nobis manum tendet mortuus? Ipse vivus nullam subegit gentem, et nos toti orbi, ipsius prolato nomine, persuadebimus? » Et quomodo non contra rationem fuerit, hæc non solum facere, sed etiam cogitare? Quamobrem palam est, si non vidissent illum resurrexisse, magnumque potentiæ ejus habuissent argumentum, non tantam jacturos fuisse aleam,

Etiamsi enim amicos habuissent innumerabiles, annon statim omnium sibi inimicitiam attraxissent, dum antiquos mores amoverent, et patrios terminos transferrent? Nunc autem omnes habuere sibi hostes et proprios et alienos. Etiamsi enim propter externa omnia venerabiles fuissent, annon omnes ipsos execrati fuissent, quod novum vitæ institutum inducerent? Nunc autem deserti erant ab omnibus, et consentaneum erat ut vel inde in omnium odium et contemptum incurrerent. Quos enim vis dicere? Judæos? At ingenti illos odio prosequebantur ex iis quæ contra Magistrum facta fuerant. An Græcos? At hi non minus quam illi ipsos aversabantur; idque norunt maxime omnium Græci. Plato enim (5) qui novam voluit instituere rempublicam, vel potius partem reipublicæ, qui non deorum nomina mutavit, sed acta et gesta alia pro aliis induxit, in periculum venit ne ex Sicilia ejectus morte afficeretur : quia autem hoc non accidit, libertatem ipse amisit. Et nisi barbarus quidam Siciliæ tyranno mitior fuisset, nihil prohibuisset quominus philosophus in aliena terra servituti addictus esset. Atqui non par res est ea quæ ad regnum pertinent innovare, et quæ ad religionem. Hoc enim maxime homines conturbat et commovet, Nam dicere : « Ilic et iste hanc uxorem ducant ; » et, « Custodes hoc modo sint custodes, » non multum turbare possunt, cum maxime in libro scripta sunt, nec multum curat legislator, ut scripta in opus exeant. At dicere eos, qui coluntur, non esse deos, sed dæmonas; eum, qui crucifixus fuit, Deum esse, scitis quantam accenderit iram, quantum excitaverit bellum.

V. Nam apud illos Protagoras (6), quia ausus est dicere : » Non novi deos, » non orbem circumiens et prædicans, sed in una civitate, de extremis periclitatus est. Diagoras vero Milesius (7), et Theodorus ἄθεως atheus cognominatus,

quamvis amicos haberent et dicendi facultatem, et ex philosophia in admiratione haberentur, nihil tamen eorum ipsos juvit. Et magnus ille Socrates, qui apud illos philosophia superabat omnes, ideo cicutam ebibit, quod suspicio esset illum in iis quæ de diis scripserat aliquid mutavisse. Quod si innovationis suspicio sola tantum periculi creavit viris philosophis et sapientibus, qui ingentem sibi pepererant existimationem, et non modo non potuere quod volebant perficere; sed etiam ipsi et vita et patria exciderunt, quomodo non miraris et obstupescis, piscatorem videns in orbe tot tantaque patrantem, quæ studebat perficientem et barbaros Græcosque omnes superantem? At hi, inquies, non deos alienos inducebant sicut illi. Hoc ipsum maxime mirabile mihi dicis, quia duplex erat innovatio, et quod eos, qui tunc colebantur, tollerent, et quod crucifixum prædicarent. Undenam ad ea prædicanda permoti sunt? Undenam audent de fine suo confidere? Quosnam ante se viderant talem rem bene gerentes? Annon omnes Deos colebant? annos omnes elementa in deos referebant? Annon diversus erat impietatis modus? Attamen omnia aggressi sunt, et hæc sustulerunt, ac brevi tempore totum orbem tanquam alis instructi percurrerunt, non pericula curantes, non mortes, non rei difficultatem, non paucitatem suorum, non multitudinem adversantium, non potentiam, non sapientiam inimicorum. Iis quippe omnibus majora habebant auxilia, crucifixi nempe qui resurrexerat potentiam. Non ita mirabile fuisset, si bellum sensibile in totum orbem inferre voluissent, ut mirum est illud quod nunc factum est. Nam lege belli licebat adversus inimicos stare, et contraria occupata regione, sic contra hostes aciem instruere, atque occasionem accipere invadendi et manus conserendi. Hic autem non ita. Non enim exercitum proprium habebant,

sed cum ipsis inimicis permixti erant, et sic illos vincebant, atque in mediis inimicis versantes, illorum nocumenta propulsabant, et superabant, atque victoriam reportabant splendidam, quæ prophetiam implebat dicentem: « Et dominaberis in medio inimicorum tuorum[1]. » Hoc enim maxime stuporem injiciebat, quod cum eos tenerent inimici, atque in carcerem et vincula conjicerent, non modo ipsos non superarent; sed postea ante illos procumberent, flagellantes ante flagellatos, vincientes ante vinctos, persequentes ante pulsos. Hæc porro omnia Græcis dicimus, imo his plura; magna quippe est veritatis ubertas. Si enim argumentum sequamini, omnes vos docebimus adversus illos concertationem. Interim vero hic duo conservemus capita; quomodo infirmi fortes superarint: et quomodo ipsis venisset in mentem, cum tales essent, talia consilia suscipere, nisi divino potiti fuissent auxilio.

VI. Et nostra quidem hactenus. Nos autem operibus vitam recte geramus, et copiosum virtutis ignem accendamus. « Luminaria enim estis, inquit, in medio mundi » fulgentes[2] : » Et singulis nostrûm majorem Deus dedit usum, quam soli; majorem quam cœlo et terræ et mari, et tanto majorem, quanto spiritualia sensibilibus præcellunt. Cum ergo solis circulum conspicimus, et pulchritudinem, corpus et splendorem astri admiramur, cogitemus majorem et meliorem in nobis esse lucem, ut etiam graviores tenebras, nisi attendamus. Nam nox profunda totum orbem occupat: hanc igitur evertamus et solvamus; nox non in hæreticis et Græcis tantum; sed etiam in multis qui nobiscum sunt, tam in dogmatibus, quam in vita. Multi enim resurrectioni non credunt, multi genethliaca sententia se muniunt; alii observationibus student, nec-

[1] Psal. cix, 2. — [2] Philip. II, 15.

non vaticinationibus, auguriis et symbolis; alii ligaminibus et incantationibus utuntur. At adversus illos etiam postea dicturi sumus, postquam sermonem contra Græcos absolverimus. Interim vero illa quæ dicta sunt retinete, et mecum ad pugnam accedite, per vitæ institutum illos ad nos attrahentes et transferentes. Etenim, quod semper dico, cum, qui philosophiam docet, oportet primo per se ipsum hoc docere, et auditoribus esse desiderabilem. Simus ergo desiderabiles, et Græcorum nobis benevolentiam attrahamus. Erit autem illud, si parati simus non solum ad bene faciendum, sed etiam ad male patiendum. Non videmus infantes, quando a parentibus gestati, quomodo plagis portantis se genas verberent, et quam libenter concedat pater filio ut iram explcat, et quando videt iram explevisse, lætetur? Ita et nos faciamus, et quemadmodum patres filios, sic Græcos alloquamur. Infantes quippe sunt Græci omnes : et quidam apud illos hæc dixerunt, quod semper pueri sint, et nullus sit senex Græcus. Pueri autem de re utili nulla curant. Sic etiam Græci semper ludere volunt, et humi jacent, et quæ humi sunt affectant. Pueri autem sæpe, cum de rebus necessariis loquimur, dictorum nihil sentiunt, sed semper rident; ita etiam Græci, cum de regno disserimus, rident : et sicut ex ore parvulorum sæpe multa decidente saliva, cibus et potus inquinatur; sic et verba ex ore Græcorum fluentia, vana sunt et impura; et si necessarium dederis cibum, præbentes maledictis incessunt et ferri debent. Pueri quoque cum furem vident ingressum, et quæ intus sunt auferentem, non modo non arcent, sed etiam insidiatori arrident. Si vero calathiscum et sistra auferas, aut aliud quidpiam ludicrum, ægre puellus et indigne fert, se dilacerat, solum pulsat; sic et Græci quoque, diabolum videntes omnia paterna bona, quæ vitam sustentant, diripientem, rident, et tanquam ad

mnem accurrunt. Si quis autem possessionem, aut divitias aut puerile quidpiam auferat, lamentantur, se discerpunt: ac sicut pueri sine sensu nudantur, nec erubescunt; ita et Græci cum scortis et adulteris volutati, naturæ leges nudantes, et nefarios inducentes coïtus, non convertantur. Plausistis valde et laudastis; sed cum plausu providete, ne de vobis etiam hæc dicantur. Quapropter omnes rogo, viri estote: nam si nos pueri simus, quomodo illos instituemus ut viri sint? quomodo ab infantili insipientia arcebimus illos? Simus ergo viri, ut perveniamus ad mensuram ætatis a Christo definitam et futura adipiscamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAPUT I.

Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem; non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes[1].

1. I. Cum dixisset quod stultum est Dei sapientius esse hominibus[2], ostendit humanam sapientiam abjectam fuisse, et ex testimonio Scripturarum, et ex rerum eventu. Ex testimonio, cum dicit: « Perdam sapientiam sapien-» tium; » ex eventu, per interrogationem loquens ac dicens:

[1] 1 Cor. I, 26, 27. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 38-49.

« Ubi sapiens? ubi scriba? » Rursum ostendit rem non esse novam, sed antiquam, ut quæ jam olim fuerit præfigurata et prædicta. « Scriptum est enim, inquit : Perdam sapien- » tiam sapientium » Cum his ostendit, hæc utiliter et provide facta fuisse. Quia enim in sapientia Dei, inquit, non novit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes; et quod crux sit ineffabilis potentiæ et sapientiæ argumentum, et quod multo majus sit id quod stultum est Dei, quam humana sapientia. Et hoc rursum non per doctores, sed etiam per Discipulos ostendit. « Videte enim, inquit, vocationem vestram. » Non modo enim doctores idiotas, sed etiam Discipulos tales elegit. « Non enim multi sapientes, inquit, secundum car- » nem. » Sic ostenditur hoc et validius et sapientius; cum et multis persuaserit et insipientibus persuaserit. Nam difficillimum est idiotæ persuadere, maxime cum de rebus necessariis et magnis sermo est. Attamen persuaserunt, et hujus rei testes vocat illos. Nam ait : « Videte vocationem » vestram, fratres, considerate, scrutamini. » Nam quod idiotæ et ignari dogmata adeo sapientia omniumque sapientissima susceperint, id magnæ doctoris sapientiæ testimonium est. Quid sibi vult autem illud, « Secundum » carnem? » Si spectetur id quod apparet et præsens vita atque externa institutio. Deinde nec videatur sibi ipsi adversari; nam proconsuli suasit, et areopagitæ, necnon Apollo; aliosque videmus sapientes ad prædicationem accessisse; non dixit, nullus sapiens; sed, non multi sapientes. Non enim ex constituto indoctos vocabat, et sapientes relinquebat; sed hos etiam admittebat; at longe plures illorum. Quare? Quia qui sapiens est secundum carnem, multa plenus est insipientia : et hic maxime stultus est, quando corruptam doctrinam ejicere non vult. Ac quemadmodum medico artem suam docere volente, qui pauca

sciunt, et male contrarioque modo arte utuntur, atque eam retinere contendunt, non facile disciplinam admiserint : qui vero nihil sciunt, facile dicta suscipiunt; sic et hac in re factum est. Indocti magis persuasi sunt; summam enim non habebant arrogantiam, cum non se putarent sapientes esse. Illi nempe maxime stulti sunt, qui ratiociniis illa permittunt, quæ non possunt nisi per fidem inveniri. Quomodo enim si cum faber ærarius forcipe candens ferrum extrahat, iste manu id facere contendat, illum extremæ damnabimus amentiæ. Ita et philosophi, qui per se hæc invenire conati sunt, fidem probro affecerunt; ideo nihil eorum quæ perquirebant invenerunt. « Non multi po- » tentes, non multi nobiles. » Nam et hi fastu pleni sunt. Nihil autem ad Dei cognitionem sic inutile est, ut arrogantia, et divitiarum amor. Efficiunt enim illa ut præsentia admirentur et futurorum nullam rationem habeant : et curarum multitudine aures obstruunt. « Sed quæ stulta sunt » mundi elegit Deus; » quod maximum est victoriæ signum, cum per indoctos vincit.

II. Non enim tanto pudore afficiuntur Græci, quando per sapientes superantur. Sed tunc maxime pudet illos, cum viderint artificem et forensem plus quam illos philosophantem. Ideo ipse dicebat, « Ut confundat sapientes. » Neque hic solum illud fecit, sed etiam in aliis vitæ commodis. « Etenim infirma mundi elegit, ut confundat fortia. » Non enim indoctos solum, sed etiam pauperes, viles, abjectos vocavit, ut in potentia constitutos humiliaret. « Et » ignobilia mundi et contemptibilia, et ea quæ non sunt, » ut ea quæ erant destrueret[1]. » Et quænam vocat quæ non sunt? Eos qui nihil esse putantur, quod in nullo sint pretio. Ita magnam ostendit potentiam, cum per eos, qui nihil videntur esse, magnos dejicit; id quod etiam alibi dicit :

[1] 1 Cor. 1, 28.

« Virtus mea in infirmitate perficitur[1]. » Est enim magna potentia, abjectos, qui nullam unquam disciplinam attigerant, repente de iis quæ supra cœlos sunt docere philosophari. Nam et medicum et oratorem et alios omnes tunc maxime miramur, cum indoctos admodum instituunt et erudiunt. Si vero magnum miraculum est artis rationes indoctis inculcare, multo magis tantæ philosophiæ rationes. Non pro miraculo tantum edendo, neque ut potentiam suam ostenderet id fecit, sed etiam ut arrogantes reprimeret. Ideoque antea dicebat, « Ut confundat sapientes, ut » ea quæ erant destrueret; » et hic rursus : « Ut non glorietur » omnis caro in conspectu Dei[2]. » Omnia enim Deus ideo facit, ut nihil nobis imputemus, ut omnia Deo ascribamus. Et vos qui huic et illi vos addixistis, quam veniam consequemini? Nam ostendit Deus fieri non posse ut nostra solum opera salutem assequamur, et hoc ab initio fecit. Neque enim poterant homines per se servari; sed oportebat obeuntes, cœli pulchritudinem, terræ magnitudinem, et aliarum creaturarum corpus, sic adduci ad rerum opificem. Hoc porro fecit jam ante reprimens futuram opinionem et sapientiam. Quemadmodum si quis magister, cum jusserit discipulum sequi quocumque ducatur, ubi vidit illum prævenire et velle a se ipso cuncta discere, sinens illum errare, ostendit illum non sibi sufficere ad disciplinam, et tunc quæ sua sunt inducit. Ita et Deus jussit initio sequi per rerum creatarum comprehensionem : quia vero noluerunt, cum experientia docuisset illos non sibi sufficere, tunc ipsos ad se alio modo ducit. Pro tabula dedit mundum : neque in his meditati sunt philosophi, neque illi obsequi voluerunt, neque hanc ad ipsum ingredi viam, quam ille jusserat. Aliam ille induxit viam priore clariorem, quæ persuaderet hominem solum non sibi ipsi suffi-

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] 1 Cor. I, 29.

cere. Tunc enim licebat ratiocinia movere, et externa uti sapientia, per res creatas ductos. Nunc autem nisi quis stultus fiat; id est, nisi omne ratiocinium et omnem sapientiam evacuet, ac fidei se tradat, servari nequit. Non parum igitur est quod cum viam facilem reddiderit, morbum quoque inde ortum evulserit, ut non glorientur homines, neque altum sapiant, « Ut non glorietur omnis caro. » Hinc enim peccatum ortum est, quod Dei legibus se sapientiores esse contenderint, nolentes ita discere ut ille constituit. Propterea neque sic omnino didicerunt. Sic etiam factum est ab initio. Dixit Adamo : Hoc fac, hoc ne feceris. Ille se plura reperturum sperans, obsecutus non est, et quod habebat perdidit. Dixit iis qui postea fuere : Ne in re creata consistite; sed per illam Creatorem contemplamini. Illi autem, quasi quid dictis sapientius invenissent, innumeros moverunt labyrinthos. Quapropter et secum et inter se mutuo conflixerunt, ac neque Deum invenerunt, neque de re creata quid clare noverunt, neque congruentem et veram circa eam opinionem habuerunt. Ideo rursum magna vi illorum opinionem dccutiens, indoctos primum induxit, ostendens omnes superna sapientia opus habere; neque modo in cognitionis ratione, sed et in aliis omnibus homines et omnes res creatas omnino opus habere sui, ut maximam haberet occasionem, et subjectionis et necessitudinis. Ideoque non permisit ut sibi ipsis satis essent. Nam si nunc etiam multi cum opus habeant, despiciunt; nisi hoc fuisset, quo superbiæ non ascendissent? Itaque tantam gloriæ ostentationem, non ex invidia ille sustulit, sed ut retraheret illos ex pernicie inde parta : «Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est »nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et re»demptio[1]. » Illud, « Ex ipso, » non de productione ad essen-

[1] 1 Cor. I, 30.

tiam ipsum dicere puto, sed de fide; id est, filios Dei fieri dicit, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis. Ne existimetis ergo postquam a gloriatione nos exemerat, sic reliquisse : aliam enim majorem dedit gloriationem. In conspectu enim ejus non oportet gloriari. Filii ejus estis, hoc facti per Christum. Et postquam dixit : « Stulta mundi » elegit et ignobilia, » ostendit illos esse omnium nobiliores, qui Deum patrem habeant. Hujus porro nobilitatis non hic vel ille, sed Christus vobis causa est, qui non sapientes fecit et justos et sanctos, hoc enim significat illud, « Fac- » tus est nobis sapientia. »

III. Quis ergo nobis sapientior fuerit, qui non Platonis, sed Christum ipsum sapientiam habemus, Deo ita volente? Quid est autem illud, « A Deo? » Cum magna dixisset de Unigenito, tunc addit Patrem, ne quis putaret ingenitum Filium esse. Cum ergo dixisset eum tanta potuisse, totum tribuit Filio, dicens illum sapientiam nobis factum fuisse, et justitiam, et sanctificationem et redemptionem. Per Filium rursus totum attribuens Patri, dixit, « A Deo. » Cur autem non dixit, « Fecit nos sapientes, » sed, « Factus est » nobis sapientia? » Doni ostendens abundantiam, ac si diceret : Se ipsum nobis dedit. Et vide quomodo procedat. Prius enim nos sapientes fecit, cum ab errore liberavit, et tunc justos et sanctos, Spiritum largitus, et sic nos a malis omnibus liberavit, ita ut ipsius simus non per ipsius essentiam; sed per fidem. Alibi porro dicit, quod nos facti simus justitia in ipso : « Eum, qui non novit peccatum, » peccatum pro nobis fecit, ut nos fieremus justitia Dei in » ipso[1]. » Nunc autem dicit illum nobis factum fuisse justitiam, ita ut volenti liceat ejus abunde consortem esse. Non enim hic vel ille sapientes fecit, sed Christus. Qui ergo gloriatur, in illo glorietur, non in alio : a Christo om-

[1] 2 Cor. v, 21.

nia facta sunt. Ideo cum dixisset, « Qui factus est nobis » sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio, » subjunxit : « Ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur in Do» mino glorietur[1]. » Propterea etiam valde invectus est in sapientiam Græcorum ; ut hoc ipso persuadeat hominibus, quod etiam justum sit ut in Domino glorientur. Nam cum a nobis ipsis quæ nos superant quærimus, nihil est nobis stultius, nihil imbecillius. Linguam enim acutam habere possumus ; dogmata vero solida, non item ; sed aranearum telis per se similia sunt ratiocinia. Eo enim quidam processerant amentiæ, ut eorum quæ sunt nihil verum esse dicerent, sed iis quæ apparerent omnia contraria esse affirmarent. Nihil ergo tuum esse dixeris, sed in omnibus in Deo glorieris ; nulli homini aliquid unquam tribuas. Si enim Paulo nihil est attribuendum, multo magis cæteris. Nam ait ille, « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem » incrementum dedit[2]. » Qui didicit in Domino gloriari, nunquam sese efferet ; sed semper modeste aget, et in omnibus gratus erit. Res autem Græcorum non sunt hujusmodi ; sed omnia illi sibi ascribunt. Ideoque ex hominibus deos faciunt, adeo illos arrogantia pessumdedit. Demum hora est ut cum illis concertemus : ubi ergo die superiori orationem reliquimus ? Dicebamus non posse ex humana consequentia philosophos a piscatoribus superari. Attamen fieri potuit ; unde palam est id per gratiam factum esse. Dicebamus fieri non posse ut tot et tam præclara gesta vel cogitarent quidem, et ostendimus illos non modo cogitasse, sed etiam cum magna facilitate ad finem perduxisse. In hoc ipso hodie orationis capite nos exercebimus : undenam illis venerit in mentem, ut sperarent se totum orbem terræ posse vincere, si non vidissent Christum resurrexisse. Num in mentis excessu, quidpiam tale

[1] Jerem. IX, 23, 24, et 1 Cor. I, 31, et 2 Cor. X, 17. — [2] 1 Cor. III, 6.

inconsiderate et temere cogitarunt? Omnem quippe amentiam superat, absque Dei gratia tantam rem perfici posse sperare. Quomodo hoc effecerunt insanientes et in mentis excessu? Sin vero sanæ mentis erant, ut et res ipsæ probant, quomodo non acceptis ex cœlo fide dignis pignoribus, et supernam non adepti gratiam, ausi essent ad tanta exire bella, in terra et in mari suscipienda, et ad mutandos totius orbis mores, tanto tempore confirmatos, homines duodecim se accingere ausi fuerint et fortiter stare? Et quod majus est, ad cœlum vocantes et supernas habitationes, unde expectabant se auditoribus persuasuros esse? Et si quidem fuissent educati in gloria, opibus, potentia et eruditione, ne sic quidem ad tantam molem rerum se extollere posse videbantur; sed tamen aliqua ratione potuisset expectari. Nunc autem alii in lacubus, alii in pellibus versabantur, alii in telonio. Nihil est his studiis ineptius ad philosophiam, et ad persuadendum, ut magna quis imaginetur, maxime vero quando nullum suppetit exemplum. At illi non modo exempla non habebant, quibus se superaturos sperarent; sed etiam habebant quod superaturi non essent. Multi namque, qui innovare tentaverant, extincti fuerant: non de Græcorum rebus loquor; illæ quippe nondum erant; sed de ipsis Judæis eodem tempore: non cum duodecim hominibus, sed cum magna multitudine res aggressi. Nam Theudas et Judas magnos habentes hominum cœtus, cum Discipulis perierant. Et ex his exemplis ortus timor poterat illos deterrere, nisi admodum persuasi fuissent sine divina virtute non posse quempiam superare. Quod si etiam se vincere posse sperabant, qua spe fulti tanta adiissent pericula, nisi ad futura respexissent? Ponamus autem illos se superaturos sperasse, quid lucri sperabant ex eo quod omnes adducerent ad eum qui non resurrexit, sicut dicitis?

IV. Nam si nunc homines qui crediderunt de regno

cœlorum et de innumeris bonis, difficile pericula subeunt, quomodo tanta incassum passi essent, imovero ad malum? Si enim non facta fuissent illa quæ vere facta sunt, et si Christus in cœlum non ascendisset, hæc fingere contendentes et aliis persuadere, Deum offensuri erant et mille a superis fulmina expectaturi. Alioquin autem etiamsi vivente Christo tantam habuissent alacritatem, ipso mortuo illam extinxissent. Nam si non resurrexisset, ipsis deceptor et simulator visus fuisset. An nescitis exercitus vivente duce et imperatore, etiamsi debiles et non numerosi sint, consistere, illis vero defunctis, etiamsi validi sint, dissolvi. Quibusnam, quæso, probabilibus rationibus usuri erant prædicationem aggressuri, et per orbem totum exituri? quo timpedimentis non detenti fuissent? Nam si furentes erant; hoc dicendi finem non faciam; nihil penitus recte gessissent; nemo enim furentibus obtemperat. Si autem rem bene gesserunt, ut gesserunt utique, et finis ostendit, omnium sapientissimi erant. Si omnium sapientissimi erant, palam est illos non temere ad prædicationem venisse. Nisi enim vidissent illum resurrexisse, quid poterat illos ad hoc bellum educere? Quid non illos avertisset? Dixit illis, « Post tres dies resur- » gam, » et regnum cœlorum pollicitus est. Dixit illis quod orbem terrarum superaturi essent, accepto Spiritu sancto, et ad hæc innumera alia dixit naturam omnem superantia. Itaque si nihil horum evenisset, etsi viventi crediderant, eo mortuo non ultra credidissent, nisi resuscitatum vidissent. Dixissent enim; « Post tres dies se resurrecturum dixit, et non resurrexit : Spiritum se daturum promisit, et non misit : quomodo ergo de futuris illum credemus, cum præsentia falsi convicta sint? » Qua de causa, si non resurrexisset, prædicarent illum resurrexisse? Quia ipsum amabant, inquies. Atqui ipsum deinde odio habituri erant, quod se decepisset et prodidisset, et quod mille factis promissis,

induxisset ut domos, parentes et omnia relinquerent, quod totam Judæorum gentem contra se suscitasset, ac se prodidisset. Quod si illud ex infirmitate factum fuisset, id noxissent; at nunc existimaretur ex improbitate factum. Oportebat enim verum dicere, neque cœlum promittere, homo cum esset mortalis, ut dicitis. Quare verisimile est contraria facturos fuisse, fallaciam prædicaturos, et dicturos ipsum simulatorem et præstigiatorem fuisse. Sic enim ex periculis liberati fuissent, sic bellum solvissent. Si enim militibus pecuniam dederunt Judæi, ut dicerent ipsos corpus furto sustulisse, si transeuntes Discipuli dixissent : « Ipsum furati sumus, nec resurrexit, » quanto non affecti fuissent honore? Ipsis itaque licebat honorari et coronari; cur ergo contumeliis affici et periclitari maluerunt, nisi divina quædam virtus fuisset his omnibus potentior, quæ id ipsis suaderet? Sin autem nondum persuademus, illud quoque cogita : si hoc non esset, etiamsi valde præparati fuissent, non prædicandum illum suscepissent, sed aversati illum fuissent. Scitis enim nos ne nomina quidem eorum, qui nos ita deceperint, audire velle. Cur autem nomen ejus prædicarunt? an quod expectarent se per illum superaturos esse? Atqui contrarium expectandum erat, quia etiamsi superaturi essent, periissent deceptoris nomen in medium afferentes. Sin autem volebant priora occultare, tacere oportebat. Nam decertare magis excitasset et bellum et risum. Unde ergo venit illis in mentem ut hæc confingerent? Nam illa quæ ipsi audierant, exciderant. Quod si cum nullus esset timor, multorum obliviscebantur, et quædam non intelligebant, ait Evangelista, tanto imminente periculo, quomodo non omnia ab illis avolassent? Et quid dico verba, cum futurum esset ut magistri amor mete futurorum sensim marcesceret? quod etiam ipsis exprobravit. Nam cum antea quidem ab illo

pendentes frequenter interrogarent : Quo vadis ? postea autem, cum longos texuit sermones, mala enarrans quæ tempore crucis ipsos invasura erant, deindeque metu defixi cum hiantes illi manerent, audi quomodo eis hoc proferat dicens : « Nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ? Sed » quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor ves- » trum [1]. » Si ergo expectantes illum moriturum et resurrecturum esse, ita dolebant; si resurgentem illum non vidissent, quomodo non periissent, et in ipsam terram suffodi non studuissent, tum ex mœrore fraudis, tum ex timore futurorum obsessi ?

V. Unde autem et sublimia illis dogmata ? Sublimiora enim ipsos postea audituros esse dixit. « Nam multa, inquit, » habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo [2]. » Illa igitur quæ non dicebantur, sublimiora erant. Unus autem ex Discipulis, nec in Judæam cum illo abire volebat, postquam pericula audivit; sed dicebat : « Abeamus et nos, ut » moriamur cum illo [3], » ægre ferens quod se moriturum expectaret. Quod si cum illo versans se moriturum expectabat, ideoque refugiebat, absque eo et cæteris Discipulis quid non tunc se passurum expectasset ? Et magnum hoc fuisset impudentiæ argumentum. Quid ergo etiam dicendum habebant exeuntes ? Nam passionem quidem sciebat universus orbis : in alto quippe patibulo suspensus fuerat, in meridie, in metropoli, et in maximo die festo, et a quo maxime non licebat quempiam abesse. Resurrectionem vero nullus sciebat exterorum, quod non parvum illis erat impedimentum ut ne persuaderent. Et quod esset sepultus omnium rumore ferebatur : quodque Discipuli corpus furati essent, milites cum Judæis omnibus dicebant; quod autem resurrexisset, exterorum nemo sciebat. Undenam expectabant se id toti orbi persuasuros esse ? Si enim post

[1] Joan. XVI, 5. — [2] Ibid. 2. — [3] Id. XI, 16.

edita miracula, persuasi fuerunt milites ut contraria testarentur, undenam sperassent hi se sine miraculis prædicaturos esse, ac ne obolum quidem habentes terræ et mari de resurrectione persuasuros esse? Quod si ex gloriæ amore hoc fecissent, multo magis unusquisque dogma sibi attribuisset, non ei qui decesserat. At non credidissent illis homines? Et de quonam magis credidissent audientes? De illo-ne qui comprehensus et crucifixus fuerat, an de illis qui Judæorum manus effugerant? Cur, quæso, hoc facturi erant? Non statim Judæam dimittentes venerunt in externas civitates, sed intus versabantur. Quomodo autem persuasissent, nisi signa edidissent? Si faciebant quidem, et utique faciebant, Dei virtus erat id quod fiebat. Si autem non faciebant, et tamen vincebant, longe mirabilius erat illud. Annon Judæos noverant, quæso te, et malam ipsorum mentem, invidiaque plenum animum? Etenim Moysen lapidarunt, postquam mare pedibus transierant, post victoriam et tropæum illud mirabile, quod absque sanguine per manus ejus erexerunt de Ægyptiis qui illos in servitutem redegerant, post manna, post petras et fluviorum fontes inde manantes; post mille miracula in Ægypto, in mari Rubro, in deserto. Jeremiam in lacum injecerunt, et multos Prophetas interfecerunt. Audi quid dicat Elias post famem illam terribilem, et mirabilem pluviam, et lampadem illam, quam de cœlis descendere curavit, et stupendum illud holocaustum; procul ab eorum regione ejectus : « Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua » diruerunt; et ego relictus sum solus, et quærunt animam » meam [1]. » Atqui ii leges non immutabant. Unde ergo, quæso, his animus adhibendus erat? Nam omnium vilissimi erant : atque ea ipsa innovabant, ob quæ Magistrum Judæi crucifixerant. Alioquin vero non tam grave videba-

[1] 1 Reg. XIX, 10.

tur esse, quod Christus et illi eadem dicerent. Nam illum quidem forte putabant ideo id fecisse, ut sibi gloriam pareret; illos autem etiam magis odissent, cum pro alio contra se bellum gererent. Sed opem illis ferebant leges Romanorum? Imo ab illis magis impediebantur; dicebant enim : « Omnis qui se ipsum regem facit, non est amicus » Cæsaris [1]. » Quapropter hoc solum impedire poterat, quoniam ejus, qui tyrannus existimatus fuerat, discipuli erant, et res ejus volebant firmare. Quid ergo tandem illos erexit animo ut in tanta pericula inciderent? Quid autem de illo dicentes : Videbantur fide digni? Quod crucifixus esset? Quod ex muliere paupere Judæa natus esset, quæ desponsata fuerat Judæo fabro? Quod ex gente esset orbi odiosa? Verum hæc omnia non modo non apta erant ad persuadendos et alliciendos auditores, sed ad omnes adversum concitandos idonea; maxime autem a tentoriorum artifice et a piscatore dicta. Annon hæc omnia in mentem venerunt Discipulis? Nam timidæ naturæ plura quam sint possunt confingere : tales erant illorum naturæ. Undenam ergo se recte acturos sperarunt; imo non sperassent, cum innumera essent quæ illos abducerent, nisi resurrexisset Christus.

VI. Annon palam est vel stultissimis, quod nisi uberem et magnam consecuti essent gratiam, et pignora accepissent resurrectionis, non modo hæc non agere et suscipere, sed ne cogitare quidem potuissent? Si enim tot impedimenta essent, non dico ad recte agendum, sed ad consultandum, et consultarunt et præclara egerunt, et quæ omni spe majora erant ad effectum deduxerunt, cuivis palam est eos non humana virtute; sed divina gratia omnia fecisse. In his ergo sermonibus nos exerceamus, non apud nos tantum, sed cum aliis. Sic nobis facilior erit cæterorum inventio.

[1] Joan. XIX, 12.

Neque quia manu artem exerces, alienum hoc studium esse putes. Nam Paulus tentoriorum opifex erat; sed tunc quoque multa plenus erat gratia, atque inde omnia loquebatur. Imo ante gratiam ad pedes Gamalielis erat: et ideo gratiam accepit, quia mentem gratia dignam exhibebat, et postea rursus artem exercebat. Nemo igitur artifex erubescat; sed ii qui frustra aluntur et otiosi sunt, qui multis utuntur ministris, et ingenti famulatu fruuntur. Nam semper laborantem ali, philosophiæ genus est. Horum animæ puriores sunt, horum mentes firmiores. Nam qui otiosus est, multa magis temere loquitur, et multa frustra agit, ac nihil per totam diem operatur, multo plenus torpore: qui autem operatur, nihil superfluum cito percipiet, neque in operibus, nec in verbis, nec in mente; tota enim anima semper intenditur ad vitam laboriosam. Ne ergo despiciamus eos qui labore manuum aluntur; sed potius illos ideo beatos prædicemus. Quænam, quæso, est tibi gratia, cum accepta a patre hæreditate, perpetuo nihil agis; sed illa omnia bona frustra insumis? An nescis non omnes eamdem rationem reddituros nos esse; sed eos, qui hic in majori licentia et rerum copia vixerunt, gravius; eos autem, qui in laboribus, in paupertate et ærumnis vitam duxere, mitius esse tractandos. Hæc autem ex Lazaro et divite manifesta sunt. Tu certe qui ad debita officia otio non es usus, jure accusaris: pauper vero qui reliquum temporis ad debita officia adhibuit, magnis fruetur coronis. At tu militiam obtendis, et quod illa distinearis allegas? Sed talis excusatio non est rationi consona. Nam Cornelius erat centurio, et balteus vitæ institutum nihil læsit. Tu vero cum saltatoribus et mimis das operam, et totum vitæ tempus in scena consumis, non vel militiæ necessitatem vel metum magistratuum obtendis; quando autem te ad Ecclesiam vocamus, tunc innumera affers impedimenta. Et quid dices in illa die,

cum videris flammam et fluvios igneos et vincula insolubilia, et stridorem dentium audieris? Quis tibi tunc patrocinabitur, cum videris artificem qui recte vixerit, omni gloria fruentem; te vero qui nunc sericis indutus es vestimentis et oles unguenta, intolerabilia patientem? Quid tibi proderunt divitiæ et rerum omnium copia? Quid detrimenti artifici affert paupertas? Ne ergo tunc patiamur, ea quæ nunc dicuntur timeamus, et totum laborem nostrum in necessariarum rerum operibus consumamus. Ita enim placato Deo pro peccatis præteritis, additisque bonis operibus futuris, regnum cœlorum consequi poterimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

CAPUT II.

Et ego, fratres, cum veni ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. Non enim judicavi me scire aliquid in vobis nisi Jesum Christum et hunc crucifixum [1].

1. Nihil est Pauli anima ad decertandum acrius [2]; imo potius non illius anima: non enim ipse hoc invenit; sed nihil per gratiæ in illo operanti, quæ omnia vincit. Satis enim erunt ea, quæ prius dicta sunt, ad dejiciendum illorum fastum, qui in sapientia gloriabantur; imo vel pars dictorum sufficiebat. Ut autem præclarior sit victoria, iis

[1] 1 Cor. II, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 49-54.

quæ dicta sunt certamina addit, prostratis insultans adversariis. Attende autem : adduxit prophetiam dicentem : « Perdam sapientiam sapientium : » ostendit Dei sapientiam, quia per eam, quæ stultitia videbatur esse, externam philosophiam prostravit ; ostendit quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus ; ostendit quod non solum per ignaros docuerit, sed etiam ignaros et idiotas vocaverit. Nunc ostendit et ipsum quod prædicabatur, et modum prædicationis, satis fuisse ad perturbandum, et non perturbavisse. Non tantum enim Discipuli idiotæ sunt, inquit ; sed etiam ego qui prædico. Ideo inquit : « Et ego, fratres, » rursus fratres vocat, ut sermonis asperitatem emolliat ; « Veni, non in sublimitate sermonis, annuntians vobis tes» timonium Dei. » Quid enim, dic quæso, si voluisses in sublimitate venire ? poteras-ne ? Ego quidem si voluissem, non potuissem ; Christus autem si voluisset, potuisset. Sed noluit, ut splendidius redderet tropæum. Ideoque superius ostendens hoc illius opus fuisse, ipsiusque voluntatem esse, ut sic indocte ejus verbum prædicetur, dicebat : « Non » enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non » in sapientia sermonis. » Est autem multo majus, imo infinite majus, quod hoc voluerit Christus, quam quod voluerit Paulus. Non ergo facundiam ostentans, inquit, neque externis armatus sermonibus, annuntio testimonium Dei ; nec dixit prædicationem ; sed testimonium Dei, quod ipsum satis erat ad avertendum. Mortem enim annuntians circuibat : ideoque subjunxit : « Non » enim judicavi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum » Christum, hunc que crucifixum. » Hoc autem dicebat, quia externæ sapientiæ omnino expers erat, ut etiam superius dicebat : « Veni non in sublimitate sermonis. » Nam quod ipse hoc posset habere palam est. Cujus enim vestimenta mortuos suscitarunt, et umbræ morbos expulerunt,

multo magis linguæ facundiam poterat anima suscipere. Nam hoc quidem est Discipulorum, illud autem artem omnem superat. Qui ergo artis majora novit, multo magis minora potuerit. Sed non permisit Christus, neque enim consentaneum erat. Merito igitur ait : « Non enim judicavi me aliquid scire ; nam et ego hoc volo quod et Christus vult. Mihi autem videtur humilius loqui cum illis, quam cum aliis, ut fastum illorum comprimeret. Illud ergo, judicavi me nihil scire, ad differentiam externæ sapientiæ dicitur. Non enim veni syllogismos nectens, neque sophismata, neque aliud dicens vobis, quam quod Christus crucifixus sit. » Illi namque innumera dicunt, et de innumeris longa verborum stadia explicant, ratiocinia et syllogismos apparantes, millia adornantes sophismata. Ego autem veni ad vos nihil aliud dicens, quam quod Christus crucifixus sit, et illos omnes propulsavi, quod virtutis ejus qui prædicatur signum est ineffabile. « Et ego in infirmitate et in » timore, et in tremore multo fui apud vos [1]. » Hoc est rursus aliud caput. Non solum enim qui credebant indocti, neque solum is qui loquitur idiota ; neque tantum modus doctrinæ est ignorantia plenus ; neque tantum ipsa prædicatio satis est ad conturbandum ; crux enim et mors erat quod annuntiabatur ; sed cum his alia quoque impedimenta erant ; pericula, insidiæ, quotidianus timor, et quod pellerentur. Infirmitatem namque etiam sæpe vocat persecutionem, ut et alibi ; infirmitatem, quæ est in carne mea non aspernati estis ; et rursus : « Si gloriari oportet, in » infirmitate mea gloriabor : » quanam ? « Præpositus gen» tis Aretæ regis, Damascenorum urbem custodiebat, volens » me comprehendere [2] ; » et rursum : « Ideo mihi placeo in » infirmitatibus [3]. » Deinde dicens quibusnam, subjunxit : « In contumeliis, in necessitatibus et in angustiis ; » et nunc

[1] 1 Cor. II, 3. — [2] 2 Cor. XI, 30 et 32. — [3] Id. XII, 10.

hoc ipsum profert : cum dixisset enim, « Et ego in infirmi-» tate, » non hic substitit ; sed infirmitatem illam explicans, pericula vocat : rursus adjicit, « In timore et tremore » multo fui apud vos. » Quid dicis ? Paulus quoque time-bat pericula ? Timebat et valde timebat. Etiamsi enim Paulus esset ; at homo erat. Hoc autem non erat Pauli cri-men, sed infirmitas naturæ, et propositi encomium, quod mortem et plagas timens, nihil indignum ex timore fecerit. Ita ut qui dicunt illum non timuisse plagas, non modo illum non honorent, sed et multum ex laudibus demant. Nam si non timebat, quæ perseverantia, quæ philosphia in fe-rendis periculis ? Ego vero ideo illum admiror, quod timens, nec modo timens, sed tremens in periculis semper cucur-rit coronatus, et nulli cessit periculo, expurgans orbem, et ubique terrarum et marium prædicationem seminans. « Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus » humanæ sapientiæ verbis[1]. » Id est, non habens externam sapientiam. Si igitur et prædicatio nihil habuit sophisticæ artis, et qui vocabantur idiotæ, si is qui prædicabat talis erat, aderatque persecutio, et timor et tremor, quomodo superarunt, dic mihi ? Per divinam virtutem. Ideo cum dixisset : « Verbum et prædicatio mea non in persuasibili-» bus humanæ sapientiæ verbis ; » adjecit ; « sed in osten-» sione Spiritus et virtutis. »

II. Vides-ne quomodo quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus ; et quod infirmum, fortius ? Idiotæ hæc præ-dicantes, vincti et pulsi, pellentes se vincebant. Undenam ? Annon ex eo quod per Spiritum fidem præberent ? Nam in confesso est hoc demonstrationem esse. Quis enim, quæso, videns mortuos resurgentes et dæmonas pulsos, non admi-serit ? Sed quia sunt etiam fallaces virtutes, quales præsti-giatorum, hanc quoque sustulit suspicionem. Non enim

[1] 1 Cor. II, 4.

virtutem dixit solum, sed prius, « Spiritus, et tunc virtutis : » ostendens ea quæ fiebant spiritualia esse. Non ergo imminutio est, quod prædicatio non per sapientiam annuntiata sit ; sed maximum ornamentum. Hoc ergo maxime demonstrat eam esse divinam, et radices esse supernas ex cœlis : quapropter subjungit : « Ut fides vestra non sit in sapientia » hominum ; sed in virtute Dei [1]. » Vides-ne quomodo clare per omnia ostendat magnum esse lucrum ignorantiæ, et magnum sapientiæ damnum. Nam hæc quidem ipsius crucem, illa vero Dei virtutem prædicabat ; hæc efficiebat ut nihil invenirent eorum quæ oportuisset, et in se ipsis gloriarentur ; illa ut veritatem susciperent et in Deo gloriarentur. Rursus sapientia multis persuasisset ut humanum esse dogma suspicarentur ; hæc vero clare ostendebat divinam illam esse et ex cœlo descendisse Cum ergo in sapientia verborum fit demonstratio, sæpe modestiores superantur a pejoribus, quia majori dicendi vi præditi pejores sunt, et mendacium pellit veritatem. Hic autem non sic. Neque enim in immundam animam ingreditur Spiritus, et ingressus nunquam potest superari, etiamsi invadat omnis dicendi vis. Nam demonstratio per opera et per signa longe clarior est illa, quæ fit per verba. At illorum fortasse quispiam dixerit, si prædicationem vincere oporteat, et eloquentia opus non habet ut ne crux exinaniatur, quare signa nunc cessarunt? Quare? incredulus-ne hoc dicis, nec admittis illa facta fuisse Apostolorum tempore ; an hoc ediscere quærens? Si incredulus dicas, in eo primum immorabor. Si enim tunc non facta sunt signa, quomodo pulsi, vexati, trementes, vincti, et communes orbis hostes facti, omnibusque ad male patiendum expositi, nihil ex se habentes quod alliceret, non eloquentiam, non splendorem, non divitias, non urbem, non gentem, non genus, non

[1] 1 Cor. II, 5.

exercitium, non gloriam, non aliud quidpiam simile; sed omnia contraria; ignorantiam, vilitatem, paupertatem, odium, inimicitiam, et contra populos integros stantes, taliaque annuntiantes persuadebant? Nam præcepta multum laborem habebant et dogmata periculis plena erant: ac qui audiebant et persuadendi erant, in deliciis, ebrietate et multis vitiis erant educati. Unde, quæso, persuaserunt? Unde fide digni erant? Nam, ut jam dixi, si absque signis persuaserunt, multo majus videtur miraculum. Ne itaque ex eo quod nunc signa non fiant, argumentum ducas tunc etiam non fuisse. Etenim tunc utiliter fiebant, et nunc utiliter non fiunt. Non necessario sequitur autem ex eo quod nunc verbo tantum suadetur, nunc in sapientia prædicationem esse. Nam qui ab initio verbum seminabant idiotæ et indocti, nihil ex se dicebant, sed quæ acceperant a Deo, hæc orbi terrarum dederunt. Nos quoque ipsi nunc, non quæ a nobis sunt tradimus; sed quæ ab ipsis accepimus, hæc omnibus dicimus. Neque nunc syllogismis persuademus; sed ex divinis Scripturis et ex iis, quæ tunc facta sunt signis, fidem facimus iis quæ dicimus. Et illi quoque tunc non signis tantum persuadebant, sed etiam disserendo. Verba autem efficaciora a signis reddebantur, necnon a testimoniis Veteris Testamenti, non autem a gravitate et eloquentia dictorum. Cur ergo, inquies, tunc utilia signa erant, nunc non item? Supponamus; cum Græco enim disputo, et ideo per hypothesin dico, id quod omnino futurum est; supponamus igitur, et patiatur incredulus saltem ad disputationis tempus assentiri dictis, verbi gratia quod Christus venturus sit. Cum ergo Christus venerit et omnes Angeli cum eo, et Deus esse ostensus fuerit, omniaque ipsi subjecta esse, annon ipse Græcus credet? credet utique et adorabit, ac Deum esse dicet etiamsi admodum pertinax fuerit.

III. Quis enim videns cœlos apertos, ipsum in nubibus venientem, totumque cœtum supernarum Potestatum circumfusum, fluvios igneos manantes (8), omnes astantes ac trementes, non adorabit, et Deum existimabit? Num ergo, dic quæso, adoratio et cognitio illa Græco in fidem reputabimur? Minime. Quare? Quia hoc fides non est. Necessitas quippe, et eorum quæ apparent evidentia id effecit, non voluntatis propositum; sed a magnitudine rerum quæ videntur pertracta mens fuit. Itaque quanto magis clara et ad credendi necessitatem adducentia sunt illa, tanto magis fides minuitur. Ideo nunc signa non fiunt. Et quod res ita se habeat, audi quid dicat ad Thomam : « Beati qui » non viderunt, et crediderunt [1]. » Igitur quanto clarius ostensum signum fuerit, tanto magis fidei merces minuitur. Itaque si etiam nunc signa fierent, hoc ipsum eveniret. Quod autem tunc non ultra per fidem illum cognituri simus, significavit Paulus dicens : « Nunc enim per fidem » ambulamus, non per speciem [2]. » Ut tunc tibi credenti, res illa non imputabitur quod clara et manifesta sit; ita et nunc si talia signa fierent, qualia antehac. Quando enim illa admiserimus, quæ nullo modo nullis ratiociniis inveniri possunt, tunc fides est. Ideo gehennam comminatur quidem, sed illa non apparet : nam si appareret, idipsum rursus eveniret. Alioquin vero si signa quæris, nunc etiam signa videbis, etiamsi non ejusmodi sint, prædictiones innumeras de rebus innumerabilibus, orbis conversionem, barbarorum philosophiam, agrestium morum mutationem, pietatis extensionem. Ecquas prædictiones, inquies? Nam post res factas prædicta sunt omnia quæ supra commemorata sunt. Quandonam, ubi et a quo, dic mihi? et ante quot annos? vis ante quinquaginta, aut centum? Ante centum ergo annos nihil habebant scriptum penitus. Quo-

[1] Joan. xx, 29. — [2] Cor. v, 7.

modo ergo dogmata retinuit orbis, et alia omnia, cum memoria ad id non sufficiat? Undenam scierunt Petrum fuisse palo affixum? Quomodo venit in mentem ut posteris prædicerent verbi gratia quod Evangelium prædicandum sit per universum orbem, quod judaïca cessatura sint, nec ultra restituenda? Qui vero animas suas pro prædicatione tradiderunt, quomodo sustinuissent prædicationem adulteratam videre? Quomodo creditum fuisset scriptoribus, signis cessantibus? Quomodo autem scripta et in Barbarorum et in Indorum fines, et in ipsos Oceani terminos venissent, si ii qui dicebant fide digni non erant? Quinam autem erant scriptores, et quando, et ubi? Qua de causa scripserunt? Num ut gloriam sibi conciliarent? Cur ergo libros aliis nominibus inscripserunt? At hoc fecerunt ut dogma commendarent. An ut verum? an ut falsum? Nam si ut falsum habebant, non accessuri esse videbantur, si ut verum, fictione opus non erat; quam tu dicis. Alioquin vero, prædictiones tales sunt, ut ad præsens usque tempus non potuerit dictis vis inferri. Nam diruta sunt Jerosolyma ante multos annos. Sunt et aliæ prædictiones quæ ab illo tempore ad usque adventum ejus extenduntur, quas ut vis examina, ut est illud, « Semper vobiscum sum usque ad » consummationem sæculi [1]; et, « Super hanc petram ædi» ficabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt » adversus eam [2]; » et, « Prædicabitur hoc Evangelium in » universas gentes [3], » et, « Quod fecit hæc mulier mere» trix, » et aliæ plurimæ. Undenam ergo veritas hujus prædictionis, si erat figmentum? Quomodo portæ inferi non prævaluerunt adversus Ecclesiam? Quomodo semper nobiscum est Christus? Neque enim si nobiscum non esset, Ecclesia vicisset. Quomodo Evangelium ubique terrarum propagatum est? Sufficiunt autem et qui contra nos disputarunt ad

[1] Matth. xxviii, 20. — [2] Id. xvi, 18. — [3] Id. xxiv, 14.

testimonium antiquitatis librorum nostrorum ferendum, nempe Celsus, et Batancotes qui post illum fuit; non enim contradicebant iis quæ post illos edita fuerant: alioquin vero totus orbis qui uno consensu id suscepit. Neque certe, nisi gratia Spiritus esset, tantus fuisset consensus a finibus ad fines usque terræ. Sed cito deprehensi fuissent illi deceptores, neque tam præclara gesta ex figmentis et mendaciis parta constitissent. Annon vides totum orbem accedentem? Extinctum errorem? Monachorum philosophiam plusquam solem fulgentem? Virginum choros? Piam religionem apud barbaros? Sub uno jugo servientes omnes? Neque enim a nobis tantum hæc prædicata fuere; sed jam olim a Prophetis. Non enim illas quoque confutabis prædictiones. Libri namque sunt apud inimicos nostros, etiamque apud Græcos, quibuslam curantibus, in Græcam linguam translati. Multa quoque illi de his prædicunt, ostendentes Deum esse illum qui venturus est.

IV. Quomodo ergo non omnes nunc credunt? Quia in pejus res versæ sunt, et nos in causa sumus: nam demum ad nos vertitur oratio. Non enim ex signis tunc solum credebant; sed etiam ex vita multi ad accedendum inducebantur. Nam ait ille: « Luceat lux vestra coram hominibus, » ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem ves- » trum, qui in cœlis est [1]; » et, « Erat omnium cor et anima » una, et nullus quidpiam eorum quæ habebat, dicebat esse » proprium. Sed habebant omnia communia, et dividebatur » singulis prout cuique opus erat [2]; » et vitam agebant angelicam. Si nunc ita fieret, totum orbem absque signis converteremus. Interim vero qui volunt salutem consequi, attendant Scripturis. Illic enim hæc præclare gesta invenient, atque his longe plura. Nam ipsi Magistri longe illa superabant, in fame et siti et nuditate degentes. Nos autem

[1] Matth. v, 16. — [2] Act. IV, 32 et 35.

volumus multis frui deliciis, otioque ac licentia. At non illi; imo clamabant: « Ad hanc usque horam esurimus et » sitimus, et nudi sumus et colaphis cædimur, et instabiles » sumus [1]. » Et alius quidem a Jerosolyma usque ad Illyricum currebat; alius in Indorum, alius in Maurorum terram; alius ad alias partes orbis. Nos autem ne a patria quidem egredi audemus; sed delicias quærimus ædesque splendidas, et aliam omnem rerum copiam. Quis enim nostrum esurivit unquam propter verbum Dei? Quis in solitudine fuit? Quis longe peregrinatus est? Quis ex doctoribus ex labore manuum vivens, aliis opem tulit? Quis mortem sustinuit quotidianam? Hinc qui nobiscum sunt ignaviores fiunt. Etenim si quis viderit milites et duces, cum fame, siti et morte malisque omnibus concertantes, frigus et pericula omniaque ferentes, leonum instar strenue agentes; deindeque philosophiam illam solventes, et molliores effectos, pecuniæ cupidos, negotiationibus et rei cauponariæ studentes, et ab hostibus devictos; extremæ esset amentiæ harum rerum causam quærere. Hoc autem de nobis et de majoribus nostris cogitemus: nam omnium imbecillimi facti, et vitæ præsenti addicti sumus. Quod si inventus quispiam fuerit vestigium habens veteris sapientiæ, is foris et urbibus relictis, atque in hominum medio versari et alios moderari cessans, ad montes se confert. Si quis vero secessus causam sciscitetur, causam ille profert veniam non merentem. Ne peream, inquit, ac ne hebetior ad virtutem fiam, resilio. Et quanto melius esset, hebetiorem te fieri, et alios lucrari; quam in alto manentem fratres despicere pereuntes? Quando igitur alii virtutem non curant, alii qui curam ejus habent, ab acie procul recedunt, quomodo expugnabimus inimicos? Nam etiamsi nunc signa essent, quisnam persuaderetur? aut quis ex externis

[1] 1 Cor. IV, 11.

nobis animum adhiberet, nequitia sic supergrediente. Nam vita recte acta multis videtur esse magis fide digna. Signa enim apud impudentes et malos homines, in pravam aliquam suspicionem venient; vita autem pura ipsum os diaboli abunde obstruere poterit. Hæc autem dico et imperantibus et imperio parentibus, et præ cæteris mihi ipsi, ut vitam exhibeamus mirabilem, et cum nos ipsos composuerimus, præsentia omnia despiciamus. Contemnamus pecuniam, et non contemnamus gehennam. Despiciamus gloriam, et ne despiciamus salutem. Hic subeamus sudorem et laborem, ut non illic incidamus in supplicium. Sic cum gentilibus bellum geramus, sic illos abducamus in captivitatem libertate præstantiorem. Verum hæc sæpe et frequenter a nobis dicuntur, raro autem fiunt. Cæterum sive hæc fiant, sive non fiant, æquum est per ea vos assidue monere. Si enim bonis verbis quidam decipiunt, multo magis par est eos qui ad veritatem ducunt non defatigari in dicendo ea quæ sunt utilia. Nam si deceptores tot machinis utuntur; pecunias enim impendunt, verba adhibent, pericula subeunt, et præfecturas ostentant; multo magis nos qui a fallacia abducimus, et pericula, et mortes, et omnia sustinere oportet, ut et nos ipsos et alios lucrati, et inimicis inexpugnabiles facti, promissa bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit honor, imperium et gloria, nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

CAPUT II.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos ; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram[1].

I. Tenebræ videntur esse luce opportuniores[2], iis qui laborant oculis ; ideoque magis ad adumbratam ædiculam confugiunt. Hoc etiam usuvenit in spirituali sapientia. Dei quidem sapientia externis videbatur esse stultitia ; eorum vero sapientia, quæ vere stultitia erat, ab ipsis sapientia reputata fuit. Et perinde contingebat, ac si quis sapientia et arte gubernandi utens, polliceretur se sine nave et velis pelagus immensum esse transmissurum ; deindeque tentaret ratiociniis probare hoc fieri posse ; alius vero quispiam omnium imperitus, navi, gubernatori et nautis sese committens, sic cum securitate navigaret : hujus enim ea quæ videtur esse imperitia, illius sapientia sapientior esset. Bona quippe est ars gubernandi : sed cum majora quam par sit pollicetur, stultitia quædam est ; ut et omnis ars quæ non suis contenta est terminis. Sic etiam externa sapientia, si usa esset Spiritu. Sed quia sibi omnia permisit, nec se auxilio ullo opus habere putavit, stultitia facta est, etsi videretur sapientia esse. Quapropter cum prius illam

[1] 1 Cor. II, 6, 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, p. 215-217, et tom. XV, p. 54-66.

ex rebus ipsis confutasset, tunc illam stultitiam vocavit; et cum prius Dei sapientiam ex illorum sententia stultitiam vocasset, tunc ostendit illam esse sapientiam. Nam post probationes, tunc maxime possunt contradicentes pudore suffundi. Et ait : « Sapientiam autem loquimur inter per-» fectos. » Nam cum ego, qui stultus esse et stulta prædicare existimor, sapientem superavero, non per stultitiam superavi sapientiam; sed per sapientiam perfectiorem, et tantam tantoque illa majorem, ut illa stultitia esse videatur. Ideo cum prius illam ita vocasset, ut illi tunc nominabant, et ex rebus ipsis victoriam exhibuisset, illosque admodum stultos esse probasset, de cætero nomen ipsi dat quod ei conveniat dicens : « Sapientiam vero loquimur inter per-» fectos. » Sapientiam autem dicit prædicationem et modum salutis, nempe salvum fieri per crucem; perfectos autem, eos qui crediderunt. Etenim illi perfecti sunt, qui humana videntes esse valde infirma, illaque despicientes, persuasum habent illa nihil sibi conferre, cujusmodi fuerunt fideles; sapientiam autem non hujus sæculi. Ubi namque utilis est externa sapientia, quæ hic quidem evertit, et ulterius non progreditur, neque hic prodesse potest iis qui illa sunt prædili? Principes autem sæculi hic, non dæmones quosdam dicit, ut quidam suspicantur; sed eos, qui in dignitatibus et in magistratu, qui rem illam existimant præclaram, philosophos, oratores, scriptores; nam hi sæpe imperabant et plerumque populi ductores erant. Hujus autem sæculi principes vocavit, quia ipsorum imperium non ultra præsens sæculum procedit : quamobrem subjunxit : « Qui destruuntur, » ex re ipsa illam confutans et ex iis qui illa utuntur. Cum ostendisset enim illam falsam esse et stultam, et nihil invenire posse, infirmamque esse, ostendit etiam parvo tempore consistere. « Sed lo-» quimur Dei sapientiam in mysterio. » In quo mysterio ?

Atqui dicit Christus : « Quod in aure audistis, prædicate » super tecta [1]. » Quomodo ergo illam vocat mysterium? Quia neque Angelus, neque Archangelus, neque ulla creata Potestas id noverat antequam fieret. Ideo ait : « Ut » innotescat nunc principatibus et potestatibus in cœlesti- » bus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei [2]. » Hoc autem fecit Deus nos honorans, ut nobiscum audirent mysteria. Nam nos quoque, eis quos nobis fecerimus amicos, hoc argumentum dicimus esse amicitiæ nostræ, quod nemini prius quam ipsis secreta revelemus. Audiant ii qui prædicationem traducunt, omnibusque indiscriminatim margaritas et dogma enuntiant, et sancta canibus et porcis superfluisque ratiociniis projiciunt. Mysterium namque probatione opus non habet; sed id solum quod est annuntiatur. Etenim non erit totum mysterium divinum, cum a te ipso aliquid addideris. Alioquin vero mysterium vocatur, quia non quod videmus, credimus; sed alia videmus, alia credimus. Talis namque est mysteriorum nostrorum natura. Alio igitur modo ego, et alio infidelis circa hæc affecti sumus. Audio ego quod crucifixus sit Christus, et ejus erga homines amorem statim admiror; audit ille, et imbecillitatem putat. Audio quod servus factus sit, et providentiam admiror, audit ille et dedecus esse putat. Audio quod mortuus sit, et de potentia ejus obstupesco; quod a morte non superatus sit, imo etiam mortem dissolverit; audit ille, et imbecillitatem suspicatur. Cum audit ille resurrectionem, fabulam esse putat; ego vero post acceptas ex rebus ipsis demonstrationes, Dei œconomiam adoro. Lavacrum audiens ille, aquam tantum esse putat. Ego vero non quod videtur solum aspicio; sed etiam purificationem animæ per Spiritum. Existimat ille solum mihi ablutum esse corpus; ego autem credo animam quoque puram et

[1] Matth. x, 27. — [2] Ephes. III, 10.

sanctam factam esse, et cogito sepulcrum, resurrectionem, sanctificationem, justitiam, redemptionem, adoptionem, hæreditatem, regnum cœlorum, datum Spiritum. Non enim ex visu judico illa quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi, aliter ego dictum intelligo, aliter infidelis.

II. Ac quemadmodum pueri libros videntes, litterarum vim non sciunt, nec ea norunt quæ vident; imo vero si vir litterarum imperitus sit, hoc item ipsi eveniet; qui vero peritus est, multam litteris insitam vim inveniet, vitas integras et historias. Et epistolam imperitus accipiens, chartam esse putabit et atramentum; peritus vero et vocem audiet, et cum absente disseret, et quod voluerit rursus per litteras dicet. Ita etiam in mysterio evenit. Infideles quidem etiamsi audiant, audire non videntur; fideles autem qui per Spiritum peritiam habent, vim reconditam vident. Hoc igitur declarans Paulus dicebat : « Quod » nunc quoque sit absconditum quod prædicatur. Percunti» bus enim, inquit, est absconditum[1]. » Alioquin autem prædicationem admirabilem ostendit. Ita solet vocare Scriptura illa quæ præter spem et supra mentem humanam sunt. Ideo alibi quoque dicit : « Mysterium meum mihi et meis. » Et rursum Paulus : « Ecce mysterium vobis dico : omnes » quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur[2]. » Etsi porro ubique prædicatur, etiam sic mysterium est. Etenim ut jussi sumus quod in aure audivimus prædicare super tecta; sic jussi sumus sancta non dare canibus, neque projicere margaritas ante porcos[3]. Nam alii sunt animales, et non intelligunt; alii velamen habent cor suum obtegens, et non vident. Ergo mysterium illud est maxime, quod quidem ubique prædicatur, non cognoscitur autem ab iis qui rectam non habent mentem; revelatur autem

[1] 2 Cor. IV, 3. — [2] 1 Cor. XV, 51. — [3] Matth. VII, 6.

non a sapientia, sed a Spiritu sancto, quantum nos possumus accipere. Quamobrem non aberraverit si quis etiam secundum hoc mysterium appellaverit arcanum; neque enim nobis fidelibus tradita fuit plena ejus perceptio et accurata notitia. Quapropter dicebat Paulus : « Ex parte » cognoscimus et ex parte prophetamus. Videmus enim » nunc per speculum quasi in ænigmate, tunc autem facie » ad faciem [1]. » Ideo dicit : « Loquimur sapientiam in mys- » terio, quæ abscondita est : quam prædestinavit Deus ante » sæcula in gloriam nostram. » Absconditam, id est, nulla ex supernis Potestatibus ante nos didicit, neque multi nunc norunt. « Quam prædestinavit in gloriam nostram. » Atqui alibi dicit, in gloriam suam. Suam enim reputat gloriam salutem nostram; ut etiam divitias suas vocat, etiamsi ipse sit bonorum divitiæ, et nullo indigeat ut sit dives. Prædestinavit, inquit, suam erga nos providentiam indicans. Illi enim maxime nos honorare et amare existimantur, qui nobis a longo tempore bona conferre parati sunt, id quod faciunt parentes filiis : etenim si postremo dant pecunias, id jamdiu et ab initio præmeditati fuerant. Hoc Paulus nunc conatur ostendere, quod Deus nos semper et jam olim amaverit, cum nondum nati essemus. Nisi enim amasset, divitias nobis non prædestinavisset. Ne ergo cogites eam quæ intercessit inimicitiam; erat enim illa antiquior amicitia. Illud autem, ante sæcula, æternum sibi vult. Nam et alibi ita loquitur : « Qui est ante sæcula. » Invenietur ergo etiam Filius sic æternus esse : nam de ipso dicit, quod per ipsum fecerit sæcula, quod est ante sæcula esse : qui fecit enim, ante illa quæ facta sunt erat. « Quam nemo princi- » pum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, num- » quam Dominum gloriæ crucifixissent [2]. » Atqui si non cognoverunt, quomodo dicebat : « Et me nostis et unde

[1] Cor. XIII, 9 et 12. — [2] Id. II, 8.

»sim nostis? » De Pilato enim dicit Scriptura, quod non noverit; verisimile autem est nec Herodem novisse. Hos dixerit quispiam vocari principes hujus sæculi. Quod si de Judæis et de sacerdotibus dixerit quispiam hæc intelligi, non aberraverit. Illis enim dicit : « Nec me nostis, »neque Patrem meum[1]. » Quomodo ergo superius dixit: « Et me nostis, et unde sim nostis. » Sed quis sit modus hujus et illius lectionis, in Evangeliis dictum est; et ne illud frequentius versemus, eo remittimus lectores.

III. Quid ergo? remissum est illis, quod circa crucem admiserunt peccatum? Nam dixit : « Remitte illis. » Si pœnitentiam egerunt, remissum est. Nam qui innumeris manibus Stephanum impetiit et Ecclesiam persecutus est Paulus, Ecclesiæ patronus factus est. Sic igitur illis remissum est, qui voluerint pœnitentiam agere, quod etiam Paulus clamans dicebat : « Dico ergo. Numquid offenderunt, ut »caderent[2]? » Absit. Dico ergo, num repulit Dominus populum suum, quem præscivit? Absit. Deinde ostendens quod non sint exclusi a pœnitentia, argumentum adducit pœnitentiam suam dicens : « Nam et ego Israëlita sum. » Illud autem, « Non cognoverunt, » videtur mihi non de Christo dictum hic fuisse; sed de rei dispensatione; verbi gratia, quid sibi vellent mors et crux nesciebant. Etenim non dicit ibi, me non noverunt; sed, nesciunt quid faciunt; id est, œconomiam quæ peragitur et mysterium non norunt. Non enim sciebant futurum esse ut crux ita resplenderet, nec quod fieret salus orbis et Dei cum hominibus reconciliato, neque futurum urbis excidium, nec quod extrema illi passuri essent. Sapientiam autem vocat et Christum et crucem et prædicationem. Opportune vero et Dominum gloriæ vocavit. Quia enim crux ignominiosa videtur esse; ostendit crucem esse magnam gloriam. Sed

[1] Joan. VII, 28. — [2] Id. VIII, 19. — [3] Rom. XI, 11.

magna opus erat sapientia non modo ad Deum cognocendum; sed et ad discendam hanc Dei œconomiam. Externa vero sapientia non priori tantum, sed huic etiam impedimento fuit. « Sed, ut scriptum est, oculus non vidit, nec » auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præ- » paravit Deus diligentibus se[1]. » Et ubinam scripta sunt hæc (9)? Dicitur enim, scriptum est, etiamsi non verbis, sed in rebus ipsis hæc posita sint, ut in historiis; vel si ipse quidem sensus reperiatur, licet non ipsis verbis sicut hic. Illud enim, quibus non annuntiatum est de illo, videbunt, et qui non audierunt intelligent, idipsum est atque illud, « Oculus non vidit, nec auris audivit. » Aut hoc igitur dicit; aut verisimile est scriptum fuisse in libris, qui perierint. Nam multi libri perditi fuerunt, et pauci servati sunt, etiam in prima captivitate. Et hoc perspicuum est in Paralipomenis; dicit enim Apostolus : « A Samuële et iis qui » postea fuerunt Prophetis, omnes de illo dixerunt[2]: » at non omnino hæc ita feruntur. Paulum vero legisperitum, et ex Spiritu loquentem, verisimile est omnia accurate scivisse. Et quid dico de captivitate? nam etiam ante captivitatem multi periere libri, Judæis in extremam impietatem delapsis, quod palam est ex fine quarti libri Regnorum. Deuteronomium enim vix repertum fuit in sterquilinio defossum. Alioquin autem sunt aliquando duplices prophetiæ, sapientioribus facile cognitæ, ex quibus occulta multa possunt percipi. Quid ergo? « Non vidit oculus quæ præ- » paravit Deus? » Non. Quis enim hominum vidit ea quæ dispensanda erant? « Num ergo neque auris audivit, nec » cor hominis ascenderunt?» Et quomodo? Si enim Prophetæ dixerunt, inquies, quomodo « Auris non audivit, nec » in cor hominis ascenderunt? » Non ascenderunt. Non enim de ipsis solis loquitur, sed etiam de universa natura hu-

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Act. XIII, 20.

mana. Quid ergo? Prophetæ non audierunt? Audierunt quidem; at non erat auris hominis, sed auris prophetica: non enim ut homines audierunt, sed ut Prophetæ. Quapropter dicit: « Adjecit mihi aurem ad audiendum[1], » adjectionem a Spiritu factam dicens. Unde manifestum est quod, prius quam audiret, « Nec in cor quidem hominis » ascenderant. » Nam postquam datus Spiritus fuerat, cor Prophetarum non erat cor hominis, sed cor spirituale, quemadmodum et ipse ait: « Mentem Christi habemus[2]. » Quod dicit autem hujusmodi est. Antequam Spiritu frueremur et arcana ediscceremus, nec ex nobis, nec ex Prophetis quisquam ea intellexit. Quomodo enim cum nec Angeli quidem ipsa nossent? Quid enim, inquit, dicendum est de principibus hujus sæculi, cum nullus homo ea sciret, neque supernæ Potestates? Quænam autem sunt ea? Quod per prædicationis stultitiam, quæ talis esse videbatur, et gentes inducentur, et Dei cum hominibus reconciliatio erit, et tot tantaque nobis ventura sunt bona. Quomodo ergo cognovimus? « Nobis autem, inquit, revelavit » Deus per Spiritum suum[3], » non per externam sapientiam. Ipsa enim tanquam ancilla quædam contempta, non permissa fuit intus ingredi, et mysteria dominica inspicere.

IV. Vides-ne quantum discrimen inter hanc et illam sapientiam? Quæ Angeli non noverunt, ea nos hæc docuit; externa vero contrarium fecit: non modo non docuit, sed etiam impedivit et arcuit: et postquam illa facta fuerunt, illa obscuravit, et crucem exinaniit. Non ergo ex eo quod didicerimus ostenditur honor nobis concessus, nec ex eo quod cum Angelis didicerimus; sed ex eo quod per Spiritum ejus didicerimus. Deinde postquam magnitudinem ostendit, ait: « Nisi Spiritus, qui scit arcana Dei, revelasset, » non didicissemus. » Ita curabat Deus, ut in arcanis esset.

[1] Isai. L, 4. — [2] 1 Cor. II, 16. — [3] Ibid. 10.

Quapropter illo opus habuimus doctore, qui hæc clare sciret. « Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda » Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi » Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt » nemo novit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non Spiritum » mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut scia- » mus quæ a Deo donata sunt nobis[1]. » Hic enim illud « Scrutari, » non ignorantiam, sed accuratam scientiam indicat. Hac igitur dictione etiam de Deo loquens usus est dicens : « Qui autem scrutatur corda, novit quis sit » sensus Spiritus[2]. » Deinde cum accurate locutus esset de cognitione Spiritus, et ostendisset eam ita exæquari cognitioni Dei, ut ipsa hominis cognitio sibi ipsi; et docuisset nos omnia inde didicisse, et inde necessario, subjunxit : « Quæ etiam loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ » verbis : sed in doctrina Spiritus sancti, spiritualibus spi- » ritualia comparantes[3]. » Vides-ne quo nos deduxerit ab auctoritate doctoris? Tanto enim illis sumus sapientiores, quantum interest inter Platonem et Spiritum sanctum. Illi enim externos oratores habent magistros, nos autem Spiritum sanctum. Quid sibi vult autem, spiritualia spiritualibus comparantes? Quando spirituale fuerit et dubium, a spiritualibus testimonia ducimus : ut exempli causa, resurrexit Christus, quia de Virgine natus est. Adduco testimonia, figuras et demonstrationes, Jonæ in ceto moras, et liberationem quæ postea fuit, sterilium partus, Saræ et Rebeccæ, et cæterarum : arborum in paradiso productionem non jactis seminibus, non demissis imbribus, non sulco facto. Futura enim figurabantur et describebantur tanquam in umbra prioribus, ut ea crederentur cum advenirent. Et ostendimus rursum quomodo homo ex terra, et quomodo ex solo viro mulier sine ullo coïtu : quomodo

[1] 1 Cor. II, 11, 12. — [2] Rom. VIII, 27. — [3] 1 Cor. II, 13.

ipsa terra ex nihilo, Creatoris potentia ubique ad omnia sufficiente. Ita spiritualibus spiritualia comparo, et nusquam opus habeo externa sapientia, neque ratiociniis, neque probationibus. Illi namque infirmam mentem concutiunt et conturbant; nec aliquid eorum quæ dicunt demonstrare possunt; sed et contrarium faciunt : turbant magis, caligine replent et dubitatione multa. Ideo ait : « Spiritualibus spiritualia comparantes. » Vides-ne ut supervacaneam sapientiam illam ostendit? nec solum supervacaneam; sed et contrariam et noxiam. Nam cum dixit : « Ut non evacuetur crux Christi, » et, ut non sit in sapientia hominum fides nostra, hoc significavit. Hic autem ostendit non posse eos qui ipsi confidunt et totum ipsi permittunt, aliquid utile discere. « Animalis enim homo non » percipit ea quæ sunt Spiritus[1]. Oportet igitur eam prius deponere. Quid igitur? Reprobata-ne est, inquies, externa sapientia? Atqui opus est Dei. Unde id constat? Non enim ille fecit ipsam, sed tu adinvenisti. Nam hic sapientiam vocat curiosam perquisitionem, et superfluam facundiam. Si quis vero humanam prudentiam hic intelligi dicat, sic etiam in culpa es. Tu enim illam deturpas qui illa male uteris, qui ad Dei damnum et offensionem ab illa exigis id quod non habet. Quia igitur in illa gloriaris et Deum bello impetis, ejus ille imbecillitatem ostendit. Nam bona quoque res est corporis robur. Sed quia Caïn illo non ut oportuit usus est, dissolvit illum Deus, et ut tremeret effecit. Vinum quoque bonum est; sed quia immoderate illo usi sunt Judæi, ejus usum Deus sacerdotibus omnino interdixit. Quoniam ergo tu sapientia ad Dei despectum usus es, et majorem illam exegisti, quam vires ferrent, ab spe humana te abducens, ejus infirmitatem ostendit. Animalis enim est qui totum dat frigidis ratiociniis, et non putat se

[1] Cor. II, 14.

ullo superno auxilio opus habere, quod certe amentia est. Nam dedit illam Deus, ut discat et opem suam accipiat; non ut eam sibi ipsi sufficere putet. Etenim oculi pulchri et utiles sunt; sed si voluerint sine luce videre, nihil juvat illos pulchritudo, vel propria virtus, imo etiam lædit. Sic itaque anima si voluerit sine Spiritu videre, sibi ipsi impedimento est. Quomodo igitur, inquies, antehac per se ipsam omnia videbat? Numquam a se ipsa, sed habuit rem creatam pro libro propositam in medio. Quia vero, dimissa via qua Deus jussit homines incedere, ut per visibilium pulchritudinem, nossent creatorem, ratiociniis scientiæ sceptra commiserunt, in pelagus impietatis infirmi effecti demersi sunt, statim abyssum malorum inducentes, ac dicentes nihil ex non extantibus fieri, sed ex materia ingenita, unde etiam hæreses innumeras pepererunt : et in iis quæ valde absurda erant convenerunt; in quibus autem videbantur aliquid sanum quasi in umbra somniare, divulsi ac divisi sunt, ut utrinque deriderentur. Quod enim ex non extantibus nihil fiat, una omnes pene dixerunt et scripto tradiderunt : idque magno cum studio. In absurda itaque illos impulit diabolus. In utilibus autem, ubi videbantur ceu in ænigmate aliquid ex quæsitis invenire, in his, inquam, contra se pugnavere; verbi gratia quod immortalis sit anima, quod virtus nullo egeat exornorum : ac neque ex necessitate, neque ex fato bonos fieri, aut non tales.

V. Vidisti-ne diaboli malitiam? Sicubi illos aliquid corruptum dicere vidit, id effecit ut omnes consentirent; sicubi vero aliquid sanum proferre, alios contra ipsos concitavit; ut absurda non exciderent consensu confirmata; et utilia diffluerent varie intellecta. Vide quomodo anima ubique sit imbecilla, neque sibi sufficiat. Id vero jure merito factum est. Si enim cum talis facta sit contendit se nullo opus habere, et se a Deo abducit; nisi talis facta esset,

in quam non amentiam incidisset? Si cum mortale corpus accepisset, ex falsa diaboli promissione majora expectavit; « Eritis enim, inquit, sicut dii[1]; » si hoc etiam ab initio accepisset immortale, quo non esset delapsa? Nam etiam post illud se ingenitam esse dixit, et ex essentia Dei, per putridum os Manichæorum. Occasione etiam hujus morti diabolus deos apud Græcos effinxit. Ideo videtur mihi Deus laboriosam virtutem fecisse, animam inflectens et deducens ad moderationem. Ut autem discas hoc esse verum, ut qui ex parvis magnum conjiciat, idipsum discamus ex Israëlitis. Hi enim cum vitam agerent non laboriosam, et in quiete degerent, felicitatem illam non ferentes, in impietatem sunt delapsi. Quid ergo Deus postea? Multas intulit leges, illorum arcens licentiam. Et ut discas hæc legalia ad virtutem non conferre, sed pro freno quopiam data fuisse, quæ otii occasionem tollerent, audi quid de illis dicat Propheta : « Dedi illis præcepta non bona[2]. » Quid sibi vult illud, non bona? nihil magnum ad virtutem conferentia. Ideo subjungit : « Justificationes in quibus non vivent[3]. » » Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus. » Quemadmodum enim his oculis nemo didicerit ea quæ in cœlis sunt, sic nec anima sola ea quæ sunt Spiritus. Et quid dico ea quæ in cœlis? neque ea omnia quæ in terra. Nam procul videntes turrim quadratam, rotundam eam esse putamus : est autem oculorum deceptio talis opinio. Ita etiam quando res procul positas per mentem solam quis examinat, multus consequetur risus. Non solum enim qualia illa sint non videbit; sed etiam contraria iis esse putabit. Ideoque subjunxit : « Stultitia enim est illi. » Hoc autem non ex rei natura provenit; sed ex imbecillitate ejus qui non potest eorum magnitudinem per oculos animæ attingere. Deinde ejus rei causam ex adverso ponit

[1] Gen. III, 5. — [2] Ezech. XX, 25. — [3] Ibid.

dicens : « Quia non novit quod spiritualiter examinetur ; » id est, quod ea quæ dicuntur, fide indigeant, nec rationibus comprehendi possint : eorum quippe magnitudo mentis nostræ vilitatem longo spatio superat : quapropter ait : « Spiritualis autem judicat omnia ; ipse autem a ne- » mine judicatur[1]. » Nam qui videt, omnia quidem ipse videt, etiam ea quæ ad non videntem pertinent, quæ autem ipsius, nemo non videntium aspicit. Ita etiam nunc nostra quidem et ea quæ infidelium sunt omnia nos scimus, nostra autem illi non item. Etenim scimus quæ sit præsentium rerum natura, quæ vero sit futurorum dignitas, quid mundus post hæc efficietur, et quid patientur peccatores, quibus vero fruentur justi, et quod nullius precii sint res præsentes, et scimus, et illorum vilitatem arguimus; dijudicare enim est arguere; et quod futura sint immortalia et immobilia. Hæc omnia novit spiritualis, et quid patietur animalis cum illo migrarit, et quonam fruetur fidelis cum hinc abscesserit, quarum rerum nihil novit animalis. Quamobrem claram dictorum demonstrationem subjungens dicebat : « Quis enim cognovit sensum » Domini, aut quis instruxit eum ? Nos autem mentem » Christi habemus[2] : » id est, ea quæ in mente Christi sunt nos scimus, necnon ea quæ ipse vult et revelavit. Quia enim dixit Spiritum revelasse ; ne quis Filium repellat, subjunxit etiam Christum hæc nobis ostendisse : non hoc dicens nos omnia quæ ipse novit scire ; sed omnia quæ scimus non humana esse, ut sint suspecta ; sed mentis illius et spiritualia.

VI. Mentem enim, quam de his habemus, ut Christi mentem habemus; id est, cognitionem quam de rebus fidei habemus, spiritualem habemus ; ita ut jure a nemine dijudicemur. Neque enim potest animalis homo divina cognoscere. Ideo dicebat, « Quis enim cognovit mentem

[1] Cor. II, 15. — [2] Ibid. 16.

» Domini? » Mentem nostram circa res istas, illius esse mentem dicens, et illud, « Qui instruet eum, » non sine causa adjecit; sed respiciens ad id quod jam dixit, « Spiri- » tualem nemo dijudicat. » Si enim nemo potest nosse mentem Domini, multo minus potest illum docere et corrigere; hoc enim sibi vult illud, « Qui instruet eum. » Vides-ne quomodo undique repellat sapientiam externam, et spiritualem plura et majora scire ostendat? Quia enim causæ illæ, nempe, ut non glorietur omnis caro; et quod ideo stulta elegerit, ut confunderet sapientes; et, « Ut non eva- » cuetur crux Christi; » infidelibus non admodum fide dignæ neque inducentes, vel necessariæ et utiles videbantur esse, demum apponit principem causam; quia hoc maxime modo videre possumus, et quo sublimia et arcana, et quæ supra nos sunt scire possimus. Nam evacuabatur ratio, quod ea quæ supra nos sunt per externam sapientiam comprehendere non possemus. Vides-ne quod sic magis conferebat ediscere a Spiritu? Est enim hæc doctrina et facillima et clarissima. Nos autem mentem Christi habemus, hoc est, spiritualem, divinam, humanum nihil habentem. Non enim Platonis nec Pythagoræ sensa, sed sua Christus menti nostræ indidit. Ideo igitur pudore afficiamur, dilecti, et vitam exhibeamus optimam: quando et ipse hoc facit magnæ amicitiæ argumentum, cum nobis arcana revelat, dicens: « Non jam vos dicam servos: omnes enim vos amici » mei estis: quia omnia quæ audivi a Patre meo annuntiavi » vobis, id est, cum fiducia tradidi vobis. » Si autem hoc solum est amicitiæ argumentum, fidere; cum palam sit eum non modo cum fiducia verborum mysteria tradidisse; sed eadem ipsa operibus nobis largitum esse, cogita quantæ illud sit amicitiæ. Hac ergo de re pudore afficiamur. Et si nulla nobis tanta habeatur gehennæ ratio; at sit nobis gehenna terribilius, quod erga adeo amicum et beneficum ingrati

simus. Neque ut mercenarii famuli; sed ut filii et liberi omnia faciamus propter amicitiam Patris, et tandem cessemus mundo addicti esse, ut etiam gentes pudore afficiamus. Nam nunc cum velim contra illos disputare, renuo; ne dum illos rationibus et dogmatum veritate vincimus, ingentem nobis risum ex vitæ comparatione inferamus; quando illi qui errori addicti sunt, et qui nihil hujusmodi persuasum habent, philosophiæ dant operam; nos autem plane contrarium facimus. Attamen dicam: fortassis enim, fortassis adversus illos pugnare meditantes, vita etiam illis meliores effici contendemus. Nuper dicebam Apostolos ea quæ prædicarunt nunquam prædicaturos fuisse, nisi divina movente gratia; et non modo id non perfecturos, sed neque hac de re consultaturos fuisse. Age vero, hodie quoque eam rem excutiamus, ostendamusque non potuisse eos id suscipere vel cogitare, nisi Christum secum habuissent; non quia imbecilli adversus fortes; non quia pauci contra multos; non quia pauperes contra divites; non quia indocti contra sapientes aciem instruebant; sed quia præjudicatæ opinionis magna vis erat. Scitis enim nihil apud homines validius esse, veteris consuetudinis tyrannide. Quamobrem etiamsi non duodecim tantum numero fuissent, neque ita viles et quales erant; sed alius orbis fuisset huic par, ac multitudinem habuissent adversæ sibi æqualem, imo multo majorem, sic quoque difficilis res fuisset. Illis namque opem ferebat consuetudo, his vero novitas adversabatur. Nihil enim ita turbat animum, etiamsi utile quidpiam aggrediatur, ut innovare et peregrinum quid inducere, maxime cum de cultu religionis et de Dei gloria agitur. Et quanta sit hujus rei vis, jam palam faciam. Primo illud dicam; alteram fuisse difficultatem circa Judæos. Nam quod ad gentiles spectat, et deos et dogmata illorum confutabantur omnia; apud Judæos autem non ita

disputabant. Sed ex dogmatibus multa abrogabant, Deum vero qui legem possuerat adorare jubebant: et cum dicerent oportere legislatorem colere, addebant, Ne in omnibus obsequaris legi ab illo positæ; verbi gratia, in observatione sabbati, aut circumcisionis, aut sacrificiorum, aut aliorum similium. Itaque non modo sacrificium impedimento erat; sed etiam quod cum Deum juberent adorare, multas ipsius leges abrogare præciperent. Apud Gentiles autem magna erat consuetudinis tyrannis.

VII. Etenim etiamsi decem annorum tantum, nec dico tanti temporis: etsi paucorum hominum, nec dico totius orbis consuetudinem aggressi illi fuissent; sic quoque mutatio difficilis fuisset. Nunc autem et sophistæ et oratores, et patres, et avi et abavi, et multi antiquiores, errore erant præoccupati: et terra, mare, montes, saltus, Barbarorum omnia genera, Græcorum populi omnes, sapientes, idiotæ, principes, subditi, mulieres et viri, juvenes et senes, heri et servi, agricolæ et artifices, qui urbes et qui vicos incolebant omnes, et par erat illos omnes catechumenos dicere. Quid hoc est? Omnes-ne, qui orbem incolunt, sunt decepti? Sophistæ, oratores, philosophi, scriptores, et qui nunc sunt et qui ante fuerunt, Pythagoras et Plato, duces, consules, imperatores, urbium ab initio cives et habitatores, barbari et Græci? Et duodecim piscatores ac tentoriorum artifices atque publicani, illis omnibus sunt sapientiores? Et quis hæc ferre potuerit? Attamen hæc non dixerunt, nec cogitarunt, sed quieti sustinuerunt: noveruntque illos esse omnium sapientissimos: ideoque omnes superaverunt. Et ut discas quanta sit vis consuetudinis, ea Dei præcepta sæpe superavit. Et quid dico præcepta? Ipsa quoque beneficia. Judæi enim manna habentes, quærebant alia; et libertate fruentes, servitutis recordabantur et Ægyptum frequenter optabant ob consuetudi-

nem; adeo tyrannica est consuetudo. Et si velis etiam ab exteris id discere, dicitur Plato, etiamsi probe sciret errorem esse ea, quæ de diis dicebantur, ad festos dies colendos et ad cætera omnia se demisisse, ut qui non posset consuetudinem impugnare, ac reipsa a magistro hoc edidicerat. Hic enim cum in suspicionem innovationis venisset, tantum abfuit ut quod optabat perficeret, ut etiam vitam amiserit, etiamsi apologia sese purgasset. Quot etiam nunc videmus homines, ex præjudicata opinione in impietate detentos, qui nihil possunt rationi consonum dicere, cum accusantur quod ut gentiles sentiant, allegantque patres, avos et proavos? Ideo exterorum quidam consuetudinem secundam naturam vocant. Cum autem in dogmatibus consuetudo adest, ea firmior est. Omnia enim facilius mutaverint, quam cultum, et pudor una cum consuetudine, ad impediendum satis erat, et quod videantur in extrema senectute dediscere, etiamque ab iis qui minus intelligerent. Et quid miraris si in anima id eveniat, quando etiam in corpore magnam vim consuetudo habet. Apostolorum vero tempore aliud erat majus impedimentum, quod non modo consuetudo tam antiqua mutaretur; sed etiam quod mutatio illa cum periculo fieret. Non modo enim a consuetudine ad consuetudinem trahebant; sed a consuetudine securitatem habente, ad rem pericula minitantem. Credentem statim accidebat publicari, pelli, a patria excidere, ab omnibus odio haberi, communem hostem esse et suis et alienis. Itaque etiamsi vocassent a novitate ad consuetudinem, etiam sic difficilis res fuisset: cum autem a consuetudine ad novitatem vocarent, et hæc adessent mala: cogita quantum erat illud impedimentum: præter ea autem quæ dicta sunt, aliud non levius erat quod mutationem difficilem redderet. Ad consuetudinem enim et ad pericula id addas, quod hæc præcepta onerosiora essent,

et ea, a quibus abducebant, levia et facilia. Nam a fornicatione ad castitatem vocabant, ab amore vitæ ad mortem, ab ebrietate ad jejunium, a risu ad lacrymas et compunctionem, ab avaritia ad paupertatem, a securitate ad pericula : et per omnia extremam exigebant accurationem. Nam ait : « Turpitudo et stultiloquium et scurrilitas, » ne exeant ab ore vestro [1]. » Et hæc dicebant iis qui nihil aliud sciebant, quam inebriari, ventri indulgere, iis qui dies festos agebant, non alio modo consistentes, quam ex turpitudine, risu, et universa comœdia. Itaque non modo quod philosophiam exigerent, onerosa illa præcepta erant ; sed quod hominibus proferrentur, qui in licentia, turpitudine, stultiloquio, risu, rebusque comicis educati essent. Quis enim qui in talibus vitam duxerit, cum audit, « Nisi quis » tollat crucem suam et sequatur me, non est me dignus [2] ; » et, « Non veni pacem mittere, sed gladium, et separare homi- » nem a patre suo, et filiam a matre sua [3] ; » non obtorpuerit ?

VIII. Quis autem audiens ; « Nisi quis renuntiaverit do- » mui, patriæ et divitiis, non est me dignus [4], » non dubitaverit, non repudiaverit ? Attamen non modo non obtorpuerunt, non modo non respuerunt hæc audientes ; sed etiam accurrebant, et ad gravia insiliebant, ac quæ præcipiebantur arripiebant. Audire autem illud, « De omni verbo » otioso rationem reddituri sumus [5] ; » et, « Qui respicit mu- » lierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est » eam [6] ; » et, « Qui irascitur temere, in gehennam incidet, » quem non abegisset eorum qui tunc erant ? Attamen omnes accurrebant, et multi etiam septa transiliebant. Quid ergo illos inducebat ? Annon virtus ejus qui prædicabatur, ut palam est ? Nisi enim hoc esset et contrarium esset, et illi isti fuissent, isti vero illi : an fuisset facile repugnantes

[1] Ephes. v, 4. — [2] Matth. xvi, 24. — [3] Id. x, 34. — [4] Luc. xiv, 33. — [5] Matth. xii, 36. — [6] Id. v, 28.

trahere? Dici certe id non potest. Itaque per omnia ostenditur divinam virtutem fuisse quæ hæc perfecit. Nam unde, quæso, persuaserunt mollibus et diffluentibus, ad vitam ducentes duram et asperam? Sed præcepta quidem hujusmodi erant. Videamus autem an dogma vim haberet alliciendi. Atqui hoc ipsum satis erat ad abigendos infideles. Quid enim dicebant ii, qui prædicabant? Crucifixum esse adorandum illumque Deum esse putandum, qui ex Judæa muliere natus esset. Ecquis illis credidisset, nisi movente divina virtute? Quod enim crucifixus et sepultus fuisset, omnes sciebant; quod autem resurrexisset et ascendisset, præter Apostolos nemo viderat. At promissis illos erigebant, inquies, et verborum sono deceperunt. Hoc ipsum vero maxime ostendit præter ea omnia quæ dicta sunt, res nostras non esse fallaciam : nam difficilia omnia, hinc eveniebant; utilia vero post resurrectionem promitti oportebat. Hoc ipsum autem, iterum dicam, ostendit prædicationem nostram divinam esse. Cur enim nemo credentium dixit; « Non accedo, neque ferre possum : difficilia mihi hic comminaris, et bona post resurrectionem promittis? » Undenam liquet resurrectionem futuram esse? Quis eorum qui decesserunt venit? Quis mortuorum resurrexit? Quis horum dixit quid futurum sit post nostrum hinc exitum? » At nihil horum cogitarunt; sed et animas dederunt pro Crucifixo. Itaque hoc ipsum maximæ virtutis erat, quod cum nihil horum unquam audissent, statim de tantis rebus persuaderentur, et sese apparerent ut difficilia in experimentum acciperent, bona vero in spe haberent. Si autem decipere voluissent contrarium facturi erant; hic bona promisissent, et terribilia tacuissent, tam præsentia, quam futura. Ita enim facere solent qui decipiunt et adulantur. Nihil asperum, durum vel onerosum proponunt, sed contrarium totum; hæc quippe fallacia est. Sed multorum amentia,

inquies, fecit ut dictis fidem haberent? Quid dicis? Quando sub Græcis fuere, non erant stulti; sed quando ad nos translati sunt, tunc stulti evaserunt? Atqui non alios homines, neque ex alio orbe accipientes Apostoli ad fidem deduxerunt: quanquam gentilium instituta simpliciter tenebant: nostra vero cum periculo susceperunt. Itaque si cum majori ratione illa tenuissent, cum tanto tempore in illis vixissent, non ab illis abscessissent, cum maxime non absque periculo abscedere possent. Postquam autem ex ipsa rerum natura cognoverunt, ridicula illa esse et errore plena; ideo, cum etiam mortis minæ intentarentur, a consuetis resilierunt, et ad nova confugerunt, utpote cum hoc dogma secundum naturam esset, illud vero præter naturam. At qui credebant, inquies, erant famuli; mulieres, nutrices, obstetrices et eunuchi. At non ex his solum nobis constituta est Ecclesia, quod utique est omnibus manifestum. Si autem ab his, hoc maxime prædicationem admirabilem reddit, quod talia dogmata, quæ Plato et sui temporis alii excogitare non potuerunt, statim potuerint piscatores omnium indoctissimum genus, ad recipiendum inducere. Neque enim si prudentibus solum persuasissent, adeo admiranda res fuisset: cum vero famulos, nutrices et eunuchos ad tantam deduxerint philosophiam, ut illos Angelis pares fecerint, magnam præbuere divinæ inspirationis demonstrationem. Nam si vilia quædam præcepissent, esset forte rationi consentaneum eorum persuasionem ad demonstrandam dictorum vilitatem proferre. Si autem magna et sublimia humanamque naturam fere superantia, quæ sublimi mente opus habent, philosophabantur; quo magis stultos ostendes eos qui persuasi sunt, eo magis sapientes et divina gratia repletos ostendes eos qui persuaserunt. Sed magnitudine promissorum, inquies, persuaserunt. An hoc ipsum non miraris, quomodo per-

suaserint illis ut post mortem præmia et mercedes expectarent? Ego vero hac ipsa de re obstupesco. At hoc, inquies, ex stultitia? Quanam, quæso te, stultitia? Nam anima immortalis est, et judicium incorruptum post hanc vitam nos excepturum est, et rationes verborum, rerum et cogitationum dabimus Deo qui novit arcana, et malos quidem punitos, bonos autem coronatos videbimus. Hæc enim non stultitiæ, sed maximæ philosophiæ sunt.

IX. Hoc igitur, dic mihi, præsentia spernere, magnam rem esse virtutem putare, non hic præmia quærere, sed ulterius spe progredi, animamque sic constantem et in fide firmam tenere, ita ut a nullo malorum præsentium, ad futuram spem impediatur, hæc, inquam, quantæ fuerint philosophiæ? Sed vis promissorum et prædictionum vim ediscere, et veritatem eorum quæ præcesserunt, et quæ post futura sunt? Vide mihi catenam auream varie ab initio connexam. Dixit illis quædam de se ipso et de Ecclesiis, deque futuris rebus: et hæc dicendo miracula edebat. Ex eventu ergo eorum quæ prædicta sunt, perspicua sunt et miracula et futura et promissa. Ut autem clarius sit id quod dictum est, ex ipsis rebus illud comprobabo. Suscitavit Lazarum solo verbo, et vivum ostendit. Dixit: «Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam[1];» et, « Qui reliquit patrem et matrem, centuplum accipiet in » hoc sæculo, et vitam æternam possidebit[2]. » Ergo miraculum quidem est unum, nempe Lazari; prædictiones vero duæ, quarum altera hic ostensa est, altera in futuro erit. Considera ut omnia inter se comparata probantur. Si quis enim non crederet suscitatum fuisse Lazarum, ex prædictione quæ de Ecclesia dicta est, credat miraculo. Nam quod tot ante annos prædictum fuerat, tunc evenit, et finem accepit. « Portæ enim inferi adversus Ecclesiam

[1] Matth. xvi, 18. — [2] Id. xix, 29.

» non prævaluerunt. » Qui ergo in prædictione veritatem dixit, perspicuum est quod etiam miraculum fecerit. Qui vero miraculum edidit, et qui ea quæ dixerat ad finem deduxit, palam est quod etiam in prædictione futurorum vera dicat, nempe, centuplum recipiet, et vitam æternam possidebit is, qui præsentia despicit. Quæ enim jam facta et dicta sunt, in pignora maxima dedit eorum quæ eventura sunt. Hæc itaque omnia et his similia ex Evangeliis colligentes ipsis dicamus, illisque ora obstruamus. Si quis vero dixerit: « Quomodo ergo tandem non extinctus fuit error? » Hoc dixerimus: « Vos in causa estis, qui adversus salutem vestram seditiones agitatis. » Nam Deus res ita dispensavit, ut ne reliquiæ quidem impietatis maneant. Ea ergo quæ dicta sunt paucis repetamus. Quænam est rerum natura, num ut imbecilli superentur a potentibus, an secus? Qui facilia dicunt, an qui difficiliora? Qui cum periculis attrahunt, an qui secure? Qui innovant, an qui consuetudinem firmant? Qui in asperam viam ducunt, an qui in facilem? Ii qui a patriis institutis abducunt, an ii qui non peregrinas leges statuunt? Ii, qui postquam hinc abscesserimus omnia, bona pollicentur, an ii qui in præsenti vita adulantur? Multi a paucis, an pauci a multis? At vos etiam, inquies, hic promisistis. Quid hic promisimus? Peccatorum remissionem et lavacrum regenerationis. Vere quidem baptisma plus habet boni in futuris. Et Paulus clamat dicens: « Mor» tui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo » in Deo. Cum autem vita vestra manifestata fuerit, tunc » et vos cum ipso apparebitis in gloria[1]. » Si autem hic quoque habet bona, ut certe habet, et hoc quoque magnum est miraculum, quod potuerint persuadere iis, qui mala fecerant innumera, et quod nemo alius fecerat, fore ut omnia abluerentur, et nullius scelerum

[1] Colos. III, 3.

suorum rationem essent reddituri. Itaque ea de causa maxime admirari oportebat, quod barbaris hominibus persuaserint ut talem fidem susciperent, et bonam de futuris spem haberent, ac deposita priorum peccatorum sarcina, cum magna animi alacritate deinde pro virtute labores susciperent, et ad sensilia nulla inhiarent, omnibusque corporeis rebus superiores effecti, spiritualia acciperent dona: ac Persa, Sarmata, Maurus et Indus, scirent animæ expiationem, Dei potentiam, et benignitatem ineffabilem, fidei philosophiam, Spiritus sancti adventum, corporum resurrectionem, et vitæ immortalis dogmata. Hæc quippe omnia et his plura barbarorum genera piscatores in baptismo mysteriis initiantes, philosophari suaserunt. Hæc itaque omnia accurate servantes, illa eis dicamus, et a vita quoque nostra demonstrationem rursum ipsis exhibeamus, quo utrinque et nos salutem consequamur et illos ad Dei gloriam attrahamus: quia ipsi est gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA VIII.

CAPUT III.

Et ego, fratres, non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, tanquam parvulis in Christo. Lac vobis potum dedi, et non escam. Nondum enim poteratis; sed ne nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis [1].

I. Cum externam sapientiam confutasset, et fastum ejus omnem dejecisset, ad aliud argumentum venit. Nam verisimile est illos dicturos fuisse: « Si Platonis, aut Py-

[1] 1 Cor. III, 1-3.

thagoræ, aut cujusdam alterius philosophi dicta annuntiaremus, jure ita longam instituisses orationem : si autem ea quæ sunt Spiritus annuntiamus, cur externam sapientiam susdeque versas? » Quomodo autem hoc repellat audi : « Et ego, fratres, non potui vobis loqui ut spiritualibus. » Sane quidem etiamsi perfecti essetis, inquit, et in spiritualibus, neque sic oporteret efferri; neque enim vestra annuntiatis, neque ea quæ ipsi ex vobis invenistis. Nunc autem neque illa scitis ut scire oportet; sed discipuli estis, et omnium postremi. Itaque si de externa quidem sapientia altum sapitis, jam probatum est illam nihil esse : sed et in spiritualibus nobis esse contrariam; si autem de spiritualibus, in his quoque quod minus est habetis, et inter ultimos estis. Ideo ait : Non potui vobis loqui ut spiritualibus. Non dixit : Non locutus sum; ne videretur ex invidia rem esse; sed dupliciter illorum sensum evertit : uno quidem modo, quod perfecta nesciant; altero autem, quod ipsi in causa sint quod nesciant; tertio etiam, quod ostendat illos ne nunc quidem posse. Nam quod initio non potuerint, ex natura fortasse rei erat. Quanquam ne hanc quidem illis reliquit defensionem. Non enim dicit illos ideo sublimia non suscepisse, quod non possent suscipere, sed quia carnales erant. Verum in principio quidem non fuisset reprehensione dignum; sed cum tantum effluxisset tempus, nondum ad perfectiora pervenisse, id extremæ erat ignaviæ. Hac quoque de re Hebræos accusat, sed non cum tanta vehementia. Nam illos quidem dicit ob tribulationem tales esse, hos autem ob nequitiæ desiderium. Hoc autem et illud non inter se paria sunt : et ostendit se illos quidem increpare, hos autem magis excitantem, hæc cum veritate dixisse. Ilis quippe dicit : « Sed neque nunc » potestis : » illis autem : « Quapropter intermittentes in- » choationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, »

et rursum, « Confidimus de vobis meliora et saluti hæren-» tia, etsi ita loquimur [1]. » Et quomodo eos qui tantum Spiritum acceperant, carnales appellat, quos initio tantis est laudibus prosecutus? Quia illi quoque carnales erant, quibus dicit Dominus : « Discedite a me, non novi vos, qui » operamini iniquitatem [2]. » Atqui dæmonas ejecerunt, et mortuos suscitarunt, atque prophetias extulerunt. Itaque potest etiam is, qui signa facit, esse carnalis. Nam et in Balaam Deus est operatus, et Pharaoni futura revelavit, necnon Nabuchodonosori; et Caïphas prophetavit, nesciens quid diceret : quidam etiam dæmonia ejecerunt ejus nomine, etsi cum ipso non erant. Nam non propter operantes hæc fiunt, sed propter alios. Sæpe etiam per indignos. Et quid miraris si in viris indignis propter alios hæc fiant, cum etiam per sanctos? Paulus enim dicit : « Omnia » vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive » vita, sive mors [3]. » Et rursum : « Ipse dedit alios quidem » Apostolos, alios autem Prophetas, alios pastores et doc-» tores ad perfectionem sanctorum, in opus ministerii [4]. » Nam nisi hoc esset, nihil obstitisset quominus omnes perirent. Contingit enim principes esse malos et scelcratos; subditosque bonos et moderatos; et laïcos in pietate vitam agere, sacerdotes autem in nequitia : neque futurum erat ut baptismus esset, neque corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignos gratia requireret. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, et nihil lædituv gratia baptismi per vitam sacerdotis : nam hinc is, qui accipit, minus habiturus foret. Itaque etsi hæc raro fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ut ne quis ex præsentibus de vita sacerdotis curiose inquirens, scandalizetur circa ea quæ in mysteriis peraguntur. Nihil enim homo in ea

[1] Hebr. VI, 1 et 9. — [2] Matth. VII, 23. — [3] 1 Cor. III, 22. — [4] Ephes. IV, 12.

quæ proponuntur inducit, sed totum est Dei virtutis opus, et ille est qui vos in mysteriis initiat. « Et ego, fratres, non » potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus. Lac » vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis. » Ne videretur enim ambitionis causa hæc dixisse, nempe, « Spiritualis dijudicat omnia, et a nemine judicatur; » et, « Mentem Christi habemus [1]; » illorum fastum reprimens vide quid dicat. Non ideo, inquit, tacui, quasi nihil ultra dicere possem; sed quia carnales estis. Sed neque nunc potestis.

II. Cur non dixit : « Non vultis, » sed, « Non potestis? » Quia hoc pro illo posuit. Nam quod non possent inde erat quod nollent; quod iidis quidem reprehensionem, magistro autem veniam affert. Etenim si ex natura non potuissent, fortasse quis ignovisset; sed quia ex proposito voluntatis, defensione carent. Deinde modum ostendit, quo carnales sunt : « Cum enim sit inter vos contentio, zelus et dissensio, » nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis [2]? » Atqui cum possit dicere illorum fornicationem et libidinem, illud potius peccatum ponit, quod interim corrigere studuit. Quod si zelus carnales faciat, restat ut jam omnes admodum ejulent, saccum induant, et cinerem substernant. Quis enim hujus vitii expers est? nisi ex me de aliis facio conjecturam. Si zelus carnales facit, nec sinit esse spirituales, etiamsi prophetent et alia miracula edant, cum non tanta aderit gratia, ubinam nostra collocabimus, quando non in hoc solum, sed et in aliis majoribus capti fuerimus? Hinc dicimus jure dixisse Christum : « Qui facit » mala, non venit ad lucem [3], » et quod vita impura impedimento sit sublimibus dogmatibus, non sinens animæ perspicacitatem apparere. Quemadmodum fieri non potest ut is, qui in errore est, et recte vivit, maneat in errore;

[1] 1 Cor. IV, 12. — [2] Id. III, 2. — [3] Joan. III, 20.

ita non facile potest is, qui in nequitia vivit, cito respicere ad sublimia nostra dogmata, sed ab omnibus vitiis purum esse oportet eum, qui veritatem est venaturus. Nam qui ab iis liberatus est, etiam ab errore liberabitur, et veritatem assequetur. Ne enim existimes ad hoc satis esse si non sis avarus, vel si non forniceris : sed oportet omnia concurrere in eo qui quærit veritatem. Ideo ait Petrus : « In veritate comprehendo quod non sit personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet ipsum et operatur justitiam, acceptus est illi [1]; » id est, « Vocat et » attrahit ipsum ad veritatem. » Non vides Paulum, qui vehementissimus omnium erat in bellando et persequendo? Attamen quia inculpatam vitam ducebat, et non ex vitio humano hæc faciebat, et acceptus fuit et omnes longe superavit. Si quis vero dicat, quomodo ille quispiam Græcus, qui bonus est benignus et humanus, in errore manet? illud responderim, aliud eum habere vitium, vanam gloriam, aut animi ignaviam, aut de salute sua non curare; sed putare res suas casu et temere ferri. Paulus autem eum qui operatur justitiam [2], in omnibus inculpatum dicit, secundum justitiam quæ est ex lege? et, « Gratias ago » Deo, cui servio a majoribus in pura conscientia [3]. » Quomodo igitur, inquies, impuri prædicatione dignati sunt? Quia voluerunt et desiderarunt. Nam errantes etiam trahit, si mundi sint a passionibus : eos autem, qui sua sponte accedunt, non repellit. Multi vero etiam a majoribus piam religionem acceperunt. « Cum enim in vobis sit zelus et » contentio. » Demum subditos impugnaturus accedit. In superioribus enim principes dejecit, dicens externam dicendi sapientiam nullius esse pretii. Hic autem subditos redarguit dicens : « Cum enim quis dicat : Ego quidem sum » Pauli, ego autem Apollo, nonne carnales estis [4]? » Et

[1] Act. x, 34. — [2] Philip. III, 6. — [3] 2 Tim. I, 3. — [4] 1 Cor. III, 4.

ostendit hoc non modo nihil illis profuisse, neque effecisse ut aliquid acciperent, sed majorum rerum utilitatem impedivisse. Hoc enim zelum peperit. Zelus autem carnales illos effecit : quod autem carnales effecti sint, id non sivit sublimiora audire. « Quis igitur est Paulus? quis Apollo[1] ?» Nam post rerum probationem et demonstrationem, apertius deinde reprehensione usus est, et suum affert nomen, omnem tollens asperitatem, non permittens ut de dictis irascerentur. Si enim Paulus nihil est et non indignatur, multo minus illos ægre ferre oportebat. Duplici ergo ratione illos consolatur; et quod se ipsum posuerit, et quod non sinat eos omnibus privari, utpote qui nihil contulerint; sed aliquid dat illis modicum certe, dat tamen. Cum dixisset enim : « Quis est Paulus, quis Apollo? » subjunxit, « Nisi ministri per quos credidistis[2] ? » Hoc vero per se magnum est et multa mercede dignum ; si aspiciatur autem ad archetypum et radicem bonorum, nihil est. Non enim qui bonis ministrat, sed qui ea præbet et donat, hic est qui beneficio afficit. Nec dixit : Evangelistæ, sed, ministri, quod majus est. Neque enim solum evangelizarunt, sed etiam nobis ministravere. Illud enim in verbo tantum situm est, hoc in opere. Quamobrem etsi Christus minister solum est bonorum, et non ipse radix et fons tanquam Filius, vide quonam hæc res deducatur.

III. Quomodo igitur, inquies, dicit eum ministrum fuisse circumcisionis[3] ? De dispensatione secundum carnem ibi loquitur, et non eo modo quo nunc diximus. Nam illic ministrum dicit illum qui adimplevit; non eum qui ex se bona præbuit. Nec dixit, « Qui vos adducunt ad fidem, » sed, « Per quos credidistis; » rursus illis plus tribuens, et hinc ministros declarans. Si ergo alteri ministrabant, quomodo hi arripiunt auctoritatem? Tu vero mihi consideres,

[1] 1 Cor. III, 5. — [2] Ibid. — [3] Rom. XV, 8.

quomodo nusquam eos accuset, quasi rapiant, sed ut qui præbeant : lapsus enim causa in plebe erat. Nam si illi abstitissent, hi destitissent. Duo igitur sapienter confirmavit, unde oportebat peccatum tollere ibi suffodiens, adversus illos odio non concitatus, neque illos reddens contentiosiores. « Et unicuique sicut Christus dedit [1]. » Neque enim hoc ipsum modicum a se ipsis habebant, sed a Deo qui tradiderat. Ne enim dicerent : Quid ergo ? iis qui nobis ministrant non amanter hærebimus ? Etiam, inquit; sed scire oportet quousque. Neque enim hoc ipsum a se habent, sed a Deo, qui dedit. « Ego plantavi, Apollo rigavit; » Deus autem incrementum dedit [1]. » Id est, primus verbum inserui : ne vero semina tentationibus exsiccarentur, sua addidit Apollo; totum autem Dei fuit. « Itaque neque » qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat in» crementum Deus [2]. » Vides-ne quomodo illos consoletur ut ne asperiores fiant ex eo quod audierint, quis est iste, qui est ille. Sunt enim utraque onerosa, et quod dixisset, quis est iste, quis est ille ; et quod dixisset : « Neque qui plan» tat, neque qui rigat est aliquid. » Quomodo ergo circa hæc consolationem attulit ? Quod in propriam personam despectum adducat cum dicit : « Quis enim est Paulus ? Quis » Apollo ? » et quod danti Deo totum referat. Cum enim dixisset, hic plantavit, et addidisset nihil esse eum qui plantat, addidit, « Sed qui incrementum dat Deus. » Neque hic constitit ; sed alio rursus additamento ei medetur dicens : » Qui autem plantat et qui rigat unum sunt [3]. » Per hoc enim aliud quoque molitur, ut ne alter in alterum efferantur. Unum autem illos esse dicit ; eo quod nihil possint sine Deo incrementum dante. Hoc cum dixisset, ne eos quidem qui multum laboraverant permisit efferri in eos qui minora intulissent, neque alios iis invidere. Deinde, quia hoc

[1] 1 Cor. III, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7.

segniores illos reddebat, quod omnes unum esse putarentur, tam ii qui multum, quam ii qui minus laboraverant, vide quomodo hoc correxerit dicens : « Unusquisque autem » propriam mercedem accipiet secundum suum laborem[1]. » Ac si diceret : « Ne timeas quod dixerim unum esse; » nam si Dei operi conferantur, unum sunt; secundum labores autem non sunt unum : sed unusquisque propriam mercedem accipiet. Deinde hoc etiam magis mitigat, cum id effecisset quod volebat : in quibus potest gratificatur cum liberalitate. « Dei enim adjutores sumus : Dei agricul- » tura estis, Dei ædificatio estis [2]. » Vides-ne quomodo ipsis opus dederit non parvum, cum prius probasset totum ex Deo esse? Quia enim semper monet parendum esse præpositis, ideo doctores non admodum deprimit. « Dei agri- » cultura estis. » Quia enim dixit, « Plantavi, » perstat in metaphora. Si autem Dei agricultura; non ut ab iis qui vos colunt, sed ut a Deo vocemini æquum est. Non enim ager vocatur agricolæ, sed patrisfamilias. « Dei ædificatio » estis. » Rursus ædificatio, non artificis, sed Domini est. Si autem ædificatio estis, non oportet esse divisos : alias hoc ædificatio non fuerit. Si agricultura estis, non oportet dividi; sed una concordiæ sepe muniri. « Secundum gra- » tiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fun- » damentum posui [3]. » Hic se sapientem vocavit, non se extollens, sed se typum dans illis, et ostendens sapientis esse unum ponere fundamentum. Vide namque quam moderate se gerat. Cum enim se sapientem dixisset, non sivit hoc esse suum; sed cum se prius totum Deo attribuisset, tunc se ita vocavit : nam secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, inquit. Simul enim ostendit totum esse Dei, et quod hoc maxime gratia sit, non dividi, sed in uno jacere fundamento. « Alius superædificat : videat au-

[1] 1 Cor. III, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10.

» tem unusquisque quomodo superædificet [1]. » Hic mihi videtur illos inducere, ut certamen ineant de vita instituenda, quia illos semel conjunxit et unum fecit. « Fundamentum » enim aliud nemo potest ponere præter id quod » positum est, quod est Jesus Christus [2]. » Non potest autem quandiu fuerit architectus. Si autem positum fuerit, jam non est architectus.

IV. Vide quomodo a communibus notionibus propositum totum probet. Quod autem dicit hujusmodi est : Annuntiavi Christum, tradidi vobis fundamentum. Videte quomodo superædificetis, an ad inanem gloriam, an apud homines Discipulos abstrahentes. Ne attendamus ergo hæresibus. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. Super ipsum ergo ædificemus, et ut fundamento hæreamus, ut palmes viti, et nihil sit intermedium inter nos et Christum. Nam si aliquid intermedium sit, statim perimus. Palmes enim ex eo quod hæreat, trahit succum : et ædificium, quod sit compactum stat : quod si disjunctum sit, perit, cum non habeat quo innitatur. Ne itaque solum hæreamus Christo ; sed etiam ipsi conglutinemur. Nam si disjuncti simus, perimus. « Etenim qui elongant se a te, peribunt [3], » inquit. Conglutinemur ergo ipsi, et conglutinemur per opera : « Qui » enim servat mandata mea, in me manet [4]. » Etenim per multa exempla nos jungit. Animadverte autem : ipse est caput, nos autem corpus. An potest intermedium esse spatium inter caput et corpus? Ipse fundamentum, nos ædificium ; ipse vinea, nos palmites ; ipse sponsus, nos sponsa; ipse pastor, nos oves; ille via, nos qui incedimus in ea : nos rursus templum; ipse inhabitat; ipse primogenitus, nos fratres; ipse hæres, nos cohæredes; ipse vita, nos viventes ; ipse resurrectio, nos resurgentes : ipse lux,

[1] 1 Cor. III, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. LXXII, 26. — [4] Joan. XIV, 21.

nos illuminamur. Hæc omnia conjunctionem indicant, et nullum vacuum intermedium esse sinunt, ne vel minimum quidem. Nam qui parum abscedit, progressus etiam, multum abscedet. Etenim corpus si parvam per gladium separationem admittat, perit : et ædificium, si vel parum dehiscat, dissolvitur; et si palmes a radice vel minimum abscindatur, fit inutilis. Itaque parvum istud non est parvum, sed etiam fere totum est. Cum ergo parvum quodpiam peccatum admittimus, vel socordes sumus, ne illud parvum negligamus, nam illud neglectum cito magnum efficitur. Sic et vestimentum si dirumpi incipiat et negligatur, per totum scissuram admittit : et tectum, paucis delapsis tegulis neglectum, totam domum dejicit. Hæc ergo nobiscum reputantes, parva nunquam despiciamus, ne in magna incidamus. Sin autem negligamus, et in profundum malorum venerimus, ne illic quidem animum despondeamus, ut ne in capitis gravedinem incidamus. Difficile enim deinceps erit inde ascendere, nisi quis admodum vigilet; non solum propter longitudinem, sed etiam propter ipsum situm. Profunda enim res est peccatum, et deorsum ferens premit. Ac sicut ii qui in puteum inciderunt, non facile ascenderint; sed illis opus habebunt, qui se educant; sic etiam qui in profundum venerit peccatorum. Demittamus ergo funes ad illos et sursum trahamus. Imovero non aliis tantum opus est, sed nobis ipsis; ut et nos ipsos alligemus, et ascendamus, non quantum descendimus, sed multo magis si velimus : Deus enim fert opem. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur. Nemo igitur desperet, nemo impiorum morbo laboret : illorum quippe est peccatum hujusmodi. Impius enim cum in profundum malorum venerit, contemnit, Itaque non peccatorum multitudo desperationem inducit; sed impii mens. Etiamsi ergo nequitiam omnem pervaseris,

dic apud te : Benignus est Deus, et salutem desiderat nostram. « Etiamsi enim fuerint peccata vestra sicut cocci» num, ut nivem, inquit, dealbabo [1] ; » et in contrarium habitum transferam. Ne ergo animum despondeamus. Non enim ita grave est cecidisse, ut lapsum jacere; sic neque ita grave est esse vulneratum, ut a vulneribus nolle curari. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis dicere ausus fuerit se mundum esse a peccatis? Hæc dico, non ut vos socordiores reddam; sed ut impediam quominus in desperationem incidatis.

V. Vis discere quam bonus sit Dominus noster? Ascendit Publicanus, mille malis onustus, et cum dixisset tantum : « Propitius esto mihi, » descendit justificatus. Per Prophetam quoque dicit Deus : « Propter peccatum parum » illum constristavi, et vidi quod dolore esset affectus, et » iret tristis, et sanavi vias ejus [2]. » Quid huic humanitati par est? Ut solum esset tristis, inquit, remisi peccata. Nos autem ne hoc quidem facimus : ideo maxime Deum ad iram provocamus. Qui enim per parva gesta propitius factus est, quando ea non fuerit assecutus, jure indignatur, et extremum de nobis sumit supplicium : est enim hoc summi contemptus. Quis enim unquam mœrore affectus fuit propter peccatum? Quis ingemuit? Quis pectus percussit? Quis sollicitus fuit? Ego puto neminem. Sed innumeris diebus lugent homines pro famulis mortuis, pro pecuniæ jactura. Cum autem animam quotidie perdamus, id ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum tibi propitium reddere, cum ne quidem scias te peccavisse? Etiam, inquies, peccavi : etiam lingua quidem profers; dic mihi et mente, et cum dixeris, ingemisce; ut sis semper bono animo. Etenim si doleremus propter peccata, si pro delictis ingemisceremus, nihil aliud nos dolore affi-

[1] Isaï. I, 18. — [2] Id. LVII, 17.

ceret, hoc dolore omnem animi ægritudinem expellente. Quamobrem aliud quoque lucraremur cum confessione, nempe quod non immergeremur in hujus vitæ calamitates; neque in rebus prosperis ac præclaris inflaremur. Et hac ratione rursum magis Deum placaremus; ut jam per gesta nostra ad iram provocamus. Dic enim mihi; si quem habeas famulum, qui multa passus a conservis, de aliis quidem nullam habeat rationem : sed unam rem curet ut ne herum suum ad iram concitet; annon hinc solum poterit iram tuam sedare? Quid autem si eorum quæ in te deliquit, nullam curam habeat; curet autem ea quæ in conservos deliquit, nonne majus inferes supplicium? Ita etiam facit Deus. Cum ejus iram non curamus, illam infert vehementiorem; cum autem eam curamus, mitiorem. Imo ne deinceps quidem illam infert. Vult enim ut nos ipsi peccatorum pœnas a nobis exigamus; ille vero non ultra a nobis exigit. Ideo namque comminatur supplicium, ut metu contemptum auferat. Cum autem ex sola comminatione deterremur, non sinit ut ejus periculum faciamus. Vide namque quid Jeremiæ dicat : « Non vides » quid illi faciunt? Patres eorum ignem accendunt; filii » eorum colligunt ligna : mulieres eorum terunt adipem [1]. » Timendum est ne de nobis quidpiam simile dicatur : Non vides quid illi faciunt? Nemo quæ Christi sunt quærit; sed omnes quæ sua sunt. Filii eorum ad libidinem currunt : patres eorum ad avaritiam et rapinam : uxores eorum ad sæcularem fastum; quæ viros suos non modo non sedant, sed etiam provocant. Sta igitur in foro : interroga euntes et redeuntes, et neminem videbis pro re spirituali festinantem, sed omnes pro carnalibus currentes. Quousque non resipiscimus? Quousque in profundum somnum dejicimur? Annon malorum nos cepit sa-

[1] Jerem. VII, 17.

tietas? Atqui etiam absque verbis ipsa rerum experientia satis est ad docendos nos, nihil esse res præsentes et prava esse omnia. Homines certe qui externam sapientiam exercebant, et nihil futurorum noverant, cum deprehendissent magnam præsentium rerum vilitatem; ideo tantum abscesserunt. Quam ergo tu consequeris veniam, qui humi repis, nec despicis parva hæc quæ transeunt, nec deseris, pro iis quæ magna sunt atque æterna, qui ipsum Deum audis hoc tibi monstrantem, et ab ipso tales habes promissiones? Quod enim hæc non satis sint ad detinendum hominem, ostenderunt ii qui absque majorum rerum promissione ab eis abstinuerunt. Quas enim divitias expectantes, ad paupertatem venerunt? Nullas: sed quod bene scirent talem paupertatem esse divitiis meliorem. Quam sperantes vitam delicias reliquerunt, et asperæ vitæ se dediderunt? Nullas; sed ipsam rerum naturam edocti, et scientes hoc aptius esse et ad animæ philosophiam, et ad corporis valetudinem. Hæc igitur nos animo reputantes, et futura bona assidue in nobis versantes, a rebus præsentibus abscedamus, ut illa futura consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

CAPUT III.

Si quis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem [1].

1. Non est parva hæc quæ nobis proponitur quæstio [2], sed de rebus maxime necessariis, et quas omnes quærunt homines, an gehennæ ignis finem habeat. Nam quod non habeat, Christus pronuntiavit dicens : « Ignis eorum non » extinguetur, et vermis eorum non morietur [3]. » Et scio quidem vos hæc audientes torpescere. Sed quid faciam? Deus enim jubet hæc frequenter insonare, dicens : « Præ- » cipe huic populo ; » et nos ad ministerium verbi constituti sumus : ac necesse est ut sim molestus auditoribus, non lubens, sed coactus. Imo si vultis, non erimus onerosi. « Nam si bonum, inquit, facias, ne time [4]. » Itaque licet vobis non solum non ægre, sed etiam cum voluptate nos audire. Quod igitur finem non habeat, Christus ipse pronuntiavit. Paulus autem dicit, ostendens immortale esse supplicium, peccatores daturos esse pœnas exitiosas

[1] 1 Cor. III, 00. — [2] Vide D. Gaillon; tom. XVI, p. 390-398. — [3] Marc. IX, 44. — [4] Rom XIII, 3.

et æternas ; et rursum, « Nolite errare ; neque fornica-» tores, neque adulteri, neque molles regnum Dei pos-sidebunt [1]. » Hebræis quoque dicebat : « Pacem perse-» quimini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nemo » videbit Dominum [2]. » Et Christus iis, qui dicebant : « In no-» mine tuo virtutes multas fecimus, » ait : « Discedite a » me, non novi vos, qui operamini iniquitatem [3]. » Et virgi-nes exclusæ sunt, neque intraverunt. Et de iis qui ipsum non nutrierunt, ait : « Ibunt in supplicium æternum. » Nec mihi dicas : « Ubinam æqui ratio servatur, si supplicium non habet finem? » Quando enim Deus aliquid facit, ejus sententiæ obsequere, et ne ea, quæ dicuntur, humanis ratio-ciniis subjice. Alioquin autem quomodo non justum fuerit eum, qui ab initio innumera accepit beneficia, deindeque supplicio digna patravit, ac neque minis neque beneficiis melior effectus est, supplicio plecti? Nam si id quod jus-tum est quæris, ab initio nos periisse oportuit, secundum æqui et justi rationem; imo neque tunc secundum æqui et justi rationem tantum. Nam benignitatis fuisset, si hoc passi essemus. Quando enim quis eum, qui se nihil læsit, contumelia afficit, secundum justi rationem dat pœ-nas; quando autem beneficum, qui nihil antea accepit be-neficii, sed ipse beneficia mille intulit, qui sola causa est quod ille existat, qui Deus est et animam inspiravit, in-numeraque bona intulit, atque in cœlum inducere voluit : si hunc post tot beneficia, non modo contumelia afficiat, sed et contumelias quotidie per opera repetat, quanam dignus fuerit venia? Non vides quomodo Adamum punierit propter unum peccatum? Etiam, inquies, paradisum ipsi dedit et effecit ut magna frueretur benevolentia. Atqui non par res est eum, qui in securitate, vivit peccare, et eum, qui in multis ærumnis vivit, id facere. Et hoc ipsum grave est,

[1] 1 Cor. VI, 9. — [2] Hebr. XII, 14. — [3] Matth. VII, 22.

quod non in paradiso pecces, sed in malis hujus vitæ innumeris, neque ex miseria cautior evadas : ac si quis vinctus nequitia uteretur. Tibi vero etiam paradiso majora promisit, neque tibi jam dedit, ne te in tempore certaminum, molliorem redderet : neque tacuit, ne te nimis dejiceret in laboribus. Et ille quidem uno peccato totam ad se mortem attraxit : nos autem quotidie innumera peccata admittimus. Si autem ille cum unum admisisset, tantum sibi malum attraxit, et mortem invexit; qui semper in peccatis vivimus, quid non patiemur, qui pro paradiso cœlum sperabamus? Molesta sunt hæc, et mœstitia afficiunt auditorem; hoc bene novi ex iis quæ ipse patior. Cor enim meum turbatur et palpitat. Et quo magis video probari id quod de gehenna dicitur, eo magis tremo et ex metu refugio. Sed necesse est hæc dicere, ne in gehennam incidamus. Non accepisti tu paradisum, neque ligna, neque plantas; sed cœlum et cœlestia bona. Quod si is, qui minora accepit, damnatus est, neque ulla cum erit ratio; multo magis nos, qui plura peccavimus, et ad majora vocati sumus, intolerabilia patiemur. Cogita ergo quanto tempore in morte manet propter unum peccatum genus nostrum. Quinque mille anni et plures præterierunt, et mors nondum soluta fuit, propter unum peccatum inducta. Nec possumus dicere Adamum aliquem audisse Prophetam, vel ipsum alios propter peccata punitos vidisse, et par fuisse ut inde timeret, atque exemplo cautior fieret. Primus enim erat et solus, tamenque punichatur. Tu vero nihil horum obtendere potes, qui post tot exempla deterior factus es, qui tanto dignatus es Spiritu, ac non unum, vel duo, vel tria, sed innumera peccata accumulasti. Ne enim consideres quod brevi temporis momento peccatum admittatur; neque ideo putes supplicium momentaneum futurum esse. Annon vides

homines qui sæpe pro uno furto, adulterio uno, in carcere et metallis totam vitam insumpsere, cum fame perpetua et mille mortibus concertantes? ac nemo ipsos eripuit, neque dixit brevi temporis momento peccatum peractum fuisse, et oportere et peccatum et supplicium paris esse temporis.

II. At, inquies, homines sunt, qui hæc admittunt, Deus autem benignus erga homines est. Primum quippe ne homines quidem hæc faciunt ex crudelitate; sed ex benignitate; et Deus etiam ut est hominum amans, ita etiam peccata ulciscitur. Nam secundum misericordiam ipsius multa est ejus redargutio et ultio. Cum dicis ergo Deum esse hominum amantem, majorem mihi dicis supplicii occasionem, quod in eum qui talis sit peccemus. Ideo dicebat Paulus : « Horrendum est incidere in manus Dei vi» ventis[1]. » Ferte, quæso, igneam vim verborum; hinc fortasse vobis quædam consolatio orietur. Quis homo potest ita punire, ut punivit Deus, qui diluvium immisit, et tanto generi exitium intulit; et paulo post rursum ignis pluviam immisit, et omnis funditus delevit? Quæ hominum ultio potest esse tanta? Non vides hoc supplicium immortale fere esse? Quater mille anni effluxere, et Sodomitarum ultio adhuc viget et manet. Quemadmodum enim benignitas ejus magna est; ita et supplicium. Nam si onerosa et impossibilia jussisset, posset fortasse quis legum difficultatem obtendere; quod si admodum facilia, quid possimus dicere etsi nullam horum rationem habemus? Jejunare non potes, neque virginitatem servare? Atqui potes, si velis : et nos accusant ii qui possunt. Attamen Deus tanta erga nos severitate usus non est, neque hæc jussit, nec hasce leges posuit, sed hæc auditorum voluntati et arbitrio reliquit. Castus in connubio esse potes, ac penes te est non inebriari. Pecunias omnes profundere non

[1] Hebr. x, 31.

potes? Quanquam potes, et ostendunt ii qui hoc faciunt. Attamen ille non hoc præcepit; sed jussit non rapere, et ex facultatibus egenis erogare. Si quis autem dixerit se non uxore contentum esse posse, se ipsum decipit et fallit, ut arguunt ii qui sine uxore continentes sunt. Quid vero, dic quæso, non potes non conviciis et maledictis impetere? Atqui hoc facere onerosum est, non autem non facere. Quam ergo habemus excusationem, qui tam levia et facilia non servemus? nos aliquam habere dici nequit. Quod ergo immortalis sit ultio, ex dictis palam est. Quia vero Pauli dictum videtur nonnullis adversari, age hoc ipsum in medium adductum excutiamus. Cum dixisset, « Si cujusdam opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet; et si cujusdam opus arserit, detrimentum patietur; » subjunxit: « Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Quid ergo ad hoc dicemus? Consideremus primo quid sit fundamentum, quod sit aurum, et qui lapides pretiosi, quod fœnum, quæ stipula. Fundamentum quidem ipse Paulus declaravit, Christum esse dicens: « Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, præter ipsum, quod est positum, inquit, quod est Christus Jesus. » Ædificium autem mihi videntur esse actiones. Atqui dicunt quidam hoc ipsum dictum esse de doctoribus et de discipulis, ac de corruptis hæresibus; sed hoc series non admittit. Nam si hoc est, quomodo opus quidem perit; qui autem ædificat, salvus erit vel per ignem? Auctorem enim magis perire oporteret: nunc autem majores pœnas dedisse invenietur is, qui ædificatus est. Nam si doctor auctor fuit mali, dignus est qui majores luat pœnas. Quomodo ergo salvus erit? Si auctor non est, sed discipuli per suam perversitatem tales facti sunt, non dignus est is qui recte ædificavit, qui luat pœnas, vel damnum subeat. Quomodo ergo dicit: « Detrimentum pa-

tietur? » Unde palam est hic de actibus agi. Quia enim fornicatorem deinceps aggressurus est, longe antea principium ponit. Solet enim de alia re dicturus, in ipsa de alio disputatione, aliud præmittere et probare, quo postea venturus est. Nam reprehendens, quod in prandiis alii alios non expectarent, de mysteriis sermonem apparavit. Quia autem nunc ad fornicatorem festinat, de fundamento locutus subjunxit : « Nescitis quod templum Dei estis, et » Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. » Hæc autem dicebat jam metu exagitans mentem ejus qui fornicatus fuerat. « Si » quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. » Post fidem enim ædificatione est opus. Et ideo alibi dicit : « Ædificate vos invicem in his sermonibus. » Etenim artifex, et discipulus simul conferunt in ædificationem. Ideo dicit : « Unusquisque autem videat quomodo super » ædificet. »

III. Si hæc autem dicta sint de fide, non est rationi consentaneum quod dicitur. In fide namque oportet omnes esse pares : quoniam una est fides. In virtute autem vitæ non possunt omnes esse iidem. Fides enim non est alia minor, alia præstantior; sed eadem est omnium vere credentium. At in vita possunt alii quidem esse studiosiores, alii socordiores ; alii accuratiores, alii inferiores : alii majora, alii minora recte agere, et alii gravius, alii minus delinquere. Propterea dixit : « Aurum, argentum, lapides » pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. Uniuscujusque opus » manifestum erit. » Hic de actione loquitur. « Si cujus » opus manserit, quod superædificaverit, mercedem ac» cipiet; si cujus opus arserit, detrimentum accipiet. » Atqui si de discipulis et doctoribus id diceretur, non oportuisset doctores detrimentum recipere, si non audissent

discipuli. Ideo ait : « Unusquisque propriam mercedem » accipiet secundum proprium laborem ; » non secundum finem, sed secundum laborem. Quid enim si non attenderint auditores? Quapropter hinc liquidum est hic de operibus agi. Id autem vult significare. Si quis cum recta fide malam vitam agat, huic non proderit fides ut non puniatur, ardente opere. Illud autem, « Arserit, » id est, non tulerit vim ignis. Sed ut si quis arma aurea habens fluvium igneum trajiciat, alacer transibit, si autem fœnum habens transeat, non modo nihil proficit, sed etiam se ipsum perdit. Ita est et in operibus. Non enim hic loquitur quasi de personis vere adustis, sed potius ut metum incutiat, ostendatque eum, qui in nequitia vivit, nudum præsidio et securitate esse : quapropter ait, « Detrimentum patietur; » ecce unum supplicium. « Ipse autem salvus erit, sic quasi » per ignem ; » ecce secundum. Hoc autem vult significare : non sic ille peribit ut opera, ad nihilum reductus : sed manebit in igne. Salutem itaque hanc rem vocat, ideo adjecit, « Quasi per ignem. » Nam nos quoque solemus dicere, in igne salvus est, de iis quæ non comburuntur, nec statim in cinerem abeunt. Ne enim, quia ignem audisti, putes eos qui comburuntur in nihilum redigi. Si vero tale supplicium salutem vocet, ne mireris : solet enim etiam in iis quæ male sonant, pulchris uti nominibus, et in bonis, contrariis. Verbi gratia, captivitatis nomen malæ rei nomen esse videtur ; sed in re bona illo usus est Paulus, « In captivitatem agentes omnem intelligentiam » ad obedientiam Christi[1]. » Et in re mala bene sonante nomine usus est, dicens : « Regnavit peccatum[2]. » Atqui nomen regni bene sonat ; sic et hoc loco cum dicit, Salvus erit, nihil aliud quam augmentum supplicii subindicavit, ac si dixisset : « Ipse autem manebit in æternum

[1] 2 Cor. x, 5. — [2] Rom. v, 21.

cruciatus. » Deinde etiam infert dicens : « Nescitis quod » templum Dei estis[3] ? » Quia enim de iis qui scindunt Ecclesiam superius locutus est, deinceps illum perstringit, qui fornicatus erat, nondum quidem aperte, sed indefinite, ejus corruptam vitam subindicans, et peccatum amplificans, a dono jam ipsi collato. Deinde alios quoque perstringit, ab iis quæ jam ipsi habuerant. Sive enim a futuris, sive ab iis quæ jam fuerant et molestis, et bonis, semper id facit. A futuris quidem : « Dies enim declara- » bit, quod in igne revelatur. » Ab iis autem quæ jam fuerant : « Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei » habitat in vobis. Si quis templum Dei violaverit, di- » det illum Deus[4]. » Vides-ne orationis vehementiam? Sed quandiu persona est ignota, non est adeo grave quod dicitur, cum omnes timorem correptionis participes subeant. « Disperdet illum Deus; » id est, afferet exitium. Hoc autem non est maledicentis, sed prophetantis. « Templum » enim Dei sanctum est. » Fornicator autem est profanus. Deinde ne videretur ad illum respicere, cum dixisset, « Templum enim Dei sanctum est, » subjunxit : « Quod estis » vos. Nemo se ipsum seducat[2]. » Hoc quoque ad illum spectat, ut qui se existimaret aliquid esse, et de sapientia gloriaretur. Ne videretur autem curiosius diutiusque illum impetere, cum in angorem et metum illum conjecisset, rursus ad communem accusationem orationem deducit dicens : « Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæ- » culo, stultus fiat, ut sit sapiens[2]. » Hoc autem deinde facit cum magna loquendi libertate, utpote qui illos satis expugnarit. Nam etiamsi quis sit dives, etiamsi nobilis, vilium omnium vilissimus, quando captus fuerit a peccato. Quemadmodum enim si quis regnaverit, et barbarorum postea captivus fiat, omnium est miserrimus. Ita

[1] 1 Cor. III, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid.

etiam in peccato. Barbarus enim quidam est peccatum, quod animæ semel captæ parcere nesciat : sed in perniciem eorum qui capti sunt tyrannidem suam exerceat.

IV. Nihil enim ita inconsideratum est ut peccatum, nihil ita insipiens, stultum ac violentum. Omnia evertit et confundit, et perdit, quocumque insilierit, visu deforme, grave et molestum. Et si quis ipsum pictor effingeret, non aberrare mihi videretur, si sic ipsum efformaret ; mulierem nempe quamdam forma belluina, barbaram, ignem spirantem, injucundam, nigram, quales externi poëtæ Scyllas depingunt. Innumeris enim manibus cogitationes nostras apprehendit, atque ex improviso ingreditur, omniaque discerpit et dilacerat, sicut canes clanculum mordentes. Imo quid opus nobis est pictura, cum liceat eos qui illud perpetrant in medium adducere ? Quem itaque vultis primum describamus ? Avarum et raptorem ? Ecquid est oculis illis impudentius ? Quid magis invercundum ? quid magis caninum ? Non enim canis ita impudens stat ut hic, quando omnium bona rapit. Quid manibus illius detestabilius ? Quid ore petulantius ejus qui omnia devorat, et nunquam satiatur ? Ne ejus vultum et oculos intuearis, quod sint hominis. Non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit ille homines tanquam homines. Non aspicit cœlum tanquam cœlum : ad Dominum non nutu suo tendit ; sed omnia pecunias esse existimat. Humani oculi solent afflictos homines intueri et frangi. Rapacium oculi pauperes vident. et efferantur. Humani oculi non ut sua intuentur aliena, sed propria sibi ut aliena vident : et ea quæ aliis data sunt non concupiscunt ; sed in alios quoque sua effundunt. Hi vero id non ferunt, nisi omnium bona abripiant. Non enim humanum, sed ferinum habent visum. Humani oculi nudum videre corpus suum non ferunt ; suum enim est, etiamsi aliorum quantum ad personam. Hi vero nisi omnia

denudarint, et omnia domi recondant, nunquam satiantur, imovero nunquam implentur. Ideo eorum manus, non ferarum manus tantum dixeris, sed longe ferociores et immaniores. Ursi namque et lupi cum satiati fuerint, a tali alimento recedunt : hi vero nunquam satiantur. Atqui propterea Deus manus nobis dedit ut aliis opem feramus, non ut iis insidiemur. Nam si ipsis ad hoc usuri essemus, melius esset illas excindi, et nos illis privari. Tu vero, si ovem fera discerpat, doles ; cum autem in congenerem facis, non putas te aliquid immane facere ? et quomodo fueris hom? Non vides nos humanam eam rem dicere, quæ misericordia plena sit et benignitate ? Quando autem aliquid sævum et crudele perficit homo, inhumanum illum vocamus. Itaque characterem hominis depingimus a commiseratione, feræ autem a contrario, semper dicentes : Num homo est, fera, aut canis ? Homines enim paupertatem sublevant, non augent. Horum autem ora ferarum sunt ora ; imo hæc sunt illis ferociora. Verba enim proferunt, quæ magis quam ferarum dentes virus emittentes, cædem patrant. Et siquis omnia persequatur, tunc recte videbit quomodo inhumanitas eos, qui sic affecti sunt, feras ex hominibus reddat. Quod si quis illorum mentem examinaverit, non ultra feras tantum, sed etiam dæmonas illos vocabit. Sunt enim multa immanitate pleni et odio in conservos : ibi non amor regni est, neque metus gehennæ : non hominum reverentia, non misericordia, non commiseratio ; sed impudentia, petulantia, et futurorum omnium contemptus. Fabulæ ipsis videntur esse Dei verba de supplicio futuro, et ejus minæ risus. Talis enim est avari mens. Cum ergo intrinsecus dæmones sint, extrinsecus vero feræ, et feris deteriores : ubinam, quæso, illos collocabimus ? Quod enim feris sint deteriores, hinc palam est, quod feræ natura sint tales ; hi vero qui secundum naturam mansuetudinem habent, præter natu-

ram in ferinos mores transire nituntur : ac dæmones homines insidiantes sibi opem ferentes habent : quod si opem non ferrent, magna pars ipsis insidiarum contra nos structarum sublata esset. Ili vero eos qui ab se vexantur, secum contendentes, superare nituntur. Rursus dæmon hominem bello impetit, non autem dæmonas sui generis. Hic vero congeneres et necessarios omnimoda vexatione affligit, neque reveretur naturam. Scio multos esse, qui ob hæc verba nos odio habent. Ego vero illos non odi, sed eorum misereor, et eos qui sic affecti sunt lacrymis prosequor : etiamsi percutere velint, libenter id tulerim, si ab hac feritate abstinere velint. Neque enim ego solus, sed etiam Propheta nobiscum hujusmodi homines ab humana cognatione expellit, dicens : « Homo cum in honore esset, non » intellexit, sed comparatus est jumentis insipientibus [1]. » Simus ergo homines tandem aliquando, et in cœlum respiciamus : atque illud secundum imaginem accipiamus et recuperemus, ut et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

CAPUT III.

Nemo se ipsum seducat. Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sis sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum [1].

I. Ut supra dixi, cum ante opportunum tempus ad in-

[1] Psal. XLVIII, 21. — [1] 1 Cor. III, 18, 19.

cusandum illum, qui fornicatus fuerat, deductus esset, et ænigmatice illum paucis perstrinxisset, ejusque conscientiam exagitasset; pergit rursus ad pugnam contra sapientiam externam, et illos adoritur, qui inde inflati scindebant Ecclesiam; ut iis quæ residua erant additis, postquam hoc caput accurate perfecerit; sic rursus contra fornicarium cum impetu feratur, quem jam supra telis emissis aggressus est. Nam illud: « Nemo se ipsum seducat, » ad illum maxime respicit, et illum metu afficit, mitigatque; quodque de stipula dicitur, illum præcipue subindicat: et cum dicit: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei » habitat in vobis [1] ?» Hæc quippe duo maxime solent nos a peccato abducere: quando repositam peccato pœnam cogitamus, et quando dignitatem nostram nobiscum reputamus. Cum ergo fœnum ac stipulam in medium adduxit, exterruit; cum autem propriæ nobilitatis dignitatem intulit, pudore affecit; illo quidem modo stupidiores; hoc autem moderatiores reddens meliores. « Nemo se ipsum seducat. » Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo stultus fiat. » Quasi mortuum huic mundo fieri jubet: mors autem hujusmodi nihil lædit, imo juvat, cum sit vitæ causa. Sic etiam stultum huic mundo fieri jubet, hinc nobis veram sapientiam concilians. Stultus autem mundo efficitur, qui externam sapientiam despicit, persuasum habens illam sibi nihil ad fidem adipiscendam adjumenti conferre. Quemadmodum ergo paupertas secundum Deum divitiarum causa est, et humilitas altitudinis, et gloriæ despectus est gloriæ causa; ita et stultum fieri, omnibus sapientiorem efficit. Ex contrariis enim res nostræ constant. Et cur non dixit: « Deponat sapientiam, » sed, « Stultus fiat? » ut externam disciplinam supra modum dedecoret. Neque enim idipsum fuisset dicere: Depone sapientiam, et, Stultus fias.

[1] 1 Cor. III, 16.

Alioquin vero docet etiam non erubescendum esse de ea quæ apud nos est simplicitate : externa enim admodum irridet. Quapropter nomina non timet, quoniam in rerum virtute confidit. Ut igitur crux, quæ probrosa videtur esse bonorum innumerabilium causa, et gloriæ ineffabilis occasio et radix nobis fuit ; sic ea quæ videtur esse stultitia, sapientiæ nobis causa fuit. Sicut enim is qui male quidpiam didicit, nisi totum deponat, animamque ei qui scripturus est planam et puram reddat, ex sanis rebus nihil clare sciet; ita etiam in externa sapientia, nisi totum eradas et mentem everras, et quasi idiota fidei te obtuleris, nihil præclarum vel sincerum accurate scies. Nam qui oblique vident, nisi clausis oculis se aliis tradiderint, sed male affecto visui sua permiserint, magis errabunt, quam qui non vident. Et quomodo, inquies, possit hæc externa sapientia deponi? Si eorum disciplina non utaris. Deinde postquam ab illa desistere tam aspere jussit; causam etiam effert his verbis : « Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud »Deum. » Non modo enim nihil confert, sed etiam impedit. Oportet igitur ab illa absistere, utpote quæ noceat. Vides-ne quomodo ubertim victoriam retulerit, ostendens illam non modo nihil nos juvare; sed etiam nobis contrariam esse? neque suis contentus argumentis, testimonium rursus affert dicens : « Scriptum est enim : Qui comprehendit sapientes in astutia eorum. » Astutia, id est, suis illos armis capit. Quia enim astutia usi sunt, ut ne Deo haberent opus ; per hanc ipsam astutiam illis probavit quod maxime Deo egeant. Quo modo? Quod per eam stulti effecti, merito per eamdem capti sint. Nam qui putabant se Deo non opus habere, ad tantam redacti sunt egestatem, ut piscatoribus et illitteratis minores apparerent, ipsisque demum opus haberent. Ideo ait : « In astutia ipso»rum cepit illos. » Nam cum dicit : Perdam sapientiam,

ipsam ad nihil utile inducere significat : illud autem, « Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, » ad ostendendam Dei potentiam dicitur.

II. Deinde modum dicit quo comprehendit, aliud adjiciens testimonium ; ait enim : « Dominus novit cogitationes » sapientium, quoniam vanæ sunt[1]. » Cum autem sapientia illa, quæ est immensa, hæc de illis pronuntiaverit, et tales ipsos esse probaverit, quam aliam extremæ illorum amentiæ quæres demonstrationem? Nam hominum quidem judicia sæpe labuntur; Dei vero sententia nec reprehendi, nec corrumpi unquam potest. Postquam igitur superni judicii tropæum ita splendidum erexerat, vehementer in subditos sermonem convertit, hæc dicens : « Nemo itaque » glorietur in humanis : omnia enim vestra sunt[2]. » Rursus priora repetit, ostendens illos neque in spiritualibus altum sapere debere, ut qui nihil ex se habeant. Cum ergo externa sapientia noxia sit, et spiritualia a vobis non sint data, unde habes quod glorieris? Et in externa quidem sapientia nemo se ipsum decipiat, inquit, quia ipsi in re noxia sibi placebant. Hic vero quia res habet utilitatem, nemo glorietur. Et mansuetiore utitur oratione : « Omnia enim ves- » tra sunt; sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive » mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive fu- » tura. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus au- » tem Dei[3]. » Quia enim illos vehementer perstrinxerat, rursus ipsos recreat. Et superius quidem dicebat : « Adjutores sumus Dei, » et aliis pluribus verbis ipsos consolabatur : hic autem dicit, « Omnia vestra sunt, » doctorum fastum amovens, ostendensque ipsos non modo nihil illis largiri, sed ipsis gratias referre debere. Propter illos enim tales effecti sunt, etiamque gratiam acceperunt. Sed quoniam futurum erat, ut illi etiam gloriarentur, ideo hunc

[1] 1 Cor. III, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Ibid. 22, 23.

quoque morbum præcidit dicens : « Unicuique sicut Deus » dedit ; » et, « Deus incrementum dedit, » ut neque illi, quia præbuerunt, altum sapiant ; neque hi etiam, quia audierunt, omnia vestra sunt, sese extollant. Etenim etiamsi propter vos, at totum a Deo factum est. Tu vero mihi perpendas velim, quomodo usque ad finem perseveret nomen suum et nomen Petri ponere. Quid vero significat illud, sive mors ? Etiamsi moriantur, pro vobis moriuntur, periclitantes pro vestra salute. Vides-ne quomodo rursum discipulorum fastum deprimat, doctores autem extollat ? Nam sic illos alloquitur ut pueros nobiles, pædagogos habentes, qui hæreditatem accepturi sunt. Licet etiam alio modo dicere, mortem Adami propter nos fuisse, ut resipisceremus ; mortem vero Christi, ut servaremur. « Vos autem Christi, Christus vero Dei. » Aliter Christi sumus, et aliter Christus Dei est, et aliter mundus est noster. Nos quippe Christi sumus ut opus illius ; Christus vero Dei ut germana proles, non ut opus ; qua ratione etiam nec mundus est noster. Itaque etsi una sit dictio ; at diversa sententia. Mundus enim noster est, utpote pro nobis factus : Christus Dei est, ut qui ipsum auctorem habeat, quatenus Pater ejus est : nos autem sumus Christi, quia ab ipso conditi sumus. Si illi sunt vestri, inquit, cur facitis contrarium, dum ab ipsis cognominamini, non a Christo et Deo ? « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispen- » satores mysteriorum Dei[1]. » Postquam illorum arrogantiam depressit, vide jam quomodo illos recreet dicens : « Ut ministros Christi. » Ne itaque, misso Domino, a ministris et famulis nomen accipias. Dispensatores autem dixit, ostendens non omnibus hæc danda esse, sed quibus oportet, et quibus ea sunt dispensanda. « Hic jam quæritur inter dis- » pensatores ut fidelis quis inveniatur[2] ; » id est, ne quæ

[1] 1 Cor. IV, 1. — [2] Ibid. 2.

sunt Domini sibi usurpet, nec sibi tanquam Domino ea vindicet; sed ut dispensator illa curet. Dispensatoris enim est ea quæ sibi credita sunt probe administrare, nec quæ Domini sunt sua dicere; sed contra quæ sunt sua, Domini dicere. Unusquisque hæc cogitans, sive dicendi facultatem habeat, sive pecunias, quod nempe res Domini sibi creditæ sint, non autem suæ, ne illas penes se retineat, neque sibi ascribat; sed Deo omnia largienti illas acceptas referat. Vis videre fideles dispensatores? audi quid dicat Petrus: «Quid nos respicitis quasi propria virtute aut pietate »fecerimus hunc ambulare[1]?» Et Cornelio dicebat (10): «Et nos iisdem passionibus obnoxii homines sumus[2];» et ad Christum: «Ecce reliquimus omnia et secuti sumus »te[3].» Et Paulus cum dixisset, «Plusquam omnes labo»ravi;» subjunxit: «Non ego autem, sed gratia Dei me»cum[4].» Et alibi eosdem alloquens dicebat: «Quid enim »habes quod non accepisti[5]?» Nihil enim habes tuum; non pecunias, non verbum, non ipsam animam: nam et ipsa Domini est.

III. Cum igitur opus fuerit, hanc quoque depone. Quod si vitam amas, et si deponere jussus, contradicis, jam non fidelis dispensator es. Et quomodo licet, Deo vocante, resistere? Nam ego quoque hoc dico, et propter hoc ipsum admiror Dei benignitatem: quæ enim potest ille, etiam te invito a te accipere, ea non vult te invito inferri, ut mercedem habeas. Exempli causa, potest animam te invito accipere, sed vult te volente, ut cum Paulo dicas: «Quo»tidie morior[6].» Potest gloriam tuam accipere te invito, teque humilem reddere; sed vult te quoque volente, ut remunerationem habeas. Potest te etiam invitum pauperem reddere, sed te volentem cupit talem fieri, ut tibi coronas

[1] Act. III, 12. — [2] Id. XIV, 15. — [3] Matth. XIX, 27. — [4] 1 Cor. XV, 10. — [5] Id. IV, 7. — [6] Id. XV, 31.

nectat. Vidisti-ne Dei benignitatem ? Vidisti-ne socordiam nostram ? Ad magnam pervenisti dignitatem, et principatum assecutus es ecclesiasticum ? ne altum sapias. Non tu gloriam obtinuisti, sed illa te Deus induit : illa igitur ut aliena utere : ne illam ad ea, quæ non decet, adhibeas, ne infleris, ne tibi vindices, sed pauperem et inglorium te esse putato. Neque enim, si purpura regia tibi servanda tradita esset, oporteret abuti veste, illamque labefactare, sed cum majori accuratione ipsam danti servare. Verbi facultatem accepisti ? ne infleris, neque arroganter agas. Neque enim tuum est munus et donum. Ne ingratus esto circa ea quæ sunt Domini ; sed ea conservis distribue, neque ideo, ac si tua essent, extollaris, neque parcus sis in illis distribuendis. Et si filios habes, Dei filios habes. Si ita existimes, gratias ages si habeas, iisque sublatis non dolebis. Talis erat Job dicens : « Dominus dedit, Dominus abstu»lit[1]. » Omnia enim a Christo habemus : etiamque quod simus ab illo habemus ; et vitam, et respirationem, et lucem, et aërem, et terram. Et si quid ex illis abstulerit, periimus et interiimus. Advenæ enim sumus et peregrini. Illud enim, meum et tuum, verba tantum sunt sine re. Nam si domum esse tuam dicas, verbum est re vacuum. Etenim et aër et terra et materia, conditoris sunt ; ut et tu ipse qui illam struxisti, aliaque omnia. Si autem usus est tuus, ille quoque incertus est ; non ob mortem tantum, sed etiam ante mortem ob rerum instabilitatem. Hæc ergo apud nos assidue describentes, philosophemur, et duo quæ sunt maxima lucrabimur. Nam et grati erimus et dum tenemus et dum a nobis auferuntur, neque serviemus iis quæ præterfluunt, nec nostra sunt. Nam si pecunias acceperit, sua accepit ; si honorem, si gloriam, si corpus, si ipsam animam ; si filium tuum acceperit, non filium tuum, sed servum suum

[1] Job. I, 21.

accepit. Non enim tu ipsum formasti, sed ille fecit. Tu ejus adventui administer tantum fuisti, totum autem ille fecit. Gratias igitur agamus, quod operis administri fieri dignati sumus. Sed quid? eum-ne perpetuo habere voluisti? Hoc ingrati est et ignorantis te alienum habuisse, non tibi proprium. Quemadmodum ii qui parati secedunt, sciunt se non sua habere; sic qui dolent, regia sibi usurpant. Nam si nos non sumus nostri, quomodo illi nostri sunt? Duplici enim ratione illius sumus, et secundum creationem, et secundum fidem. Ideoque David dicit: « Substantia mea apud te est[1]; » et Paulus: « In ipso vivimus, et movemur, et sumus[2]; » et de fide tractans dicit: « Non estis vestri, et pretio empti » estis[3]. » Omnia quippe Dei sunt. Cum ergo vocaverit et accipere voluerit, ne tanquam ingrati servi rationem reddere fugiamus, neque ea quæ Domini sunt usurpemus. Anima tua non est tua, et quomodo pecuniæ tuæ erunt? Cur ergo ea, quæ tua non sunt, in iis quæ non oporteret impendis? Nescis nos ideo accusandos fore, quod illis male usi simus? Quia ergo non sunt nostræ, sed Domini, oportuit illas conservis elargiri. Ideo certe dives ille accusabatur, quod hoc non fecisset, sic et qui Dominum non aluerunt. Ne itaque dicas: « Mea impendo, meis fruor. » Non tuis certe, sed alienis. Alienis dico, quia tu vis, quia tua vult esse Deus, quæ tibi pro fratribus tradita sunt. Aliena autem illa tunc tua fiunt, cum aliis distribuis; sin autem in te ipsum largiter insumpseris, tunc tua illa aliena fiunt. Quia enim inhumaniter illis usus es, dicisque: « Æquum est ut mea in meum usum et fructum impendantur; » ideo aliena illa dico. Communia enim sunt, et ad conservum etiam tuum pertinent, quemadmodum et sol communis est, et aër et terra aliaque omnia; sicut et in corpore ministerium est et totius corpo-

[1] Psal. xxxviii, 7. — [2] Act. xvii, 28. — [3] 1 Cor. vi, 20.

ris, et uniuscujusque membri : cum autem unius tantum membri est, propriam perdit operationem.

IV. Ita et in pecuniis accidit ; et ut id quod dico clarius evadat, cibus corporeus qui membris communis datur, si ad unum venerit membrum, alienus illi efficitur. Cum enim non possit concoqui et nutrire, alienus evadit ; si autem communis sit, et illius et aliorum membrorum proprius est. Ita etiam in pecuniis : si tu solus illis fruaris, tu quoque illas perdidisti ; neque enim mercedem accipies ; si vero cum aliis possideas, tunc magis tuæ erunt, et tunc utilitatem accipies. Annon vides quod manus ministrent, os emolliat, et venter recipiat ? Num dicit venter : « Quia recepi, totum retinere debeo ? » Ne ergo tu quoque de pecuniis ita loquaris. Recipientis enim est elargiri. Quemadmodum ergo ventris vitium est, cum cibos retinet, nec distribuit ; toti enim corpori perniciem infert ; ita etiam divitum vitium est, cum ea quæ habent apud se retinent. Hoc enim et ipsos et alios perdit. Oculus item totam lucem recipit ; sed non totam sibi retinet, nam corpus totum illuminat. Neque enim id ex natura sua habet ut totum retineat, donec oculus est. Nares etiam bonos sentiunt odores, sed non totos retinent, sed in cerebrum mittunt, et stomachum in bono odore servant, totumque hominem recreant. Pedes item soli incedunt ; sed non se solos transferunt, sed et totum corpus transmovent. Ita et tu quod tibi concreditum fuit ne solus retineas, quia omnibus, tibique primum perniciem inferes. Non in membris tantum id observes. Faber enim ferrarius, si neminem velit arte sua frui, et se ipsum et alias artes pessumdat. Sutor similiter, agricola, pistor, et singuli qui necessarias artes exercent ; si neminem alium arte sua frui velint, non alios tantum, sed se cum aliis perdunt. Ecquid de divitibus loquor ? nam pauperes quoque si vestram avarorum et divi-

tum nequitiam sectarentur, vos magnopere læderent, ac cito vos pauperes redderent, imo etiam perderent, si iis qui opus habent sua præbere nollent: exempli causa, agricola manuum suarum laborem, nauta commercium per navigationem partum, miles suam in bello fortitudinem. Ideo, si non aliud, pudore affecti benevolum illorum animum imitemini. Nemini divitias impertis? ergo ne quidquam ab alio accipias. Si autem ita fiat, evertentur omnia. Ubique enim dare et accipere bonorum multorum initium est, in seminibus, in discipulis, in artibus. Nam si quis voluerit artem penes se retinere, et sese et totum mundum evertit: agricola si semina domi suffossa retineat, gravem inducet famem. Sic et dives si in pecuniis hoc faciat, se ipsum prius, quam pauperes, perdet, gehennæ flammam graviorem capiti suo apparans. Ut ergo doctores, etiamsi multos habeant discipulos, singulis artem suam impertiunt; ita et tu multos acquiras beneficio affectos: et dicant omnes: «Hunc liberavit a paupertate, illum a periculis;» et, «Ille periisset, nisi cum gratia Dei patrocinio tuo ereptus fuisset:» et quod hunc a morbo, alium a sycophantia exemeris; alium hospitem exceperis; alium nudum vestieris. Innumeris divitiis et thesauris meliora sunt hæc verba; omnesque ad se convertunt magis quam vestimenta aurea, equi et mancipia. Hæc enim id efficiunt ut gravis et molestus videatur, atque ut communis hostis odio habeatur: illa vero ut patrem communem ac beneficum deprædicant: et quod omnium maximum est, Dei benevolentia tua semper gesta sequetur. Dicat ergo hic, «Filiam meam cum dote locavit;» alius, «Filium meum in virorum numerum efferri curavit;» alius, «Calamitatem meam solvit;» alius, «Me a periculis eripuit.» Hæc coronis aureis meliora verba sunt, mille nimirum præcones benignitatis propriæ in civitate habere. Hæ voces præconum, qui ante magis-

tratum incedunt voce longe dulciores suaviorcsque sunt, vocari nempe servatorem, beneficum, patronum, quæ sunt Dei nomina : non autem avarum, arrogantem, insatiabilem, parcum. Ne, quæso, ne ullam talem vocem appetamus, sed omnino contrarias. Nam si hæc in terris prolata, ita splendidum et illustrem reddunt ; cum ea scripta fuerint in cœlis, et in die futuro Deus illa protulerit, cogita quanta frueris claritate, quanto splendore : quem nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

CAPUT IV.

Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est[1].

I. Cum aliis malis nescio quomodo inductus sit in hominum naturam curiositatis et importunæ perquisitionis morbus : quem etiam Christus castigavit dicens : « Nolite » judicare, ut non judicemini[2]. » Quod certe nullam voluptatem habet, ut habent cætera peccata ; sed solum pœnam ac supplicium. Nam cum innumeris repleti simus malis, et trabes feramus in oculis, proximi peccata etiam ea quæ a festucis nihil differunt : accurate examinamus ;

[1] 1 Cor. IV, 3, 4. — [2] Matth. VII, 1.

sicut etiam Corinthi accidit. Viros namque pios et Deo charos propter inscitiam traducebant et ejiciebant, alios vero qui innumeris erant vitiis onusti, magni faciebant propter eloquentiam. Deinde tanquam judices sedentes, hæc petulanter pronuntiabant : « Hic dignus est : Iste melior illo est, et hic illi inferior, et ille isto melior; » et sua lugere mala non curantes, aliorum judices erant; hincque gravia bella concitabant. Paulus ergo hunc morbum tollens, vide quam prudenter illos corrigat. Postquam enim dixit : « Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis » inveniatur[1], » et videbatur illis aditum dare ad judicandam et examinandam cujusque vitam : hoc vero seditionem concitabat; ne hoc illis accideret ab hac altercatione illos abduxit, dicens : « Mihi autem pro minimo est ut a » vobis judicer; » rursus sermonem personam suam spectantem proferens. Quid sibi vult autem illud : « Mihi autem » pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die? » Indignum me judico, inquit, qui a vobis judicer; et quid dico a vobis? nec a quocumque aliquo. Sed nemo Paulum arrogantiæ accuset, si nullum hominem dignum esse dicat, qui contra se calculum ferat. Primo enim non propter se hoc dicit, sed ut alios ab illorum inimicitia eripiat. Deinde non ad Corinthios tantum res spectat; sed etiam se ipsum a tali judicio removit, majus sua mente dicens de talibus calculum ferre : subjunxit ergo, « Neque me » ipsum judico. » Ad hæc vero causa quoque examinanda est, qua motus hæc dicebat : solet enim sæpe magnifice loqui; non ex fastu vel arrogantia, sed ex optima dispensatione. Quandoquidem nunc non ipse sese extollens, sed alios deprimens, hæc loquitur, ut dignitatem sanctis addat. Quod enim admodum humilis esset, audi quid dicat, inimicorum hac de re testimonium in medium adducens ;

[1] 1 Cor. IV, 3.

« Præsentia corporis infirma est, et sermo contemptus[1] : » et rursum : « Novissime autem tanquam abortivo visus » est et mihi[2]. » Attamen humilis ille, tempore vocante, vide quo Discipulorum sententiam extulerit, non fastum docens, sed sanos indens Spiritus. Ipsos enim alloquens dicebat : « Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis » minimis judiciis[3]. » Ut enim Christianum oportet longe ab arrogantia esse; ita et ab adulatione et ab illiberali sensu. Neque enim si quispiam dixerit : « Pecunias nihil esse puto; sed præsentia omnia mihi umbra et somnium sunt ac puerorum ludibria; » arrogantiæ ipsum accusabimus. Nam sic Salomonem etiam arrogantiæ accusabimus cum de his rebus philosophatur et dicit : « Vanitas vanita- » tum, et omnia vanitas[4]. » Sed absit ut arrogantiæ nomine philosophiam appellemus. Non est ergo arrogantia hæc despicere, sed animi magnitudo; licet videamus reges et principes illa sibi vindicare. Verum pauper qui philosophatur, illa sæpe despicit : neque ideo illum arrogantem, sed magnanimum dicemus; sicut nec eum qui hæc magnopere sibi vindicat, humilem et modestum, sed infirmum, pusilli animi et illiberalem dicemus. Etenim si quis filius ea quæ ad patrem pertinent despiceret, servilia autem admiraretur, non quasi humilem illum laudaremus, sed ut illiberalem et servilem vituperaremus; ipsumque vero miraremur si illa despiceret, et paterna magni faceret. Arrogantiæ enim est, se conservis meliorem esse existimare. Sed eam quæ vere est de rebus ferre sententiam, non arrogantiæ est, sed philosophiæ.

II. Ideo Paulus non se extollens, sed alios humilians, et sese efferentes deprimens et modestos esse suadens, dicebat : « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, » aut ab humano die. » Vides-ne quomodo illos curaverit?

[1] Cor. x 10. — [2] 1 Cor. xv, 8. — [3] Id. vi, 2. — [4] Eccle. i, 2.

Nam qui audierit quod omnes similiter despiciat, et a nullo judicari dignetur, non utique dolebit quasi ipse solus ejectus. Nam si dixisset : « A vobis, » tantum et siluisset, hoc illos mordere poterat, quasi despecti fuissent. Nunc autem cum addit, « Nec ab humano die, » plagæ medicamentum adhibuit, cum ipsis talis contemptus socios assignavit ; sed et ipse quoque huic rei rursus medetur adjiciens : « Sed neque me ipsum judico. » Vide quomodo dictum illud non arrogantiam sapiat. Neque enim se satis esse dicit ad hoc accurate præstandum. Deinde quia hoc dictum sese admodum extollentis videbatur esse, id correxit dicens : « Sed non in hoc justificatus sum. » Quid igitur? annon oportet et se et peccata judicare? Maxime quidem oportet hoc facere cum peccamus. Sed Paulus hoc non dixit. « Nihil enim mihi conscius sum, » inquit. Quodnam ergo peccatum judicaturus erat, cum nihil sibi conscius esset? Ille vero non dicit se esse justificatum. Qui ergo conscientiam habemus mille vulneribus sauciam, et nullius boni nobis conscii sumus, sed totum contrarium, quid dixerimus? Et quomodo ille nullius sibi conscius mali, non justificatus erat? Quia contingebat illum aliqua admittere peccata, quæ ipse nesciret esse peccata. Hinc cogita quam erit accuratum futurum judicium. Non ergo quod omni reprehensione vacuum se putaret, se indignum esse dicit, qui ab illis judicetur, sed reprimit eos qui inconsiderate hoc facerent. Alibi enim, etiamsi peccata non manifesta essent, aliis judicium ferre permisit, quoniam hoc postulabat tempus. Quid enim, ait, judicas fratrem tuum? et tu cur fratrem tuum nihili facis? Non enim hoc tibi mandatum est, o homo, ut alios judices ; sed ut tua examines. Cur ergo Domini partes arripis? Illius est judicare, non tuum. Quare subjungit : « Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abs-

» condita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et » tunc laus erit unicuique a Deo[1]. » Quid ergo? Non oportet doctores hoc facere? Oportet quidem in peccatis manifestis, quæ in confesso sunt, idque congruenti tempore, cum tunc doleant et mordeantur. Non ut tunc illi faciebant, ex inani gloria et arrogantia. Hic enim non de peccatis illis loquitur, quæ in confesso erant, sed quod illum alteri præferrent, et vitam illorum compararent. De his enim ille solus accurate judicare novit, qui occulta nostra judicaturus est; quænam scilicet majori, quænam minori vel supplicio vel honore digna sint. Nos vero secundum id quod apparet hæc facimus. Si enim, inquit, in quibus ipse peccavi, nihil clare novi, quomodo dignus fuerim qui de aliis feram sententiam? Quomodo qui mea non accurate novi, aliena potero judicare? Si vero Paulus hoc fecit, multo magis nos. Hæc enim dicebat, non ut se nulli reprehensioni obnoxium ostenderet; sed ut declararet, etiamsi quis apud illos esset qui non peccavisset, non dignum tamen esse qui de aliorum vita judicet; et quod si is qui nullius mali sibi conscius est, se obnoxium esse dicit, multo magis illi erunt, qui mille peccatorum sibi conscii sunt. Cum sic ergo os obstruxisset eorum qui hæc judicia ferrent, demum parturientis more gestit irrumpere in fornicatorem; et sicut ingruente tempestate, præcurrunt nubes quædam atræ; deinde tonitruum fragorem, et postquam cœlum una nubes factum est, tunc in terram confertim erumpit pluvia, eodem modo tunc accidit. Nam cum posset cum indignatione multa agere in fornicatorem; non ita agit. Sed præmissis terribilibus verbis, ejus tumorem reprimit. Quandoquidem duplex aderat peccatum; fornicatio nempe, et fornicatione pejus aliud, quod scilicet tanti peccati non pœniteret ipsum. Non enim ita peccatorem luget, ut pec-

[1] 1 Cor. IV, 5.

catorem non pœnitentem. « Lugebo enim multos, inquit, » non eorum tantum qui prius peccarunt, sed eorum qui pœ- » nitentiam non egerunt, de impudicitia et de immunditia » quam admiserunt[1]. » Nam qui post peccatum pœnitentia utitur, non dignus est qui lugeatur, sed qui beatus prædice- tur, utpote qui in justorum chorum translatus sit. « Dic enim » tu prius, inquit, iniquitates tuas, ut justificeris[2]. » Si autem, postquam peccavit, impudenter agat, non ita commisera- tione dignus est quod ceciderit, quam quod lapsus jaceat.

III. Quod si post peccatum non pœnitere grave est, de admissis peccatis intumescere quantum meretur supplicium? Nam si is qui de recte factis extollitur, immundus est, qui de peccatis inflatur quam consequetur veniam? Quia ergo talis erat fornicator, et animam per peccatum ita petulantem et pervicacem reddiderat, necessario ejus fastum primo dejicit. Neque hoc crimen primo ponit, ut ne ille exuat pudorem, eo quod ante alios accusetur; ne- que postremum illum ponit, ut ne putet ille rem suam ut levioris momenti quasi aliud agendo tractari. Sed cum prius ipsi multum incussisset timorem ex dicendi li- bertate qua contra alios usus est, tunc illum aggreditur, postquam ejus arrogantiam per aliorum correctionem prius exagitaverat. Hæc enim ipsa verba: « Nihil mihi » conscius sum; sed non in hoc justificatus sum; et » qui judicat me, Dominus est qui et illuminabit abs- » condita tenebrarum, et manifestabit consilia cor- » dium, » non leviter et eum et eos qui ipsi applaudebant, sanctosque despiciebant, perstringit. Quid enim, inquit, si quidam extrinsecus virtute prædili et admirandi appa- rent? non de exterioribus tantum fert judicium ille judex, sed etiam arcana in medium adducit. Duabus ergo, vel po- tius tribus de causis judicium nostrum accuratum non est;

[1] 2 Cor. XII, 21. — [2] Isaï. XLIII, 26.

primo quia etiamsi nullius peccati nobis conscii simus, opus tamen habemus eo, qui peccata nostra accurate arguat; secundo quia ex iis quæ fiunt pleraque nos latent; tertio demum, quia multa aliorum gesta nobis quidem bona videntur; sed non ex recta sententia procedunt. Quid ergo dicitis : Ille aut ille nihil peccavit; et hic illo melior est est? Hoc enim non licet pronuntiare, neque de illo, qui nullius sibi conscius est. Nam qui arcana judicat, ille est qui accurate judicat. Ecce igitur, ego nihil mihi conscius sum; sed neque ita justificatus sum; hoc est, non sum a reddenda ratione et a crimine liberatus. Non enim hoc dicit : « Non in numero et ordine justorum sum; » sed, « Non sum mundus a peccato. » Nam alibi ait : « Qui » autem mortuus est, justificatus est a peccato[1]; » id est, liberatus est. Multa vero facimus, quæ bona quidem sunt, sed non ex recta sententia procedunt. Nam multos laudamus, non ut illos splendidos reddamus, sed ut per illos, alios quospiam mordeamus. Et res quidem ipsa per se bona est; laudatur enim is qui recte fecit; sed mens laudantis corrupta est : ex satanica enim sententia procedit. Non enim fratri gratulans, sed alium ferire cupiens hoc sæpe quis fecit. Rursus quispiam grande admisit peccatum; alius vero ipsum supplantare volens, nihil fecisse dicit, et consolatur eum peccantem, ad communem naturæ usum confugiens; verum non hoc facit quod ignoscere velit, sed ut segniorem illum reddat. Rursum sæpe corripit, non ut arguat et moneat, sed ut proximi peccatum publice efferat et traducat. Consilia autem homines non norunt, qui corda vero scrutatur accurate scit : et illa omnia tunc in medium adducet. Ideoque dicebat : « Qui » et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit » consilia cordium. » Cum ergo, quando etiam nihil nobis

[1] Rom. VI, 7.

conscii sumus, crimine puri esse non possimus, et cum aliquid boni agimus, nec ex recta animi sententia, agimus, supplicio obnoxii simus, cogita quam fallantur homines in judiciis. Hæc quippe omnia non possunt homines assequi, sed ille tantum nunquam dormiens oculus. Etiamsi homines fallamus, illum nunquam decipiemus. Ne itaque dicas: « Tenebræ et parietes in circuitu sunt, quis me videt? » Nam « Qui finxit sigillatim corda nostra[1], » ipse omnia novit: nam tenebræ apud eum non obscurabuntur. Recte autem dicit is qui peccat: « Tenebræ » et parietes in circuitu meo sunt. » Nisi enim in mente ejus tenebræ essent, non sic, ejecto Dei timore, cum libertate id fecisset. Nam nisi prius dux animus obtenebratus fuerit, peccatum cum fiducia ingredi non potest. Ne ergo dicas: « Quis me videt? » Est enim qui penetrat usque ad animam et spiritum, compagesque et medullas[2]. Sed tu te ipsum non vides, nec potes nubem dissecare; verum et si murum undique circumpositum haberes, non potes ad cœlum respicere.

IV. Quod enim peccatum vis prius examinemus, et sic factum admissumque fuisse videbis. Quemadmodum enim latrones et murorum effossores, cum quid pretiosum auferre volunt, extincta lucerna hoc perpetrant; sic in peccatis facit corrupta ratio. Etenim in nobis quoque lux est rationabilis semper ardens. Si autem spiritus fornicationis cum impetu magno irruens flammam illam extinxerit, statim animam obtenebrat, expugnat et omnia quæ adsunt statim diripit. Cum enim anima a lasciva concupiscentia capitur, ut nubes et caligo corporis oculos, ita mentis prospiciendi facultatem occupans, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem, sed ab illis insidiis tyrannice occupata demum, peccato facilis expugnatu evadit: et sicut paries sine fenestris ante

[1] Psal. xxxii, 15. — [2] Hebr. iv, 12.

oculos excitatus, non sinit radium justitiæ menti lucere, ab surdis libidinis cogitationibus ipsam undique cingentibus : et tunc occurrit illi meretrix ante oculos, ante mentem, ante cogitationes stans et apparens ; ac quemadmodum cæci in ipso meridie sub cœli medio stantes, lucem non excipiunt, clausis sibi oculis ; sic et illi etsi innumera undique ipsis insonent salutaria dogmata, anima hoc morbo correpta, illis omnibus verbis aures obstruunt. Idque probe sciunt ii, qui rem experti sunt. Verum absit ut vos experientia didiceritis. Neque hoc solum peccatum id facit, sed etiam quivis alius amor pravus. Transferamus enim, si placet, sermonem a meretrice ad pecunias, et hic quoque videbimus densas tenebras. Illic enim quod una tantum sit amasia, in uno inclusa loco, non ita vehemens est morbus. In pecuniis autem quæ ubique apparent in argentariis officinis, in diversoriis, in aurificinis, in divitum ædibus vehemens spirat amor. Quando enim pueros superbe agentes in foro, equos auro onustos, homines magnificis et sumptuosis vestibus ornatos, concupiscentia motus videt is qui hoc morbo detinetur, multis tenebris circumfunditur. Ecquid opus est dicere domos et argentarias officinas? Puto enim illos si vel in pictura vel in imagine divitias illas viderint, discerpi, efferari, et in rabiem verti : adeo ut undique tenebris offundantur. Nam si regiam imaginem conspiciant, non mirantur lapillorum pulchritudinem, non aurum, non vestem purpuream ; sed liquefiunt : et sicut infelix ille amator, si amasiæ imaginem viderit, inanimatæ rei hæret affixus ; ita et hic inanimatam videns divitiarum imaginem, hoc ipsum magis patitur, utpote magis tyrannico detentus morbo : et oportet demum vel domi manere, vel in forum venientem, mille plagis acceptis domum repetere : multa enim illius oculos dolore afficiunt. Ac quemadmodum ille nihil aliud videt quam mulierem, ita et iste

pauperes quidem et alia omnia præterit, ut ne consolationem quidem accipiat : in opulentos autem oculos dirigit, ex aspectu illo multum in animam suam inducens ignem. Ignis quippe est, qui vehementer consumit illum qui in ipsum incidit : atque etiamsi nec gehennæ, nec supplicii minæ intentatæ fuissent, hæ res præsentes essent supplicium, assidue nempe torqueri, neque morbi finem invenire. Et hæc satis essent ut ab hujusmodi ægritudine avocarent. Sed nihil pejus amentia, quæ id efficit ut rebus mœrorem et nihil lucri afferentibus illi hæreant. Quamobrem obsecro incipientem animi morbum extinguatis. Sicut enim febris initio non valde siti adurit ægrotantes; cum autem creverit et flammam excitaverit, tunc sitim parit inextinguibilem : etiamsi vero quis potum ipsis largiter præbeat, non extinguit, sed accendit fornacem; sic etiam in hoc morbo accidit. Si initio cum animam nostram invadit, non impediamus, neque fores ipsi claudamus, ingressus demum incurabilem excipientibus parit ægritudinem. Etenim et bona et mala, cum diutius in nobis manserint, potentiora fiunt.

V. In omnibusque aliis idipsum videre est. Nam planta recens insita, facile evellitur; si longo tempore egerit radices, non item; sed valido opus est vecte. Et ædificium recens facile evertitur, cum vero firmitatem acceperit, difficile a conantibus decutitur : et fera quæ longo tempore alicubi mansit, ægre dispellitur. Illos igitur qui nondum a morbo illo detinentur rogo ne capiantur. Facilius quippe est cavere ne cadant, quam lapsos exilire. Illis vero qui jam inciderunt et a morbo illo correpti sunt; si rationi medico se dedere velint, multam salutis spem per Dei gratiam polliceor. Nam si eos qui in morbum inciderunt et postea convaluerunt cogitaverint, bonam spem habebunt fore ut a morbo liberentur. Quis ergo incidit in

hunc morbum, et facile liberatus est? Zacchæus ille. Quis enim publicano pecuniæ cupidior fuerit? Sed statim philosophus effectus est, et totum extinxit incendium. Similiter Matthæus. Nam et ille publicanus erat, in perpetua rapina vivens. Sed is quoque repente noxam exuit, sitim extinxit, et negotiationem adiit spiritualem. Hos ergo et his similes tecum reputans, nec tu desperes. Si velis enim, cito poteris emergere; et, si velis, secundum medicorum legem ea quæ agenda sunt tibi accurate præscribemus. Oportet ergo ante alia omnia hoc recte gerere, non animum despondere, neque desperare de salute sua. Deinde non modo eorum qui recte fecerunt exempla; sed etiam eorum qui perseverarunt ærumnas inspicere. Sicut enim Zacchæum et Matthæum cogitavimus, ita et Judam animo reputare oportet, necnon Giezi, Achaz, Achab, Ananiam et Sapphiram; ut per illos desperationem ejiciamus, per hos vero socordiam excindamus, neque supinus sit animus ad monita quæ præscribuntur: ac nos ipsos instituamus ad illa dicenda, quæ tunc ad Petrum accedentes Judæi dicebant: « Quid ergo oportet facere ut salvi simus[1]? » et audiamus ea quæ facienda sunt. Quid ergo oportet facere? Nosse rerum vilitatem, et quod divitiæ sint servus fugitivus et ingratus, et quod possessores suos in mala injiciant innumerabilia: et ejusmodi verba assidue decantemus. Ac quemadmodum medici ægros frigidam postulantes consolantur, se præbituros dicentes, fontem commemorantes, et vas et tempus opportunum, pluraque hujusmodi: nam si statim negarent, in furorem et rabiem ipsos conjicerent; ita et nos cum pecunias amantibus agamus: et cum dixerint: « Divites esse volumus, » ne statim dicamus malas esse divitias: sed assentiamur, et dicamus nos etiam hoc velle, sed in congruenti tempore, sed divitias

[1] Act. II, 37.

veras, sed eas quæ voluptatem habeant immortalem, sed eas quæ colliguntur nobis, non aliis; sæpe autem et inimicis; ac philosophiæ verba in medium afferamus ac dicamus: Non jubemus non divites esse, sed male divites esse vetamus. Licet enim divitem esse, sed sine avaritia, sine rapina et vi, ita ut apud omnes male audiat dives hujusmodi. His illos verbis prius leniamus, necdum de gehenna loquamur. Nam qui ægrotat talia verba statim non ferret. Quamobrem ex præsentibus his de rebus verba faciamus et dicamus: Cur ex avaritia vis ditari, ut aliis aurum recondatur, tibi vero innumeræ imprecationes et criminationes? Et qui illis privatus est, ex rerum necessariarum penuria mordeatur, ejulet, sexcentosque tibi attrahat accusatores, et adveniente vespera, forum circumeat, et in angiportis omnes conveniat, dubius et anxius, ne de transigenda quidem nocte fidere audens. Quomodo enim jam dormiet, dum mordet venter, ipseque vigilat, fames obsidet, ingruit sæpe gelu et pluviæ decidunt? Et tu quidem ex balneo ablutus redis, mollibus amictus vestibus, lætus et gaudens ad lautam cœnam accurris. Ille autem per forum a frigore et fame sæpe pulsus circumit, prono capite, manus extendens; nec præ metu audet satiato et recumbenti verba proferre pro alimento necessario; sæpe vero contumelia affectus recessit. Cum ergo domum reversus es, cum in lecto recumbis, cum lux splendida ubique fulget in ædibus, cum lauta mensa parata est, tum recordare miseri et infelicis illius, qui, ut canes solent, in angiportis, in tenebris et luto circumit; etiamsi sæpe hinc abeat, non domum, non ad uxorem, sed in fœni stratum, ut et canes videmus, qui per totam noctem rabidi latrant. Et tu quidem si parvam stillam videris e tecto delapsam, totam evertis domum, famulos vocans, omnia movens. Ille vero jacens in pannis, fœno et luto, ingens tolerat frigus.

VI. Quæ fera his non frangatur rebus? quis adeo sævus et inhumanus, hisce rebus non mansuetior reddatur? Sed quidam ad tantam immanitatem devenerunt, ut dicant ipsos digna pati. Cum oporteret enim misereri, lacrymari, et calamitatem simul solvere : illi vero ipsos inhumaniter accusant. Quos libenter interrogarem : Cur, quæso, digna patiuntur? an quod ali velint et non fame confici? Non, inquiet, sed quia otiosi sunt. Tu vero annon otiosus deliciaris? Quid vero, annon opus sæpe exerces otio omni gravius, dum rapis, vim infers et avaritiæ studes? Melius esset si tu quoque huic te dederes otio. Nam ita otiari melius est, quam avaritiæ studere. Nunc autem alienis etiam insultas calamitatibus, non modo in otio degens, nec modo opus aggrediens otio gravius, sed etiam in miseria degentes accusans. Ipsis quoque narremus alienas calamitates, immaturas orbitates, eos qui in carcere degunt, eos qui discerpuntur in judiciis, eos qui de vita timent, inopinatas mulierum viduitates, repentinas divitum mutationes, et hoc metu eorum animos molliamus. Nam per illas alienas narrationes suadebimus illis ut eadem ipsa sibi timeant. Cum enim audierint, cujuspiam avari et raptoris filium, cujuspiam qui multa tyrannice fecerat uxorem, post mortem conjugis innumera passam esse mala, cum ii qui injuste læsi fuerant, in uxorem et filios irruissent, et commune bellum contra domum illius undique excitatum esset; etiamsi maxime omnium sensu destitutus sit, expectans tamen se talia passurum, et suis timens, ne similia patiantur, temperantior erit. Tota vita nostra talibus exemplis multis plena est, nec deficiet nobis hic corrigendi modus. Cum autem hæc dicimus, non quasi suadentes vel quasi consulentes hæc dicamus, ne molestior sit oratio, sed id tanquam narrationem proferamus : et ex alia consequentia, ad similem semper narrationem venia-

mus, ac frequenter eis talia exempla proponamus, non concedentes ut alia, quam hæc, loquantur: « Quomodo hujus domus splendida et illustris corruerit? quomodo ita deserta sit, ut ipsius bona omnia in aliorum manus inciderint? quot judicia quotidie de his facultatibus sunt constituta, quot negotia, quot ex famulis illius alii emendicant, alii in carcere conclusi mortui sunt? » Et hæc omnia dicamus quasi lugentes eum qui ex hac vita migravit, et quasi præsentia despicientes; ut et timore et misericordia emolliamus immitem illum animum. Et cum illos viderimus his narrationibus depressos, tunc demum illis de gehenna sermonem inferamus, non tanquam illos terrentes, sed ut alios commiserantes, et dicamus: « Et quid oportet dicere præsentia? neque enim nostra his sunt limitibus circumscripta; sed gravius supplicium tales homines excipiet, et fluvius igneus et vermis venenosus, et tenebræ interminabiles, et supplicia immortalia. » Si his illos incantemus narrationibus, et nos ipsos et illos corrigemus, atque ab ægritudine cito liberabimus, in dieque illo laudatorem Deum habebimus, ut et Paulus dicit: « Et » tunc laus erit unicuique a Deo. » Laus enim quæ ab hominibus procedit, et diffluit, et aliquando non a bono animo proficiscitur. Quæ autem a Deo est, et manet perpetuo, et clare splendet. Quando enim is qui omnia novit antequam fiant, et ab omni passione vacuus est, laudat; tunc indubitata est virtutis demonstratio. Hæc ergo cum sciamus, talia operemur ut a Deo laudemur, et maxima consequamur bona. Quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAPUT IV.

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis non plus, quam scriptum est, sapere[1].

I. Quandiu molestis asperisque verbis opus fuit, scenam non aperuit; sed ac si ipse esset qui hæc audiret, sic loquebatur, ut dignitas personarum quæ accusabantur obsistens accusantibus, non permitteret ad iram commoveri. Cum autem oporteret deinceps aliquid remittere, tunc posita larva, occultatas personas ostendit prolato Pauli et Apollo nomine. Ideo dicebat : « Hæc autem, fra» tres, transfiguravi in me et Apollo. » Et sicut in ægrotantibus, quando puerulus æger calcibus ferit, et aversatur cibos qui offeruntur a medicis, advocatum patrem vel pædagogum, ii qui assident, jubent ex medici manu accipere, et cibos afferre, ut ex timore ipsorum pueri accipiant et quiescant; sic et Paulus cum pro aliis esset accusaturus, illis quidem ut qui injuria afficerentur; his vero ut qui supra modum honorarentur; personas quidem eorum non protulit; sed suo et Apollo nomine sermonem adhibuit; ut eos reveriti, medicinam acciperent. Postquam autem acceperunt, tunc demum aperuit de quibusnam hæc loqueretur. Hæc autem non simulatio erant, sed attemperatio et œconomia. Nam si aperte dixisset : « Viros sanctos et admirabiles judicatis, » id certe ægre tulis-

[1] 1 Cor. IV, 6.

sent et resiliissent. Nunc vero cum dixisset : « Mihi autem » pro minimo est ut a vobis judicer ; » et rursum : » Quis est » Paulus ? quis Apollo ? » acceptabilem orationem effecit. Propterea dixit : « Hæc autem in me transfiguravi propter » vos, ut in nobis discatis non plus, quam scriptum est, sa- » pere, » ostendens quod si de illis verba fecisset, non didicissent ea quæ discere oportebat, neque correctionem accepissent, ea quæ dicebantur moleste ferentes. Nunc autem Paulum et socium reverentes, facile admiserunt increpationem. Quid autem sibi vult illud : « Non plus, » quam scriptum est, sapere? » Scriptum est : « Quid vides » festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in » oculo tuo est, non consideras? » et, « Nolite judicare, ut » non judicemini[1]. » Nam si unum sumus et una colligati, non oportet contra nos invicem insurgere ; « Qui enim se » humiliat, inquit, exaltabitur[2] ; » et, « Qui vult primus esse » omnium, sit omnium minister[3]. » Hæc sunt ea quæ scripta sunt. « Ne unus pro uno infletur adversus alterum. » Rursum missis doctoribus, discipulos increpat. Illi enim erant qui hos extollebant. Alioquin autem, principes non facile talem admisissent orationem, eo quod externam gloriam cuperent ; hoc quippe morbo excæcati erant. Ipsi vero gloria non fruentes, sed illam aliis præbentes, et facilius admonitionem tulissent, et aptiores ad morbum solvendum erant quam principes. Ergo etiam hoc est inflari, pro alio extolli, etiamsi in rebus suis hoc alicui non accidat. Sicut enim is, qui de alienis effertur vitiis, ex arrogantia hoc facit ; ita etiam qui de gloria alterius. Recte autem inflationem vocavit. Cum enim membrum aliquod insurgit, hoc nihil aliud est, quam inflammatio et morbus ; non enim aliter alterum membrum fit altero altius, quam cum tumor adest. Sic igitur et in corpore Ecclesiæ, qui inflam-

[1] Matth. VII, 1 et 3. — [2] Luc. XVIII, 14. — [3] Marc. X, 43.

matur et inflatur, is est qui morbo laborat; tumet enim præter communem mensuram. Hoc enim est inflatio. Sic etiam in corpore accidit, quando spurius quidam et malus humor influxerit, non autem solitum alimentum. Ita nascitur arrogantia alienis nos cogitationibus invadentibus. Et vide quam apposite dixerit, « Inflati estis : » quod enim inflatum est, tumorem habet spiritus, repletum humore corrupto. Hæc porro dicit, non curationem excindens; sed curationem illam quæ in malum vertitur. Vis istum curare? Non impedio; sed non in perniciem alterius. Non enim ut contra nos invicem aciem instruamus nobis dati sunt doctores; sed ut nos omnes mutuo jungamus. Dux enim ideo exercitui præficitur, ut separatos unum corpus efficiat. Si vero exercitum divulsurus sit, inimici magis quam ducis locum implet. « Quis enim te discernit? Quid » enim habes quod non accepisti[1]? » Missis demum subditis, ad principes convertitur. Hoc autem vult significare: Undenam liquet quod tu dignus laude sis? Factum-ne est judicium? Præcessit-ne examen? an probatio, an accurata perquisitio? Sed hoc non possis dicere. Quod si homines calculum ferunt : at non rectum est illorum judicium. Ponamus autem te dignum laude esse, et vere gratiam et donum habere, nec corruptum esse hominum judicium : neque sic oportebat altum sapere. Nihil enim ex te habes, sed a Deo accepisti. Cur ergo te habere simulas id quod non habes? At tu hoc habes, et alii tecum. Ergo cum acceperis habes, non hoc vel illud, sed omnia quæ habes.

II. Non enim hæc tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit; si remissionem peccatorum, si charismata, si doctrinæ verbum, si virtutes, omnia inde accepisti. Quid ergo habes, quæso te, quod non acceperis; sed ex te ipso recte

[1] 1 Cor. IV, 7.

acquisieris? Nihil dicere possis. Sed accepisti, et ideo altum sapis? Ideo certe oportebat te ipsum deprimere; non enim tuum est id quod tibi datum est, sed dantis. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si ab illo accepisti, non rem tuam accepisti. Quod si non rem tuam accepisti, cur altum sapis, quasi rem tuam habens? Quamobrem subjungit : « Si autem accepisti, quid gloriaris quasi » non acceperis[1]? » Cum ergo ex concursu dictum suum probasset, ostendit multa illis deesse et ait : Certe etiamsi omnia accepissetis, non oporteret gloriari; nihil enim vestrum est : nunc autem multa vobis desunt. Et initio quidem hoc subindicavit dicens : « Non potui vobis loqui ut » spiritualibus; » et, « Nihil judicavi me scire inter vos, » nisi Jesum Christum, et ipsum crucifixum. » Hic vero illos pudore afficiendo id facit dicens : « Jam saturati estis, » jam divites facti estis[2]; » id est, nulla re indigetis deinceps, perfecti evasistis, ipsum culmen attingitis, nullius ope vos egere putatis, non Apostolorum, non doctorum, jam « Saturati estis. » Et recte illud, « Jam, » a tempore ostendens improbabile esse id quod dicunt, et a ratione alienam esse illorum opinionem. Ideoque traducens illos dicebat : « Tam cito ad finem pervenistis, quod fieri non poterat propter tempus. » Perfectiora enim in futuro manent : paucis enim saturari infirmi est animi; paucis existimare se divitem fieri, nauseantis est et miseri; insatiabilis enim est pietas : et puerilis est mentis a primo acceptis putare se totum accepisse, et cum vix adhuc in proœmiis sint, ac si finem apprehendissent, altum sapere. Deinde in sequentibus magis illos pudore afficit; cum dixisset enim : « Jam saturati estis, » subjunxit : « Jam divites facti » estis : sine nobis regnastis : et utinam regnaretis, ut » etiam nos vobiscum regnaremus[3]. » Gravitate multa ple-

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid.

nus est sermo. Ideo ultimum illum induxit post multam increpationem. Ita enim gravis est admonitio et acceptabilis, cum post accusationes, inferuntur verba quæ pudorem incutiant. Hoc enim vel impudentem potest animum cohibere, et magis perstringere, quam manifesta accusatio, temperareque dolorem et impudentiam ex accusatione inducendam. Illud autem in verbis pudorem incutientibus magis mirabile est, quod duo habeant contraria ; et graviorem infligant plagam quam manifesta criminatio, et eum qui arguitur graviorem sectionem passum, ad majorem tolerantiam apparent. « Sine nobis regnastis. » Hic magna est emphasis et contra doctores et contra discipulos : ostenditurque illos nullam habere conscientiam atque admodum stultos esse. Hoc enim vult dicere : « In laboribus omnia sunt communia et nobis et vobis ; in præmiis autem et coronis vos primi estis. Sed hæc dicens non doleo : » ideoque subjunxit : « Et utinam regnaretis ! » Deinde ne videretur ironia hæc esse, adjecit : « Ut et nos » vobiscum regnaremus. » Etenim et nos, inquit, hæc bona consecuti essemus. Vides-ne quomodo simul et gravitatem et curam ostendat, philosophumque animum? Vides-ne quomodo fastum auferat? « Puto enim quod Deus nos » Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destina» tos[1]. » Multam emphasim et gravitatem rursus exhibet, cum dicit, « Nos. » Neque hoc illi satis fuit, sed et dignitatem subjunxit, admodum eos perstringens ; « Nos Apos» tolos, » qui mala patimur innumera, qui religionis prædicationem seminamus, qui vos ad tantam philosophiam ducimus. Hos novissimos ostendit tanquam morti destinatos ; hoc est, ut damnatos. Postquam enim dixit : « Ut et » nos vobiscum regnaremus : » et sermonis vehementiam mitigavit, ut ne illos frangeret, idipsum rursus assumit

[1] 1 Cor. IV, 9.

cum majori gravitate, et ait : « Puto ego quod Deus nos » Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos. » Nam ut ego video, inquit, etiamque ex iis quæ vos dicitis, omnium abjectissimi nos et damnati sumus, qui ad patiendum semper expositi sumus; vos autem jam regnum, et honores et præmia imaginamini. Volens autem ad majorem absurditatem orationem deducere, et ostendere esse illam omnino improbabilem, non dixit : « Nos certe » sumus novissimi; » sed, « Nos Deus novissimos fecit. » Nec satis habuit dixisse novissimos; sed subjunxit, « Et » morti destinatos, » ut vel admodum insanus quivis dictorum improbabilitatem videret, verbaque dolentis et admodum illos pudore afficientis esse.

III. Et vide Pauli prudentiam. A quibus se ipse opportuno tempore extollit, seque honorabilem et magnum ostendit; ab iisdem illos nunc pudore afficit damnatum se vocans. Tanta res est congruenti tempore omnia facere. Morti destinatos, hos damnatos vocat, qui mille mortibus digni sunt. « Quia spectaculum facti sumus mundo, et » Angelis et hominibus [1]. » Quid est illud, « Spectaculum » facti sumus mundo? » Non in angulo uno, neque in parva orbis parte hæc patimur, inquit; sed ubique et apud omnes. Quid sibi vult autem, « Et Angelis? » Possunt hominibus esse spectaculum, sed non Angelis, quando vilia sunt gesta; at certamina nostra talia sunt, ut digna sint quæ spectentur ab Angelis. Vide quomodo ex iisdem, quibus se vilem dicit, se rursus magnum ostendat : ex quibus autem illi altum sapiebant, illos esse viles et abjectos pronuntiet. Quia enim stultos esse, quam videri prudentes, et infirmos esse, quam fortes; et inglorios esse, quam gloriosos et illustres abjectius esse videbatur; et hæc quidem in illos est conjecturus, illa vero ipse sibi vindicavit; os-

[1] 1 Cor. IV, 9.

tendit hæc illis esse meliora; siquidem per hæc non hominum modo, sed etiam Angelorum populum ad sui spectaculum convertit. Non enim nobis est colluctatio adversus homines tantum; sed etiam adversus incorporeas Potestates. Ideoque magnum sedet theatrum. « Nos stulti » propter Christum, vos autem prudentes in Christo [1]. » Rursus hoc ad pudorem incutiendum dixit, ostendens fieri non posse ut hæc contraria contingant, nec posse ea quæ tantum a se mutuo distant, in unum convenire. Quomodo enim fieri potest, inquit, vos prudentes, et nos stultos esse in rebus, quæ sunt Christi? Quia enim illi quidem verberabantur, despiciebantur, dedecore afficiebantur, et nihil esse existimabantur; ipsi autem honore fruebantur, sapientesque ac prudentes apud multos existimabantur; ideo hæc dicit: quia quomodo fieri potest ut ii qui hæc prædicant, existimentur in iis versari, quæ sunt illis contraria? « Nos infirmi, vos autem fortes [2]. » Id est, nos pellimur et persecutionem patimur, vos autem securitate et famulatu multo fruimini. Sed id non patitur prædicationis natura. « Nos inglorii, vos autem gloriosi [3]. » Hic nobiles respicit, qui de exterioribus altum sapiebant. « Usque in » hanc horam et esurimus et sitimus, et nudi sumus et co» laphis cædimur. Et laboramus operantes manibus nos» tris [4]. » Hoc est, non vetera narro, sed quod mihi præsens tempus testificatur. Humanarum quippe rerum nobis nulla ratio est, neque externi splendoris; sed ad Deum solum respicimus: quod ubique facere nobis necessarium est. Neque enim Angeli tantum nos spectant; sed etiam ante illos ipse agonotheta. Non itaque aliis egemus laudatoribus. Hoc enim est illi contumeliam inferre, cum illum quasi ad nos laudandos non satis sit prætercurrentes, ad conservos properamus. Quemadmodum enim qui in parvo

[1] 1 Cor. IV, 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. II, 12.

theatro decertant, magnum quærunt. quasi illud non sufficiat ad ostentationem; sic et ii qui ante Dei oculos decertant, deindeque laudem hominum quærentes, et majorem dimittentes ut minorem assequantur, magnum sibi attrahunt supplicium. Hoc ergo omnia susdeque vertit, hoc orbem totum turbavit, quod ad homines respicientes omnia faciamus : et in bonis nihil esse ducamus quod Deum habeamus laudatorem; sed a conservis quæramus famam et gloriam : et in contrariis rursum Deo despecto, homines formidemus. Atqui ipsi nobiscum stabunt ante tribunal illud, nihil nos juvantes; Deus autem, quem jam despicimus, sententiam in nos feret. Attamen cum hæc sciamus, ad homines inhiamus : quod est primum peccatum : homineque vidente fornicari nemo voluerit; sed etiamsi vitio illo ardeat, affectus illius tyrannis ab hominum reverentia vincitur. Deo autem vidente non modo in adulteria et in fornicationes prorumpunt; sed et alia longe graviora audent et ausi sunt. An hoc ergo solum non sufficit ut mille fulmina de cœlo inferantur? Et quid dico adulteria et fornicationes? nam his longe minora ante homines perpetrare metuimus, sed Deo vidente non item. Hinc parta sunt mala omnia, quod in tam pravis rebus non Deum sed homines revereamur. Ideoque etiam ea quæ vere bona sunt, quæque multis non bona esse videntur fugimus, non rerum naturam examinantes, sed ad vulgi gloriam respicientes.

IV. In malis quoque idipsum præstamus : quædam enim quæ vere bona non sunt, sed talia videntur esse multis, ex eadem consuetudine ut bona persequimur; ita ut utrinque corrumpamur. Fortasse multis obscurius esse videtur id quod dictum est : necesse ergo est id clarius explanare. Cum fornicamur, (oportet enim a jam dictis incipere) homines magis timemus, quam Deum. Quia igitur nos sic eis

subjecimus, illosque dominos nostros constituimus; multa alia his dominis esse mala videntur, quæ mala non sunt, et illa similiter fugimus. Exempli causa, in paupertate vivere multis turpe esse videtur : et paupertatem fugimus ; non quod turpis sit, nec quod turpem credamus ; sed quia dominis nostris esse turpis videtur, et illos timemus. Rursus inhonorari et contemni, nullamque habere potestatem, a multis turpe et vilissimum existimatur ; hoc rursum fugimus, non rem damnantes, sed propter dominorum nostrorum sententiam. Rursum e contrario eamdem patimur perniciem : nam divitem esse, bonum esse videtur, itemque fastus, et gloria, et claritas : et hoc rursum persequimur; non rerum naturam ut bonam respicientes, sed ex opinione dominorum nostrorum persuasi. Dominus quippe noster est populus : et vulgi turba dominus est, sævus immanisque tyrannus. Neque enim opus est ut imperet, ut ei obsequamur; sed satis est si nos quid illi placeat sciamus, et sine jussu paremus, tanta utimur erga illum benevolentia. Et Deus quidem quotidie minas intentans et admonens, non auditur ; turba autem incomposita, lex hominum, ne mandato quidem opus habet ; sed satis est ut indicet quid sibi placeat, et statim in omnibus ipsi obsequimur. Et quomodo, inquies, hosce dominos effugere quis possit? Si majorem, quam illi, sensum assumat, si rerum naturam spectet, si vulgi calculum despiciat ; si ante alia omnia, in iis quæ vere turpia sunt, se ipsum ita instituat, ut non homines , sed insomnem illum oculum metuat, et in bonis rursum coronas ab illo quærat. Ita enim neque in aliis hominum auram feremus. Nam qui cum recte agit, ne dignos quidem censet illos, qui sua recte facta norint, sed Dei calculo contentus est, neque in contrariis aliquam eorum rationem habebit. Et quomodo, inquies, hoc ipsum erit? Cogita quid sit homo, quid sit Deus, et quo dimisso

ad quem confugias, et cito totum corriges. Homo tecum eidem peccato subjacet, eidem judicio, eidem supplicio : homo vanitati similis factus est, rectum judicium non habet, et superna eget correctione : homo terra et cinis ; si laudet, sæpe temere laudabit, aut ad gratiam, aut ex odio ; si calumnietur et accuset, rursus eodem animo id facit. At non ita Deus ; sed irreprehensibilis est ejus calculus, et purum judicium illius. Ideoque oportet semper ad illum confugere ; neque ideo tantum, sed quia etiam ipse te fecit, et plus quam omnes tibi paruit, magisque te amat, quam tu ipse te ames. Cur ergo tam mirabili misso laudatore ad hominem confugimus qui nihil est, qui frustra et temere omnia facit? Malum te dicit et scelestum, cum talis non sis? Illa de causa magis illum miserare et defle, quia corruptus est, ejusque gloriam contemne, quia ejus mentis oculi excæcati sunt. Nam et Apostoli hæc audierunt, et illos se calumniantes irriserunt. At te bonum et utilem dicit? Si talis quidem sis, nullo modo a tali gloria emolliaris ; si non talis sis, magis despice, et rem esse risu dignam puta. Vis scire quam corrupta sint vulgi judicia, quam inutilia, quam ridicula ; et alia quidem furentium et mente captorum ; alia vero infantium lactentium? audi ut fuerint jam olim. Judicia vero tibi proferam, non populi tantum, sed eorum qui sapientissimi esse videbantur, quique legislatores fuerunt. Quis enim apud vulgus sapientior videri possit eo, qui dignus habitus est, ut civitatibus et populis leges poneret? Attamen hisce sapientibus fornicari nihil videtur esse mali, nec punitione dignum. Nulla enim externa lex fornicatores ulta est, neque hac de causa ad judicium traxit : sed etiamsi quis eo trahatur, multi irridebunt, et judex id non patitur. Alea ludere rursus apud illos supplicio liberum est, et nemo hac de causa pœnas dedit. Inebriari et ingurgitari cibo, non modo crimen non

est, sed recte factum a multis putatum fuit : et in cœnis militaribus, multa ea de re est concertatio, et qui maxime egent sana mente et robusto corpore, hi maxime ebrietatis tyrannidi se dedunt, et corpus dissolventes et animam tenebris offundentes ; nullusque legislator hoc vitium punivit.

V. Quid hac insania pejus ? An ergo laudes hominum, qui sic affecti sunt, requiris, et non te ipsum defodis ? Si enim omnes ejusmodi homines te laudarent, annon oporteret erubescere et pudore suffundi plaudentibus hominibus, quorum judicia ita corrupta sunt ? Rursus blasphemia legislatoribus non terribile quidpiam esse videtur. Nemo enim qui in Deum blasphemarit, ad tribunal raptatus fuit et pœnas dedit. Sed si quis vestem furetur, aut crumenam dissecet, et latera ipsi lacerantur, et sæpe morte mulctatur. Qui autem in Deum blasphemat, non accusatur apud externos legislatores. Et si quis uxorem habens ancillam vitiet ; id nihil apud externas leges et apud multos esse videtur. Vis alia quoque audire quæ ipsorum insaniam ostendant ? nam hæc quidem non puniunt, sed alias leges statuunt. Quasnam ? theatra colligunt, illoque meretricum choros inducunt, et pueros corruptos, qui naturam contumelia afficiunt, populum totum in superiore loco sedere jubent, sic civitatem recreantes : sic magnos illos reges, quos semper celebrant ob tropæa atque victorias, coronantes. Verum quid est hoc honore frigidius ? Quid hac voluptate ingratius ? Ex his-ne quæris gestorum tuorum laudatores ? Et cum saltatoribus, mollibus, mimis ac meretricibus, vis, quæso te, laude frui ? Et quomodo non fuerint extremæ dementiæ ? Libenter enim illos interrogarem : Indignum-ne est naturæ leges evertere, et nefarios inducere coïtus ? Dicent omnes rem esse indignam : videntur enim hoc punire flagitium ; cur ergo cinædos illos in-

ducis, nec modo inducis, sed etiam innumeris et ineffabilibus donas muneribus? Cum alibi eos qui talia audent punias, hic quasi communes civitatis beneficos insumptis pecuniis, publico sumptu ipsos alis. At, inquies, infames sunt. Cur ergo illos instituis? Cur per infames illos reges honoras? Cur civitates enecas? cur per illos tanta impendis? Nam si infames sunt expelli debent. Cur ergo illos infames fecisti? an ut laudans, an ut condemnans? Ut condemnans utique. Ergo-ne ut condemnans infames facis, et ut honorabiles illos visurus accurris, miraris, laudas, applaudis? Quid opus est dicere de fallaciis quæ in hippodromis et in pugnis ferarum admittuntur? Hæc quippe omni stupore sunt plena, docentque assidue populum esse immisericordem, sævum et inhumanum: exercetque ad videndum homines discerptos, sanguinem effusum, et ferarum immanitatem omnia confundentem. Et hos omnes morbos sapientes illi legislatores ab initio induxerunt, plaudentibus ac mirantibus civitatibus. Sed, si placet, his omissis quæ aperte, ut in confesso est, absurda sunt, licet sic non visum sit externis legislatoribus, ad honoranda præcepta veniamus, et videbis etiam illa ex multorum opinione corrupta fuisse. Connubium enim res honorabilis esse videtur et nobis et externis: et est vere honorabile. Sed postquam nuptiæ celebratæ sunt, tot ridiculæ res accidunt, quot post hæc audituri estis. Nam ex consuetudine multi occupati ac decepti, earum absurditatem non norunt, sed egent aliis qui illos doceant. Etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba, canticaque turpia, temulentiæ, comessationes, multaque diaboli colluvies tunc inducitur. Et scio quidem me ridiculum videri, quod hæc reprehendam, et vulgo stolidum existimari, qui veteres leges transmoveam: nam, ut supra dixi, ex consuetudine magna deceptio paritur; attamen hæc dicendi finem non faciam.

Fortasse enim, fortasse, etsi non omnes, pauci tamen nos excipient, et malent nobiscum derideri, quam cum illis nos deridere; risu certe lacrymis digno, magnisque pœnis atque suppliciis. Quomodo enim non fuerit extrema damnatione dignum, virginem quæ perpetuo vixerat in thalamo, quæque a prima ætate verecundiam didicerat, derepente cogi ad deponendum pudorem, et nuptiarum initio impudentiam doceri, et a lascivis petulantibusque viris, fornicatoribus et mollibus in medium produci? Quod enim malum in nova sponsa non inseretur ab illo die? Impudentia, petulantia, inverecundia, vanæ gloriæ amor. Volet enim dies omnes habere his similes. Hinc mulieres profusæ et sumptuosæ fiunt, hinc impudentes, hinc ipsis mala innumera. Neque mihi dicas consuetudinem. Nam si malum est, ne semel quidem fiat; si bonum, semper fiat. Dic enim mihi, fornicatio nonne mala est? An ergo concedemus illam semel exerceri? Nequaquam? Quare? Quia etiamsi semel tantum fiat, mala tamen est. Itaque si novam sponsam sic oblectari malum est, ne semel quidem fiat; si bonum est, semper fiat.

VI. Quid igitur, quæso te, inquies, nuptias-ne incusas? Absit, non ita insanio; sed ea quæ in nuptias advecta sunt, pigmenta, fucum, et superflua alia ejusdem generis. Nam sic multos ab illo die attrahet amatores, antequam cum sponso coëat. Sed multi mulieris speciem mirabuntur. Et quid tum? Etiamsi casta fuerit, vix effugiet malam suspicionem; sin negligens fuerit, cito capietur, accepta, ab illo die, libidinis occasione. Attamen cum tanta hinc mala oriantur, contumeliam rem istam vocant illi qui pecoribus non meliores sunt, et indignam rem putant, si mulier illa multis non producatur, neque commune theatrum spectantibus prostet. Atqui oportuit existimare illa consueta, contumeliam, risum et comœdiam inferre. Nam nunc

quoque scio fore ut multi nos ut stultos et risu dignos improbent : sed irrideri patiar, dum hinc aliquid lucri referatur. Etenim ridiculus essem, si dum hortor ut vulgi gloria despiciatur, ipse ante alios hoc morbo caperer. Vide quæ hinc deinceps sequantur; non solum interdiu, sed etiam vespere viros ebrios et deliciis incensos, qui ad formam virginei vultus conspiciendam sese apparant, qui non domi tantum, sed etiam per forum ad ostentationem incedunt, cum lucernis illam summo vespere traducentes, ut a cunctis conspiciatur, nihil aliud hinc suadentes, quam ut omnem illa pudorem deinceps ponat. Neque hic gradum sistunt ; sed cum turpibus verbis illam ducunt : et hoc quoque in legem transiit apud multos; et fugitivi, verberones innumeri, perniciosi homines cum licentia demum omnia pro libidine proferunt, sive in illam, sive in sponsum cum illa habitaturum; et nihil honestum, sed turpia omnia et obscœnitate plena. Neque probam castitatis doctrinam percipiet sponsa, talia videns, talia audiens. Et certamen quoddam est diabolicum inter eos qui ad talia cohortantur, ut alii alios superent opprobriis et impuris dictis, quibus præsentes deturpant : illique victores discedunt, qui probra et magis turpia dicta projecere. Novi quidem me molestum, onerosum et importunum esse qui vitæ voluptatem quamdam abscindam. Ideoque doleo, quod res tam ingratæ voluptas esse putentur. Quomodo, quæso, non ingratum fuerit, contumeliis et probris affici, et ab omnibus cum sponsa dedecore et ignominia notari? Et si quispiam ex foro conjugi tuæ maledixerit, innumera moves negotia, et non vitalem esse vitam existimas; et civitate tota præsente, dum turpiter agis cum futura conjuge, gaudes et te ostentas? Et quantæ hæc sunt insaniæ? At, inquies, hæc ex consuetudine fiunt. Et ideo maxime lugendum, quod rem in consuetudinem concluserit diabolus. Quia enim nuptiæ

res sunt honorabilis, quæ genus nostrum conservet et augeat, et multorum sit causa bonorum, dolore affectus malignus ille, et sciens illud propugnaculum esse contra fornicationem, alio ille modo omnem fornicationem induxit. In talibus enim cœtibus multæ virgines dedecore sunt affectæ. Quod si non semper: at interim satis est dæmoni, quod illa verba et improba cantica et sponsam traduxerint, et sponsum cum pompa per forum transmiserint. Deinde quia hæc in vespera fiunt, ne tenebræ malorum horumce velum sint, lucernæ inducuntur multæ, quæ turpitudinem latere non sinunt. Quid enim sibi vult multa illa turba? Quid ebrietas? Quid fistulæ? Nonne palam est hæc adhiberi, ut ne ii quidem qui in domibus sunt, gravi somno obruti, hæc ignorent, sed a fistulis excitati, et supernc ex cancellis sese inclinantes, testes sint illius comœdiæ? Quid dixeris de ipsis canticis, quæ omni plena sunt impudicitia, quæque absurdos amores, illegitimos concubitus, domorum eversiones et innumeras inducunt tragœdias, et sæpe nomen dilecti et amantis habent, nomenque dilectæ et amasiæ? Quodque gravius est, his adsunt virgines, quæ omnem exuerunt pudorem, in honorem sponsæ, in o in contumeliam; et salutem suam periculo exponunt, interque juvenes indecore se gerunt, ineptis cantilenis, et verbis turpibus cum satanica symphonia utentes. Adhuc-ne, quæso, interrogas undenam adulteria? unde fornicationes? unde nuptiarum corruptiones? At non ingenuæ, et honestæ, inquies, hoc faciunt. Cur ergo me irrides, cum ipse hanc legem ante me scias? Nam si bona sunt illa, sine illas quoque id agere. Num quia illæ in paupertate vivunt? nonne et ipsæ virgines sunt, illasque castitatis curam habere oportet? Nunc autem saltat virgo in communi theatro impudicorum juvenum, annon, quæso, videtur tibi vel meretrice inhonestior? Quod si dixeris ancillas id facere,

neque sic finem facio te accusandi : neque enim illis id oportebat permitti.

VII. Omnia enim hinc mala oriuntur, quod familiæ nullam habeamus rationem; sed ad rem despiciendam satis est dicere : Servus est, ancillæ sunt; etiamsi quotidie audiant : « In Christo Jesu non servus, non liber est[1]. » Tu vero equum quidem non despicis nec asinum; sed nihil non agis ut ne vitiosi fiant, servos autem despicis eadem qua tu præditos anima? Ecquid dico servos, quando etiam et filios et filias? Quid vero postea? Necesse est ut dolor statim subeat, cum illi omnes pessum eant; sæpe autem maximum quoque damnum, cum in turba et tumultu multa aurea pretiosa pereant. Deinde post nuptias si natus fuerit infans, eamdem videbimus amentiam et multa symbola risu plena. Nam cum infanti nomen imponere oportuerit, non Sanctorum nomine, ut veteres olim faciebant; accensis lucernis quibus nomina indunt, nato nomen indunt ejus, quæ diutius lucem dederit, hinc conjicientes futurum ut diu vivat. Deinde si immaturum morte corripi contigerit, ut sæpe accidit, multus sequetur diaboli risus, quod illos, ceu stultos pueros ludificaverit. Quid dixeris de ligaminibus, et de crepitaculis manui appensis et de stamine coccineo, deque aliis multis insania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam crucis custodiam? Nunc autem hic quidem despectui est habitus, qui convertit totum orbem terrarum, et gravem diabolo plagam inflixit, totamque ejus potentiam subvertit. Subtegmen autem et stamen aliaque ligamina similia, ea sunt quibus creditur pueri tutela. Dicam-ne aliud magis ridiculum, sed nemo nos importunitatis accuset, si eo usque procedat oratio. Nam qui putredinem vult emundare, non recusabit prius inquinare manus suas. Quidnam ergo est

[1] Galat. III, 28.

hoc ridiculum? Quod quidem nihil esse videtur, ideoque ingemisco; sed est principium insaniæ et extremæ demen-tiæ. Lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices et an-cillæ, digito tingentes, in pueri fronte imprimunt. Et si quis interroget, «Quid sibi vult lutum, quid cœnum?» ma-lum avertit oculum, inquiunt, livoremque et invidiam. Papæ! quanta vis luti, quanta cœni potestas; tantam ut totam diaboli aciem profliget? Non pudore, quæso suffun-demini? non vel sero tandem diaboli laqueos intelligetis, quomodo ab ineunte ætate machinas suas paulatim indu-cat? Nam si lutum hoc faciat; cur non tu in fronte tua idipsum facis, cum vir sis et plena ætate, et plus quam puer invidos habeas? cur non luto illinis totum corpus? Nam si in fronte tantam habet virtutem, cur non te totum luto inungis? Hæc sunt risus et comœdia satanica, quæ non ad irrisionem tantum, sed ad gehennam præcipitat eos qui decipiuntur. Certe quod apud Græcos talia fiant mirum non est; quod autem apud eos qui crucem adorant, et mysteriorum arcanorum participes sunt, et tanta philoso-phantur, id certe multis lacrymis est dignum. Deus te unguento spirituali honoravit, et tu luto filium deturpas? Deus te decoravit, et tu te ipsum dedecoras? Et cum opor-teret in fronte crucem ascribere, quæ insuperabilem tute-lam præbet; tu his dimissis in satanicam amentiam decidis? Si quibus autem hæc parva esse videantur, discant id esse magnorum causam malorum, neque Paulo visum fuisse parva negligere. Quid enim, quæso, minus est, quam ut homo caput operiat? Sed vide quantam hujus rei curam habeat, et cum quanta prohibeat vehementia, tum alia multa dicens, tum quod caput suum dehonestet. Si autem qui tegit caput, ipsum dehonestat; qui luto illud ungit, quomodo non puerum reddit abominandum? Quomodo, quæso, adducit eum ad manus sacerdotis? Quomodo præ-

caris, ut presbyteri manu signaculum in fronte apponatur, ubi luto unxisti? Ne, fratres, ne hæc faciatis; sed ab ineunte ætate pueros spiritualibus armis munite, et docete eos manu frontem signare; etiam prius quam possint hoc manu facere, vos ipsi eis crucem imprimite. Quid dixeris de aliis satanicis observationibus in doloribus uteri et in partu adhibitis, quas obstetrices in capitis sui malum inducunt? de iis item quæ in morte, et cum corpus effertur adhibentur; ejulatus nempe, planctus insani, stulta in sepulcris admissa, circa monumenta studium, intempestivum et ridiculum præficarum agmen, dierum observationes, necnon ingressus et exitus? Horum-ne, quæso, venaris gloriam? Et quomodo hæc non extremæ dementiæ fuerint, hominum ita mente corruptorum et omnia temere agentium gloriam quærere, cum oporteret semper ad insomnem illum confugere oculum, et ejus sententiam spectantes omnia facere, ac dicere. Hi certe etiamsi laudent, nihil vos juvare poterunt. Ille vero si gesta nostra ipsi fuerint accepta, et hic splendidos reddet, et in futuro die arcana illa bona tribuet: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

CAPUT IV.

Nos stulti propter Christum; *necesse enim est hinc rursum sermonem resumere;* vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes; vos gloriosi, nos autem inglorii[1].

I. Postquam gravitate multa sermonem impleverat, id quod omni crimine majorem inferebat plagam, hic cum dignitate sibi congruenti hoc tractat: et cum dixisset: « Sine » nobis regnastis; et, Deus nos novissimos ostendit tanquam » morti destinatos; » per sequentia ostendit quomodo morti destinati essent, dicens: « Nos stulti et infirmi, et inglorii, » et esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædi- » mur, et instabiles sumus, et laboramus operantes mani- » bus nostris[2] : » quæ indicia vere erant doctorum et Apostolorum. At illi in contrariis altum sapiebant, in sapientia, in gloria, in divitiis, quod honorarentur. Ut ergo illorum fastum deprimat, et ostendat in iis non modo non gloriari, sed etiam pudore affici oportere, primo illos traducit dicens, « Sine nobis regnastis. » Ego enim dico, inquit, præsens tempus, non honoris neque gloriæ esse, quibus vos fruimini, sed persecutionis et contumeliarum, quas nos patimur. Quod si hoc ita non sit, etsi jam tempus remunerationis sit, ut video, hoc autem per ironiam dicit, vos quidem Discipuli jam regnastis; nos autem doctores et Apostoli, qui ante omnes mercedem accipere debebamus,

[1] 1 Cor. IV, 10. — [2] Ibid. 11, 12.

non modo vobis posteriores sumus, sed etiam ut morti destinati, id est, damnati, semper in ignominia, in periculis, in fame degimus, contumelia affecti tanquam stulti, pulsi et intolerabilia patientes. Hæc porro dicebat, ut ex iis persuaderet ipsis, quod Apostolorum gesta deberent æmulari, pericula nempe, et contumelias, non autem honorem et gloriam. Non enim illa, sed hæc postulat prædicatio. Sed hoc tamen non directe dicit, ut ne videatur ipsis molestus esse : sed ut illum decebat, sic tractat hanc increpationem. Nam si directe sermonem induxisset, sic dicturus erat : « Erratis et fallimini, et longe abestis ab admonitione apostolica. » Oportet enim Apostolum et ministrum Christi stultum videri, atque in afflictione et contemptu degere, ut nos degimus; vos autem in contrariis estis. Sed sic, hæc magis illos commovissent, utpote quæ Apostolorum encomia præ se ferrent, et illos reddidissent audaciores, ut qui accusarentur socordiæ, inanis gloriæ et divitiarum. Idcirco non hoc modo dicta procedunt, sed alio, qui magis quidem perstringit, sed minus molestus est. Quapropter ita profert orationem, per ironiam dicens : « Vos autem fortes et gloriosi. » Nam si ironia non usus esset, ita dixisset : « Fieri non potest, ut alius stultus putetur, alius prudens; alius fortis, alius infirmus, prædicatione utrumque non postulante. Nam si liceret hos tales, alios aliud esse, quæ a nobis proferuntur aliquam fortasse rationem haberent. Nunc hoc non licet, nimirum prudentem vel gloriosum videri ac sine periculo degere. Sin minus, necesse est ut Deus vos nobis prætulerit, vos discipulos doctoribus, qui innumera passi sumus. » Quod si hoc nemo dixerit, restat ut nostra vos persequamini : et ne quis putet, inquit, me præterita tantum commemorare : « Usque » in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus. » Vides-ne totam Christianorum vitam talem esse debere,

non uno vel altero die? Neque enim athleta, qui in uno tantum victor certamine coronatus est, iterum coronatur cum succubuerit. « Et esurimus, » adversus eos qui in deliciis agunt. « Et colaphis cædimur, » adversus eos qui inflati sunt. « Et instabiles sumus pulsi, » adversus eos qui labuntur. « Et nudi sumus, » adversus eos qui sunt divites, « Et » laboramus. » Jam contra falsos apostolos, qui nec laborare, nec periclitari sustinent, sed ipsi fructum percipiunt. At nos non sic, inquit : sed cum externis periculis, nos quoque perpetuo exercemus labore. Quodque majus est, nemo possit dicere nos hæc ægre ferre. Illos enim qui nos vexant, per contraria remuneramus. Hoc quippe magnum est, non autem male pati; quod omnibus est commune; verum patientes nec ægre nec indigne ferre.

II. Nos autem non modo non ægre ferimus, sed etiam exultamus; cujus rei hoc signum est, quod eos qui nobis mala inferunt contrariis remuneremus. Quod autem hoc facerent, audi sequentia : « Maledicimur, et benedicimus; » persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, » et obsecramus, tanquam purgamenta mundi facti su- » mus[1]. » Hoc est, stulti propter Christum. Nam qui male passus est, et neque se ulciscitur, neque dolet, stultus videtur esse apud externos, et inglorius infirmusque. Ac ne molestiorem redderet orationem, ad illorum civitatem ærumnas reducens, quid dicit? « Purgamenta, » non urbis vestræ, sed mundi facti sumus. Et rursus, « Omnium » peripsema, » non vestrum tantum, sed omnium. Sicut ergo cum de Christi cura loquitur, terra, cœlo et omni creatura relictis, crucem in medio ponit; ita etiam quando ad se vult attrahere, signis prætermissis, quæ propter ipsos passus est dicit. Ita quoque solemus, cum injuria afficimur vel despicimur a quibusdam, quæ pro illis passi sumus in

[1] 1 Cor. IV, 12, 13.

medium adducere. « Omnium peripsema usque adhuc. » Vehementem plagam inducit in fine. Omnium, inquit, non persequentium, sed eorum propter quos hæc patimur. Magnam ipsis gratiam habeo. Graviter ferentis est verbum, non quod ipse angatur; sed quod illos perstringere velit. Nam qui potest innumera proferre crimina, illos salutat. Ideo jubet Christus contumelias nos mansuete ferre, ut et ipsi philosophemur, et contumeliosos pudore magis afficiamus. Non enim ita contumelia afficiens, ut silens hoc facis. Deinde quia vidit intolerabilem esse plagam, statim illi medetur dicens : « Non ut confundam vos hæc scribo, sed » ut filios meos dilectos moneo[1]. » Non ut pudore afficiam vos, inquit, hæc dico : quod per verba fecit, se non fecisse dicit; imovero se fecisse dicit, sed non malo animo vel ex odio. Hæc est enim optima curatio, cum verbum dixeris, excusationem ex mente proferre. Nam hæc non dicere non licebat, quia incorrecti mansissent. Postquam autem dixerat, plagam incuratam relinquere, grave fuisset, quare cum gravitate excusat. Hoc enim non modo incisionem non tollit; sed etiam efficit, ut profundius infigatur, dum plagæ dolorem omnem consolatur. Qui enim audit ipsum non exprobrantem, sed amantem hæc dicere, libentius correctionem accipit. Multa est hic quoque gravitas et ad pudorem provocatio. Non enim ut doctor, non ut Apostolus, non ut qui discipulos habeam, quod dignitatis est, « Sed ut filios meos charissimos moneo. » Nec tantum filios, sed desideratos. Ignoscite mihi, inquit, si quid molestum dixi : hæc ex dilectione fiunt. Nec dixit, « Corripio; » sed. « Moneo. » Quis vero non ferat patrem dolentem, et quæ decet consulentem? Ideo non hæc prius dixit, sed postquam plagam inflixerat. Quid ergo, inquies, non parcunt nobis alii doctores? Non sic dico, sed non ita parcunt.

[1] 1 Cor. IV, 14.

Verum hoc quidem breviter non dixit; sed per studia et nomina hoc indicavit, ut qui pædagogum posuerit et patrem. « Nam et si multos pædagogos, inquit, habeatis in » Christo, sed non multos patres[1]. » Non dignitatem hic ostendit, sed charitatis magnitudinem; neque illos perstrinxit cum addidit, « In Christo; » sed consolatus est illos, non adulatores, sed pædagogos vocans illos qui studia et labores ferebant, suamque curam ostendit. Ideo non dixit, « Sed non multos doctores; » sed, « Non multos patres. » Sic non dignitatem apponere voluit, neque ostendere quod multam utilitatem ab ipso accepissent; sed cum concessisset, quod illi multa præstitissent ipsis; talis enim erat pædagogus dilectionis exuperantiam sibi reservat. Talis enim est pater. Nec dicit modo, « Nemo vos ita amat, » quod absque reprehensione fuisset; sed rem uti gesta est in medium adducit, « Qualis illa erat? Nam in Christo Jesu » per Evangelium ego vos genui[2]. » In Christo Jesu. Non mihi hoc ascribo. Rursus illos pungit qui sibi laudem doctrinæ tribuebant. « Vos enim estis, inquit, signaculum » apostolatus mei[3]. » Et rursum, « Ego plantavi; » et hic, « Ego genui. » Non dixit, « Annuntiavi verbum, » sed, « Ego genui, » naturæ usus nominibus. Unum enim illi curæ erat, ut dilectionem erga illos suam exhiberet. Illi namque cum a me accepissent, vos induxerunt; quod autem fideles sitis, per me factum est. Quia enim dixit, « Ut filios, » ne adulationis verbum esse existimares, rem ipsam profert. « Rogo » igitur vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi[4]. » Papæ, quanta doctoris fiducia, quam accurata imago, cum etiam alios ad hoc advocat! Non sese extollens autem hoc facit, sed ut ostendat facilem esse virtutem.

III. Ne mihi enim dixeris, « Non possum te imitari. Tu doctor es et magnus. » Non enim tantum spatii inter me

[1] I Cor. IV, 15. — [2] Ibid. — [3] Id. IX, 2. — [4] Id. IV, 16.

et vos interest, quantum inter Christum et me. Attamen illum ego imitatus sum. Cum ergo Ephesiis scribit, non se medium ponit; sed statim ipsos omnes illuc adducit: « Estote imitatores Dei [1] » dicens. Hic vero, quia infirmos alloquebatur, se ipsum interposuit. Alioquin autem ostendit, quod sic quoque fas sit Christum imitari. Nam qui accuratum signaculum est imitatus, archetypum imitatus est. Videamus ergo quomodo ipse Christum imitatus sit. Nam hujusmodi imitatio non tempore et arte opus habet, sed proposito tantum. In pictoris enim officinam ingressi, non poterimus imaginem imitari, etiamsi illam mille aspiciamus. Hunc autem vel ex solo auditu imitari licet. Vultis ergo, tabula in medium adducta, describamus vobis Pauli institutum vitæ? Prostet igitur tabula multo splendidior quam regiæ imagines. Nam quod hic subjicitur, non sunt asseres conglutinati, non impositi sindones; sed opus Dei subjicitur. Anima enim est et corpus. Anima Dei opus, non hominum; et corpus similiter. Hic plausistis? Sed non hoc plausuum tempus est; sed in sequentibus tempus plaudendi, et imitandi erit. Interim enim materia subjicitur, communis omnibus. Anima enim ab anima nihil differt, quatenus anima est, sed propositum differentiam ostendit. Sicut enim corpus a corpore, quatenus corpus est, nihil differt; sed simile est et corpus Pauli et corpus multorum; sed pericula illius corpus alio corpore splendidius efficiunt. Ita et de anima dicendum. Ponatur ergo tabula nobis, anima nempe Pauli. Hæc tabula nuper jacebat fuligine obducta, plena telis aranearum: nihil enim est blasphemia pejus. Quia autem venit is qui omnia transformat, et vidit non ex ignavia et socordia ita depictam esse, sed ex imperitia, et quod non haberet flores pietatis; zelum quippe habebat, colores

[1] Ephes. v, 1.

vero non aderant, non enim zelum secundum scientiam habebat; dat illi florem veritatis, id est, gratiam : ac repente regiam ostendit imaginem. Acceptis namque coloribus, cum didicisset illa quæ ignorabat, non expectavit tempus, sed statim optimus artifex visus est; et primo ostendit regium caput, Christum prædicans; deinde reliquum corpus, quod est accuratum vitæ institutum. Pictores quidem, cum se incluserint, cum accuratione magna et quiete omnia faciunt, nemini ostia aperientes. Hic autem in medio orbe tabulam proponens, omnibus contradicentibus, tumultuantibus, turbantibus, ita hanc regiam imaginem fecit, nec prohibebatur, ideoque dicebat, «Spectaculum facti sumus mundo,» in medio terræ et maris et cœli, et totius orbis, mundique hujus tam sensibilis quam spiritualis, depingens imaginem. Vultis quoque cæteras ejus partes videre, a capite usque deorsum? aut vultis ab inferiori parte sermonem sursum deducamus? Contemplare ergo statuam auream, imo ea pretiosiorem, qualem in cœlo stare par est; non plumbo vinctam, neque uno in loco positam; sed a Jerusalem usque ad Illyricum currentem et in Hispaniam abeuntem, et quæ quasi alata per orbem terræ feratur. Quid his pedibus fieri possit speciosius, qui totam quæ sub sole est terram pervaserunt? Hanc speciem jam olim Propheta prædicavit dicens: « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem [1] ! » Videsne quam pulchri pedes sint? Vis-ne et pectus videre? Accede, hoc etiam tibi ostendam, et multo splendidius videbis, quam pedes illos speciosos, et ipso veteris legislatoris pectore. Moyses quidem tabulas gestavit lapideas; hic vero intus habuit Christum, ipsam regiam gestabat imaginem et propitiatorii. Ideo Cherubinis honorabilior erat. Non enim talis inde vox ferebatur, qualis hinc; sed

[1] Isaï. LII, 7.

illic plura disserebat de sensilibus : ex lingua autem Pauli de rebus quæ supra cœlos sunt. Et ex Propitiatorio Judæis solis oracula ferebat; hinc vero toti terrarum orbi. Et illic quidem per inanima, hic vero per animam virtute præditam.

IV. Hoc propitiatorium cœlo splendidius erat, non stellarum varietate fulgens, neque radiis solaribus; sed ipsum Solem justitiæ habens inde radios emittentem. Et hoc quidem cœlum nubes subiens aliquando tristius reddit: pectus vero illud nulla unquam talis tempestas subiit; imo potius sæpe tempestates subter currebant multæ, sed lucem non obscurabant; sed in media tentatione et in periculis lux illa effulgebat. Quamobrem ipse catenis vinctus clamabat : « Verbum Dei non est alligatum [1]. » Ita semper per illam linguam radios emittebat : et nec metus, nec periculum pectus illud obscurum reddebant. Fortasse videtur pectus illud pedes longe retro relinquere : sed illi tamen ut pedes, pulchri sunt et hoc etiam ut pectus, pulchrum est. Vis et ventrem videre speciosum? Audi quid de illo dicat : « Si cibus scandalizat fratrem meum, » non comedam carnem in æternum [2]. » Bonum est carnem non comedere, nec vinum bibere, neque rem quamcumque, in qua frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur. Esca ventri, et venter escis. Quid hoc ventre fuerit speciosius, qui ita doctus erat quiescere, et omnem temperantiam exhibere, qui sciret esurire, famem pati et sitire? Quemadmodum enim equus bene assuetus habenas habens aureas, ita et hic numerose incedebat cum naturæ necessitatem superasset : nam Christus incedebat in illo. Hoc autem tam temperanter agente, palam est vitium aliud omne solutum fuisse. Vis etiam videre eas quæ nunc sunt manus? aut vis prius illorum pristinam nequitiam

[1] 2 Tim. II, 9. — [2] 1 Cor. VIII, 13.

videre? Ingressus ille domos, nuper viros et mulieres trahebat, non viri manus habens, sed immanis feræ. Postquam autem colores veritatis accepit, et spiritualem peritiam, non ultra viri fuere manus illæ, sed spirituales, quotidie catenis constrictæ: et neminem unquam percusserunt, sed millies percussæ sunt. Hasce manus aliquando vipera reverita est. Non enim jam erant hominis manus: ideoque non attigit eas. Vis etiam tergum videre reliquis membris simile? audi quid de illo dicat: « Quinquies » quadragenas una minus accepi a Judæis. Ter virgis cæsus » sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli, nocte » et die in profundo maris fui [1]. » Sed ne nos in profundum immensum dejecti, multum circumagamur, singula ejus membra persequentes; age jam a corpore discedentes, aliam pulchritudinem videamus, nempe a vestimentis, quam dæmones reverebantur; ideoque fugiebant, et ægritudines curabant. Et ubicumque appareret Paulus, omnia cedebant et amovebantur, utpote cum advenisset orbis terrarum pugil. Ac quemadmodum ii qui multas in bello plagas acceperunt, si viderint arma ejus qui illos percussit, horrescunt; ita et dæmones semicinctia tantum videntes, discedebant. Ubi sunt nunc divites, qui in divitiis altum sapiunt? Ubi illi qui dignitates suas numerant, sumptuosaque vestimenta? Cum his se comparantes, sua omnia videbunt esse cœnum et lutum. Ecquid dico vestimenta et aurea? Si enim quis mihi totius orbis imperium daret, unguem tantum Pauli, isto imperio fortiorem esse putarem; paupertatem ejus, omni voluptate; ignobilitatem, omni gloria; omnibus divitiis, nuditatem; omni licentia, impactos sacro illi capiti colaphos; omni diademate, lapides quos excepit. Hanc coronam desideremus, dilecti: et etiamsi persecutio non sit, interim nos præparemus. Ne-

[1] 2 Cor. xi, 25.

que enim a persecutionibus tantum hic vir splendidus erat : nam dicebat : « Castigo corpus meum [1]. » Hoc vero sine persecutione recte fieri potest. Et admonebat carnis curam non faciendam esse ad concupiscentias [2] ; et rursus : « Habentes alimenta et vestes, his contenti simus [3]. » Ad hæc enim non opus est persecutionibus. Et opulentos quoque ad temperantiam vocabat dicens : « Qui volunt esse » divites, incidunt in tentationem [4]. » Si igitur nos quoque sic exerceamus, in agonem ingressi coronabimur ; et licet persecutio non sit, multa pro his recipiemus præmia. Si vero corpus impinguemus, et porcorum vitam ducamus, etiam in pace, multa peccata admittemus, ac dedecus feremus. Non vides adversus quos nobis sit colluctatio ? Adversus incorporeas potestates. Quomodo ergo cum caro simus, has superabimus ? Nam si cum homine quis pugnaturus temperanter comedere debet, multo magis si adversus dæmonas. Quando autem cum carnis pinguedine, divitiis etiam fuerimus alligati, unde adversarios superabimus ? Vinculum enim sunt divitiæ, vinculum grave iis, qui illo uti nesciunt, tyrannus crudelis et inhumanus, servis suis omnia imperans ac perniciem. Sed, si velimus, hanc acerbam tyrannidem e solio decutiemus, et nobis cedere compellemus, non imperare. Quomodo ergo hoc fiet ? Cum divitias omnibus distribuemus. Donec enim opulentia sola cum solis erit ut latro in solitudine, omnia inferet mala ; cum autem illam in medium adducemus, non ultra nobis imperabit, cum omnes illam undique alligent.

V. Et hæc dico, non quod peccata sint pecuniæ : sed peccatum est non eas pauperibus distribuere, et male illis uti. Nihil enim malum Deus fecit, sed omnia valde bona. Itaque bonæ etiam sunt pecuniæ ; sed si possidentibus non

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Rom. XIII, 14. — [3] 1 Tim. VI, 8. — [4] Ibid. 9.

imperent, si paupertatem proximi solvant. Neque enim lux illa bona, quæ non delet tenebras, sed auget eas; neque divitias sic appellarim, quæ non solvant paupertatem; sed augeant illam. Nam qui dives est, non quærit ab aliis accipere, sed aliis opem ferre. Qui vero ab aliis quærit accipere, jam non dives est, sed ipse pauper. Itaque non divitiæ malæ sunt; sed pauper animus, qui divitias deducit in paupertatem. Ii miseriores sunt illis qui in angiportis mendicant, iis qui cæci et mutilato corpore sunt; et qui sericis splendidisque vestibus amicti sunt, iis qui laceris pannis induuntur: qui in foro superbe incedunt inferiores sunt iis qui in biviis vadunt, et in aulas ingrediuntur, ab imo clamant mendicantes. Ii namque Deum laudant, et misericordiæ multæque philosophiæ verba proferunt. Ideoque illos miseramur et manus ipsis porrigimus, ac nunquam accusamus. Qui autem male divitias possident, crudelitatis, immanitatis, rapinæ et concupiscentiæ verba proferunt. Ideo apud omnes odiosi et ridiculi habentur. Considera autem, quid apud omnes homines turpe esse videatur; an a divitibus petere, an ab inopibus? Palam certe est, ab inopibus. Hoc itaque faciunt divites; non enim auderent ad ditiores accedere. Qui autem mendicant, a locupletibus petunt: neque enim mendicus a mendico petit, sed a divite. Dives autem pauperem discerpit. Rursus quid, quæso, honestius, a lubentibus et gratiam habentibus accipere, an invitos cogere et perturbare? Palam est honestius esse invitos non turbare. Sed hoc divites faciunt. Nam pauperes a lubentibus accipiunt et gratiam habentibus. Divites autem ab invitis et repugnantibus, quod majoris est paupertatis demonstratio. Si enim ad prandium nemo velit accedere, nisi gratiam ipsi habeat is qui invitat, quomodo bonum fuerit pecunias vi extorquere? Canes nonne ideo aversamur et fugimus latrantes, quod nobis assidue instent et nos urgeant? Hoc

et divites faciunt. At honestius ut cum dono adsit metus. Hoc certe omnium turpissimum est. Qui enim omnia movet ut accipiat, quo homine magis ridiculus non fuerit? Etenim sæpe cum canes metueremus, ea quæ tenebamus projecimus. Quid rursus, dic mihi, turpius pannis laceris involutum petere, an sericas vestes ferentem? Quando enim quis dives senes colit pauperes, ut res illorum accipiat, etiamsi liberos habeant, qua venia dignus erit? Si vultis autem, ipsa quoque verba examinemus; quænam scilicet divites petentes dicant, et quænam pauperes. Quid ergo dicit pauper? Quod qui dat eleemosynam non parce dabit, quod ea det quæ a Deo sunt, quod Deus sit benignus, et majora retribuat; quæ omnia philosophiæ sunt verba et exhortationis et consilii. Rogat enim te ad Dominum respicias, et metum tibi tollit futuræ paupertatis: ac multam quis videat doctrinam in verbis mendicantium. Divitum autem verba qualia sunt? Porcorum, canum, luporum, aliarumque ferarum. Nam alii de mensis, de opsoniis, de condimentis, de vino omnis generis, de unguentis, de vestibus, deque omni alio luxu et profusione. Alii de usuris, de fœnoribus. Et schedas fingentes, ac debitorum intolerabilem attollentes magnitudinem, quasi a patribus et avis initium acceperint, hujus domum, illius agrum, alterius mancipium auferunt facultatesque omnes. Quid vero dixeris de testamentis, quæ non atramento, sed sanguine scripta sunt? Aut enim in non ferendum inductos periculum, aut modicis promissis incantatos, quos viderint quædam modica possidentes eo induxerunt ut cognatos omnes, et paupertate sæpe pereuntes missos faciant; seque pro illis hæredes ascribant. Hæc autem quarumnam ferarum non superant feritatem? Quapropter, obsecro, omnes hujusmodi divitias fugiamus, turpes et cædibus refertas; et spirituales illas possideamus, thesau-

rosque in cœlo requiramus. Nam qui hos habent, illi certe divites sunt, illi opulenti, et fruuntur omnibus quæ hic et illic sunt. Qui enim secundum Dei verbum pauper esse vult, omnium domos habet apertas. Nam ei qui propter Deum nihil possidet, unusquisque sua confert. Qui vero parva cum injustitia vult habere, omnium sibi ostia clausit. Ut ergo et quæ hic et quæ illic sunt bona assequamur, eligamus immotam et immortalem opulentiam. Quam utinam nos omnes consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui sit imperium, honor, et gloria cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

CAPUT IV.

Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus dilectus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas quæ sunt in Christo Jesu[1].

I. Hic quoque consideres velim generosam animam, igne ardentiorem et acriorem. Volebat quidem ipse adesse, Corinthiis maxime sic ægrotantibus et seditione agitatis. Probe sciebat enim, quam prodesset discipulis præsentia sua, et quantum obesset absentia. Et illud quidem indicavit in Epistola ad Philippenses, dicens: « Non ut in præ» sentia mea tantum, sed multo magis nunc quoque in » absentia mea, cum timore et tremore salutem vestram » operamini[2]. » Hoc autem ostendit in hac Epistola dicens:

[1] 1 Cor. IV, 17. — [2] Philip. II, 12.

« Tanquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam ; » veniam autem[1]. » Festinabat itaque et cupiebat ipse adesse, sed quia hoc nondum licebat, promissione adventus sui illos corrigit : neque hoc tantummodo, sed etiam missione discipuli. « Ideo, namque dicit, misi ad vos Timotheum. » Ideo : » Quare ? Quia vestrum ut filiorum curam gero, ut qui vos genuerim. Et cum commendatione personæ est Epistola : « Qui est filius meus dilectus, et fidelis in Domino. » Hoc autem dixit, et ut amorem suum ostendat, et ut illos præparet ad illum reverenter videndum. Neque tantum fidelem dicit ; sed, in Domino : id est, in rebus quæ secundum Dominum sunt. Quod si in sæcularibus rebus fidelem esse laus est, multo magis in spiritualibus. Si ergo dilectus ejus filius sit, cogita quantus sit amor Pauli in Corinthios, quorum gratia ab illo voluerit separari. Si autem fidelis sit, inculpate res administrabit. « Qui vos commo- » nefaciet. » Non dicit, « Docebit ; » ne id ægre ferrent, ut qui ab ipso discerent. Ideoque in fine ait : « Opus enim Dei » operatur sicut et ego[2]. » Ne quis ergo illum despiciat. Nulla enim in Apostolis erat invidia, sed unum spectabant, nempe Ecclesiæ ædificationem. Et si minor erat is qui operabatur, cum omni studio fovebant illum et juvabant. Quapropter non satis habuit dicere, commonefaciet ; sed illorum invidiam magis abscindere volens, juvenis namque erat Timotheus, ideo subjunxit, « Vias meas. » Non suas, sed, meas ; id est, œconomias, pericula, mores, leges, statuta, canones apostolicos et alia omnia. Quia enim dixit, « Nudi sumus et colaphis cædimur, et instabiles su- » mus : » et hæc, inquit, omnia vos commonefaciet, et leges Christi, ut hæreses deleat. Deinde superiora repetens subjungit ; « Quæ sunt in Christo. » Omnia uti solet Domino referens, et fide digna sequentia reddens, quare subdit :

[1] 1 Cor. IV, 18. — [2] Id. XVI, 10.

« Sicut ubique in omni Ecclesia doceo. » Nihil apud vos novi dixi. Horum mihi consciæ sunt reliquæ omnes Ecclesiæ. Vias autem illas in Christo dicit, ostendens illas nihil humanum habere, et cum ejus auxilio se recte omnia gerere. Postquam autem hæc dixit, et illos curavit; aggressurus accusationem fornicatoris, rursus ira plenos sermones emittit, non quod ille ita affectus esset, sed ut illos corrigat, et fornicatore dimisso, alios alloquitur : ne suis quidem verbis dignum illum judicans, quod erga servos qui admodum offenderunt facere solemus. Et quia dixit : Timotheum mitto, ne ideo segniores evadant, vide quid dicat : « Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. » His enim et illos perstringit, et alios quosdam, altos illorum sensus exagitans. Est enim crimen appetiti principatus, absentia doctoris ad arrogantiam uti. Quando enim plebem alloquitur, perpende mihi quomodo ad pudorem inducat; quando autem eos, qui in causa mali sunt, vehementius agit. Illis enim dicit : « Omnium peripsema, » illosque leniens addit, « Non ut confundam vos hæc scribo. » His autem : « Tanquam non venturus sim ad vos, inflati » sunt quidam, » ostendens puerilis animi esse arrogantiam. Etenim pueri absentia magistri segniores fiunt. Hoc ergo indicatur, et quod præsentia satis sit ad correctionem.

II. Quemadmodum enim leone præsente omnia terrentur animalia; sic præsente Paulo pertimescebant ii qui Ecclesiam corrumpebant. Ideo subjunxit : « Veniam autem cito ad vos, si Dominus voluerit[1]. » Sed hoc solum dicere, comminantis esse videbatur; operum autem demonstrationem et ipsum promittere et ab illis exigere, hoc magni et sublimis erat animi. Quamobrem et hoc subjunxit, dicens : « Et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, » sed virtutem[2]. » Non enim ex propriis recte factis, sed ex

[1] 1 Cor. IV, 19. — [2] Ibid.

doctoris absentia suborta erat arrogantia. Quod ipsum quoque animi erat despicientis. Ideo cum dixisset : « Misi » Timotheum, » non statim dixit, « Veniam, » sed cum prius ipsos accusasset quod inflati essent, tunc ait, « Veniam. » Nam si ante accusationem illud posuisset, excusatio potius visa fuisset, ut qui non defuisset, et non comminatio, nec credibilis sermo fuisset, nunc autem post accusationem positum dictum, et fide dignum et terribilem reddidit. Et vide ejus firmitatem securitatemque. Non enim simpliciter dixit, « Veniam, » sed, « Si Dominus voluerit, » nec tempus constitutum ponit. Quia enim contigit eum tardius accedere, ex incerto vult illos dubios animi et suspensos tenere. Et ne propterea rursus concidant, addidit, « Cito : » Et cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, » sed virtutem. » Non dixit, « Cognoscam sapientiam, neque signa ; » sed quid ? « Non sermonem ; » et illud prolato nomine deprimens, et hoc extollens. Et interim sermonem dirigit ad eos qui fornicatorem fovebant. Nam si illum alloqueretur, non diceret, « Virtutem ; » sed, « Opera, quæ corrupta erant. » Et cur non quæris sermonem ? Non quod verbis egeam, sed quia in virtute res nostræ consistunt. Ut igitur in bello, non multa loquentium, sed multa patrantium sunt præclara gesta ; ita hic quoque non loquentium, sed operantium est victoria. Altum sapis ob facundiam, inquit ; sed si rhetorum certamen esset et tempus, recte ideo tibi placeres ; si autem Apostolorum veritatem annuntiantium, et illam signis confirmantium, quid inflaris de re superflua, quæ nihil est, et ad præsentia nihil conferre possit ? Quid enim verborum ostentatio posset ad mortuum suscitandum, aut dæmones pellendos, aut aliud quodpiam miraculum patrandum. His nunc opus est, et per hæc res nostræ consistunt. Ideoque subjunxit : « Non

» enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute[1]. » Per signa, inquit, non per facundiam vicimus, et quod divina sit doctrina nostra, et regnum cœlorum annunticmus, maximum argumentum præbuimus, signa nempe, quæ per virtutem Spiritus facimus. Si ergo magni quidam viri esse volunt ii qui nunc sunt inflati, cum advenero, ostendant, si quam talem virtutem habeant, neque verborum fastum mihi obtendant : ars enim illa nihil ad nos. « Quid » vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu » mansuetudinis[2] ?» Multum terroris et multum lenitatis hic sermo præ se fert. Dicere enim, « Cognoscam, » sese continentis erat ; dicere autem : «Quid vultis ? in virga veniam » ad vos? » ejus est qui in doctrinæ solium ascendit, et inde disserit, totamque auctoritatem accepit. Quid est, in virga? id est, in castigatione, in supplicio ; hoc est, de medio tollam, excæcabo ; quod in Sapphira Petrus fecit, et ipse in Elyma magο. Non enim jam dicit, tanquam se cum illis comparans, sed cum auctoritate. Et in secunda Epistola hoc ipsum dicere deprehenditur cum ait : « An experimen- » tum quæritis, ejus, qui in me loquitur, Christi[3] ? » In virga veniam, an in charitate ? Quid enim, in virga venire, annon charitatis ? Charitatis quidem erat ; sed quia qui diligit, vix ad pœnam sumendam ducitur, ideo ita loquitur. Cum ergo de supplicio dicebat, non dixit, « Et Spiritu le- » nitatis, » sed, « Virga : » quamvis illud quoque spiritu fieret. Est enim Spiritus mansuetudinis et spiritus severitatis. Verum non vult illum ita, sed a benignioribus vocare. Propterea Deus quoque etiamsi puniat, quod sit misericors, longanimis et dives in misericordia et miserationibus, sæpe dicitur ; quod vero puniat, semel, aut bis, aut certe raro, idque urgente causa. Et vide sapientiam Pauli. Cum potestatem haberet, alterutrius rei dat ipsis optionem dicens :

[1] 1 Cor. IV, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] 2 Cor. XIII, 3.

« Quid vultis? » res est posita in vestra potestate. Etenim et hoc et illud est positum in nostra potestate, ut vel in gehennam incidamus, vel regnum consequamur : quoniam Deus sic voluit. Ecce enim, inquit, ignem et aquam : ad quod volueris extendes manum tuam ; et, « Si volueritis, » et me audieritis, bona terræ comedetis[1]. »

III. At fortasse dicet quispiam, volo ; et nemo ita stultus est ut nolit : sed non sufficit mihi velle. Atqui sufficit, si velis ut oportet, et ea facias quæ volentis sunt. Nunc autem non admodum vis : et hoc in aliis exploremus, si placet. Dic enim mihi ; qui vult uxorem ducere, satis-ne quod velit ? Nequaquam ; sed etiam pronubas quærit, et amicos rogat secum vigilent, pecuniasque colligit. Rursus mercator, non domi sedens satis habet quod velit ; sed navem conducit, et nautas remigesque colligit, pecuniam dat fœnori, et de locis deque rerum venalium pretio curiose inquirit. Quomodo igitur non absurdum fuerit in terrenis tantam adhibere curam ; cœlum autem emere volentes, sola voluntate contentos esse ? Imo vero ne hoc ipsum cum congruenti diligentia præstare ? Nam qui vult ut oportet, res quoque aggreditur, quæ ad rem expetitam ducunt. Nam quia esuries necessitatem affert cibi, non expectas ut alimenta sponte sua ad te veniant, sed nihil non agis ut escam colligas. Et in siti et in frigore, in aliisque omnibus navus es et ad curam corporis paratus. Hoc ergo circa regnum cœlorum facito, et omnino ipsum consequeris. Ideo namque te libero arbitrio præditum fecit Deus, ut ne postea accuses eum quasi necessitate colligatus. Tu vero de iis quorum honorem es consecutus, de iis, inquam, indignaris ? Nam multos audivi dicentes : « Cur me fecit virtutis, si velim, compotem. » Sed oportebat-ne te dormientem et dormitantem, vitiis addictum, deliciantem,

[1] Isaï. I, 19.

ventri indulgentem in cœlum inducere? At a vitio non abstinuisses. Si enim nunc instantibus minis, neque sic a nequitia abstines, etiamsi cœlum tibi præmium proposuisset, quandonam cessavisses fieri socordior et multo deterior? Non enim dicere possis, « Ostendit quidem bona, sed opem non tulit: » multum enim auxilii tibi pollicetur. Sed virtus, inquies, onerosa est et molesta: cum vitio autem multum commiscetur voluptatis; et hoc quidem latum est et spatiosum, virtus autem arcta et angusta. Num, quæso, semper et ab initio ambo ejusmodi fuerunt? De virtute enim invitus dicis ea quæ dicis; ita potens est veritas. Nam si duæ essent viæ, quarum alia ad fornacem, alia ad paradisum duceret, et lata quidem ad fornacem, arcta vero ad paradisum; utram eligeres viam? Etiamsi enim nunc disputans contradicas, quantumvis impudens fueris, iis quæ in confesso sunt non poteris contradicere. Nam quod ea sit magis eligenda, quæ habet durum initium, non autem finem, ab iis quæ in promptu sunt docere conabor. Et si placet, artes primum tractemus. Illæ namque initium labore plenum habent, finem vero quæstuosum. At nemo, inquies, artem attigit, nisi a quopiam cogeretur; nam si puer sui juris sit, malet in deliciis vivere initio, et in fine innumera perpeti mala, quam in principio misere vivere, et laborum illorum fructum postea assequi. Ergo illa eligere est orphanicæ mentis, et puerilis socordiæ; contraria vero, prudentis et virilis animi. Sic igitur et nos, nisi animo pueri simus; non illi orphano et insano, sed illi patrem habenti similes erimus. Oportet ergo puerilem mentem abjicere, non autem res ipsas accusare, et aurigam conscientiæ imponere; qui non sinat ventri indulgere, sed currere et decertare. Quomodo enim absurdum non fuerit, pueros cum labore et sudore initium ducere in rebus quæ principia habent laboriosa, fi-

nem autem gratiosum; nos autem contrario modo affici erga res spirituales? Etiamsi in rebus sæcularibus non omnino certum sit finem fore bonum. Nam immatura mors, paupertas, sycophantia, rerum mutationes et similia multa, post multos labores, ut fructu privemur efficiunt. Si vero iidem quod quærunt assequantur; non magnum percipient fructum; in præsenti namque vita illa omnia dissolvuntur. Hic autem non currimus pro hujusmodi rebus frigidis et fluxis, neque de fine timemus; sed major et securior spes est, post discessum ex hac vita. Quænam ergo venia erit, quæ excusatio nolentibus adire labores pro virtute suscipiendos? Sed adhuc interrogant, cur angusta est via? Ad regias ædes terrenas, non sinis intrare scortatorem quemquam vel ebrium aut mollem; et in cœlum ipsum, cum licentia, deliciis, ebrietate, avaritia vitiisque omnibus, homines induci rogas? an hoc venia dignum est?

IV. Non hoc, inquies, dico; sed cur virtus non viam latam habet? Atqui si velimus, admodum facilis erit. Quid enim, quæso, facilius est, murum-ne perforare, et aliorum bonis direptis in carcerem conjici; an suis contentum, omni metu esse liberum? Atqui non dixi totum. Quid enim facilius, dic mihi, an cum omnium bona subripueris, et ex paucis breve tempus in deliciis egeris, immortaliter torqueri et flagris cædi, an cum in justa paupertate vixeris parvo tempore, perpetuo postea in deliciis agere? Nondum examinemus quid sit fructuosius, sed interim quid sit facilius. Quid jucundius gratum videre somnium, et vere supplicio affici; aut molestum somnium vidisse, et vere deliciari? Annon palam est hoc jucundius esse? Quomodo igitur, dic mihi, asperam vocas virtutem? Aspera enim est, si cum negligentia nostra comparetur. Quod enim sit facilis et suavis, audi quid dicat Christus:

« Jugum meum suave est, et onus meum leve[1]. » Si autem non sentis levitatem, perspicuum est te non robustum habere animum. Sicut enim cum talem habes, onerosa levia sunt; sic cum non habes, levia sunt operosa. Quid enim, quæso, suavius erat, quam mensa ex manna, quid parato facilius? Sed ægre ferebant Judæi talibus fruentes deliciis. Quid fame acerbius, necnon aliis laboriosis, quæ passus est Paulus? At ille exultabat, delectabatur ac dicebat: « Nunc gaudeo in passionibus meis[2]. » Quæ est ergo causa? Animi differentia. Si igitur animum ut oportet adornaveris, virtutis facilitatem videbis. Quid ergo, inquies, talis-ne fit ex eorum qui illam suscipiunt affectu? Non ex affectu animi solum, sed natura sua talis est. Etenim si semper illa esset laboriosa, et vitium omnino contra, jure quis eorum qui lapsi sunt diceret vitium esse facilius virtute; si vero initium haberet illa durum, hoc suave; finem autem e contrario: finis vero utriusque immensus sive gravis sit, sive suavis? Utrum, quæso, ut facilius eligas? Cur ergo multi non eligunt id quod facilius est? Quia alii quidem non credunt; alii vero licet credentes corruptum habent animum, et temporaneam voluptatem æternæ prætulerint. Est ergo hoc facile? non facile, sed ex imbecillo animo hoc provenit. Ac quemadmodum febri laborantes, non quia jucundius est brevi tempore deliciari, quam semper uri, ideo amant potum aquæ frigidæ, sed quia absurdam cupiditatem continere non possunt. Sic et isti. Atqui si quis ad supplicium illos cum voluptate duceret, nequaquam ipsum eligerent. Vidisti-ne quomodo non facile sit vitium? Si vis autem, hoc iterum in ipsis rebus excutiamus. Quid enim, quæso, dulcius, quid facilius est? sed ne iterum res ex multorum cupiditate judicemus: neque enim ab ægrotantibus, sed a bene valentibus calculum ferre oportet.

[1] Matth. xi, 30. — [2] Galat. i, 24.

Neque enim si millenos mihi febricitantes ostendas, qui sanitati contraria quærant, et malint postea supplicio affici, talem unquam admiserim optionem. Quid facilius, inquam, dic mihi, multas concupiscere pecunias, an hac cupiditate esse superiorem? Hoc certe postremum ut mihi videtur. Si autem ipse non credis, ad res ipsas sermonem ducamus. Et sit quispiam qui multas cupiat, alius vero qui nullas.

V. Quid ergo melius, dic mihi, quid honestius? Sed hoc quidem mittatur: in confesso enim est, quod hic postremus sit illo honestior: neque de hac re quæstio jam est; sed uter faciliorem et suaviorem ducat vitam. Avarus certe ne iis quidem quæ habet fruitur; nam quod amat non impendere voluerit; sed libentius se ipsum conciderit, et carnes projecerit, quam aurum. Qui autem pecunias despicit, hoc interim lucratur, quod iis quæ habet libere ac secure fruatur, seque illis præferat. Quid ergo suavius est libere frui bonis, aut sub dominis divitiis viventem, nihil suorum contingere audere? Perinde enim mihi videtur esse ac si viri quidam duas habentes uxores, et admodum ipsas amantes, non eodem modo ipsis utantur; sed alteri quidem uxorem contingere et cum illa versari; alteri vero ne prope quidem liceat accedere. Dicam et aliud, quo alterius voluptatem, alterius mœrorem commonstrem. Avarus nunquam sistet hanc cupiditatem, non modo quod nequeat omnium bona invadere; sed etiam quod quantacumque possederit, se nihil habere putet. Qui vero pecunias despicit, superflua omnia existimabit, neque infinitis cupiditatibus animam cruciabit. Nihil enim est quod supplicii rationem ita habeat, ut concupiscentia usu et fructu privata, id quod maxime perversam exhibet mentem. Considera autem: Qui pecunias cupit et multas possidet, ita affectus est, ac si nihil

haberet. Hoccine morbo perplexius quid esse potest? Neque hoc solum grave est; sed etiam quod qui habet, ea ipsa quæ tenet non habere videatur; etiamsi omnium bona acceperit, magis cruciatur: etiamsi centum talenta possideat, quod mille non habeat dolet; si mille habeat, quod decies mille non habeat mordetur; si decies mille acceperit, quod non decies plura obtinuerit angitur: majorque acquisitio fit illi paupertatis accessio: nam quanto plura acceperit, tanto plura desiderat: ergo quanto plura acceperit, tanto magis pauper evadit: qui enim plura desiderat, magis pauper est. Cum igitur centum talenta habuerit, nondum tam mendicus est, nam mille desiderat; cum mille acceperit, tunc magis pauper evadit, non jam enim mille ut prius quærit; sed decies millium sibi opus esse dicit. Quod si concupiscere et non consequi voluptatem esse dicas, voluptatis naturam mihi admodum ignorare videris. Quod enim hoc non voluptas, sed supplicium sit, ad aliud rursus adducentes examinemus. Quando sitimus, non ideo delectamur bibentes quod sitim sedemus, et ideo voluptas est potus, quod a magno nos liberet cruciatu, a cupiditate bibendi nempe; hoc cuivis perspicuum est. Quod si in tali appetitu semper mansuri essemus, non meliori conditione essemus quam dives ille, qui Lazari non misertus est, quantum scilicet ad supplicii rationem: nam et illi hoc supplicium et punitio erat, quod cum stillam parvam cuperet, non assecutus sit. Id quod mihi avari perpetuo pati videntur, et illi similes esse qui rogabat ut stilla frueretur, neque assecutus est. Imo magis avarorum, quam divitis illius, anima comburitur; et pulchre dixit quispiam avaros esse hydropicos. Quemadmodum enim illi multam in corpore gestantes aquam, magis exuruntur; sic et avari multas circumferentes pecunias, plures concupiscunt. Causa autem hæc est: Neque illi in congruentibus locis

aquas habent, neque isti in congruentibus cogitationibus concupiscentiam. Fugiamus ergo hunc alienum et inanem morbum: fugiamus radicem malorum; fugiamus præsentem gehennam; gehenna enim est eorum cupiditas. Explica ergo cujusque animam, et ejus qui pecunias despicit, et ejus qui non despicit; et videbis hunc quidem furentibus esse similem, qui nihil vel videre vel audire velit; hunc vero portui a fluctibus libero: hic omnium est amicus, ut ille hostis. Nam etsi quis accepit, non illum afficit molestia; si quis rursum ipsi dederit non inflavit; sed est quædam apud illum libertas omnem habens securitatem. Et hic quidem omnibus adulari cum dissimulatione cogitur; ille autem nemini. Si ergo et pauper est avarus, et timidus, simulator et hypocrita, ac terroribus plenus, cruciatu atque supplicio: qui vero pecunias despicit, contrariis fruitur omnibus, annon palam est virtutem esse suaviorem? Ac reliqua etiam insectaremur mala, per ea, quibus ostenditur, nihil quod malum sit habere voluptatem, nisi jam multa a nobis superius dicta fuissent. Hæc ergo cum sciamus, eligamus virtutem, ut et hic voluptate fruamur, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cui cum Patre et Spiritu sancto imperium, honor et gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

CAPUT V.

Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, quæ non inter gentes nominatur, ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luxistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit [1].

I. Quando disserebat de illorum dissensione, non statim vehementi usus est sermone, sed mansuetius primo oravit, demumque in accusationem desiit his verbis: « Significa» tum enim est mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt » Chloës, quod contentiones sint in vobis [2]. » Hic autem non sic; sed statim pungit, et quantum fieri potest, criminis exprobrationem communem reddit. Neque enim dixit: « Cur ille fornicatus est: » sed, « Omnino auditur in » vobis fornicatio; » ut ne quasi alieni omnino a criminatione negligenter agerent, sed in communi percussi; et Ecclesia in crimen vocata, sic solliciti redderentur. Nemo enim dicet, inquit, ille fornicatus est; sed in Corinthiorum Ecclesia factum est peccatum. Nec dixit, Perpetratur fornicatio; sed, « Auditur, quæ ne quidem inter gentes nomina» tur. » Semper enim ex gentibus probra ingerit fidelibus; et Thessalonicensibus scribens dicebat: « Unusquisque vas » suum possideat in sanctificatione; non in passione desi» derii sicut et cæteræ gentes [3]. » Colossensibus autem et Ephesiis: « Ne ultra ambuletis sicut reliquæ gentes ambu» lant [4]. » Si autem eadem ipsa quæ gentes peccare ignosci

[1] 1 Cor. v, 1, 2. — [2] Id. 1, 11. — [3] 1 Thes. iv, 4. — [4] Ephes. iv, 17.

nequit, gentiles ipsos ea in re superare quonam, quæso, in loco ponemus? Apud illos enim, inquit, non modo nihil perpetratur hujusmodi; sed ne nominatur quidem. Vidistine quousque crimen extulerit? Cum enim tales cernuntur invenisse luxuriæ modos, quos infideles non modo perpetrare non audent, sed ne norunt quidem, ineffabilis est peccati magnitudo. Illud autem « Inter vos, » per emphasim dictum est; hoc est inter vos fideles, qui tanta percepistis mysteria, qui arcanorum participes fuistis, qui ad cœlum vocati estis. Vides-ne quanta indignatione plenus sit sermo, quanta ira contra omnes? Nam si non ira multa incensus fuisset, neque adversus omnes illa extenderetur, sic utique dixisset: « Quia audivi quod ille talis fornicatus sit; castigate illum. » Nunc vero non sic; sed etiam adversus omnes armatur. Etenim si priores illi scripsissent, ille dixisset. Quia vero non solum non scripserunt, sed etiam scelus illud texerunt et obumbrarunt, ideo vehementiori utitur sermone, « Ut uxorem patris sui aliquis habeat. » Quare non dixit: « Ut fornicetur cum muliere? » Id quod admodum turpe erat respuit: quare honestius hoc prætercurrit, ut quod in superioribus esset declaratum. In hoc etiam rursus augens crimen, ostendensque apud illos talia perpetrari, quæ clare dicere ne Paulo quidem liceat. Ideo in sequentibus eodem utitur loquendi modo dicens: « Eum, qui hoc ita fecit. » Et rursus erubescit et pudet eum aperte dicere, uti solemus in rebus admodum turpibus. Nec dixit: « Novercam, » sed « Uxorem patris, » ut gravius feriret. Etenim cum nomina sufficiunt ad accusandum, per ea procedit, nihilque addit. Nec mihi dicas, inquit, unum esse fornicatorem, commune omnibus factum est crimen. Ideo etiam subjunxit: « Et vos inflati estis. » Non dixit propter peccatum: hoc enim irrationabile esset, sed propter illius doctrinam. Ipse autem hoc non posuit; sed medium reli-

quit ut magis feriret. Et considera Pauli prudentiam. Cum primo externam sapientiam dejecisset, ostendissetque illam per se nihil esse, etiamsi peccatum non sit adjectum, tunc demum etiam de peccato loquitur. Nam si ad comparationem fornicatoris, qui fortasse sapiens quispiam erat, magnum esse spirituale donum dixisset, nihil magnum fecisset; sed etiam absque peccato dejicere et nihil esse demonstrare sapientiam externam, hoc erat ostendere illam admodum esse vilem. Ideo cum sic prius comparationem fecisset, tunc etiam peccati meminit, et cum illo quidem disserere non dignatur, et in hoc summam ostendit infamiam. His autem dicit: « Oportebat vos flere, lugere et præ pudore lamentari; nunc autem contrarium facitis. » Ideoque subjunxit: « Et vos inflati estis, et non magis luc-» tum habuistis. » Et quid factum est, inquies, ut nos lugeamus? Quod in commune Ecclesiæ progressa sit criminatio. Et cur bene faciemus lugentes? « Ut tollatur ex vobis » qui est talis[1]. » Et neque hic nomen ejus ponit, neque uspiam, ut solemus facere in iis quæ valde absurda et indigna sunt. Nec dixit: « Et non magis ejecistis; » sed sicut in morbo aliquo et in peste, luctu opus est et intensa supplicatione; « Ut tollatur, » inquit, et precatione ad hoc utendum est, nihilque non agendum ut ille abscindatur. Neque accusat eos quod hoc sibi non indicarint, sed quia non luxerunt, ut ille de medio tolleretur, ostendens id sine doctore præstandum fuisse ob delicti evidentiam. « Nam ego quidem tanquam absens corpore, præsens au-» tem Spiritu[2]. »

II. Vide animum: ne sinit quidem expectare adventum suum, ut ipse ligetur, sed tanquam pestem aliquam expulsurus, priusquam diffundatur in reliquum corpus, illam detinere properat: ideoque adjicit. « Jam judicavi ut præ-

[1] 1 Cor. v, 2. — [2] Ibid. 3

» sens [1]. » Hæc autem dicebat, non modo urgens illos ad sententiam ferendum, neque sinens ut aliud consilii capiant; sed etiam terrens, ut qui sciret illa quæ ibi essent futura. Illud enim est adesse Spiritu, ut Elizæus Giezi præsens et dicebat : « Nonne cor meum erat tecum [2]. » Papæ! quanta est virtus charismatis, cum omnes simul congregatos præstet, et ea quæ procul fiunt nota faciat. « Jam » judicavi ut præsens. » Non sinit eos aliud quidquam cogitare : nam sententiam tuli ut præsens : ne mihi moras et procrastinationes dicas. Nihil enim aliud fieri oportet. Deinde ne magna videretur esse auctoritas, neque arrogantius dictum esse censeretur, vide quomodo et ipsos judicii socios faciat. Nam cum dixisset « Judicavi, » intulit : « Eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu » Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini » nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi hominem Satanæ [3]. » Ecquid est, in nomine Domini nostri Jesu Christi? Secundum Deum, non humano detenti præjudicio. Quidam autem sic legunt : « Eum qui sic operatus est in nomine Do- » mini nostri Jesu Christi. » Et puncto hic apposito seu virgula, his verbis pergunt, « Congregatis vobis et meo » spiritu tradere hujusmodi hominem Satanæ. » Et dicunt hujus lectionis tunc esse sensum : « Eum qui hoc operatus est in nomine Christi tradite Satanæ; id est, cum qui nomen Christi contumelia affecit, qui postquam fidelis factus est, et cognomen accepit ab illo nomine talia est ausus, tradite Satanæ. » Mihi autem prior lectio verior esse videtur. Quænam illa est? « In nomine Domini congregatis vobis; » hoc est, ejus nomine vos congregante pro quo convenitis, et spiritu meo; rursus se ipsum cum illis constituit, ut cum judicaverint, quasi ipso præsente sic illum abscindant, et nemo ausit ipsum venia dignum habere, sciens fore ut

[1] 1 Cor. v, 3. — [2] 4 Reg. v, 26. — [3] 1 Cor. v, 4, 5.

Paulus sciat ea quæ facta fuerint. Deinde ut rem exhibeat terribiliorem, ait : « Cum virtute Domini nostri Jesu » Christi ; » id est, vel quod Christus possit eam vobis gratiam dare, ut possitis eum diabolo tradere ; vel quod ipse vobiscum laturus sit sententiam. Non dixit autem, « Ipsum » dedere Satanæ ; » sed, « Tradere, » ipsi aperiens pœnitentiæ fores ; et ipsi tanquam pædagogo talem hominem tradens. Et rursus, « Talem, » nec usquam vult illum suo nomine vocare. « In interitum carnis. » Sicut et in beato Job factum est, sed non eadem de causa. Nam illic pro splendidioribus coronis ; hic pro peccatorum remissione ; ut flagellet eum malo ulcere, aut alio morbo. Atqui alibi ait : « A Domino judicamur hæc patientes. » At hic magis illum pungere volens, Satanæ tradit. Et hoc certe Deo placitum fuit, ut castigaretur ejus caro. Quia enim ex crapula et deliciis carnalibus concupiscentiæ nascuntur, carnem castigat. « Ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu[1] ; » id est, anima : non quod illa sola salva sit ; sed quasi in confesso sit, quod illa salva, sine ulla contradictione corpus salutis particeps erit. Nam mortale factum est propter ipsam quæ peccaverat ; et si illa justitiam exercuerit, rursus et corpus ipsum magna fruetur gloria. Quidam vero Spiritum dicunt esse charisma, seu donum, quod nobis peccantibus extinguitur. Ne igitur hoc fiat, inquit, puniatur, ut sic melior factus, attrahat gratiam, et inveniatur salvam ipsam exhibens in illo die. Itaque magis est curam gerentis ac medentis, quam secantis, vel temere et inconsiderate punientis. Majus quippe lucrum est pœna : nam illa temporanea est, lucrum autem perpetuum. Nec simpliciter dixit, « Ut spiritus salvus sit ; » sed, « In illo die. » Probe illis et opportune diem illum commemorat, ut et ipsi promptiore animo ad medicinam accederent, et ille melius

[1] 1 Cor. v, 5.

susciperet, non ut iræ verba, sed ut patris curam gerentis providentiam. Ideo enim, in interitum carnis dixit, jam diabolo leges ponens, nec sinens ipsum ulterius progredi. Ut de Jobo dicebat Dominus : « Cæterum animam ejus ne » tangas [1]. »

III. Deinde cum sententiam absolvisset, et eam paucis dixisset, nec immoratus esset, rursus increpationem inducit, illos alloquens : « Non bona est gloriatio vestra [2]. » Ostendens illos ad istud usque tempus non sivisse eum pœnitere, de illo gloriantes. Deinde declarat se non illi modo parcentem hoc facere, sed et ipsis. Ideo subjungit : « Nes- » citis quod modicum fermentum totam massam corrum- » pit [3] ? » Licet enim illius sit peccatum, inquit, sed neglectum potest et reliquum Ecclesiæ corpus corrumpere. Cum enim is qui prior peccavit non dedit pœnas, cito et alii eadem perpetrabunt. Hæc autem dicit, ostendens pro tota Ecclesia, non pro uno sibi certamen et periculum adesse. Quare fermenti similitudine opus habuit. Sicut enim fermentum, inquit, cum modicum sit, totam massam in se transmutat; ita et hic, si impunitus maneat, et inultum sit peccatum, cæteros corrumpet. « Expurgate vetus fer- » mentum [4] ; » id est, hunc improbum; imo potius non de hoc tantum loquitur, sed et alios subindicat. Non enim fornicatio tantum vetus fermentum est; sed et omnis nequitia. Nec dixit : « Purgate, » sed, « Expurgate, » cum accuratione purgate, ut nec residuum nec umbra talis rei maneat. Cum dicit ergo : « Expurgate, » ostendit adhuc nequitiam apud illos esse; cum autem dicit : « Ut sitis nova » conspersio sicut estis azymi [5], » declarat et indicat non ita multis vitium dominari. Si vero dicat, « Sicut estis azymi ; » non ita loquitur quasi omnes puri essent ; sed, ut decet vos

[1] Job. II, 6. — [2] 1 Cor. V, 6. — [3] Ibid. et Galat. V, 9. — [4] 1 Cor. V, 7. — [5] Ibid.

esse. « Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est » Christus. Itaque festum celebremus, non in fermento ve- » teri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azy- » mis sinceritatis et veritatis [1]. » Sic Christus fermentum doctrinam vocavit. Ipse autem in metaphora manet, veterem historiam ipsis in memoriam revocans, necnon pascha et azyma et beneficia quæ tunc, et quæ nunc collata sunt, et supplicia pœnasque irrogatas. Est ergo diei festi præsens tempus. Cum enim dixit : « Festum celebremus : » non quod Pascha, non quod Pentecoste adesset hoc dicebat ; sed ostendens tempus omne diei festi tempus esse Christianis, ob ubertatem collatorum bonorum. Nam quod bonum non extitit ? Filius Dei homo factus est propter te ; te a morte liberavit, ad regnum vocavit. Tu ergo qui talia consecutus es et consequeris, quomodo non debeas per totam vitam festum agere ? Nemo itaque sit tristis propter paupertatem, vel morbum, vel insidias. Nostrum enim tempus totum est festivitatis. Ideo ait Paulus : « Gaudete in Do- » mino, gaudete ; iterum dico, gaudete [2]. » In festis nemo sordidis indutus est vestibus, neque nos etiam : nuptiæ enim factæ sunt, nuptiæ spirituales. « Simile enim, inquit, » factum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit nup- » tias facere filio suo [3]. » Ubi vero rex nuptias facit, et nuptias filio suo, quid majus fuerit festo illo ? Nemo itaque pannis laceris indutus introeat. Non de vestimentis nobis sermo est, sed de actibus impuris. Si enim cum omnes splendidis induti essent vestibus, unus solus in nuptiis repertus, laceris pannis vestitus, abjectus fuit cum ignominia, cogita quantam requirat observantiam et puritatem ingressus in nuptias illas. Non ideo autem tantum illis azyma commemorat ; sed ostendens Veteris Testamenti cum Novo cognationem, demonstransque non licere post azyma in

[1] 1 Cor. v, 8. — [2] Philip. iv, 4. — [3] Matth. xxii, 2.

Ægyptum ingredi; sed si quis reverti voluerit, eadem passurum esse quæ illi. Illa enim umbra horum erant; etiamsi impudens sit Judæus. Quapropter si interrogaveris eum, nihil magnum dicet; imo magnum quidpiam dicet; sed nihil tale, quale nos, quia veritatem non novit. Ille namque dicet quod se detinentes Ægyptios, ita mutavit Deus; ut ipsi nos depellerent, quos antea vi detinebant, nec permiserant nos massam fermentare. Sed si quis me interroget, non Ægyptum audiet, non Pharaonem, sed libertatem ab errore dæmonum et a tenebris diaboli; non Moysem, sed Dei Filium; non mare Rubrum, sed baptisma innumeris plenum bonis, ubi vetus homo suffocatus est. Rursus si Judæum interroges, cur ex omnibus finibus fermentum ejiciat; hic et silebit et causam non dicet. Quia enim alia quidem erant figuræ futurorum, et causas habebant eorum quæ fiunt; alia vero non item; ut non liceat Judæis maligne agere, ut ne illi permaneant in umbra. Quid enim, quæso, sibi vult, masculum, sine macula, unius anni, et illud, os non comminuetur? Quid sibi vult vicinos vocare? aut illud, « Stantes? » aut in vespera comedere? aut sanguine munire domum? Nihil aliud dicet ille, quam susdeque Ægyptum. Ego vero dicam et quid sanguis significet, quid vespera, quid omnes comedere simul, omnesque stantes.

IV. Prius autem dicamus cur ex omnibus finibus ejiciatur fermentum. Quodnam ergo est ænigma? Omni nequitia liberum et solutum oportet esse fidelem. Sicut enim ille perit apud quem inventum fuerit vetus fermentum; sic et apud nos ubi inventa fuerit nequitia. Non enim in umbra tanta fuerit punitio; apud nos autem non multo major. Nam si domos sic expurgant a fermento, et de murium foraminibus sunt solliciti, multo magis nos animam perscrutari oportet, ut omnem impuram ejiciamus cogitatio-

nem. Verum hoc apud illos nuper factum est : nunc autem non amplius. Ubique enim fermentum est ubi est Judæus. In mediis enim civitatibus fiunt azyma : id quod jam magis ludicra res est, quam lex. Quia enim venit veritas, non ultra locum habent typi. Itaque per hoc quoque exemplum maxime ejicit ex Ecclesia fornicatorem. Non solum enim, inquit, præsens nihil prodest, sed etiam nocet, commune corpus deinde corrumpens. Nescit enim quivis unde fœtor oriatur, si occultum sit id quod est putridum, sed toti cœtui illum imputat. Ideo illos valde urget ut expurgent fermentum. « Ut sitis, inquit, nova conspersio, » sicut estis azymi ; etenim Pascha nostrum immolatus » pro nobis est Christus. » Non dixit, mortuus est ; sed proposito convenientius, « Immolatus est. » Ne quære igitur azyma hujusmodi : quia neque agnum habes talem. Ne quæras fermentum tale, quia azyma tua non talia sunt. In sensibili quidem fermento, azymum fieri potest fermentatum ; fermentatum vero nunquam possit fieri azymum. Hic autem contrarium reperitur ; sed tamen hoc non indicavit. Et vide prudentiam : in priore Epistola spem reversionis non dat fornicatori ; sed vitam totam ipsius in pœnitentia jubet esse, ne promissione illum segniorem redderet. Neque enim dixit, « Tradite illum Satanæ, ut cum pœnitentiam egerit, rursus Ecclesiæ tradatur. » Sed quid ? « Ut salvus sit in ultimo die. » Mittit ipsum in tempus illud, ut sollicitum redderet : et quod post pœnitentiam largiturus ipsi erat, non aperit : Dominum suum imitans : quemadmodum enim Deus dicit, « Adhuc tres » dies, et Ninive subvertetur[1] ; » neque addidit, « Si autem pœnitentiam egerit, servabitur ; » sic et iste non dixit : « Si digne pœnitentiam egerit, confirmabimus in illum charitatem ; » sed expectat ut ipse opus illud faciat, ut tunc

[1] Jon. III, 4.

gratiam accipiat. Nam si ab initio hoc dixisset, forte metum ejus solvisset : quapropter non modo non hoc facit, sed per exemplum fermenti ne sinit quidem ipsum reditum sperare, sed eum ad diem illum reservat dicens : « Expurgate vetus fermentum ; » et, « Ne festum celebre- » mus in fermento veteri. » Postquam autem pœnitentiam egit, cum omni studio illum introduxit. Cur autem vetus vocat? An quia vetus vita nostra erat hujusmodi? An quia vetus illud, proximum interitui est; fœtidum et turpe : quale est peccatum? Neque enim sine causa vetus vituperatur, nec sine causa novum damnatur, sed ratione habita eorum de quibus agitur. Nam alibi ait, « Vinum novum, » novus amicus [1]. » Si autem inveteravit, tunc cum lætitia bibes ipsum ; in amicitia magis laudans vetustatem, quam novitatem. Et rursus, « Antiquus dierum sedebat [2] ; » hic quoque antiquum sumens pro majoris gloriæ encomio. Alibi autem Scriptura antiquum pro vituperio accipit. Nam quia res variæ ex multis compositæ sunt, et in bonis et in malis iisdem utitur, non secundum eamdem significationem. Vide ergo et alibi vetus vituperio datum : « Inve- » teraverunt et claudicaverunt a semitis suis [3] ; » et rursus, « Inveteravi inter omnes inimicos meos [4] ; » et iterum, « Inveterate dierum malorum [5]. » Ita et fermentum sæpe pro regno cœlorum accipitur, etiamsi hic vituperetur. Sed illic ad aliud, hic ad aliud refertur.

V. Mihi vero maxime videtur id quod de fermento dicitur etiam ad sacerdotes referri, qui sinunt intrinsecus esse multum fermenti veteris, non expurgantes ex terminis, id est, ex Ecclesia, avaros, raptores, et quodcumque ex regno cœlorum excludit. Nam avaritia est vetus fermentum, et quocumque ceciderit, atque in quamcumque

[1] Eccli. IX, 15. — [2] Dan. VII, 9. — [3] Psal. XVII, 46. — [4] Id. VI, 7. — [5] Dan. XIII, 52.

domum inciderit, immundam illam efficit. Etiamsi parva ex injustitia lucreris, id totam tuam substantiam fermentavit. Ideoque sæpe accidit, ut modica male inducta, multa quæ bene collecta jacent ejecerint. Nihil enim est magis putridum avaritia, etiamsi enim cellæ penuariæ clavem induxeris, etiamsi januam et vectem, frustra hæc facis, avaritiam perniciosissimum furem intus includens, qui omnia auferre possit. Quid igitur, inquies, cum multi avari hæc non patiantur? Certe patientur; etsi non statim illis accidat. Si vero nunc effugiant, tunc magis timeto : ad majus enim supplicium reservantur. Imovero si ipsi effugiant, at hæredes eorum ea ipsa patientur. Et quomodo, inquies, hoc justum fuerit? Certe valde justum. Nam qui excepit hæreditatem injustitia plenam, etiamsi ipse non rapuerit, attamen aliena retinet : et hoc plane persuasum habet, ideo æquum est ut patiatur, si enim illo rapiente tu acceperis; deindeque accedens is cui raptum fuit, id repetat, num satis est ad tui purgationem, te non rapuisse? Minime. Quid enim, quæso, accusatus dixeris? Quod alius spoliarit? Sed tu retines. Ille rapuit? Sed tu frueris. Hæc porro etiam sciunt externorum leges, quæ iis dimissis qui rapuerunt et abstulerunt, ab illis jubent expetere, apud quos sua omnia deposita reperierint. Si ergo nosti eos, qui injustitiam passi sunt, redde, et fac quod fecit Zacchæus cum multa accessione. Si autem ignoras, alteram tibi do viam, nec excludo te a remedio : hæc omnia pauperibus distribue, et sic malum curabis. Quod si qui hæc in filios et in nepotes transmiserunt; at alia pro his mala passi sunt. Ecquid loquor de iis quæ hic accidunt? Non enim in illo die hæc dicentur, quando ambo nudi apparebunt, ii quibus raptum est, et ii qui rapuerunt. Imovero non similiter nudi : nam pecuniis ambo pariter nudi erunt; alter vero plenus criminibus, quæ ex iis orta sunt. Quid ergo

faciemus illo die, quando ante tribunal illud horrendum, is qui male passus est et omnia sua perdidit, adducetur in medium, te nullum habente patronum? Quid judici dices? Nunc enim judicium hominum corrumpere poteris, illud vero judicium non item. Imovero neque nunc : nunc enim quoque adest judicium illud. Nam Deus omnia quæ geruntur videt, et prope illos est qui injuria afficiuntur, etiamsi non vocetur. Nam qui malo afficitur, etiamsi indignus sit qui ultionem nanciscatur : attamen quia res gestæ Deo non placent, habet ille certe ultorem. Quomodo ergo, inquies, ille quispiam prospere agit licet sit malus? Sed non usque in finem. Audi quid dicat Propheta : « Noli æmulari » in malignantibus, quoniam tanquam fœnum velociter ares» cent[1]. » Ubi enim, quæso, est is qui rapit, postquam hinc abductus fuit? Ubi spes conspicua? Ubi honorabile nomen? Annon omnia transierunt? Nonne omnia illum spectantia somnium sunt et umbra? Hoc ipsum expecta de singulis qui hujusmodi sunt, de vivente, et de eo qui post futurus est. At talia non sunt ea quæ ad sanctos viros spectant? neque poteris eadem de illis dicere, quod quæ ad illos pertinent umbra sint et somnium et fabula. Et si vis illum qui hæc dixit tentoriorum opificem, Cilicem, cujus ne patrem quidem certe novimus, in medium adducamus. Et quomodo, inquies, fieri possit ut quidam talis sit? Omnino ergo desideras, omnino vis esse talis? Etiam, ais. Ergo viam ingredere, quam ille ingressus est, et qui cum illo erant. Ecquam in viam venit? Ille quidem ait : « In fame et » siti et nuditate[2] ; » ille vero, « Argentum et aurum non est » mihi[3]. » Sic illi nihil habebant, et tamen omnia possidebant.

VI. Quid hac voce honorabilius? Quid beatius et locupletius? Nam alii quidem in contrariis gloriabantur dicentes : Habeo tot et tot auri talenta, et jugera terræ

[1] Psal. xxxvi, 1. — [2] 2 Cor. xi, 27. — [3] Act. iii, 6.

immensa, et domos et mancipia. Hic vero, quod sit omnibus nudatus, non se occultat ob paupertatem, quod stulti faciunt, neque pudet illum, sed etiam gloriatur. Ubi sunt nunc divites, qui usuras numerant, et usuras usurarum, qui omnium bona invadunt, et nunquam satiantur? Audistis Petri vocem, quæ paupertatem monstrat divitiarum matrem, quæ nihil habet, et iis, qui diademate redimiuntur, opulentior est? Hæc quippe nihil habens mortuos suscitabat, claudos erigebat, dæmonas pellebat, et ea largiebatur, quæ ii qui purpura amiciuntur, et magnos tremendosque exercitus ducunt, nunquam præstare potuerunt. Hæc vox est eorum qui jam in cœlum translati sunt, et verticem illum occuparunt. Sic potest is qui nihil habet, omnium occupare bona, et quæ sunt omnium possidere. Si vero ea possideamus quæ sunt omnium, omnibus privati sumus. Fortassis ænigma videatur esse illud quod dictum est: sed non est. Sed quomodo, inquies, is qui nihil habet, omnium bona possidet? Annon multo magis ille qui omnium bona habet? Nequaquam: sed totum contrarium. Nam qui nihil habet, omnibus imperat, ut et illi faciebant: omnesque per orbem domus ipsis erant apertæ: gratiamque illis habebant qui excipiebant ipsos, et tanquam ad cognatos et amicos veniebant. Veneruntque ad purpurariam, et illa quasi ancilla, sua ipsis apposuit; et ad carceris custodem, et ille totam ipsis domum aperuit, et ad alios innumeros. Sic omnia habebant, et nihil possidebant. Nihil enim suorum sibi proprium esse dicebant: ideoque omnia sua erant. Qui enim omnia communia putat, non suis tantum, sed et alienis utetur ut propriis. Qui autem abscindit et se suorum tantum dominum facit, neque horum dominus erit. Et hoc ab exemplo liquet. Qui nihil omnino possidet, neque domum, neque mensam, neque superfluam vestem; sed propter Deum

omnibus privatur, communibus ut propriis utitur, et ab omnibus quæcumque voluerit accipiet. Sic qui nihil habet, omnium bona possidet. Qui autem habet aliqua, ne horum quidem dominus erit. Neque enim dabit quis possidenti : et latronum et furum et sycophantarum et mutationis rerum, et omnium magis quam illius hæc bona erunt. Totum enim orbem pervasit Paulus, nihil secum ferens, non amicos adiens, non familiares; erat enim in principio omnibus hostis. Attamen ingressus cum esset, omnium habebat bona. Ananias vero et Sapphira, curantes ut tantillum quid ex bonis suis sibi retinerent, ab omnibus exciderunt et a vita simul. Abscede igitur a tuis, ut alienis utaris quasi propriis. At enim nescio quomodo in hanc hyperbolen delatus sim, homines alloquens, qui utinam vel tantillum suorum erogent. Ideo hæc perfectioribus dicta a nobis sunto. Imperfectioribus vero illa dicamus. Date egenis ex bonis vestris, augete facultates vestras : « Nam qui dat pauperi, inquit, fœneratur Deo[1]. » Si autem festinas, et non expectas tempus retributionis, cogita eos qui pecunias hominibus fœnerantur. Neque enim hi volunt statim usuram accipere. Sed cupiunt ut caput majori tempore in manus debitoris maneat, qui ad fœnus accepit, modo tuta redditio, nec suspectus sit is qui accepit. Hoc igitur hic quoque fiat. Dimitte illa apud Deum ut reddat tibi multiplicatam mercedem. Ne hic totum quæras. Si enim hic totum recipias, quomodo illic recipies? Ideo et Deus illic reconditum tenet, quod vita hæc fluxa sit. Dat tamen et hic quoque. Ait enim : « Quærite regnum » cœlorum, et hæc omnia adjicientur vobis[2]. » Sed nos ad illud respiciamus, et ne festinemus ad omnium retributionem, ut ne minuamus mercedem. Sed tempus expectemus. Non enim tales sunt hæ usuræ, sed quales a Deo

[1] Prov. xix, 17. — [2] Matth. vi, 33.

dari par est. His igitur cum ubertate magna collectis, ita hinc abeamus, ut et præsentia et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAPUT V.

Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis ; non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus : alioqui debueratis ex mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut ebriosus, aut maledicus, aut rapax : cum hujusmodi nec cibum sumere [1].

I. Quia enim dixit : « Annon potius luctum habuistis, ut » de medio tollatur qui est hujusmodi ; » et, « Expurgate » vetus fermentum ; » et verisimile erat suspicari illos, fugiendum esse ab omnibus fornicariis ; si enim is qui peccavit malum suum impertiit iis qui non peccaverunt, multo magis externos oportet aversari : nam si familiari parcere non oportet quod tantum ille damni inferat, multo minus aliis parcendum. Hoc posito, consentaneum erat separari etiam a fornicatoribus qui apud Græcos erant, et si re ad impossibile redacta, magis ægre tulissent, hac correctione utitur dicens : « Scripsi vobis, ne commiscea-

[1] 1 Cor. v, 9-11.

» mini fornicatoribus ; et non utique fornicatoribus hujus » mundi ; » illud, « Utique, » quasi in confesso ponens. Ne putarent hoc ipsum illis non præcepisse quasi imperfectioribus, et ne ipsi ut perfecti illud facere aggrederentur, ostendit hoc fieri non posse, etiamsi id maxime velint : oporteret enim alium quærere orbem. Ideo subjunxit : « Alioquin debueratis ex mundo exiisse. » Vides-ne quam non molestus sit, et ubique non modo quod fieri possit, sed etiam quod facile sit in lege ferenda perspiciat? Quomodo enim potest homo, inquit, qui et domui et liberis præficitur, et civitatis munera præstat, aut qui artifex vel miles sit, cum tam multi sint Græci, fornicatores qui ubique sunt fugere? Fornicatores enim mundi vocat illos, qui apud Græcos erant. Nunc autem scripsi vobis, si quis frater talis sit, ut cum illo ne quidem comedatis. Hic et alios subindicat in iniquitate viventes. Et quomodo frater cum sit, idololatra esse potest? Ut apud Samaritanos contigit olim, qui ex dimidia parte piam religionem sectabantur. Alioquin autem fundamentum jacit futuri sermonis de idolothytis, quem sub hæc instituturus est. « Aut ava- » rus : » nam adversus hos certaturus est; ideo dicebat : « Cur non potius injuriam patimini? Cur non privamini? Sed vos injuriam facitis et privatis? Aut ebriosus. » Nam hac quoque de re accusat in sequentibus, ut cum dicit : « Alius quidem esurit, alius autem ebrius est[1] : » et, « Escæ ventri, et venter escis. Aut maledicus aut rapax. » Nam et hos supra quoque increpavit. Deinde etiam causam addit, ob quam non prohibet cum externis, qui tales sint, commisceri; ostendens non modo id non fieri posse, sed etiam superfluum esse. « Quid enim mihi de iis » qui foris sunt judicare[2] ? » Eos qui intus et qui foris sunt Christianos vocans et Græcos, ut et alibi ait : « Oportet

[1] 1 Cor. XI, 21. — [2] Id. V, 12.

» autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui fo-» ris sunt [1]. » Et in Epistola ad Thessalonicenses idipsum dicit his verbis : « Ne commisceamini cum ipso, ut con-» fundatur ; » et, « Nolite ut inimicum existimare, sed ad-» monete ut fratrem [2]. » Hic porro causam non ponit : « Quare ? » Quia illic quidem consolari volebat ; hic vero non item. Non enim idem nunc peccatum est quod illic erat ; sed illic minus. De otio enim illic accusabat, hic de fornicatione et aliis gravissimis peccatis. Et si quis Græcos adire velit, non prohibet cum illis comedere, ob eamdem videlicet causam. Sic et nos quoque facimus ; pro filiis et fratribus nihil non agimus, alienorum autem non magnam rationem habemus. Quid ergo ? externos non curabat Paulus ? Curabat : sed postquam prædicationem acceperant, et Christi sese doctrinæ subjecerant, tunc illis leges dabat : quandiu autem illi despiciebant, superfluum fuisset, illis præcepta Christi proferre, qui ne Christum quidem noverant. « Nonne de iis, qui intus sunt vos judicatis ? » Eos autem qui foris sunt Deus judicabit [3]. » Postquam enim dixerat : « Quid mihi de iis qui foris sunt judicare ? » ne quis putaret illos impunitos relinqui, aliud illis statuit tribunal terribile. Hoc autem dixit, tum ut illos terreret, tum ut hos consolaretur, et ostendit hanc temporalem punitionem ab æterna et perpetua eripere ; quod et alibi declarabat his verbis : « Nunc autem judicati castigamur, » ut non cum mundo damnemur [4]. » Et, « Auferte malum » ex vobis ipsis [5]. »

II. Meminit dicti quod in veteri lege fertur, simul ostendens quod ipsi maxima sint lucraturi, ut a peste quadam gravi liberati ; simul ostendens hoc non esse innovationem, et jam olim a legislatore visum fuisse ut qui

[1] 1 Tim. III, 7. — [2] 2 Thess. III, 14, 15. — [3] 1 Cor. V, 12, 13. — [4] Id. XI, 32. — [5] Deut. XVII, 7.

tales essent, excinderentur. Sed illic quidem vehementius, hic vero mansuetius. Quapropter jure quærat aliquis, cur tunc quidem eum, qui peccaverat, puniri et lapidari permitteret; hic vero non item; sed illum ad pœnitentiam vocet? Cur ergo aliter illa, aliter ista efformabantur? Ob duas hasce causas; primam, quia ad majus certamen hi ducebantur, et majori animo et patientia opus habebant; secundam autem veriorem, quia hi quidem ab impunitate facilius corrigebantur ad pœnitentiam venientes, illi vero ad majorem nequitiam irrepturi erant. Nam si postquam primos punitos viderant, in iisdem perseverabant; si neminem punitum vidissent, multo magis id facturi erant. Ideo illic adultero et homicidæ statim mors infertur; hic vero si per pœnitentiam absolvantur, supplicium effugerunt. Cæterum etiam hic vehementiora, et illic mitiora videas supplicia, ut per omnia ostendatur cognatione juncta esse Testamenta, et unius ejusdemque esse legislatoris : atque et hic et illic supplicia e vestigio sequi, sæpeque post multum temporis in utroque, sæpe etiam non post multum temporis; sed Deum pœnitentia sola contentum esse. Nam in Veteri cum David in adulterium incidisset et cædem patrasset, per pœnitentiam servatus est; et in Novo, cum pauca ex agri pretio subtraxisset Ananias, cum uxore periit. Quod si hujusmodi plura observantur in Veteri, et contraria plura in Novo, differentia personarum differentiam talis œconomiæ efficit. « Audet aliquis » vestrum, adversus fratrem suum habens negotium, judi» cari apud iniquos, et non apud sanctos[1]? » Hic etiam accusationem inducit eorum quæ in confesso erant. Etenim illic dicebat : « Omnino auditur in vobis fornicatio ; » et hic, « Audet quis in vobis? » statim a principio iram indicans, et ostendens audax et iniquum esse facinus. Et

[1] 1 Cor. VI, 1.

cur injecit sermonem de avaritia, et quod non oporteat foris judicari? Suam implens legem : nam mos illi erat ea quæ incidebant emendare; ut quando de communibus mensis disserens, in sermonem de mysteriis digressus est. Et hic igitur quia de avaris fratribus mentionem fecit, fervens ob curam emendationis peccatorum, ordinem servare non sustinet; sed quod ex consequenti in medium adductum est peccatum, rursus emendat, et sic ad priu- revertitur. Audiamus ergo quid de hoc etiam dicat. « Au- » det aliquis vestrum habens negotium adversus fratrem, » judicari apud iniquos, et non apud sanctos? » Interim ex nominibus rem aperit, et avertit et accusat : et ab initio quidem non evertit judicium, quod fit apud fideles. Post- quam autem illos multis exterruit, tunc omnino judicium hujusmodi abstulit. Maxime quidem, inquit, si judicare oportet, apud iniquos non oportuit; omnino autem non oportet judicari; sed hoc postea ponit. Interim vero primo id de medio tollit, ut ne foris judicentur. Quomodo enim non absurdum fuerit, adversus amicum disceptantem, inimicum accipere conciliatorem, inquit? Quomodo non te pudet, nec erubescis cum Græcus sedet Christianum judicans? Si autem de rebus privatis non oportet a Græcis judicari, quomodo ipsis res majores committemus? Et vide quomodo loquatur : non dixit, apud infideles, sed, apud iniquos, voce illa usus qua maxime opus habebat in proposito argumento, ut averteret abduceretque. Quia enim de judicio sermo ipsi erat : qui vero judicantur nihil adeo requirunt, quam ut multa justi cura et ratio habeatur a judicantibus; inde illos avertit, propemodum dicens : « Quo pergis, et quid facis, homo, contrarium patiens eorum quæ desideras, et ut justitiam assequaris, ad iniquos homines te convertis? Et quia statim molestum fuisset audire non judicio disceptandum esse, non statim

hoc induxit, sed judicantes solum mutavit, ab externis in Ecclesiam inducens eos qui judicandi erant. Deinde quia contemptu dignum videbatur esse, ab iis qui intus erant judicari, et tunc maxime; non enim erant fortassis idonei ad rem intelligendam, neque tales quales erant externi judices, legum periti et diserti, utpote qui ex privatis et indoctis quamplurimi essent; vide quomodo illos fide dignos faciat; primum sanctos vocans; sed quia hoc vitæ puritatem, sed non accuratam cognitionem ad audiendum, testificabatur; vide quomodo hanc quoque partem tractet, ita dicens : « An nescitis quod sancti mundum » judicabunt[1]. »

III. Tu ergo qui illos aliquando judicaturus es, quomodo sustines nunc ab illis judicari? Judicabunt autem, non ipsi sedentes et rationem repetentes, sed condemnabunt. Hoc enim indicans dicebat : « Et si in vobis judicatur mun- » dus, indigni estis minimis judiciis[2]. » Non enim dixit : « A vobis, » sed, « Inter vos; » ut cum dicit : « Regina Aus- » tri surget, et condemnabit generationem hanc; » et, « Viri » Ninivitæ surgent, et condemnabunt generationem hanc[3]. » Quando enim eumdem solem videntes, et earumdem rerum omnium participes, nos quidem credidisse inventi fuerimus; illi vero non credidisse, non poterunt ad ignorantiam confugere. Nos enim illos accusabimus per ea quæ fecimus : et multa alia quis inveniet ibi judicia. Deinde ne videretur cuipiam de aliis dicere; vide quomodo communem faciat sermonem. « Et si in vobis judicatur mun- » dus, indigni estis minimis judiciis? » Pudorem vobis res affert, inquit, et ineffabile dedecus. Nam quia, ut verisimile est, pudebat eos ab iis qui intus erant judicari : e contrario autem vobis est dedecus, cum ab iis qui foris sunt judicamini : illa enim minima sunt judicia, non hæc.

[1] 1 Cor. VI, 2. — [2] Ibid. — [3] Matth. XII, 41, 42.

« Nescitis quia Angelos judicabimus? quanto magis sæcu-» laria[1]? » Quidam dicunt hic sacerdotes subindicari. Sed, apage; nam de dæmonibus agit. Nam si de corruptis sacerdotibus dixisset, supra subindicasset illos cum dixit: « In vobis judicatur mundus. » Solet enim Scriptura improbos homines mundum vocare; neque iterum hoc ipsum dixisset, neque ut majus quidpiam dicens ipsum postea posuisset. Sed de illis loquitur Angelis, de quibus dicit Christus: « Ite in ignem paratum diabolo et angelis ejus[2]; » et Paulus, « Angeli ejus transfigurantur tanquam ministri » justitiæ[3]. » Cum enim potestates illæ incorporeæ inventæ fuerint minus habere quam nos, qui carne induti sumus, graviores dabunt pœnas. Quod si adhuc quidam contendunt illum de sacerdotibus loqui, interrogabimus quos sacerdotes? an eos qui sæculari more omnino vixerunt? Quomodo ergo, inquies, Angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? ad differentiam sæcularium ponens Angelos, et merito; quia extra eorum usum sunt ob excellentiam naturæ. « Sæcularia igitur judicia si habueritis, » contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad » judicandum[4]. » Volens cum hyperbole nos docere, quodcumque tandem fuerit, non oportere nos externis committere, cum objectionem vel quæ talis esse videbatur, movisset; prius illam solvit. Hoc enim vult significare: « Fortasse dicet quispiam nullum esse apud vos sapientem, neque ad judicium ferendum aptum, sed contemptibiles omnes. » Et quid hoc? Etiamsi enim nullus sit sapiens, inquit, vos minimis permittite: « Hoc autem ad verecundiam vestram » dico[5]. » Est refellentis illorum objectionem, ut quæ superfluus sit obtentus; ideoque subjunxit: « Sic non est » sapiens in vobis quisquam[6]? Tanta-ne est, inquit, inopia?

[1] 1 Cor. VI, 3. — [2] Matth. XXV, 41. — [3] 2 Cor. XI, 15. — [4] 1 Cor. VI, 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid.

tanta-ne apud vos raritas virorum intelligentium ? Quod autem subjungit, majorem infert plagam ; cum enim dixisset : « Non est sapiens in vobis neque unus ? » Subjunxit : « Qui possit judicare inter fratrem suum[1] ? Cum enim frater cum fratre judicio contendit, intelligentia et solertia non est opus litis arbitro, affectu et cognatione magnam opem afferente ad contentionis talis solutionem : « Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud » infideles[2]. » Vides-ne quomodo in principio quidem utiliter incusabat eos qui judicarent, iniquos vocans ; hic autem ut illos pudore afficiat, dicens infideles ? Etenim admodum turpe est, si ne fratribus quidem reconciliationis causa possit esse sacerdos ; sed necesse sit ad externos accurrere. Itaque cum dixit contemptibiles, non hoc præcipue dixit, quod abjectos sedere judices oporteat ; sed illos perstringens. Nam quod iis, qui discernere possint, committere oporteat, significavit dicens : « Sic non est in- » ter vos sapiens quisquam ? » et ex abundanti os obstruens ; et dicens : quod etiamsi nullus esset sapiens, vobis insipientibus potius committenda causa fuisset, quam externis. Quomodo enim non absurdum fuerit, cum domi lis oritur, externum neminem vocari ; sed pudore affici, si quæ intus fiunt foris evulgentur ; ubi autem Ecclesia est, arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia extra efferri ? « Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud » infideles. » Duplex est crimen, et quod judicetur, et quod apud infideles. Si enim per se peccatum est cum fratre judicio contendere, id apud externos facere, quam veniam mereatur ? « Jam quidem omnino delictum est in » vobis, quod judicia habetis inter vos[3]. » Vides-ne ubinam illud reservarit ? et quam opportune hoc sustulerit ? Nondum enim dico, inquit, aliquis injuriam facit, aliquis in-

[1] 1 Cor. VI, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7.

juriam patitur. Interim eo ipso quod judicio contendatur, uterque improbatur, et in hoc non est alius alio melior.

IV. Si autem juste vel injuste judicio contenditur, hoc ad aliam pertinet disputationem. Ne itaque dicas: « Quis injuria affecit? » Hinc enim jam te damno, quod judicio contendas. Si autem injuriam inferentem ferre non posse crimen est, injuriam facere quanta dignum erit accusatione? « Quare non magis injuriam accipitis? Quare non » magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et frau» dem etiam fratribus [1]. » Rursus duplum crimen; imo forte triplum, et quadruplum. Unum quidem injuriam inferentem ferre nescire; secundum autem, etiam injuriam inferre; tertium, iniquis judicium de his committere; quartum, hoc in fratrem facere. Neque enim similiter de peccatis judicatur, cum admittuntur in quemvis obvium, et cum in proprium membrum. Hoc enim quis audet ex majori petulantia: et illic quidem conculcatur sola rei natura; hic vero etiam personæ qualitas. Postquam igitur pudorem intulit a communibus rationibus, et ante hæc a propositis præmiis, comminatione concludit adhortationem, vehementiorem reddens sermonem his verbis: « An » nescitis quod iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite » errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque » adulteri, neque molles, neque masculorum concubito» res, neque avari, neque fures, neque ebriosi, neque » maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt [2]. » Quid dicis? De avaris loquens, sceleratorum hominum tantam induxisti nobis turbam? Etiam, inquit. Sed non confundens orationem hoc facio, sed et ordine procedens. Quemadmodum enim de fornicatoribus loquens, omnium simul meminit; ita rursum avarum commemorans, omnes in medium adducit, ad reprehensiones assuefaciens eos,

[1] 1 Cor. v, 7, 8. — [2] Ibid. 9, 10.

qui horum et similium sibi conscii sunt. Nam in aliorum commemoratione frequenter audire pœnam iis repositam, id efficit ut facilius audiatur reprehensio, cum adversus sua quisque peccata pugnaturus se apparat. Neque enim hæc tanquam sciens illis competere, neque tanquam reprehendens, comminatur; quod maxime potest auditorem retinere, et impedire ne resiliat, cum oratio illum non respicit; sed indeterminate prolata, ejus conscientiam latenter pungit. « Nolite errare. » Hic subindicat quosdam dicentes, quod nunc multi dicunt: « Benignus cum sit Deus et clemens, delicta non ulciscitur : ne timeamus. Nam de nulla re a nemine unquam pœnam exiget. » Et propterea dicit; « Nolite errare. » Error enim extremus et fallacia est, cum bona speres, contraria consequi, et illud de Deo suspicari, quæ ne de homine quidem quisquam cogitaverit. Quamobrem ait Propheta ex persona ejus: « Existimasti » iniquitatem, quod ero tui similis : arguam te et statuam » contra faciem tuam iniquitates tuas[1]. » Et Paulus hic, « Nolite errare; neque fornicatores, » eum, qui jam damdamnatus fuerat, primum ponit, « Neque adulteri, neque » molles, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt. » Multi hunc locum reprehenderunt, tanquam valde asperum, siquidem ponit ebriosum et maledicum, cum adultero et muliebria passo, et masculorum concubitore. Atqui non paria sunt scelera, quomodo ergo paria supplicia ? Quid ergo dicemus ? Quod certe non parva res sit ebrietas et maledictum; quandoquidem Christus eum, qui fratrem suum fatuum vocavit, gehennæ tradidit. Sæpe enim hinc mors consecuta est: et Judæorum populus ex ebrietate gravissima admisit peccata. Deinde non de supplicio hic sermonem habet, sed de amissione regni. A regno certe similiter et hic et ille excidunt. Si vero in gehenna aliquam

[1] Psal. XLIX, 21.

sint habituri differentiam, non erat præsentis temporis disquirere; non enim hoc propositum nobis est. « Et »hæc quidam fuistis. Sed abluti estis, sed sanctificati »estis[1]. » Magnum ingerens pudorem subjunxit dicens : Cogitate ex quantis malis vos eripuerit Deus, quantam vobis benignitatis suæ præbuerit experientiam et demonstrationem; neque ad solam liberationem mercedem extendit; sed longe amplius beneficium auxit : etenim mundum et purum fecit. Num hoc tantum ? Nequaquam; sed et sanctificavit; neque hoc solum, sed etiam justificavit. Atqui vel a peccatis liberari magnum est donum. Nunc autem te innumeris replevit bonis. Et hoc factum est, « In nomine Domini nostri Jesu Christi. » Non in hoc vel in illo, sed et « In spiritu Dei nostri[2]. » Hæc ergo cum sciamus, dilecti, et accepti beneficii magnitudinem cogitantes, maneamus temperanter viventes, ab iis omnibus quæ enumerata sunt mundi, et tribunalia fugiamus, quæ sunt in externis foris, et nobilitatem, quam nobis Deus largitus est, custodiamus. Cogita enim quantæ sit turpitudinis, tibi jura dicentem sedere Græcum.

V. Quid ergo, inquies, si is qui intus est inique judicet ? Cur, quæso ? Secundum quas leges judicat Græcus, et secundum quas Christianus ? Annon palam est Græcum secundum leges hominum, et Christianum secundum leges Dei ? Hic ergo magis justitia reperitur, quia leges ex cœlo sunt missæ. In externis enim præter ea quæ dicta sunt, alia sunt suspecta multa, oratorum vis dicendi, principum corruptio, et multa alia quæ justitiam labefactant. Hic vero nihil horum est. Quid ergo, inquies, si adversarius dynasta sit? Et ideo maxime hic judicare oportet. In externis enim ille judiciis te erit omnino superior. Si autem

[1] I Cor. VI, 11. — [2] Ibid.

ille non acquiescit, et si id quod intus est judicium despicit, et foras vi trahit? Melius est id quod ex necessitate passurus es, te libentem sustinere, et judicium non subire, ut et mercedem habeas. « Nam si quis velit tecum in » judicio contendere, et tunicam tuam accipere, dimittes » illi etiam pallium. » Et, « Sis benevolus adversario tuo » cito, donec es in via cum illo[1]. » Ecquid nostra dicere opus est? Nam ipsi quoque externorum tribunalium patroni hæc sæpissime dicunt, melius esse foris lites componere. Sed, O pecunias! Imo potius, O absurdum pecuniarum amorem! Qui omnia subvertit et dejecit: nugæque et fabulæ multis sunt omnia propter pecunias. Et quod ii qui sæcularibus sint addicti in tribunalibus lites commoveant, nihil mirum; quod autem multi ex iis qui sæculo abrenunciarunt, eadem ipsa faciant, hoc certe est extra veniam omnem. Nam si vis videre quantum te abesse ab hoc usu, nempe tribunalium, præceperit Scriptura, et discere quibusnam leges positæ sint, audi quid dicat Paulus: « Justo » lex non est posita, sed injustis et non subditis[2]. » Quod si ille de Mosaïca hoc dicit, multo magis de externis legibus. Si ergo injuriam feceris, palam est te non esse justum; si autem injuria afficiaris et feras; hoc enim maxime justi est, non opus habes externis legibus. Et quomodo, inquies, injuria læsus ferre potero? Atqui Christus quid etiam amplius præcepit. Non modo enim injuria læsum ferre jussit, sed etiam affatim erogare ei qui facit injuriam, et patiendi affectu et animo superare cupiditatem mala inferentis. Non enim dixit, « Ei qui velit tecum in judicio » contendere, et tunicam tuam auferre, dimitte tunicam: » sed, « Cum illa et pallium dato. Vince illum, inquit, male patiendo, non male faciendo. » Hæc est enim clara et splendida victoria. Ideoque postea dicit Paulus: « Jam enim de-

[1] Matth. v, 25 et 40. — [2] 1 Tim. I, 9.

» dictum est vobis, quod judicia habetis inter vos: et cur » non potius injuriam accipitis[1] ? » Quod enim is qui injuria afficitur, magis vincat, quam is qui injuriam non fert, hoc vobis palam faciam. Etiamsi qui injuriam non fert in judicium traxerit, etiamsi superarit, tunc maxime vincitur. Quod enim nolebat passus est, illum enim coëgit adversarius et dolere et judicio contendere. Quid enim quod vicisti ? Quid quod universas accepisti pecunias ? Quod nolebas interim passus es, ut coactus in judicio contenderes. Si vero iniquitatem feras, vincis privatus pecuniis, sed non victoria est ob tantam philosophiam. Non potuit enim ille te cogere ad id faciendum quod nolebas. Quod autem hoc sit verum, dic mihi : Quis vicit, invidus-ne, an is qui jacebat in sterquilinio ? Quis superatus est, an Job, cui omnia abrepta sunt, an qui omnia ipsi abstulit diabolus ? Conspicuum est, quod is qui omnia ipsi abstulit diabolus. Quem miramur ob victoriam, diabolum-ne qui percussit, an Jobum percussum ? Palam est quod Jobum. Atqui non potuit pereuntes pecunias retinere, non filios suos servare. Ecquid dico pecunias et filios ? Corporis sui salutem servare non potuit. Attamen hic est qui vicit, qui omnia sua amisit, pecunias quidem retinere non potuit, pietatem vero cum omni accuratione retinuit. Sed pereuntibus filiis non opem tulit. Et quid hoc ? Nam illos ipse casus splendidiores reddidit; sibi quoque malis affecto similiter opem tulit. Nisi vero male passus et injuria affectus a diabolo fuisset, non spendidam illam retulisset victoriam. Si malum erat injuria affici, non id nobis jussisset Deus. Mala enim Deus non jubet. An nescitis quod ipse sit Deus gloriæ ? nec nos voluisset turpitudine, risu et damno involvere, sed contraria conciliare ? Ideo jubet nos injuriam pati, nihilque non

[1] 1 Cor. VI, 7.

agit ut nos a sæcularibus abstrahat, et persuadeat quid sit gloria, quid turpitudo, quid damnum, quid lucrum.

VI. Sed durum est injuria et damno affici? Non est durum, non est, o homo! Usquequo præsentibus inhias? Neque enim hoc præcepisset Deus si malum esset. Considera autem: qui injuriam fecit abiit pecunias habens, sed malam quoque conscientiam. Qui autem injuria læsus est, pecuniis quidem privatus fuit, sed fiduciam apud Deum habet, possessionem mille thesauris pretiosiorem. Hæc cum sciamus ex proposito voluntatis philosophemur, nec eadem quæ stulti patiamur, qui tunc se non injuria læsos putant, cum hoc illis a judicio accidit; contra vero totum illud est damnum maximum, et universim quando non philosophamur sponte nostra, sed inde superati. Nihil enim lucri referunt qui superati a judicio, id patiuntur: nam tunc demum illud ex necessitate fit. Quænam ergo splendida victoria est? Quando tu id despexeris, quando judicio non contenderis. Quid dicis? Omnia mihi ablata bona sunt, et silere jubes? Damno affectus sum, ut mansuete feram hortaris? Et quomodo illud potero? Facillime utique, si in cœlum respexeris, si videris hanc pulchritudinem, et ubi te suscepturum esse Deus pollicitus sit, si injuriam generose feras. Hoc itaque facito, et postquam cœlum respexeris, cogita te similem factum esse ei qui illic super Cherubim sedet. Nam et ille contumelia affectus est, et id tulit, et probris est affectus, nec sese est ultus, sputis dehonestatus est[1], et non sese vindicavit, sed contrariis remuneravit, innumeris afficiens beneficiis eos, qui talia fecerant. Et nos ipsius imitatores esse jussit. Cogita te nudum exiisse ex utero matris tuæ; nudus reverteris et tu et qui te affecit injuria; imovero ille cum innumeris vulneribus, quæ

[1] Marc. xv, 19.

vermes gignant. Cogita quod temporanea sint præsentia : tecum reputa sepulcra majorum. Disce aperte ea quæ facta sunt, et videbis eum, qui te injuria affecit, te fortiorem fecisse : passionem namque suam graviorem reddidit ; amorem pecuniæ dico ; tuam vero imbecilliorem, ablato feræ illius alimento. Ad hæc vero te liberavit a curis, ab animi angore, ab invidia sycophantarum, a turba, a tumultu, a perpetuo metu ; et malorum colluviem in caput suum congessit. Quid igitur si cum fame, inquies, concertem, cum Paulo hoc pateris, qui ait : « Usque in hanc horam et » esurimus, et sitimus et nudi sumus[1]. » At ille, inquies, propter Deum. Et tu quoque propter Deum. Quando enim non te ultus fueris, propter Deum id fecisti. Sed qui me injuria affecit, cum divitibus in deliciis degit ; imovero cum diabolo. Sed tu cum Paulo coronaris. Ne ergo famem timeas. « Non enim fame necabit Deus animas justorum[2]. » Et alius rursum ait : « Jacta super Dominum curam tuam, » et ipse te enutriet[3]. » Si enim passeres agri nutrit, quomodo te non nutriet ? Ne simus ergo modicæ fidei, neque pusillanimes, o dilecti. Qui enim regnum cœlorum promisit et tanta bona, præsentia quomodo non dabit ? Ne superflua desideremus, sed quod sufficiat : et semper divites erimus. Tegumentum quæramus et alimenta, et omnia accipiemus, et hæc et multo majora. Si autem adhuc doles, et deorsum respicis, vellem tibi ejus qui te injuria affecit animam post victoriam ostendere : quomodo cinis facta sit. Tale namque est peccatum. Quandiu patratur, quamdam voluptatem affert : quando autem consummatum est, tunc modica illa voluptas avolat, succedit autem animi mœror. Hæc porro patimur cum quosdam contumelia afficimus, postea vero nos ipsos accusamus. Sic etiam cum rapimus, gaudemus : deinde vero a conscientia pungi-

[1] 1 Cor. IV, 10. — [2] Prov. X, 5. — [3] Psal. LIV, 23.

mur. Vides apud quempiam domum pauperis? Desle, non eum qui privatus fuit; sed eum qui accepit; non enim dedit, sed accepit malum. Nam illum quidem præsentibus spoliavit; se vero ex bonis ineffabilibus ejecit. Nam si is qui egenis non elargitur, in gehennam abit; qui illa quæ egenorum sunt accipit, quid patietur? Ecqua utilitas, inquies, si ego male patiar? Magna certe utilitas. Non per supplicium ejus qui te malo affecit, remunerationem tibi constituit Deus; nam illud non magna res esset. Quæ enim utilitas si et ego et ille mala patiamur? Atqui multos novi, qui hoc pro maxima habent consolatione, et totum se accepisse arbitrantur, cum eos qui sibi nocuerunt, plexos vident. Attamen Deus non hic sistit remunerationem. Sed vis scire quot te bona exceptura sint? Totum tibi cœlum aperit, sanctorum concivem facit, in eodem choro ut sis efficit, a peccatis absolvit, justitia coronat. Si enim qui remittunt iis qui peccaverunt, remissionem consequuntur; qui non modo remittunt, sed ipsis abunde largiuntur, quam non consequentur benedictionem? Ne itaque pusillo animo feras, sed etiam precare pro eo qui te læsit. Pecunias tuas accepit? sed etiam peccata, ut in Naemano et Giezi accidit. Quantas pecunias non dare voluisses ut peccata tibi remitterentur? Hoc itaque nunc etiam usuvenit. Si enim generose feras, nec maledicas, splendida redimitus es corona. Non meus est sermo: sed audisti Christum dicentem: « Orate pro iis qui vobis » molestiam creant; » et cogita quantum sit præmium, « Ut sitis similes Patris vestri qui est in cœlo[1]. » Itaque nullo privatus es, sed etiam accepisti; non injuria affectus, sed coronatus es, animo magis philosophus effectus, Deoque similis, pecuniarum cura liberatus, regnum cœlorum assecutus. Hæc itaque omnia nobiscum reputantes, in

[1] Matth. v, 44, 45.

injuriis philosophemur, dilecti, ut et a præsentis vitæ perturbatione liberemur, et inutilem mœrorem abjiciamus, futurumque gaudium consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

CAPUT VI.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt : omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate [1].

I. Helluones hic subindicat. Quia enim rursus ad fornicatorem est rediturus, fornicatio autem ex deliciis et immoderato cibo oritur, vehementer vitium illud castigat. Neque enim de prohibitis hæc dicit ; illa namque non licent ; sed de iis quæ indifferentia esse videntur ; exempli causa, licet, inquit, comedere et bibere ; sed cum copia nimia non expedit. Quodque mirum inexpectatumque est, quod tamen facere sæpe solet in contrarium convertens orationem, hic quoque illud exequitur, et ostendit quod in potestate facere, non solum non expediat, sed nec potestatis quidem sit, verum servitutis. Et primo quidem avertit ab eo quod non expediat dicens : « Non expediunt ; » secundo autem a contrario, dicens : « Ego sub nullius re» digar potestate. » Hoc autem sibi vult : « Penes te est manducare, inquit, ergo mane in illa potestate ; et cave ne hujus affectus servus efficiaris. » Nam qui ut convenit

[1] 1 Cor. VI, 12.

illo utitur, illius dominus est ; qui autem mensuram excedit, non ultra dominus est, sed servus ejus efficitur, gula in ipso tyrannidem exercente. Vides-ne quomodo eum qui se potestatem habere putabat, sub potestate esse ostendat? Solet enim Paulus hoc facere, ut jam dixi, in contrarium objectiones vertere ; quod hic etiam fecit. Animadverte autem. Quisque eorum dicebat : « Licet mihi » deliciari. » Ille vero dicit : « Non hoc tu ita facis ut qui id habeas in potestate ; sed ut qui sis ipse redactus sub hanc potestatem. Neque enim ventris potestatem habes, quandiu fueris ventri nimis indulgens ; sed ipse te in potestatem habet. » Hoc autem de pecuniis etiam deque aliis dici potest. « Escæ ventri[1]. » Ventrem hic, non ventrem, sed ingluviem vocat ; ut cum dicit : « Quorum Deus ven» ter est[2] ; » non de hoc membro loquens, sed de voracitate. Quod enim ita sit, audi sequentia : «Et venter escis : » corpus autem non fornicationi, sed Domino[3]. » Atqui venter quoque est corpus. Sed duas posuit conjunctiones, escas et ingluviem, quam quidem ventrem vocavit, Christum et corpus. Quid sibi vult illud, « Escæ ventri? » Escæ, inquit, amicitiam habent cum ingluvie, et hæc cum ventre. Non potest ergo ad Christum nos ducere ; sed ad hæc trahit. Gravis enim et belluina est passio, servosque reddit, et ut sibi serviatur efficit. Cur ergo alimentis inhias, o homo? Illius namque ministerii talis est finis, et nihil amplius exhibebit ; sed tanquam alicui dominæ ministrans manet hanc retinens servitutem, neque ulterius procedit : nullumque aliud opus habet, sed hoc inane ministerium. Et ambo mutuo connectuntur, et simul dissolvuntur, venter cum escis, et escæ cum ventre, cursum quemdam qui nunquam finitur involventes, ac si a corrupto corpore nascantur vermes, et rursus a vermibus corpus consumatur ;

[1] 1 Cor. VI, 13. — [2] Philip. III, 19. — [3] 1 Cor. VI, 13.

vel quemadmodum si fluctus in summum sublatus, dissolvatur, nihil ultra efficit. Hæc porro non de esca et de corpore dicit, sed gulæ vitium, et cibum immoderatum traducit, ut sequentia ostendunt : subjungit enim : « Deus autem et » hunc et hæc destruet. » Non ventrem dicit, sed immoderatam concupiscentiam : non escam, sed delicias. Neque enim illam ægre fert ; sed de illis legem statuit sic loquens : « Habentes alimenta et tegumenta, his contenti simus [1]. » Sed hac ratione rem improbat, ejus emendationem post consilium datum, orationi relinquens. Quidam vero dicunt dictum illud esse prophetiam, quæ statum futuri sæculi declarat, in quo non ultra manducabitur vel bibetur. Si autem moderatus usus finem habebit, multo magis ab immoderato abstinendum. Deinde ne quis putet reprehensionem id esse corporis, neve illud suspicetur, quod nempe a parte totum damnaverit ; neve dicat corporis naturam causam esse fornicationis, audi sequentia : non enim corporis naturam, inquit, accuso, sed immoderatam animi cupiditatem : ideo adjicit : « Corpus autem non fornicationi, sed » Domino. » Non enim ideo formatum fuit, ut luxui et fornitioni operam daret, ut neque venter, ut ingurgitetur, sed ut Christum caput sequatur, et Dominus imponatur corpori. Revereamur, horreamus, quod tanto honore dignati, ut illius supra collocati membra efficiamur, tot malis nos deturpemus. Cum ergo helluones satis carpsisset, futurorum etiam spe ab hac nequitia abducit dicens : « Deus au- » tem et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem » suam [2]. »

II. Vidisti-ne rursum sapientiam apostolicam ? nam fide dignam resurrectionem esse a Christo semper probat : maxime vero nunc. Si enim corpus nostrum membrum est Christi, Christus vero resurrexit, etiam corpus omnino ca-

[1] 1 Tim. VI, 8. — [2] 1 Cor. VI, 14.

put sequetur. « Per virtutem suam. » Quia enim rem dixit quæ non creditur, et ratiociniis percipi non potest, ejus virtutis incomprehensibilitati concessit ea quæ Christi resurrectionem spectant, non parvam hinc contra incredulos præbens demonstrationem. Et in Christi quidem resurrectione ipsam non posuit : neque enim dixit : « Deus autem etiam Dominum suscitabit ; » res enim jam contigit, sed quomodo ? « Deus vero et Dominum suscitavit, » nec opus habuit probatione. De nostra autem resurrectione, quia nondum evenit, non ita dixit, sed quomodo ? « Et nos » suscitabit per virtutem suam ; » ex eo quod fide digna sit ejus qui suscitavit potestas, os obstruens contradicentibus. Si autem Patri ascribit Christi resurrectionem, nihil te conturbet. Non enim quod Christus non posset, hoc posuit. Ipse namque Christus dixit : « Solvite templum hoc et in » tribus diebus excitabo illud [1]. » Et rursus, « Potestatem » habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum » sumendi eam [2]. » Et Lucas in Actibus ait : « Quibus ex- » hibuit se ipsum vivum [3]. » Cur ergo Paulus sic loquitur ? Quia quæ Filii sunt Patri ascribit, et quæ Patris Filio. Nam « Quæ ille facit, inquit, et Filius similiter facit [4]. » Opportune autem admodum hic resurrectionem memorat, et tali spe gulæ tyrannidem reprimens, et tantum non dicens : « Comedisti, bibisti sine mensura, et quis erit finis ? » Nullus, nisi corruptio tantum. Conjunctus es Christo, et quis erit finis ? Magnus et mirabilis, futura resurrectio gloriosa illa, sermonem omnem superans. Nemo itaque resurrectioni fidem neget. Si quis autem non credat, cogitet quanta ex nihilo produxerit, et hinc de illa demonstrationem accipiat. Nam quæ jam facta sunt, multo sunt mirabiliora, et ingens miraculum exhibentia. Animadverte autem : terram accepit et miscuit, hominemque fecit ; terram, in-

[1] Joan. II, 19. — [2] Id. X, 18. — [3] Act. I, 3. — [4] Joan. V, 19.

quam, quæ non antea erat. Quomodo ergo terra facta est homo? Quomodo ipsa cum non esset, producta fuit? Quomodo quæ ex ipsa fiunt omnia, immensa genera brutorum, seminum, plantarum, nullis partus doloribus præmissis, non pluviis in illa demissis, nulla cum agricultura, non bobus, aratro vel alio ad ortum illorum administro? Ideo enim ex inanimato et insensibili, tot in principio genera et plantarum, et brutorum animalium orta sunt, ut te jam olim resurrectionis rationem doceret. Illud enim resurrectione cogitatu difficilius est. Non paria enim sunt extinctam lucernam accendere, et nondum apparentem ignem exhibere : non paria sunt dirutam domum reædificare, et nullo modo existentem producere. Hic enim, etsi nihil aliud, at materia subjecta erat. Illic vero ne substantia quidem apparebat. Ideoque quod difficilius esse videbatur primo fecit, ut ex hoc quod facilius erat admitteres. Difficilius autem dixi, non Deo, sed secundum ratiociniorum nostrorum consequentiam. Deo namque difficile nihil est. Sed quemadmodum pictor, qui unam facit imaginem, innumeras facile faciet; sic et Deo facilius fuit, innumeros facere mundos atque infinitos. Imo potius, ut facile tibi est urbem et infinitos cogitare mundos, ita Deo illos condere facile est, imo longe facilius; tu enim parum saltem temporis in hac cogitatione insumis, Deus vero non item : nam quanto re quadam levissima, imo etiam mente nostra, graviores lapides sunt; tanto mentis nostræ celeritas a Deo in creando superatur. Admiratus es ejus in terra virtutem? Cogita rursum quomodo cœlum factum sit cum non esset, quomodo stellæ innumerabiles, quomodo sol, quomodo luna, et hæc omnia, cum non antea essent. Rursus, dic mihi quomodo, postquam facta sunt, steterunt et in quo? quod habent fulcrum, quodnam terra? quid post terram? et post illud rursum quod post terram est, quid? Vides in quantam ver-

tiginem decidat mentis tuæ oculus, nisi statim ad fidem accurras et ad incomprehensibilem operantis virtutem? Si velis autem etiam ex humanis conjecturam facere, paulatim poteris mentem tuam ceu alis instruere. Ex quibus, inquies, humanis? Non vides figulos, quomodo fractum, et sine forma factum vas effingunt? Eos qui metallicam terram fodiunt, quomodo terram aurum esse monstrent, et ferrum atque æs rursus alia? Qui vitrum conficiunt, quomodo arenam in corpus solidum et pellucidum transformant? Dicam-ne coriarios, eos qui purpurea vestimenta tingunt, quomodo illud quod tincturam excepit aliud pro alio monstret? Dicam-ne generationem nostram? nonne modicum semen informe et sine figura in subjectam vulvam ingreditur? Unde ergo tanta animalis efformatio? Quid vero frumentum? Nonne granum nudum in terram injicitur? Nonne postquam injectum est putrescit? Unde spicæ, aristæ, calami et cætera omnia? Nonne parvum fici granum sæpe in terram cadens, et radicem et ramos et fructum tulit? Sane unumquodque horum admittis, nec curiose inquiris, a Deo autem solo nostrum corpus transformante rationes exigis? Et quomodo hæc venia digna fuerint?

III. Hæc et talia Græcis dicamus, nam apud eos qui Scripturis obsequuntur, ne sermone quidem opus est mihi. Si enim illius omnia curiose scrutari velis, quid plus habebit Deus quam homines? Atqui nec de multis quidem hominibus curiose perquirimus. Quod si in hominibus hoc facimus, nec curiose inquirimus; multo minus Dei sapientiam scrutari oportet, vel rationes ab illa expetere. Primo quidem quia fide dignus est is qui pronuntiavit; secundo quia res ipsæ ratiociniorum perscrutationem non admittunt. Non enim adeo egenus est Deus, ut ea solum operetur, quæ a ratiociniorum tuorum imbecillitate possunt

comprehendi. Si enim fabri opus non comprehendis, multo minus Dei præstantissimi artificis. Ne fidem ergo negetis resurrectioni : nam a spe futurorum longe aberitis. Sed quænam est sapientia contradicentium ; imo ingens stultitia ? Et quomodo, inquiunt, quando corpus terræ commixtum est, et factum est terra, et hæc rursum alio translata fuerit, resurget tamen illud? Hoc tibi dubium videtur esse, sed non insomni illi oculo : ipsi enim manifesta omnia sunt. Et tu quidem non vides divisionem quæ est in confusione ; ille vero omnia novit. Quandoquidem tu ignoras illa quæ in corde proximi sunt. Ille vero omnia novit. Si ergo quia ignoras quomodo resuscitet Deus, non credis quod resuscitet, non credes etiam quod ea quæ in mente sunt noscat : nam neque illa apparent. Atqui in corpore materia quidem est visibilis, etsi dissolvatur. Illæ vero cogitationes invisibiles sunt. Qui ergo invisibilia cum omni accuratione novit, visibilia non videbit, nec facile corpus dividet? Est cuivis perspicuum. Ne igitur resurrectioni fidem neges : est quippe dogma diabolicum. Hoc diabolus curat, non modo ut resurrectioni non credatur, sed et ut virtutis opera dissolvantur. Homo enim qui non expectat se resurrecturum, et operum suorum rationem redditurum, non cito virtutem adibit ; virtuti vero non dans operam, rursus non credet se resurrecturum. Ambo enim alterum ab altero probantur, nequitia ab incredulitate, et incredulitas a nequitia. Conscientia enim multis plena malis, timens ac tremens futuram ultionem, quia non vult a mutatione ad meliora consolationem assequi, ab incredulitate vult quietem adipisci. Te enim nec resurrectionem dicente nec judicium, illud quoque dicet : ergo neque ego scelerum rationem dabo. Sed quid dicit Christus : « Eratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei [1]. »

[1] Matth. xxii, 29.

Neque enim tam multa Deus esset operatus, nisi nos resuscitaturus esset, sed dissoluturus et in nihilum redacturus. Non tantum cœlum extendisset, non terram stravisset, non cætera omnia pro hac solum brevi vita fecisset. Si autem hæc fecit pro præsenti, quid non faciet pro futura? Si vero nulla sit futura, iis quæ pro nobis facta sunt longe sumus viliores. Nam cœlum, terra, mare et flumina sunt nobis stabiliora, necnon bruta quædam. Nam et cornix et elephantorum genus, et multa alia diuturniore vita præsenti fruuntur. Nobis autem et brevis et laboriosa est vita. Sed non illis : nam longa eorum vita est, ac mœroribus curisque vacua. Quid ergo, dic mihi, servos-ne melioris conditionis fecit quam dominos? Ne, quæso, ne talia existimes : neque sis mente inops, o homo ! neve ignores divitias Dei, cum talem habeas dominum. Nam ab initio Deus te immortalem facere voluit; sed tu noluisti. Immortalitatis enim ænigmata erant illa, colloquium cum Deo, vita non laboriosa, liberum esse a dolore, cura atque labo ribus aliisque temporaneis. Neque enim veste opus habebat Adam, non tecto, non alio quovis simili apparatu ; sed magis Angelis similis erat, multa futurorum præsciebat, et sapientia erat multa plenus. Et quod latenter Deus fecit, id ille cognovit, circa mulierem scilicet; ideo dicebat: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea [1]. » Labor autem postea ortus est, deinde sudor, postea pudor, et timor, et libere loquendi difficultas. Tunc enim non mœror, non dolor, non gemitus. Sed in dignitate illa non mansit. Quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illum-ne peream ? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti. Sed si non idipsum peccatum, aliud utique admisisti.

IV. Alioquin autem a punitione non damnum accepisti;

[1] Gen. II, 23.

sed lucratus es. Nam si debuisses semper mortalis manere, aliquam forte rationem haberet id quod dictum est. Nunc autem immortalis es; et si velis, plus quam sol ipse splendere poteris. Sed nisi mortale corpus accepissem, inquies, non peccassem. Quid ergo? an ille, quæso, mortale corpus habens peccavit? Nequaquam. Nam si mortale fuisset, non postea supplicii loco mortem passum esset. Quod autem mortale corpus non sit impedimentum ad virtutem; sed et temperantem reddat et multum conferat, hinc palam est. Si enim immortalitatis expectatio solum Adamum tantum extulit, si revera immortalis mansisset, in quantam arrogantiam non processisset? Et nunc quidem post peccatum potes peccata solvere, cum corpus sit humile, abjectum et dissolutum; hæ quippe cogitationes possunt temperantem reddere. Si autem peccasses in immortali, stabiliora fuissent peccata. Non ergo mortalis natura causa peccati est, ne accuses; sed malum voluntatis propositum est radix malorum. Cur enim Abelem corpus non læsit? sed cur nihil profuit dæmonibus quod essent incorporei? Vis scire quomodo corpus mortale non læserit, sed etiam juvet? Audi quanta hinc lucreris, si vigiles. Mœroribus, doloribus atque laboribus aliisque similibus te retrahit et avellit a vitio. Sed ad fornicationem, inquies, trahit? Non corpus, sed incontinentia. Hæc quippe omnia, quæ dixi, omnino corporis sunt. Quapropter fieri nequit ut homo, in hanc vitam veniens non doleat, laboret et mœreat; non fornicari vero potest. Itaque si naturæ corporis essent ea quæ ad vitia pertinent, universalia essent. Talia enim naturalia sunt; at non talis res est fornicari. Dolere inde provenit; fornicari autem ex proposito voluntatis. Ne ergo corpus accuses, ne honorem tibi auferat diabolus, quem tibi dedit Deus. Si enim velimus, optimum frenum erit corpus, quod animæ insultus coërceat, arrogantiam avel-

lat, fastum reprimat, et in præclaris operibus nobis ministret. Ne mihi furentes quosdam dicas : nam sæpe videmus equos, aurigam deturbantes cum freno et per præcipitia sese dantes; sed frenum non culpamus; non enim illud abjectum in causa est; sed auriga, qui non retinuit, omnia perdidit. Ita hic quoque reputa. Si videris juvenem orphanum, et mala innumera perpetrantem, ne corpus incuses, sed aurigam qui trahitur, nempe rationem. Sicut enim frena non negotium faciunt aurigæ, sed ille omnium causa est, qui habenas non probe retinet; ideoque ab illo pœnas repetunt, cum illo complicatæ habenæ, et eum attrahunt, et cogunt esse participem infortunii sui. Ita et hic quoque. Ego enim, inquiunt, os equi habenis regebam, quandiu tu tenebas : quia vero abjecisti, abs te exigo pœnas contemptus tui, et tecum complicor, et attraho, ut ne amplius tale quidpiam patiar. Nemo itaque habenas culpet; sed se ipsum et corruptum animum. Nam in nobis auriga est ratio : habenæ corpus, quæ equos cum auriga conjungunt. Si ergo illæ recte positæ sint, nihil grave patieris; sin illas dimittas, omnia abolevisti et perdidisti. Temperantes ergo simus, et ne accusemus corpus, sed malum animum. Nam hoc maxime diaboli opus est, ut stultos magis moveat ad accusandum corpus, et Deum et proximum, quam corruptum animum; ut ne si causam invenerint, liberentur a radice malorum. Sed vos cum insidias cognoscatis, iram vertite in illum, et aurigam jugo imponentes, ad Deum mentis oculum convertite. Nam in aliis quidem is nihil affert qui certamen proposuit; sed expectat finem. Hic autem omnino agonotheta est Deus. Hunc ergo propitium habeamus, et omnino consequemur futura bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

CAPUT VI.

Nescitis quod corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit[1].

I. Cum a fornicatore in avarum transiisset; rursus ab hoc venit ad illum, non ultra ipsum alloquens, sed alios qui fornicati non fuerant; et illos muniens, ut ne in paria incidant, ipsum denuo perstringit. Nam qui peccavit, etiamsi ad alium orationem dirigas, sic etiam pungitur, concitata conscientia ipsumque verberante. Sufficiebat quidem metus supplicii ad illos in castitate continendos. Quia vero non metu tantum vult hæc recte constitui, minas simul et ratiocinia affert. Illic ergo cum peccatum dixisset, et pœnam statuisset, damnumque ostendisset, quod omnibus afferebatur ex tali fornicatoris concubitu; ad avaritiam transiit, et minatus fore ut a regno excidant, et hic et cæteri omnes, quos recensuit; sic orationem absolvit. Hic autem horribiliorem inducit admonitionem. Nam qui peccatum punit tantum, nec admodum grave et iniquum ostendit, nihil tam magnum per supplicium facit; qui vero ad pudorem inducit tantum, neque per punitionem terret, non admodum pungit eos qui non sunt sensu præditi. Quamobrem utrumque facit Paulus, et pudorem infert dicens: « Nescitis quia Angelos judicabimus? » et terret his verbis, « Nescitis quia avari regnum Dei non pos-

[1] 1 Cor. VI, 15.

» sidebunt[1] ? » Et de fornicatore iterum eodem utitur sermone. Cum enim terruisset per ea quæ prius dixerat, et eum excidisset, atque Satanæ tradidisset, futurique diei meminisset, rursus illi pudorem infert dicens : « Nescitis » quod corpora vestra membra sunt Christi? » tanquam ingenuos pueros deinceps alloquens. Quia enim dixit, « Cor» pus Domino, » nunc clarius ostendit ipsum. Et alibi quoque hoc ipsum facit dicens : « Vos estis corpus Christi, » et membra ex parte[2] ; » et hoc ipsum exemplum sæpe ponit, non pro rebus iisdem : sed aliquando ut dilectionem ostendat, aliquando ut timorem augeat. Hic autem ipsum posuit terrens et timorem incutiens : « Tollens ergo » membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. » Nihil hoc dicto est horribilius. Et non dixit : « Tollens ergo membra Christi, conjungam meretrici? » sed quid? « Faciam membra meretricis? » quod certe magis pungebat. Deinde probat quomodo is qui fornicatur id fiat, dicens : « An nescitis quod qui adhæret meretrici, unum » corpus efficitur? » Undenam hoc perspicuum? « Erunt » enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Do» mino, est unus spiritus[3]. » Neque enim permittit concubitus ut duo sint duo; sed ambos unum facit. Et vide rursum quomodo per nuda nomina procedat, per meretricem et per Christum deducens accusationem. « Fugite fornica» tionem[4]. » Non dixit : « Abstinete a fornicatione; » sed, « Fugite ; » id est, cum studio facite ut a malo liberemini. « Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra cor» pus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat[5]. » Hoc est minus priore. Sed quia ab eo agebatur de fornicatoribus, undique illud extollit et a majoribus et a minoribus crimen amplificans. Illud quidem prius religiosiori-

[1] 1 Cor. VI, 3 et 9. — [2] Id. XII, 27. — [3] Id. VI, 16, 17. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid.

bus dictum est, hoc autem imbecillioribus. Nam et hoc quoque Pauli sapientiæ est, non modo a majoribus, pudorem incutere; sed etiam a minoribus, et a turpitudine atque ab indecoro. Quid ergo, inquies, an homicida manum non polluit? Quid vero avarus et rapax? Id cuique palam est. Sed quia dici non poterat nihil esse pejus fornicatore, alio modo hoc crimen auxit dicens in fornicatione totum corpus fieri execrandum. Tanquam enim incidens in lebetem immunditiæ, inquinamento tinctum, sic polluitur. Hoc autem nobis etiam in more est. Nam ab avaritia quidem et rapina nemo nostrum curaverit in balneum ire; sed sine ullo discrimine domum redit. A coïtu autem cum meretrice, ac si totus immundus sit effectus, ad lavacrum venit. Ita turpiorem quamdam suspicionem ex hoc peccato habet conscientia. Utrumque certe grave est, avaritia nempe et fornicatio, et in gehennam injicit. Verum quia Paulus omnia œconomice et prudenter administrat, quæ suppetebant omnia adhibuit ad fornicationis crimen augendum. « An nescitis quod corpus vestrum templum est » ejus qui in vobis est Spiritus sancti[1]? »

II. Non simpliciter dixit, Spiritus; sed, « Qui in vobis » est, quod consolantis erat: » et rursus explicans ait: « Quem habetis a Deo. » Eum qui dedit posuit; simul et sublimem reddens auditorem, et terrens magnitudine depositi, et desiderio studioque deponentis. « Et non estis » vestri. » Hoc non pudorem inferentis modo est; sed etiam cogentis ad virtutem. Quid enim? quod vis facis, inquit, non es tui dominus? Hæc autem dicebat, non liberum arbitrium tollens; nam cum dixisset, « Omnia mihi licent, » sed non omnia expediunt[2], » non libertatem nostram abstulit. Et hic rursus scribens: « Non estis vestri, » non propositum voluntatis labefactat; sed a nequitia abducit,

[1] 1 Cor. VI, 19. — [2] Ibid. 12.

et Domini curam ostendit : ideo subjungit, « Empti enim »estis pretio[1]. » Si autem non sum meus, quomodo exigis a me ea quæ sunt agenda? Quomodo autem in sequentibus rursum dicis, « Glorificate Deum in corpore vestro, »et in spiritu vestro[2], » quæ Dei sunt? Quid ergo sibi vult illud, « Non estis vestri? » et quid per hoc vult probare? In securitate constituere, ut ne peccemus, nec animi concupiscentias absurdas sequamur. Nam multa volumus absurda et gravia; sed ea reprimere oportet : nam id possumus. Si enim non possemus, superflua esset admonitio. Vide ergo quomodo firmaverit. Cum dixisset enim : « Non »estis vestri, » non adjecit, « Sed sub necessitate estis, » sed, « Pretio empti estis. » Cur hoc dicis? nam aliunde dixerit fortasse quispiam; « Oportebat hortari, ostendendo nos habere Dominum. » Sed hoc quidem cum Græcis nobis est commune; illud vero , Pretio empti estis, nobis est præcipuum. In memoriam enim revocat beneficii magnitudinem, et salutis modum, ostendens nos, cum alienati fuissemus, emptos fuisse, et non simpliciter, sed pretio. « Glorificate et portate Deum in corpore vestro, et in spi»ritu. » Hoc porro dicit ut non corpore solum fugiamus fornicationem; sed etiam in spiritu animæ nihil mali cogitemus, nec gratiam abigamus. « Quæ sunt Dei. » Quia enim dixit, « Vestro, » ideo adjicit, « Quæ sunt Dei; » sæpe nobis in memoriam revocans omnia Domini esse, corpus, animam et spiritum. Enimvero quidam dicunt illud, « In Spiritu, » dici quasi in charismate. Nam si illud in nobis fuerit, Deus glorificatur : erit autem, si cor mundum habeamus. Dei autem illa esse dixit; non modo quia illa produxit; sed quia abalienata, secundo rursus acquisivit, pretium ponens sanguinem Filii. Vide quomodo in Christo totum perfecit : quomodo nos in cœlum adduxit. « Mem-

[1] 1 Cor. VI, 20. — [2] Ibid.

bra estis Chriti, inquit, templum estis Spiritus. Ne ergo sitis membra meretricis. Non enim corpus vestrum contumelia afficitur : neque corpus vestrum est; sed Christi. » Hæc porro dixit, simul benignitatem ejus ostendens, quod corpus nostrum sit suum, et ut a maligna potestate nos eripiat. Nam si alienum est corpus, non potestatem habetis alieni corporis contumelia afficiendi, inquit, maxime vero cum sit Dominicum, neque templum Spiritus inquinandi. Si quis enim privatam domum ingressus, petulanter egerit in illa, extremas dabit pœnas : qui templum regis receptaculum latronis fecerit, cogita quanta passurus sit mala. Hæc ergo cogitans, inhabitantem reverere : is enim est Paracletus. Time illum qui tecum complicatus est et tibi adhæret : Christus enim est : num tu membrum Christi te ipse fecisti? Sic cogita et castus mane : Cujus essent membra et cujus facta sint. Meretricis antea membra erant, et Christus fecit illa membra sui corporis. Non ergo illa nunc in potestate habes. Illi servias qui te liberavit. Non enim si filiam haberes et eam præ stultitia mercede locasses lenoni, ut fornicaretur; deindeque filius regis transiens, a servitute liberatam uxorem duxisset, penes te esset postea illam in prostibulum ducere. Semel enim dedisti et vendidisti. Res nostra sic habet; carnem nostram mercede conduximus diabolo gravi lenoni. Videns Christus eripuit illam et liberavit a tyrannide illa acerba. Non est ergo jam nostra, sed liberatoris. Si velis uti illa tanquam regis sponsa, nemo prohibet; sin ad priora duxeris, eadem patieris, quæ par est pati contumeliosos. Ideo potius illa est exornanda, quam probro afficienda. Neque enim potentiam carnis habes in pravis concupiscentiis; sed in iis solis quæ Deus præceperit. Cogita ergo a quanta illam contumelia liberavit Deus. Quavis enim meretrice turpior prostabat antea natura nostra. Nam latrocinia, ho-

micidia, et quævis iniqua cogitatio in illam ingrediens, cum anima concumbebat; parva vilique mercede præsentis nempe voluptatis. Anima quippe commixta cum malis cogitationibus et actibus, hanc solum percipiebat mercedem.

III. Sed hæc quidem antea fieri grave cum esset, non tam grave erat. Post cœlum autem, post regnum, postquam tremenda perceperis mysteria, rursum inquinari, quam habebit veniam? Annon existimas cum avaris et aliis omnibus, quos enumeravit, ipsum accumbere diabolum? mulieres autem ad libidinem ornatas, non censes cum illo commisceri? Ecquis huic sermoni contradixerit? Quod si quis sit contentiosus, exuat animam mulierum, quæ se adeo indecore gerunt, et videbit malignum illum dæmonem cum illis valde complicari et commisceri. Difficile enim est, dilecti, difficile est, imo fortasse impossibile, ut sic ornato corpore, simul quoque ornetur anima; sed necesse est alterum negligere eum qui alterius curam habet. Neque enim ex natura sua hæc simul esse possunt. Ideo ait: « Qui adhæret meretrici, est unum corpus: qui autem » adhæret Domino, unus spiritus est. » Ille namque tandem spiritus efficitur, licet corpore sit circumdatus. Quando enim nihil corporeum, nihil crassum, nihil terrenum circa ipsum fuerit, simpliciter corpore circumdatur: cum totus principatus sit animæ et spiritus, sic glorificatur Deus. Quamobrem in oratione dicere jubemur, « Sanctificetur no- » men tuum[1]; » et Christus ait: « Luceat lux vestra coram ho- » minibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Pa- » trem vestrum qui in cœlis est[2]. » Sic ipsum glorificant etiam cœli, non vocem emittentes, sed per aspectum admirationem commoventes, et gloriam Creatori referentes. Sic glorificemus illum et nos; imo magis quam illi; possumus enim si velimus. Neque enim ita cœlum, et dies et nox Deum

[1] Matth. VI, 9. — [2] Id. V, 16.

glorificat, ut anima sancta. Sicut enim quis cœli pulchritudinem respiciens dicit : « Gloria tibi Deus : quale opus fecisti ? » et viri virtutem intuens, imo hic multo magis. Ab illis namque creaturis non omnes Deum glorificant; sed etiam multi illa automata esse dicunt. Alii vero dæmonibus attribuunt mundi creationem et providentiam, quod peccatum vix veniam admittat. Circa virtutem autem hominis, nemo sic impudenter agere poterit ; sed omnino glorificabit Deum, dum videt eum qui Deo servit sancte viventem. Quis enim non obstupescet, quando quispiam, homo cum sit, communisque naturæ particeps, in mediisque versans hominibus, sicut adamas, non convertitur ad passionum agmen? cum inter ignem et ferrum et feras versans adamante fortior est, et per pietatis verbum rationemque omnia superaverit? quando probris afficitur, et benedicit? quando male audit, et laudat? quando molestia ei creatur, et ille orat pro iis qui secum inique agunt? quando insidiis appetitur, et ipse beneficia præstat insidiatoribus et adversariis? Hæc et similia magis quam cœli glorificant Deum. Græci namque cœlum videntes, non pudore afficiuntur; sanctum autem virum videntes accurate philosophiam exhibentem, pudore suffunduntur seseque damnant. Cum enim is, qui ejusdem naturæ consors est, ita superior illis est, et multo magis, quam cœlum terram superat ; vel inviti cogitant, quamdam divinam virtutem hæc operari. Ideo ait : « Et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Vis et aliunde discere, quomodo a servorum suorum vita glorificetur Deus, quomodo etiam a miraculis? Immisit aliquando Nabuchodonosor tres pueros in fornacem. Deinde quia vidit ignem non illos superare, ait : « Benedictus Deus, » qui misit Angelum suum, et eripuit pueros suos a fornace, quia confiderunt in eum : et verbum regis mutaverunt[1]. »

[1] Dan. III, 95.

Quid dicis? contemptus fuisti, et miraris eos qui respuerunt? Etiam, inquit, et propter hoc ipsum quod contemptui habitus sim; et miraculi hanc statuit esse causam. Itaque non propter signum tantum tunc gloria Deo fuit, sed propter propositum eorum qui illo injecti sunt. Quod si quis hoc et illud per se examinet, non hoc illo minus est. A fornace enim liberasse, non est majus ad rationem miraculi, quam animis persuasisse ut ingrederentur in fornacem. Quomodo enim non dignum stupore fuerit, cum rex orbis, tam multis armis circumseptus, exercitus habens, duces, toparchas et consules, terræ et mari imperans, a pueris captivis despicitur, et vincti vincientem superant, et totum ipsius vincunt exercitum? non enim potuerunt, id quod voluerunt rex et clientes ejus, qui et hæc et fornacis copiam habebant, sed nudi, servi, exteri pauci: quid enim tribus paucius sit? immensum exercitum vincti profligarunt. Jam enim mors despiciebatur, quia adventurus erat Christus; et sicut jam orituro sole, antequam radii appareant, splendida efficitur lux diei, sic etiam venturo justitiæ Sole, mors tandem cedebat. Quid illo theatro splendidius fuerit? Quid victoria clarius? quid novis tropæis insignius?

IV. Hoc fit etiam nostro tempore. Et nunc rex est Babylonicæ fornacis, nunc etiam fornacem accendit illa graviorem: est etiam qui nunc illam jubet admirari imaginem. Adsunt ipsi et satrapæ et milites et musica demulcens. Multique illam imaginem admirantur, variam, magnam. Tale enim quidpiam est avaritia, quale imago illa, ne ferrum quidem despiciens; sed ex dissimilibus composita rebus, omnia admirari jubens, æs, ferrum, et quæ sunt illis admodum viliora. Sed quemadmodum hæc sunt; ita etiam nunc sunt puerorum illorum imitatores qui dicunt: « Diis tuis non servimus, et imaginem tuam non adora-

» mus[1]; sed et paupertatis fornacem sustinemus, et aliam omnem miseriam pro Dei legibus. Et illi quidem qui multa habent, ut et veteres illi; hanc sæpe adorant et comburuntur; qui vero nihil possident, hanc despiciunt, et in paupertate versantes, in rore magis deliciantur, quam illi qui in rerum copia vivunt. Sicut et tunc quoque, qui injecerunt combusti sunt; qui autem in medio erant, ceu in aqua et rore versabantur. Tyrannus autem ille tunc magis a flamma urebatur, ira vehementius illum incendente, quam pueri illi incenderentur. Nam illorum ne summos quidem capillos potuit ignis tangere; hujus autem mentem igne vehementius ira incendit. Cogita enim quantum illud esset, in tam multorum conspectu, a pueris captivis ipsum contemni. Tunc enim ostendit se illorum urbem cepisse, non vi sua, sed propter multorum peccata. Nam si vinctos non potuit superare, etiamque in fornacem injectos, quomodo illos lege belli superasset, si omnes tales fuissent? Unde manifestum est multorum peccata urbem tradidisse. Vide autem quam a vana gloria alieni pueri essent. Non enim insilierunt in fornacem; sed jam olim Christi præceptum servabant dicentis: « Orate ne intretis in tentatio- » nem[2]. » Neque fugerunt quando ducti sunt; sed steterunt in medio fortiter: neque non vocante decertantes, neque vocante molles et ignavi; sed ad omnia parati et strenui, omnique fiducia pleni. Audiamus enim quid dicant, ut inde eorum philosophum sensum ediscamus: « Est Deus in » cœlis potens eripere nos[3]. » Non enim de se sunt solliciti; sed mox comburendi, de gloria Dei solliciti sunt. Ut enim, nobis combustis, Deum non damnes imbecillitatis, jam tibi totum dogma nostrum accurate annuntiamus. Est Deus in cœlis, non talis qualis hæc imago in terra, inanimata et muta; sed qui possit ex media fornace ardenti eripere.

[1] Dan. III, 18. — [2] Matth. XXVI, 41. — [3] Dan. III, 27.

Ne itaque illum damnes imbecillitatis, quod nos sinat in eam incidere; tam potens est, ut postquam inciderimus, nos a flamma eripere possit; et si non faciat, notum sit tibi, o Rex, quod diis tuis non servimus, et auream quam posuisti statuam non adoramus. Video eos certo consilio et dispensatione non nosse futurum. Si enim scivissent, admirandi non fuissent hæc facientes. Quid enim mirum, si pignora salutis habentes, gravia illa audacter adiissent? Sed glorificaretur quidem Deus, qui potuisset eripere ex fornace, ipsi vero non admirabiles fuissent, utpote qui non in pericula se ipsos conjecissent. Ideo permisit ut ipsi quod futurum erat ignorarent, ut magis eos glorificaret. Et sicut ipsi confirmabant regem, ut ne Deum imbecillitatis damnaret, si ipsi combusti fuissent; ita et Deus utrumque præstitit, et potentiam suam ostendit, et puerorum animum præclariorem effecit. Undenam ergo illis hæc dubitatio, ut non confiderent se salvos exituros esse? Quod se viliores omnino esse putarent, et tali beneficio indignos. Quod autem non ex conjectura hoc dicam, in fornacem conjecti, lamentabantur hæc dicentes; « Peccavimus, in» juste egimus[1] : non licet nobis os aperire. » Propterea dicebant : « Et si non. » Si enim non clare dicebant : « Po» test nos Deus eripere; » si autem non eripuerit, propter peccata nostra non eripiet, ne mireris : visi enim essent apud Barbaros peccatorum suorum obtentu Dei imbecillitatem obtegere. Propterea cum de ejus potentia tantum locuti essent, causam non ponunt. Alioquin recte eruditi erant Dei judicia non curiose inquirere. Cum hæc ergo dixissent, in ignem ingressi sunt, nec regem contumelia affecerunt, neque statuam evertere. Virum enim fortem talem esse oportet, moderatum et mansuetum, maxime in periculis, ut ne videatur ex ira et vana gloria talia adire

[1] Dan. III, 29. — [2] Ibid. 17.

certamina, sed ex fortitudine et temperantia. Nam qui contumelia afficit, in suspicionem illorum criminum venit : qui vero sustinet et trahitur, ac cum mansuetudine decertat; non modo ut fortis in admiratione habetur; sed etiam ob moderationem et mansuetudinem non minus celebratur. Id quod et ipsi tunc fecerunt, cum et fortitudinem et mansuetudinem omnem exhibuerunt : nec quidquam fecere propter mercedem et præmium. « Et si noluerit, inquiunt, nos eripere, diis tuis non servimus; jam enim remunerationem habemus, ut digni habiti, quid ab impietate liberaremur, et quod propterea corpora cremarentur. » Et nos igitur habentes jam mercedem; nam habemus, digni habiti qui illum cognosceremus, et qui membra Christi efficeremur; ne faciamus illa membra meretricis. In hoc enim tam horrendo dicto finienda est oratio : ut validum habentes comminationis timorem, maneamus auro puriores hoc metu redditi. Sic enim poterimus a fornicatione erepti Christum videre. Quem utinam cum fiducia videamus in illo die, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

CAPUT VII.

De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat[1].

I. Postquam gravissima tria correxit vitia, unum quidem quod divelleretur Ecclesia; secundum autem fornicatoris, tertium avari; deinde mitiore usus est oratione, et admonitionem consiliumque interponit de matrimonio et de virginitate, a molestioribus auditorem ad quieta ducens. In secunda autem Epistola contrarium facit. Incipit enim a mitioribus, desinit autem in tristiora. Hic vero postquam de virginitate sermonem perfecit, rursus exit ad ea quæ magis pungunt ac feriunt, non omnia continenter ponens; sed sermonem in utroque varians, ut tempus exigebat, necnon præsentium rerum usus. Ideo ait: «De quibus autem »scripsistis mihi.» Scripserant autem ei an oporteret ab uxore abstinere, annon. Et ad ea rescribens, et de matrimonio legem ferens, sermonem de virginitate inducit: « Bonum est homini mulierem non tangere. » Nam si, inquit, quod bonum est et admodum excellens quæris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem; si quod tutum est, et quod infirmitatem tuam juvet, matrimonio utere. Quia autem verisimile erat, ut etiam nunc solet, virum velle, mulierem vero non item; vel etiam

[1] 1 Cor. VII, 1, 2.

contra, vide quomodo de utroque disserat. Et dicunt quidam, hoc ab illo dictum sacerdotibus fuisse. Ego vero ex iis quæ sequuntur rem examinans, non dixerim rem ita se habere : neque enim universe admonitionem constituisset. Si autem sacerdotibus tantum hæc scripsisset, dixisset sane : « Bonum est doctori uxorem non tangere. » Nunc autem universim hoc posuit : « Bonum est homini, » dicens, non tantum sacerdoti. Et rursus, « Solutus es » ab uxore? noli quærere uxorem [1]. » Non dixit, « Tu sacerdos et doctor; » sed indefinite : et totus omnino sermo sic procedit. Et cum dixit : « Propter fornicationes unus- » quisque suam uxorem habeat, » ex ipsa concessionis causa ad continentiam duxit. « Uxori vir debitum reddat; simi- » liter et mulier viro [2]. » Quid est autem debitus honor? Mulier non habet potestatem sui corporis : sed et ancilla et domina viri est. Si defeceris ab ea quæ convenit servitute, Deum offendis. Si autem abscedere vis, cum vir hoc permiserit, saltem ad breve tempus fiat. Propterea et debitam rem vocavit, ut ostenderet nullum esse sui dominum, sed esse alterum alterius servum. Cum ergo videris meretricem te ad peccatum allicientem, dic : « Non est meum corpus, sed uxoris. » Eadem dicat uxor illis qui castitatem suam violare satagunt : « Corpus meum non est » meum; sed viri. » Si vero nec maritus nec uxor potestatem corporis habent, multo minus pecuniarum. Audite quæcumque maritos habetis, et quicumque uxores. Si enim corpus sibi proprium habere non licet, multo minus pecunias. Alibi certe magnam dat marito prærogativam et in Novo et in Veteri Testamento dicens : « Ad virum tuum » conversio tua, et ipse tibi dominabitur [3]. » Paulus autem sic dividens et scribens : « Viri diligite uxores, uxor autem » timeat virum [4]. » Hic vero non ultra majus aut minus

[1] 1 Cor. VII, 25. — [2] Ibid. 3. — [3] Gen. III, 16. — [4] Ephes. V, 25.

ponit; sed unam potestatem. Quare? Quia de castitate sermo ipsi erat. In aliis quidem prærogativam, inquit, habeat maritus. Ubi autem de continentia agitur, non item : « Vir potestatem sui corporis non habet, neque uxor. » Multa est æqualitas, et nulla prærogativa. « Nolite fraudare » invicem nisi forte ex consensu [1]. » Quid hoc est? Ne se contineat, inquit, uxor marito nolente; neque maritus invita uxore. Quare? Quia magna ex tali continentia oriuntur mala. Nam et adulteria, et fornicationes et domorum eversiones sæpe inde consecutæ sunt. Si enim, cum uxores habeant, fornicantur, multo magis si illos ab hac consolatione privaveris. Et recte dixit, « Nolite fraudare, » fraudem hic et debitum superius appellavit, ut dominium majus ostenderet. Nam invito altero, alterum se continere, illud est fraudare; utroque volente, non item. Non enim si, postquam mihi persuaseris, aliquid ex meis accipias, fraudari me dico. Qui enim ab invito et per vim coacto accipit, ille fraudat. Quod multæ mulieres faciunt; quæ peccatum admittunt justitiam exuperans, et hac ratione libidinis maritorum in culpa sunt, omniaque in dissensionem vertunt. Oportet autem concordiam omnibus anteponere. Quia autem hoc omnibus est præferendum; si placet, id in rebus ipsis examinemus. Sint uxor et maritus, et se contineat uxor nolente marito? Quid ergo si ille hinc ad fornicandum inducatur; aut non fornicetur quidem; sed doleat, turbetur, incendatur, pugnet ac litiget, et innumera uxori negotia exhibeat? Quid lucri ex jejunio et continentia, cum charitas fracta sit? Nihil. Quot enim convicia, quot negotia, quantum bellum necessario oriatur.

II. Cum enim domi maritus et uxor dissident, non melius se habebit domus, quam navis agitata tempestate, gubernatore ab eo qui proram regit dissentiente. Ideo-

[1] 1 Cor. VII, 5.

que ait : « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu » ad tempus : ut vacetis jejunio et orationi. » De oratione cum majori studio facta hic loquens. Si enim orare prohibeat eos qui inter se coeunt, illud, « Sine intermissione » orate, » quomodo locum et tempus habebit? licet ergo et cum uxore consuetudinem habere, et orationi incumbere; sed per continentiam precatio accuratior redditur. Non enim simpliciter dixit, « Ut oretis; » sed, « Ut vacetis, » utpote cum res vacationem præbeat; sed non immunditiam. « Et iterum in idipsum convenite, ne tentet vos Sa- » tanas [1]. » Ne videretur enim rem esse lege constitutam, causam addit. Quænam illa est? « Ne tentet vos Satanas. » Et ut discas non diabolum tantum adulterii causam esse, subjunxit : « Propter incontinentiam vestram. Hoc autem » dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. » Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum, in con- » tinentia [2]. » Hoc sæpe facit quando res difficiles suadet : se in medio ponit et ait : « Imitatores mei estote. Sed unus- » quisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, » alius vero sic. » Quia enim valde illos accusavit dicens, propter incontinentiam vestram, rursus ipsos consolatus est dicens : « Unusquisque proprium donum habet ex Deo [3]; » non hoc declarans, quod hoc recte factum nostro studio non egeat; sed, ut prius dixi, consolans illos. Nam si donum est, et nihil homo ad hoc affert, quomodo dicis? « Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis si sic » permanserint ut ego. Quod si se non continent, nubant [4]. » Vidisti-ne Pauli sapientiam, quomodo et meliorem ostendat esse continentiam, et non cogat eum qui non assequitur, timens ne in lapsum incidatur? « Melius est enim nu- » bere, quam uri [5]. » Indicavit quanta sit concupiscentiæ tyrannis. Hoc autem vult significare : Si vim multam et

[1] 1 Cor. VII, 5. — [2] Ibid. 6, 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8, 9. — [5] Ibid.

æstum pateris, a laboribus et sudoribus te libera, ne forte subvertaris. « Iis autem qui matrimonio juncti sunt » præcipio non ego, sed Dominus [1]. » Quia legem disertis verbis a Christo latam est lecturus, de uxore non dimittenda nisi sit fornicata, propterea dicit, « Non ego. » Nam quæ prius dicta sunt, etiamsi non disertis verbis dicta sint, ipsi tamen ea esse videntur. At hoc quidem ille disertis verbis tradidit : itaque illud, ego; et, non ego, hanc habent differentiam. Ne enim sua esse humana putares, ideo subjunxit : « Puto enim quod et ego spiritum Dei ha- » beam. » Quid est ergo quod Dominus conjugatis præcepit, « Uxorem a viro non discedere? Quod si discesserit, ma- » neat innupta, aut viro suo reconcilietur. Et vir uxorem » non dimittat [2]. » Quia enim et propter continentiam, et propter alios obtentus et dissensiones, divisiones fieri contingebat; melius quidem a principio fuisset, non illa fieri; sed si facta sunt, maneat uxor cum viro, etsi non ad concubitum, tamen ut nullum alium inducat virum. « Cæteris autem ego dico, non Dominus. Si quis frater » uxorem habeat infidelem : et hæc consentit habitare » cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habeat » virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non » dimittat virum [3]. » Quemadmodum enim cum loqueretur de separatione a fornicatoribus, correctione quadam rem difficilem reddidit dicens : « Et non utique a fornicatoribus hujus mundi; » sic et hoc loco magnam providit esse facilitatem : si quis, aut uxor virum aut vir uxorem, habeat infidelem, ne dimittat eam? Quid dicis? si quidem infidelis sit, maneat cum uxore; si fornicator, non item. Atqui minus est peccatum fornicatio; sed Deus tuis rebus valde parcit. Hoc etiam in sacrificio facit dicens : « Dimitte sa- » crificium, et reconciliare fratri tuo [4]. » Ita etiam illum,

[1] I Cor. VII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12, 13. — [4] Matth. V, 24.

qui decem millia talenta debebat sibi, non punivit; conservum autem centum denarios exigentem supplicio affecit. Deinde, ne timeret mulier, ne propter coïtum esset immunda, dicit : « Sanctificatus est enim vir infidelis per » mulierem, et sanctificata est mulier infidelis per virum[1]. » Atqui si is qui meretrici adhæret, unum corpus est, palam est eam quæ idololatræ adhæret, unum corpus esse : unum quidem est corpus; at non fit immunda : sed vincit munditia mulieris viri immunditiam; vincit quoque munditia viri fidelis immunditiam mulieris infidelis.

III. Cur ergo hic victa est immunditia, ideoque concubitus permittitur; in muliere autem adultera non crimini datur viro cum illam ejicit? Quia hic spes est fore ut per matrimonium pars illa quæ peribat salutem consequatur; illic vero matrimonium jam solutum est. Et illic quidem ambo corrumpuntur, hic vero alterius crimen est. Exempli causa : quæ fornicata fuit, execranda certe est. Si ergo qui adhæret meretrici, unum corpus est, et impurus ille fit qui cum meretrice miscetur; ideo certe tota munditia avolat. Hic autem non sic; sed quomodo? Immundus est idololatra; sed mulier non est immunda. Nam si consors ipsi esset in illa re secundum quam immundus est, in impietate, inquam, ipsa quoque immunda foret. Nunc autem alio modo immundus est idololatra; in alia autem re ipsi jungitur uxor, in qua ille immundus non est. Connubium enim est et corporum mixtio, hujusmodi societas. Ad hæc vero spes est illum ab uxore revocatum iri, cui adhæret. Ille autem alius non ita facile (curabitur.) Quomodo illa uxor, quæ ipsum prius dedecore affecit, et alteri se dedidit, juraque matrimonii abolevit, injuria affectum revocare poterit; cum maxime ille quasi peregrinus maneat? Præterea autem post fornicationem maritus non est ultra ma-

[1] 2 Cor. VII, 14.

ritus. Hic autem mulier, licet idola colat, viri jus non amittit : nec sine causa cum infideli habitat, sed ipso volente. Ideoque dixit : « Et ipse consentit habitare cum illa. » Quid enim, quæso, detrimenti fuerit, cum ea quæ ad religionem spectant integra maneant, et de infideli bona spes sit, si conjugati simul maneant, nec superflui belli occasio inducatur? Neque enim hic loquitur de iis qui nondum juncti sunt, sed de conjugatis. Non enim dixit : « Si quis velit accipere infidelem ; » sed, « Si quis habet infidelem ; » id est, si quis, postquam connubio junctus fuerit, accipiat verbum piæ religionis ; deinde pars altera manserit in infidelitate, velitque tamen una habitare, ne separetur. Sanctificatur enim, inquit, vir infidelis per uxorem. Tanta est munditiæ tuæ copia. Quid ergo? sanctus-ne est gentilis? Nequaquam : non enim dixit : « Sanctus est ; » sed, « Sanctificatus est per uxorem. » Hoc porro dixit, non ut sanctum illum declararet ; sed ut hinc magis uxoris metum depelleret, ipsumque ad veritatis desiderium induceret. Non enim in corporibus conjugatis est immunditia ; sed in libero arbitrio et cogitationibus. Hinc sequitur probatio. Si enim immunda manens gignis ; infans autem non est ex te sola ; immundus ergo est infans, aut ex dimidia parte mundus. Nunc autem non est immundus. Ideoque subjungit : « Alioquin filii vestri immundi essent [1] ; » nunc autem sancti sunt, id est, non immundi. Ille vero sanctos ipsos vocavit, ut vi verborum hujusmodi, suspicionis metum eliminaret. « Si autem infidelis discedit, discedat [2]. » Hic enim nulla est fornicatio. Quid sibi vult autem illud : « Infidelis si discedit aut separatur? » Verbi gratia, si te jubet sacrificare aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere ; melius est disrumpi connubium, quam piam religionem. Quapropter subdit : « Non enim servi-

[1] 1 Cor. vii, 14. — [2] Ibid. 15.

» tuti subjectus est frater aut soror in ejusmodi rebus [1]. » Si quotidie ea de causa pugnet et bellum moveat, melius est separari. Hoc enim subindicat cum dicit : « In pacem » autem vocavit nos Deus [2]. » Ille enim causam præbuit, ut is qui fornicatus est. « Quid enim scis, mulier, si virum » salvum facies? » Hoc refertur ad illud, « Ne dimittat ipsum. » Nam si turbas non movet : mane, inquit ; hinc enim lucrum refertur; mane, hortare, consilium dato et persuade. Nullus enim doctor tantum poterit, quantum uxor. Neque imponit illi necessitatem, neque rem ab illa exigit, ne gravius onus imponat, jubetque ne desperet; sed rem in futuro incertam et suspensam relinquit, dicens : « Quid » enim scis, mulier, si virum salvum facies? Aut quid scis, » vir, si mulierem salvam facies? » Et rursum : « Nisi uni- » cuique sicut divisit Deus : unumquemque sicut vocavit » Dominus, ita ipse ambulet. Circumcisus vocatus est ali- » quis? non adducat præputium. In præputio aliquis vo- » catus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et » præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea perma- » neat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ [3]. » Hæc ad fidem nihil conferunt, inquit. Ne ergo contendas, neque turberis. Fides enim hæc omnia ejecit. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Uxorem habens infidelem vocatus es? mane cum illa : ne propter fidem ejicias uxorem. Servus vocatus es? ne sit tibi curæ : servus mane. Præputium habens credidisti? cum præputio mane : circumcisus credidisti, mane circumcisus. Hoc enim sibi vult illud : « Unusquisque sicut divisit Deus. » Hæc quippe non sunt impedimenta ad pietatem. Tu cum servus esses vocatus es; alius uxorem habens infidelem; alius circumcisus.

[1] 1 Cor, VII, 15. — [2] Luc. VII, 15. — [3] Ibid. 16-21.

IV. Papæ! ubinam servitutem posuit? Ut nihil juvat circumcisio, nihilque nocet præputium, sic neque servitus, neque libertas. Utque illud longe clarius ostendat, ait : « Sed si potes fieri liber, magis utere; » hoc est, magis servias. Et cur eum, qui possit liber effici, jubet servum manere? Ut ostendat servitutem nihil lædere, imo prodesse. Neque ignoramus quosdam esse qui illud, « Magis utere, » de libertate dictum esse putent, dicentes : « Si potes, libertatem adipiscere. » Sed Pauli scopo valde oppositum esset hoc dictum, si hoc subindicaret. Neque enim ille dum servum consolatur, dicitque ipsum nihil lædi, juberet eum libertatem adipisci. Diceret enim fortasse quispiam : « Quid igitur si non possim? an injuria vel damno afficior? » Non hoc ergo dicit; sed ut supra explicavi, ostendere volens nihil plus accedere si liber efficiatur, ait : « Etiamsi penes te esset, ut libertatem acciperes, servus potius maneto. » Deinde causam subjungit : « Qui » enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : » Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi[1]. » In iis enim quæ ad Christum spectant, inquit, ambo sunt pares : similiter et tu Christi servus, similiter herus tuus. Quomodo ergo servus, est libertus? Quia liberavit te, non tantum a peccato, sed etiam ab externa servitute, dum manes servus. Neque enim servum sinit esse servum, neque hominem manentem in servitute. Hoc enim mirabile est. Et quomodo servus liber est, manens servus? Quando ab animi morbis et affectibus liberatur. Quando divitias contemnit, iram cæterosque animi motus. « Pretio » empti estis : nolite fieri servi hominum[2]. » Hoc dictum est, non servis modo, sed etiam liberis. Potest enim qui servus sit, non esse servus, et qui liber, servus esse. Et quomodo qui servus est, servus non sit? Quando propter

[1] 1 Cor. VII, 22. — [2] Ibid. 23.

Deum omnia fecerit, quando non simulate egerit, quando non ad oculum servierit : hoc est hominibus servire, et esse liberum. Et quomodo rursum liber cum sit quispiam, servus efficitur? Quando apud homines malum obit ministerium, aut propter gulam, aut propter pecuniarum cupiditatem, aut propter potentiam. Nam qui talis est, etsi liber, servis omnibus demissior est. Hæc ambo considera. Servus erat Joseph, sed non hominum servus : ideoque in servitute liberorum omnium liberrimus erat. Heræ itaque non cessit, ad cupidinem suam famulum impellenti. Rursum illa libera erat, sed servis omnibus demissior, quæ famulo adulabatur ipsumque provocabat : sed libero non persuasit ut id faceret quod nollet. Non ergo servitus illa erat, sed suprema libertas. Quid enim illi ad virtutem impedimento fuit servitus? Audiant servi et liberi. Quis servivit, qui rogatus est, an quæ rogavit? quæ supplicavit, an qui supplicantem despexit? Sunt enim termini servis a Deo positi : et quousque eos modum servare oporteat statutum est in legibus, quas prætergredi non licet. Cum enim herus nihil præcipit quod Deo displiceat, tunc obsequi et parere illi oportet; ulterius autem minime. Sic enim servus liber efficitur. Si ultra procedas, etiamsi liber sis, servus effectus es. Hoc itaque subindicat cum dicit : « Nolite fieri servi hominum. » Si autem non ita sit, et si jussit heros relinquere, et pro assequenda libertate contendere, quomodo hortabatur dicens : « Unusquisque in hoc maneat, in quo vocatus » est[1] ? » Et alibi : « Quicumque sunt sub jugo servi, domi» nos suos omni honore dignos censeant, et non despiciant » qui fideles habent dominos, quia fratres sunt qui benefi» cium consequuntur [2]. » Et Ephesiis atque Colossensibus scribens eadem ipsa præcipit et statuit. Unde palam est

[1] 1 Cor. VII, 24. — [2] 1 Tim. VI, 1, 2.

illum hanc servitutem non tollere, sed eam quæ per vitia etiam liberos invadit, quæ est gravissima, etiam si quis liber ipsi serviat. Quid enim lucrati sunt Josephi fratres liberi cum essent? Annon erant omnibus servis seriliores, qui apud patrem mentirentur, et mercatoribus falsa narrarent, ut etiam fratri? At non talis erat liber ille, sed ubique et in omnibus verax : nihilque illum in servitutem redigere potuit, non vincula, non ipsa servitus, non heræ amor, non quod in aliena terra esset. Sed ubique liber mansit. Hoc enim maxime libertas est, quando ea in servitute quoque fulget.

V. Talis res est christianismus; in servitute libertatem elargitur. Ac sicut corpus, quod ex natura facile vulneratur, tunc invulnerabile ostenditur, cum excepto telo nihil grave patitur; sic qui vere liber est, tunc talis apparet quando etiam cum heros habet, non in servitutem redigitur. Ideo jubet illum servum manere. Si autem fieri non potest ut cum sit servus, sit Christianus qualem esse oportet, magnæ imbecillitatis piam religionem accusabunt Græci; quod si discant illam nihil a servitute lædi, prædicationem mirabuntur. Nam si neque mors nobis nocet, neque flagella, neque vincula, multo minus servitus, ignis, ferrum, mille tyrannides, morbi, paupertas, feræ, et sexcenta his graviora fideles non læserunt, imo potentiores fecerunt. Et quomodo servitus nocere poterit? Non ipsa servitus nocet, dilecte, sed peccati servitus quæ vere talis est. Si hanc non subeas servitutem, confide et lætare : nullus tibi nocere poterit, ut qui mores habeas ab omni servitute liberos. Si vero peccati servus sis, etiam si millies liber fueris, nihil tibi libertas illa prodest. Quæ enim utilitas, quæso, si homini quidem non servias, sed animi morbis te subjicias? Homines quippe sæpe parcere sciunt, illi vero domini nunquam tua pernicie satiantur,

Homini servis? Sed herus quoque tibi servit, qui alimentum tibi ministrat, valetudinem tuam curat, vestes, calceos et alia omnia suppeditat. Neque ita tu times, ut ne dominum offendas, ut ille curat ne quid tibi ex necessariis desit. At ille accumbit, tu vero stas. Et quid hoc? Neque id apud illum tantum observatur; sed etiam apud te. Sæpe namque te recumbente et suaviter dormiente, ille non modo stat, sed etiam mille pœnis afficitur in foro, et molestius quam tu vigilat. Quid ergo tantum passus est Joseph ab hera, quantum illa a concupiscentia sua? Hic enim quæ illa jubere voluit, non fecit. Illa vero quæ domina ejus libido imperavit, omnia fecit: neque prius destitit, donec eam dedecore affecit. Qualis herus talia imperat? Qualis immanis tyrannus? Roga, inquit, servum tuum, adulare emptitio, supplica captivo: etiamsi respuerit, rursus insta, etiamsi sæpius dixeris, et ille non assensus fuerit, observa solitudinem, et vim facito, et te risu dignam præbe. Quid ignominiosius, quid turpius hisce verbis? Si autem ne ita quidem aliquid perfeceris, illum calumniare, et decipe conjugem. Vide quam illiberalia, quam turpia præcepta sint, quam immitia, quam sæva, quam furiosa. Quid tantum præceperit herus quivis, quantum lascivia tunc præcepit regiæ mulieri? Attamen non ausa est non obsequi. Joseph vero nihil tale passus, sed contraria omnia, quæ gloriam et honorem afferrent. Vis alium videre virum, cui sæva domina multa imperavit, nec ausus est ille non obsequi? Caïnum cogita; quanta nempe ab invidia jussa acceperit. Ut fratrem occideret imperavit, ut Deo mentiretur, patrem dolore afficeret, impudenter ageret: et omnia executus est, ac nihil prætermisit. Ecquid miraris si hæc domina tantam vim habeat in uno, quæ integros sæpe populos perdidit? Judæos certe Madianitarum mulieres vinctos et fere captivos ab-

duxerunt, cum formæ suæ concupiscentia illos omnes allexere. Hanc itaque servitutem ejiciens Paulus, dicebat : Ne sitis servi hominum ; id est, ne obsequamini hominibus absurda imperantibus ; imo ne vobis quidem ipsis. Deinde cum mentem erexisset, sublimemque fecisset, ait : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo : » consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus » a Domino, ut sim fidelis[1]. » Recto ordine procedens de virginitate deinceps mentionem facit. Postquam enim eos de continentia locutus exercuit et composuit, ad id quod majus est egreditur : præceptum, inquit, non habeo ; sed bonam rem esse puto. Quare ? Eadem de causa, quam de continentia posuit. « Alligatus es uxori ? Noli quærere so- » lutionem. Solutus es ab uxore ? Noli quærere uxorem[2]. » Hæc non sunt repugnantis prioribus ; imo valde iis assentientis. Nam et illic ait : « Nisi forte ex consensu ; » hic vero dicit : « Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem. » Hoc porro contrarium non est. Nam quod præter mentem est et voluntatem, est solutio. Si autem continuerint ex utriusque consensu, non est solutio.

VI. Deinde ne hoc videatur lex esse, subjunxit : « Si » autem acceperis uxorem, non peccasti[3]. » Sub hæc præsentium causam affert, instantem necessitatem, tempus contractum, et tribulationem. Multa namque connubium secum trahit, quæ et hic subindicavit, et in sermone de continentia : illic quidem dicens mulierem non sui potestatem habere ; hic autem. « Solutus es. Si autem uxorem » acceperis, non peccasti : » non de ea loquens quæ virginitatem elegit ; ipsa enim jam peccavit. Nam si viduæ in crimen vocantur, cum secundas nuptias contraxerint, si semel elegerint viduitatem ; multo magis virgines. « Tribu- » lationem tamen carnis habebunt hujusmodi[4]. » Atqui

[1] 1 Cor. VII, 25. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid.

etiam voluptatem, inquies. Sed vide quomodo illam temporis brevitate contraxerit, dicens : « Tempus breve est : » id est, jubemur peregrinari et excedere domum : tu vero interius curris. Atqui etiamsi nihil molestum haberet matrimonium, ad futura tamen festinare oporteret ; cum autem molestiam secum trahat, quid opus est onus attrahere ? Cur tantam suscipere molem, quando postquam susceperis, ita uti illa oportet ac si non haberes ? Etenim ait : « Qui habent uxores, tanquam non habentes sint [1]. » Deinde cum de futuris quid interposuisset, rursus ad præsens tempus sermonem reducit. Etenim alia sunt spiritualia : illa quippe quæ viri sunt, hæc autem quæ sunt Dei curat; alia vero sunt præsentis vitæ ; illud nempe, « Volo » autem vos sine sollicitudine esse [2]. » Attamen illud quoque in eorum potestatem remittit. Nam qui postquam ostendit id quod est eligendum, rursus cogit, videtur non suis fidere verbis. Quapropter concessione magis ipsos induxit et retinuit dicens : « Porro hoc ad utilitatem ves- » tram dico, non ut laqueum vobis injiciam ; sed ad id » quod honestum est ; et quod facultatem præbeat (sine » impedimento Dominum obsecrandi [3].) » Audiant virgines quod virginitas in hoc non terminetur. Nam quæ res mundi curat, nec virgo fuerit, nec honesta. Cum dixisset enim : « Divisa est mulier et virgo, » hanc differentiam posuit, et qua in re discrepent dixit. Ac cum definitionem dedit virginis et non virginis, non nuptias, non continentiam dixit, sed sollicitudinis vacuitatem et magnam sollicitudinem. Non enim coïtus malus est, sed impedimentum ad philosophiam malum. « Si quis autem turpem se » videri existimat super virgine sua [4]. » Hic videtur quidem de matrimonio loqui ; totum autem dicit de virginitate : nam et secundum concedit matrimonium, tantum « In Domino. »

[1] 1 Cor. VII, 29. — [2] Ibid. 32. — [3] Ibid. 35. — [4] Ibid. 36.

Quid est illud, « In Domino? » Cum castitate, cum honestate. Hac enim ubique est opus, ipsamque insequi oportet : alioquin ne licet quidem Deum videre. Si autem præterivimus ea quæ dicenda erant de virginitate, nemo nos negligentiæ condemnet. Librum enim integrum in eam rem edidimus, et cum ibi accurate quantum potuimus illam rem tractaverimus, supervacaneum esse duximus eadem ipsa hic repetere. Quamobrem illo remittentes auditorem, hic illud dicemus, continentiam esse sectandam. Nam ait ille : « Pacem persequimini et sanctificationem : sine qua » nemo videbit Dominum[1]. » Ut ergo eum videre digne mur ; sive in virginitate degamus, sive in primis sive in secundis nuptiis, hanc persequamur, ut regnum cœlorum adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

CAPUT VIII.

De iis autem quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat[2].

I. Necesse est primo dicere quid sibi velit hic locus; sic namque facile intelligetur quod dicturi sumus. Qui enim aliquem accusari videt, nisi prius peccati naturam noscat, quæ dicentur non intelliget. Qua ergo de re tunc Corinthios accusabat? Crimen erat magnum, ac multo-

[1] Hebr. XII, 14. — [2] 1 Cor. VIII, 1.

rum causa malorum. Quale illud? Multi ex illis cum didicissent, non quæ intrant inquinare hominem, sed quæ exeunt: et idola, nempe ligna, lapides et dæmones nec nocere nec juvare posse, sine modo ullo hac perfecta rei cognitione utebantur, et in suum et in aliorum detrimentum. Nam ad idola ingrediebantur, et mensarum ibidem participes erant, hincque magnam inferebant perniciem. Nam qui adhuc idola timebant, nec contemnenda illa esse didicerant, cœnarum hujusmodi participes erant, cum perfectiores viderent idipsum facientes, et hinc maxime lædebantur. Neque enim eadem qua illi mente apposita, sed quasi idolis immolata habebant: et ea res via erat ad idololatriam. Et illi quoque qui perfectiores erant, non levi damno afficiebantur, dum mensis dæmonicis fruerentur. Et hoc crimen erat. Beatus autem vir, ut illud emendaret, non statim vehementi utitur oratione. Nam ex insipientia magis, quam ex malitia id designabatur: quare initio adhortatione magis opus erat initio, quam vehementi increpatione et indignatione. Animadverte igitur ejus prudentiam, quomodo statim admonitionem incipiat: « De iis » autem quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scien» tiam habemus. » Infirmioribus relictis, quod semper facit, valentiores primum aggreditur. Hoc enim etiam in Epistola ad Romanos fecit dicens: « Tu vero quid judicas » fratrem tuum[1]? » Hic enim est qui facilius possit increpationem accipere. Quod hic quoque facit: et primo fastum eorum evacuat, dum quod illi præcipuum putabant et perfectam scientiam, hoc commune esse pronuntiavit: scimus enim, inquit, quod omnes scientiam habemus. Nam si illos altum sapere sinens, primo ostendisset rem esse aliis noxiam, non tantum utilitatis quantum damni attulisset. Ambitiosus quippe animus, cum aliqua re se

[1] Rom. XIV, 10.

ornari putat, etiamsi aliis sit noxia, eam accuratius retinet, ob vanæ gloriæ tyrannidem. Ideo Paulus primo rem ut in se est examinat, ut circa externam sapientiam superius fecit, illam omnino dejiciens. Sed illic quidem id jure faciebat; totum enim reprehensione dignum erat, et facilis res erat : quapropter id non modo supervacaneum, sed etiam prædicationi contrarium esse dixit. Hic autem non liceat ita facere : nam id de quo agebatur scientia erat, et scientia perfecta. Neque ergo eam dejicere tutum erat, nec aliter licebat fastum ex illa conceptum dejicere. Quid ergo facit? Primo illam ostendens esse communem, illorum fastum deprimit. Qui enim magnum quidpiam et pulchrum habent, si soli habeant, magis efferuntur; si vero cum aliis id possidere deprehendantur, non pari tunc modo affecti sunt. Primum igitur hoc commune ostendit, quoniam ipsi putabant id sibi tantum competere. Deinde postquam illud commune fecit : non se solum participem dicit : sic enim illos magis extulisset. Ut si unus tantum habeat se extollit; ita si unum tantum vel alterum ex præcipuis consortem habeat; non minoris rem facit. Ideo non se solum ponit, sed omnes. Non enim dixit : « Ego » scientiam habeo; » sed, « Scimus quod omnes scientiam habemus. » Hoc igitur priore dicto eorum fastum dejecit; secundo autem vehementius. Quodnam illud est? Quod ostendat rem non perfectam, imo admodum imperfectam esse; neque modo imperfectam; sed et noxiam, nisi sit aliud adjunctum. Cum dixisset enim : « Scientiam habemus, » subjunxit; « Scientia » inflat, charitas autem ædificat. » Itaque cum est sine charitate, ad arrogantiam extollit. At neque charitas, inquies, absque scientia aliquid lucri habet. Verum non hoc dixit; sed quod in confesso est relinquens, ostendit hoc illo valde egere. Nam qui diligit, utpote qui præcep-

tum impleat omnium præstantissimum, etiamsi quid ipsi deficiat, cito per charitatem scientia fruetur, ut Cornelius, et alii multi. Qui autem scientiam quidem habet, sed non charitatem; non modo nihil assumet, sed ab illa quam habet excidet, sæpe in arrogantiam labens. Itaque scientia charitatem non parit, imo contra ab ea abscindit eum qui non attendit, dum illum inflat et extollit. Etenim arrogantia dividere solet. Charitas vero conjungit et ad scientiam adducit. Quod significans ille dicebat: « Si quis au» tem diligit Deum, hic cognitus est ab ipso[1]. » Itaque non impedio, inquit, quominus perfecta scientia habeatur; sed ut cum charitate habeatur hoc præcipio: alioquin lucrum nullum, sed detrimentum.

II. Vides-ne quomodo jam viam parat ad sermonem, quem de charitate est habiturus? Nam quia hæc omnia mala hinc accidebant; non autem ex perfecta scientia; sed quod non admodum diligerent, nec rebus proximi parcerent; unde contingebat illos dissidere, efferri, cæteraque omnia evenire, de quibus ille et ante et post hæc redarguit; frequenter de charitate tractat, fontem omnium bonorum puriorem reddens. Quid ergo inflati estis, inquit, de scientia? Si enim charitatem non habueritis, hinc damnum accipietis. Quid enim arrogantia pejus? Si vero illud adsit, etiam hoc in tuto erit. Etiamsi enim aliquid amplius scias, quam proximus, si ames illum, non extolleris, sed ipsum quoque ad hoc deduces. Quamobrem cum dixisset, « Scientia inflat, » addidit, « Charitas autem ædificat. » Non dixit, « Modeste se gerit, » sed aliquid longe majus et utilius. Scientia enim non modo inflabat, sed etiam disjungebat. Ideoque hoc illi opposuit. Deinde tertium quoque ponit, quod illos possit dejicere. Quodnam illud est? Quod etiamsi conjuncta sit charitas, ne sic quidem perfecta sit scientia.

[1] 1 Cor. VIII, 3.

Ideoque subjunxit : « Si quis autem existimat se scire ali-» quid, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire[1]. » Hæc opportune plaga infligitur. Non dico enim, inquit, scientiam communem esse omnibus. Non dico te, qui odio habes proximum, et arrogans es, tibi ipsi maxime nocere. Etiamsi enim solus haberes, etiamsi modeste ageres, etiamsi fratrem diligeres, sic quoque imperfectus esses secundum scientiam. Nondum enim scis quidpiam, ut scire oportet. Quod si nullam adhuc accuratam scientiam habeamus, quomodo quidam in tantam insaniam processerunt, ut dicerent se Deum cum omni accuratione cognoscere : nam etiamsi omnium aliarum rerum accuratam scientiam haberemus, neque sic fieri posset ut hanc etiam haberemus? Quantum enim sit spatium inter Deum et alia omnia, ne dici quidem potest. Et vide quomodo illorum fastum dejiciat. Non enim dixit : « De rebus propositis congruentem scientiam non habetis ; » sed de re qualibet. Neque dixit, « Vos tantum, » sed, « Quicumque sit : » etiamsi Petrus fuerit, etiamsi Paulus, etiamsi quivis alius. Hoc enim dicto illos accurate et consolatus est et repressit. « Si quis autem » diligit Deum, hic ; » non dixit, « Novit eum ; » sed, « Cog-» nitus est ab eo[2]. » Non enim nos ipsum novimus, sed ipse nos novit. Ideo dicebat Christus : « Non vos me elegistis, » sed ego elegi vos[3]. » Et Paulus alibi : « Tunc autem cog-» noscam sicut et cognitus sum[4]. » Perpende igitur quot dictis illorum fastum deprimat. Primo ostendit illos non solos scire ea quæ sciunt ; omnes enim, inquit, scientiam habemus : deinde rem esse noxiam, si sit sine charitate ; nam scientia inflat, inquit. Postea, quod etiamsi sit cum charitate, id non absolutum sit neque perfectum : « Si enim » quis putat se scire aliquid, nondum scit quemadmodum » oportet scire. » Ad hæc vero quod non hoc ex se habeant,

[1] 1 Cor. VIII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Joan. XV, 16. — [4] 1 Cor. XIII, 12.

sed Deo dante ; non enim dixit : « Novit Deum, » sed, « Cog- » nitus est ab eo ; » deinde, quod hoc a charitate fiat, quam non habent ut oporteret. Nam si quis, ait, diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Cum per hæc leniisset illorum tumorem, incipit doctrinam instituere his verbis : « De esca » igitur quæ diis immolatur, scimus quod nullum sit idolum » in mundo, et quod nullus Deus alius, nisi unus[1]. » Vide in quantam angustiam inciderit. Vult enim utrumque probare, quod a tali mensa abstinere oporteat, et quod vim non habeat ad lædendos eos qui sunt ejus participes. Quæ quidem non admodum inter se conveniebant. Nam cum didicissent ea non afferre damnum, ea tanquam indifferentia adituri erant : cum vero impedirentur ne illa tangerent, rursus suspicabantur, quod prohibiti essent quasi illa vim haberent lædendi. Ideo cum idolorum opinionem sustulisset, abstinendi primam causam affert fratrum offendicula, sic dicens : « De esca igitur quæ diis » immolatur, scimus quod nullum sit idolum in mundo. » Rursus ipsum commune facit, nec concedit hoc illorum esse solum, sed extendit cognitionem per totum orbem terræ. Neque enim apud vos tantum, inquit, sed ubique terrarum hoc dogma vim obtinet. Quodnam illud? Quod nullum sit idolum in mundo, et quod non sit Deus alius nisi unus. Non sunt ergo idola? non sunt statuæ? Sunt quidem; sed nullam vim habent : neque dii sunt, sed lapides et dæmones. Ad utrosque enim nunc orationem dirigit, et ad crassiores, et ad eos qui philosophari videntur. Quia enim alii nihil plus sciunt quam lapides, alii vero dicunt virtutes quasdam in illis habitare, quas etiam deos vocant; illis quidem dicit nullum esse idolum in mundo ; aliis vero, non esse Deum in mundo nisi unum.

III. Vides-ne quomodo non frustra dogma constituens

[1] 1 Cor. VIII, 4.

hæc scribat; sed ad differentiam externorum? Nam illud ubique observandum, sive absolute quid dicat, sive aliis obsistens. Neque enim hoc parum nobis confert ad dogmatum accurationem, et ad dictorum intelligentiam. «Nam »etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra; ut »sunt dii multi et domini multi: Nobis tamen unus Deus »Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus »Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum[1]. » Quia dixit nullum esse idolum et nullum Deum alium; erantque tamen idola, et erant qui dii vocabantur; ut revera sunt; neque tamen sunt, sed dicuntur; non in re, sed in verbo hoc habentes. « Sive in cœlo, sive in terra; » in cœlo dicens solem et lunam et reliquum astrorum chorum; nam hæc etiam adorabant gentiles; in terra, dæmonas, et eos ex hominibus qui in deos relati sunt. Sed nobis unus Deus Pater. Cum prius posuisset absque illa voce «Pater,» et dixisset: «Nullus est alius Deus nisi unus;» nunc hoc addit, postquam illos omnino ejecerat. Deinde quod est maximum Divinitatis judicium addit: «Ex quo omnia.» Hoc enim ostendit illos non esse deos. Dii enim, inquit, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant. Deinde quod non minus est adjicit: « Et nos in ipso. » Quando enim dixit, « Ex quo omnia, » creationem memorat, et productionem ex nihilo ad existentiam; cum autem dicit, « Et nos »in ipso,» fidei et conjunctionis verbum profert, quod antea quoque dicebat: « Ex ipso autem et vos estis in Christo »Jesu[2].» Duplici enim ratione ex ipso sumus, et quod cum non essemus, facti simus, et quod fideles facti simus. Nam hoc quoque est creatio: quod etiam alibi, dicit: « Ut duos »crearet in se ipso in unum novum hominem[3]. » Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. Et etiam de Christo similiter hoc cogitandum. Per ipsum

[1] 1 Cor. VIII, 5, 6. — [2] Id. I, 30. — [3] Ephes. II, 16.

enim ex nihilo productum est genus hominum ad existentiam, et ex errore ad veritatem reductus est. Itaque illud, ex quo, non est sine Christo. Ex ipso enim per Christum creati sumus. Neque ergo nomina tanquam sorte distributa divisit, Filio quidem, Dominus; Patri vero, Deus; attribuens. Nam ea quoque solet sæpe mutare Scriptura, ut cum dicit, « Dixit Dominus Domino meo[1]; » et rursus, « Propterea unxit te Deus, Deus tuus[2]; » et, « Ex quibus » Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus[3]. » Et sæpe videris hæc mutata nomina. Si autem essent quasi sorte assignata unicuique naturæ, neque Deus esset Filius, neque Deus, ut Pater, manens Filius; cum dixit, « Sed nobis » unus Deus, » superflua addidisset illud, Pater, volens significare ingenitum. Satis enim fuisset illud, Deus, si ejus solius exhiberet cognitionem, ad id significandum. Non hoc autem solum, sed aliud quoque dici potest. Si enim dixeris, quia Deus unus dictus est, illud, Deus, non convenit Filio; observa quod hoc etiam de Filio dici possit. Etenim Filius, unus Dominus dictus est; neque tamen ideo illud, Dominus, ipsi soli competere dicimus. Quapropter quam vim habet illud, unus, erga Filium, eamdem habet erga Patrem : ac quemadmodum ille non impedit quominus Pater Dominus sit, eo modo quo Filius est Dominus, eo quod Filius unus Dominus dicatur; ita neque Filium impedit quominus sit Deus, eo modo quo Pater est Deus, quod Pater dicatur unus Deus. Quod si quidam dixerint, cur Spiritum non memoravit? Illud dixerimus, ipsum nempe idololatras alloqui, et de diis multis, deque dominis multis esse certamen. Ideo cum Patrem Deum dixisset, Filium Dominum appellavit. Si ergo Patrem non ausus est nunc appellare Dominum cum Filio, ne in suspicionem veniret quod duos diceret Dominos, neque Filium Deum

[1] Psal. cix, 1. — [2] Id. xliv, 8. — [3] Rom. ix, 5.

cum Patre, ne putaretur duos dicere deos; quid miraris, si Spiritum non memoraverit? Adversus illos enim tum concertabat, ut ostenderet non esse apud nos multiplicitatem deorum. Ideo illud, unus, assidue retinet dicens; « Non est Deus alius nisi unus; » et, « Nobis unus est Deus » et unus Dominus. » Unde manifestum est illum, auditorum infirmitati parcentem, hoc arguendi modo usum esse, ideoque Spiritum non memoravisse. Nam si hoc non esset, nec alibi oportuisset Spiritum memorare, neque illum cum Patre et Filio conjungere. Nam si a Patre et Filio esset exclusus, multo magis illum in baptismo cum ipsis conjungere non oportuisset, ubi maxime Divinitatis dignitas apparet, et dona dantur quæ Deo soli dare competit.

IV. Ego igitur causam dixi cur hic silentio prætermissus sit. Tu vero, si res non ita se habet, dic cur in baptismo conjungitur. Sed non aliam possis causam dicere, quam quod sit honore par. Cum ergo nullam talem habet necessitatem, vide quomodo ipsum conjungit, ita dicens: « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et Pa» tris, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus » vobis [1]. » Et rursum, « Divisiones gratiarum sunt, idem » autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem » autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem » autem Deus. » Sed quia nunc adversus Græcos sermo erat, et eos qui Græcis imbecilliores erant, propterea id interim reservatur et tacetur. Id quod etiam Prophetæ faciunt de Filio, quem nusquam aperte nominant, ob auditorum imbecillitatem. « Sed non in omnibus est scientia [2], » inquit. Quænam illa? an ea quæ est de Deo, an ea quæ de iis quæ immolata sunt idolis? Aut certe Græcos hic subindicat, qui dicebant multos esse deos et dominos, nec sciebant Deum qui vere est. Vel etiam eos, qui inter gentiles im-

[1] 1 Cor. XII, 4. — [2] Id. VIII, 7.

beciliores erant, qui nondum clare sciront idola non esse timenda, et nullum esse idolum in mundo. Cum hoc autem dixisset, paulatim illos consolatus est et erexit. Neque enim omnia insectari oportebat, cum maxime illos rursum vehementius esset impeliturus. « Quidam autem cum cons-» cientia idoli usque nunc quasi idolothytum manducant: » et conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur[1]. » Adhuc tremunt, inquit, et metuunt idola. Ne mihi enim præsentem rerum statum dixeris, et quod piam religionem a majoribus acceperis; sed mentem tuam transfer in illa tempora, et cogita, cum modo constituta esset prædicatio, et impietas adhuc regnaret, arderentque aræ et sacrificia, libamina peragerentur, et plures essent gentiles, qui a majoribus impietatem acceperant, a patribus, avis et atavis talibus orti, atque a dæmonibus mala multa passi essent, illos, inquam, repente mutatos, quomodo verisimile erat affici: quomodo timendæ tremendæque erant dæmonum insidiæ: propter quos id subindicando dicebat: « Quidam » autem cum conscientia idolothyti. » Neque enim aperte declarat illos, ne percellat, neque omnino prætercurrit, sed indefinite eorum meminit, dicens: « Quidam autem » cum conscientia idolothyti usque nunc quasi idolothytum » manducant; id est, cum eadem mente qua prius; et » conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, » cum nondum possit despicere, neque omnino illa irridere; sed adhuc in dubio versaturi, ac si quis si tangat mortuum, putet se ipsum polluere, secundum judaïcam consuetudinem; deindeque alios videns tangentes cum pura conscientia, non cum eadem mente tangens, polluereturque; sic et illi tunc erant affecti. « Quidam enim, inquit, cum » conscientia idoli usque nunc. » Non sine causa illud, « Usque nunc, » posuit; sed ut ostendat illos nihil pro-

[1] 1 Cor. VIII, 7.

fecisse non sese accommodantes. Neque enim sic illos inducere oportebat, sed alio modo, verbo et doctrina persuasos. « Et conscientia illorum, cum sit infirma, polluitur. » Nusquam adhuc circa rei naturam verba facit; sed semper et ubique circa conscientiam accipientis versatur. Timet enim ne dum vult infirmum corrigere, fortem perstringat, illumque infirmum reddat. Quapropter non minus huic parcit quam illi. Neque sinit quid simile existimari, sed sermone utitur prolixo, ut ne tale quid in suspicionem veniat. « Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim » si manducaverimus abundamus, neque si non manducaverimus deficimus [1]. » Vides-ne quomodo rursus eorum fastum deprimat? Nam cum dixisset, non modo illos, sed etiam omnes scientiam habere, et neminem scire quemadmodum scire oportet; et quod scientia inflet; deinde cum illos esset consolatus, ac dixisset non in omnibus esse scientiam, et hos pollui propter imbecillitatem; ne dicerent illi: « Et quid ad nos, si non est in omnibus scientia? Cur enim ille talis non habet scientiam? Cur est infirmus? » Ne hæc objicerent, non statim ad claram demonstrationem venit, quod ne lædatur ille, abstinere oporteat: sed primum quadam velitatione adversus illum usus, ostendit id quod est illo majus. Quodnam est hoc? Quod etiamsi nemo læderetur neque proximi perversio metuenda esset; ne sic quidem hoc agendum esset: vanus quippe labor ille esset. Nam qui audivit alium lædi, sed sibi lucrum esse, non multum abstinet; sed tunc magis cum didicerit, nihil se ab ea re juvari. Ideo hoc primum ponit dicens: « Esca autem » nos non commendat Deo. » Vides-ne quantum id vilipendat, quod videbatur a perfecta scientia effici? « Neque » enim si manducaverimus, abundamus; » id est, apud Deum probati sumus, ut quid bonum vel magnum ope-

[1] 1 Cor. VIII, 8.

» rati; « Neque si non manducaverimus deficimus, » id est, minus quid habemus. Interim quidem illud ostendit superfluum et nihil esse. Nam id quod neque si fiat prodest, neque si non fiat nocet, superfluum certe fuerit.

V. Progressus autem totum rei damnum aperit. Nunc autem dicit, id quod fratribus accidit : « Videte enim, in- » quit, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infir- » mis fratribus[1]. » Non dixit quod licentia vestra sit offendiculum, neque id pronuntiavit, ut ne impudentiores illos redderet. Sed quomodo? Videte, terrens illos, ac pudore afficiens, et ad faciendi negationem inducens. Neque dixit: « Hæc vestra scientia, » quod magis laudi esset; neque, « Hæc vestra perfectio : » sed, « Licentia; » quod magis temeritatis, petulantiæ et arrogantiæ esse videbatur. Nec dixit : « Fratribus ; » sed, « Infirmis fratribus, » crimen augens, quod ne infirmis quidem parcant, imo fratribus. Esto enim; non corrigis, neque excitas; cur supplantas et dejicis, cum oporteret manum porrigere? Sed hoc non vis. Ergo ne dejicias. Nam si malus esset, correctione opus haberet; si autem infirmus, medicina. Nunc autem non modo infirmus est, sed etiam frater. « Cum quis enim » te viderit scientiam habentem in idolio recumbentem, » nonne conscientia ejus, cum sit infirmus, ædificabitur ad » manducandum idolothyta[2]? » Cum dixisset : « Videte ne » licentia vestra sit offendiculum, » dicit quomodo hoc fiat, et ubique infirmitatem ponit, ne videatur damnum ex natura rei esse, et terribiles esse videantur dæmones. Nunc enim prope est, inquit, ut omnino deficiat ab idolis. Te autem videns cum illis libenter versantem, rem accipit pro admonitione, et in illa re versatur etiam ipse. Itaque non solum et illius imbecillitate, sed ex intempestivo tuo opere insidiæ oriuntur : tu enim illum infirmiorem reddis. « Et

[1] I Cor. VIII, 9. — [2] Ibid. 10.

» peribit infirmus frater in esca tua, propter quem Christus » mortuus est [1]. » Duo namque sunt quæ te venia privant ob hoc illatum damnum, et quod infirmus, et quod frater sit ; imo tertium quoque additur, quod omnium terribilissimum est. Quodnam illud est ? quod Christus pro illo mori non recusaverit ; tu vero ne quidem ad ejus imbecillitatem te attemperas. Per hæc autem perfectum admonet, qualis ipse prius esset, et quod pro illo etiam mortuus sit. Et non dixit : « Pro quo etiam mori te oportebat ; » sed quod multo majus erat, quod etiam Christus propter ipsum est mortuus. Sic Dominus quidem tuus pro illo mori non recusavit ; tu vero ejus nullam rationem habes, ut nec propter ipsum a scelesta mensa abstineas ; sed sinis ipsum perire post salutem ita partam ; quodque gravissimum est, per escam ? Neque enim dixit : « Propter tuam perfectionem vel propter tuam scientiam, sed propter tuam escam. » Sunt itaque quatuor crimina, illaque maxima, quod et frater sit, et infirmus, et cujus Christus tantam habuit rationem, ut pro illo moreretur ; et quod post hæc omnia propter escam pereat. « Sic autem peccantes in fratres, et » percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum » peccatis [2]. » Vides-ne quam sensim et paulatim peccatum illud ad culmen iniquitatis deduxerit ? Rursusque infirmitatis illorum meminit. Nam quod ipsi pro se esse existimabant, hoc ubique in illorum caput convertit. Neque dixit : « Scandalizantes, » sed, « Percutientes, » ut per dictionis emphasim crudelitatem ostenderet. Quid enim sævius fuerit homine qui ægrum percutiat ? Etenim quovis vulnere gravius est scandalizare, seu offendiculum ponere. Sæpe namque hoc mortem induxit. Et quomodo in Christum peccant ? Uno quidem modo, quia quæ sunt famulorum ut propria sibi attribuit ; secundo quod qui verberantur, ad

[1] I Cor. VIII, 11. — [2] Ibid. 12.

corpus et membra ipsius pertineant ; tertio quod opus suum, per suam cædem propriam ædificatum, ipsi per ambitionem suam diruant. « Quapropter si esca scanda-» lizat fratrem meum, non manducabo carnem in æter-» num [1]. » Hoc tanquam optimus magister cujus est per se docere quæ dicit. Neque dixit : « Sive juste, sive injuste; » sed quomodocumque. Nec dico, inquit, idolo immolatum, quod etiam propter aliam causam est prohibitum ; sed si quid etiam eorum, quæ in potestate et concessa sunt of-fendat, ab illis quoque abstinebo, non uno vel altero die, sed toto vitæ meæ tempore. « Non manducabo enim, in-» quit, carnes in æternum. » Nec dixit : « Ne perdam fra-» trem ; » sed simpliciter, « Ne fratri offendiculo sim. » Etenim extremæ dementiæ fuerit ea quæ Christo ita cordi fuere, et talia ut propter ea mortem elegerit, nos ita parvi facere, ut ne propter illa quidem ab escis illis abstineamus. Hæc porro non illis solum, sed etiam nobis opportune di-cantur, qui proximi salutem despicimus, et satanica illa verba proferimus. Nam dicere : « Quid mihi curæ est, si ille offendatur, et ille pereat? » satanicæ est crudelitatis et inhumanitatis. Atqui tunc quidem illorum imbecillitatis erat quibus hæc offendiculo erant. Apud nos vero non item. Nam illa peccata admittimus, quæ fortibus etiam offendi-culo sint. Cum enim percutimus, rapimus, et avaritiæ stu-demus, liberisque tanquam mancipiis abutimur, cuinam hæc non offendiculo fuerint? Nam ne dixeris, « Ille sutor, iste tinctor est ; » neque dixeris : « Erarius faber alius est. » Sed cogita illum esse fidelem et fratrem. Illorum enim discipuli sumus, piscatorum, publicanorum, taber-naculorum opificum : illius qui in domo fabri nutritus fuit, qui sponsam ejus, matrem habere dignatus est, qui pannis involutus in præsepi recubuit, qui non habebat ubi caput

[1] 1 Cor. VIII, 13.

reclinaret, qui tanta suscepit itinera, ut ex via fessus esset, qui ab aliis nutriebatur.

VI. Hæc cogita, et humanum fastum nihil esse putes. Sed et tabernaculorum opificem et eum qui curru vehitur et mille famulos habet, et foro obvios arcet, fratrem esse existima, imo illum magis quam hunc. Nam ille opportunius frater dicatur, qui magis similis est. Quis ergo similis est piscatoribus ? qui quotidiano alitur opere non habens famulum, neque domicilium ; sed omnium expers? an ille qui tanto fastu circumdatur, et contraria legibus divinis operatur ? Ne ergo despicias illum qui magis frater tuus est. Nam ille magis similis est apostolicæ imagini. At non libenter, sed invitus, inquies : non enim ex animi sententia hoc facit. Undenam hoc ? Non audistis, « Nolite judicare, » ut non judicemini [1] ? » Ut autem discas illum non invitum operari, accede et da illi decies mille auri talenta, et videbis illum hæc recusare. Itaque etiamsi a majoribus divitias non acceperit ; sed et cum accipere liceret, non acceperit, nec suis addiderit, magnum affert indicium quod pecunias despiciat. Nam et Joannes Zebedæi admodum pauperis filius erat ; sed non propterea coactam fuisse dicemus illius paupertatem. Cum ergo videris ligna cædentem, malleo tundentem, fuligine tinctum, ne ideo contemnas, sed ideo mireris. Nam et Petrus succinctus erat, sagenam tractabat et piscabatur post resurrectionem Domini. Ecquid dico Petrum ? Paulus ipse post emensa tanta terrarum spatia, post tot edita miracula, in tentoriorum officina stans, pelles consuebat, et reverebantur eum Angeli, et tremente dæmones formidabant : nec pudebat dicere : « Necessitatibus meis, et iis qui mecum erant, ministra- » verunt manus istæ [2]. » Ecquid dico, non pudebat eum ? In hoc certe ille gloriabatur. Ecquis est, inquies, nunc

[1] Matth. vii, 1.— [2] Act. xx, 34.

Paulo virtute par? Scio et ego nullum esse; sed non ideo contemnendi qui nunc sunt. Nam si propter Christum honores, vel ultimum, sed fidelem, dignus sane est qui honoretur. Etenim si accedentibus duci cupiam et militi, imperatoris amicis, ambobus domum aperueris; per quem magis imperatorem honorare videaris? Plane per militem. Nam dux præter imperatoris amicitiam plurima habet, quæ tibi suadere possunt ut talem illi conferas honorem; miles vero nihil aliud quam imperatoris amicitiam. Ideo claudos, mutilos, et eos qui non possint gratiam referre, ad cœnas et convivia nostra vocare jussit Deus, quia hæc magis proprie propter Deum præstita sunt beneficia. Si vero magnum quempiam et illustrem exceperis, hæc non ita pura est eleemosyna. Sed partem aliquam apud te sæpe sibi vindicat inanis gloria, quod beneficio sis affectus, et propter illum apud multos insignior sis effectus. Multos certe ostendere possim, qui propterea insignioribus sanctorum famulantur, ut per illos apud principes majori fruantur fiducia, ac rebus suis et ædibus utiliores fiant; et a sanctis illis multa hujusmodi exigunt beneficia, quo fit ut illis pereat hospitalitatis merces, quando tali mente accedunt. Et quid opus est hoc de sanctis dicere? Etenim qui a Deo laborum præmia hic quærit, et propter præsentia virtutem adit, mercedem suam minuit. Qui autem integras illic expetit corónas, longe mirabilior evadit, sicut Lazarus ille, qui bona omnia accepit; sicut tres pueri, qui in fornacem mox injiciendi dicebant: « Est Deus in cœlis, » qui possit eripere nos; sin minus, notum sit tibi, rex, » quod deos tuos non colimus, nec statuam auream quam » erexisti adoramus [1]; » sicut Abraham, qui filium suum adduxit et mactavit, et hæc non pro mercede fecit, sed magnam existimans remunerationem, quod Domino obe-

[1] Dan. III, 17, 18.

dîret. Hos et nos quoque imitemur. Sic enim copiosa nobis bonorum retributio veniet, quod tali animo omnia faciamus, et splendidiores assequemur coronas. Quas utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

CAPUT IX.

Non sum Apostolus? Non sum liber? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino[1]?

I. Quia [2] cum dixisset: « Si esca scandalizat fratrem »meum, non comedam carnes in sæculum[3];» quod non fecerat quidem, sed se facturum promiserat, si opus esset; ne quis diceret: Frustra gloriaris, et verbis philosopharis, oreque promittis, quod et mihi et cuivis facile es. Nam si ex animo hæc dicis, reipsa ostende, quid despexeris, ut ne fratri offendiculo esses; ideo cogitur deinceps in horum demonstrationem descendere, ostendereque, quomodo a rebus concessis abstinuerit, nulla lege ipsum cogente. Neque mirum hoc est, etiamsi sit mirandum quod a concessis abstinuerit, non modo ut non offendiculo esset; sed etiam quod cum multo labore et periculo hoc faceret. Quid enim dicere oportet, inquit, de iis quæ immolata sunt idolis?

[1] 1 Cor. IX, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIX, p. 286-292. — [3] 1 Cor. VIII, 13.

Nam cum Christus statuerit, ut ii qui Evangelium prædicant, ex doctrinæ ministerio vivant; hoc ego non feci. Sed statui, si opus esset, etiam fame vitam finire, et mortem subire acerbissimam, ne quid acciperem ab iis qui instituebantur. Non quod id illis offendiculo foret, si non acciperet, sed quia « Ædificandi erant, » quod longe majus erat. Hujusque rei testes ipsos in medium adducit, apud quos operans et esuriens vixit: et apud alios nutritus, in angustia vixit, ut ne illis offendiculo foret: etiamsi frustra offensi fuissent; ipse namque legem implebat. Attamen ex abundanti illis parcebat. Quod si supra legem hoc faciebat ille, ut ne offendiculo esset, et ab iis quæ permissa sibi erant abstinuit ad aliorum ædificationem, quid merentur isti, qui ab idolothytis non abstinent: idque cum multi ex ea repercant, quod certe etiam absque offendiculo fugere oporteret, eo quod sit dæmonum mensa? Caput igitur totum hoc est, quod multis tractat versibus. Oportet autem rem propositam altius repetere. Neque enim hoc clare exposuit, ut jam dixi: neque ad id statim resilit, sed aliunde incipit his verbis: « Non sum Apostolus? » Nam cum iis, quæ dicta sunt, multum quoque discriminis interest, quod Paulus sit qui hæc facit. Ne dicerent enim; « Licet se signanti gustare, » interim quidem huic rei non insistit; sed dicit; « Etiamsi liceret, ob fratrum damnum non oporteret hoc facere, » demumque ostendit non licere. Nunc autem primum illud probat ex iis quæ ad se spectant: et dicturus se nihil ab illis accepisse, non statim illud ponit, sed dignitatem suam primo dicit. Non sum Apostolus? Non sum liber? Ne dicerent enim: « Etiamsi non acceperis, quod non liceret non accepisti; » ideo primo ponit causas propter quas jure accepisset, si voluisset accipere. Deinde ne videretur hæc dicens Petrum et suos criminari; nam illi accipiebant; primo ostendit illis accipere licuisse. Deinde ne

quis diceret : « Petro quidem accipere licuit, tibi vero non licuit ; » auditorem prævertit laudibus suis : videnque necessarium esse, ut se laudaret ; sic enim Corinthii corrigebantur ; nihilque tamen volens de se magnum dicere, sed quantum exigebat usus præsentis propositi ; vide quomodo utrisque ut e re fuit usus est, tantum se laudans, non quantum ipse sibi conscius erat, sed quantum exigebat præsens necessitas. Cum posset enim dicere : « Me plus quam omnes et quam illos oportebat accipere, quia plus quam illi laboravi ; » hoc quidem non dicit, quod sublimius fuisset ; sed ea sola ponit ex quibus illi magni erant, et unde jure accipiebant, sic loquens : « Non sum Apostolus? » non sum liber ? » id est : Annon mei ipsius potestatem habeo ? An cuipiam subditus sum qui me cogat et vetet accipere ? At illi quid plus habent quod fuerint cum Christo. Verum ne illo quidem expers fui. Ideo dicit : « Nonne Do- » minum nostrum Jesum Christum vidi ? Novissime quippe » omnium, inquit, tanquam abortivo visus est et mihi [1]. » Non parva autem hæc erat dignitas. « Multi enim Prophetæ » et justi, inquit, voluerunt videre quæ vos videtis, et non » viderunt [2] ; » et, « Venient dies quando voletis videre unum » ex his diebus [3]. » Quid tum, etiamsi sis Apostolus et liber, et Christum videris, si nullum exhibueris Apostoli opus, quomodo debes accipere ? Ideo postea subjunxit ; « Nonne opus meum vos estis in Christo [4] ? » Hoc quippe magnum est : nam illa absque hoc nihil juvant. Etenim Judas Apostolus erat et liber, atque Christum viderat : sed quia Apostoli opus non habuit, nihil hæc ipsi profuerunt. Propterea et hoc adjicit ; ipsosque testes vocat. Et quia magnum locutus erat, vide quomodo illud castiget dicens, « In Domino ; » id est, Dei opus est, non

[1] 1 Cor. xv, 8. — [2] Matth. xiii, 17. — [3] Luc. xvii, 22. — [4] 1 Cor. ix, 1.

meum. « Si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis » sum[1]. »

II. Vides quomodo non supervacaneus sit? Atqui poterat dicere orbem terræ, et gentes barbaras et terram et mare; sed nihil horum dicit, sed ex concessione et ex abundantia vincit. Quid enim, inquit, mihi opus est supervacaneis, cum hæc sufficiant ad præsens argumentum? Non dico igitur illa præclara quæ apud alios a me facta sunt, sed ea quorum vos testes estis. Quapropter etiamsi non aliunde, a vobis maxime oportebat me accipere: attamen a quibus me maxime oportebat me accipere, doctor enim vester fui, ab iis non accepi. « Si aliis non sum Apos- » tolus, sed vobis sum. » Rursus ex concessis loquitur. Nam orbis Apostolus erat. Attamen hoc non dico, inquit, neque pugno et contendo, sed quod vestrum est pono. « Nam signaculum apostolatus mei vos estis[2]: » id est, demonstratio. Et si quis scire velit unde sim Apostolus, vos profero: omnia enim quæ sunt Apostoli in vobis ostendi, et nihil prætermisi, ut in secunda quoque Epistola dicit. Etiamsi nihil sum, inquiens, signa tamen Apostoli in vobis facta sunt in omni potentia, in signis et prodigiis et virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis? Ideo ait: « Signaculum apostolatus mei vos estis, » Nam et signa ostendi, et verbo docui, et pericula subii, et vitam inculpatam duxi. » Et hæc omnia videre licet per hasce duas Epistolas, quam accurate nempe hæc singula demonstret. « Mea defensio iis qui me interrogant » hæc est[3]. » Quid est: « Mea defensio iis qui me interrogant » hæc est? » Iis qui discere volunt undenam sim Apostolus; aut iis qui me criminantur, ut qui pecunias accipiam; aut iis qui causam quærunt cur non accipiam; aut iis qui volunt ostendere me non esse Apostolum, vestra institutio,

[1] 1 Cor. IX, 2. — [2] 2 Cor. XII, 12. — [3] 1 Cor. IX, 3.

et ea quæ dicturus sum, in demonstrationem et defensionem afferuntur. » Quænam autem illa ? « Numquid non » habemus potestatem manducandi et bibendi ? Numquid » non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi[1] ? » Et quomodo hæc defensio sunt ? Quia cum apparuerit me etiam a concessis abstinere, non jure in suspicionem venerim quod fallax sim, vel quod pecuniæ causa aliquid faciam. Ea igitur quæ prius dicta sunt, et vestra doctrina, et quæ jam dixi, ad defensionem vobis sufficiunt ; et adversus omnes qui interrogant me, hic jam sto, et hæc et illa dicens : « Annon habemus potestatem manducandi et bibendi ? Annon habemus potestatem sororem » mulierem circumducendi ? Attamen licet habeam, abstineo. » Quid ergo ? non manducabat ? non bibebat ? Sæpe certe nec manducabat, nec bibebat. Nam ait : « In fame et » siti et nuditate versabamur. » Hic autem non hoc dicit. Sed quid ? Non manducamus nec bibimus, a discipulis accipientes, etiamsi potestatem habeamus accipiendi. « Num- » quid non habemus potestatem sororem mulierem cir- » cumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini » et Cephas[2] ? » Vide sapientiam : Coryphæum ultimum posuit : nam quod inter capita fortius est tunc ponit. Neque enim ita mirandum erat alios ostendere hoc facientes, ut primum et eum cui traditæ sunt claves regni cœlorum. Cæterum non solum ponit, sed omnes, ac si diceret : Sive inferiores quæras, sive superiores, omnium posita sunt exempla. Etenim fratres Domini a priore incredulitate liberati, inter clariores erant, etsi ad Apostolos non pervenerant, ideoque in medio illos posuit, summis utrinque positis. « Aut ego solus et Barnabas non habemus potesta- » tem non operandi[3] ? » Vide humilitatem, et animam omni invidia liberam, quomodo eum, quem curarum socium scie-

[1] 1 Cor. IX, 4, 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 6.

bat, non tacuerit. Si enim alia communia, cur hoc non commune fuerit? Apostoli sunt et illi et nos, et liberi; et quæ Apostolorum erant exhibuimus, et Christum vidimus. Ergo nos quoque potestatem habemus in otio vivendi, et alimenta a discipulis accipiendi. « Quis militat suis stipendiis » unquam[1]? » Quia enim quod validissimum erat ex Apostolis ostendit, quod nempe liceat hoc facere, ad exempla demum venit, et ad communem usum, ut mos est illi facere. « Quis militat suis stipendiis? inquit. » Tu vero mihi perpendas velim quam opportuna sint propositæ rei exempla illa; et quomodo primum meminerit periculosæ rei, militiæ, armorum et belli. Hujusmodi enim res est apostolatus, imo his multo major. Neque enim adversus homines tantum bellum ipsis erat, sed et adversus dæmones et principem illorum instructa acies. Hoc est autem quod dicit. Neque externi principes hoc exigunt, sævi licet et iniqui, ut milites bellum gerant et pericula adeant, exque suis facultatibus alantur. Quomodo ergo Christus hoc unquam exegerit? Neque uno contentus est exemplo. Nam vel simpliciorem et crassiorem hoc maxime sedat et placat, cum videt communem consuetudinem cum Dei legibus consentire.

III. Ideoque ad aliud pergit et ait: « Quis plantat vineam, » et ex fructu ejus non edit[2]? » Per illud enim pericula, per hoc vero laborem, defatigationem multam et curam declaravit. Tertiumque rursus apponit exemplum dicens: « Quis pascit gregem, et de lacte ejus non edit[3]? » Curam multam, quæ doctorem in erudiendis discipulis decet, hic ostendit. Nam et milites, et agricolæ et pastores Apostoli erant; non terræ, neque brutorum, neque bellorum sensilium, sed animarum rationalium, et aciei quæ adversus demonas instruitur. Illud quoque observandum est, quo-

[1] Cor. IX, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

modo ubique moderationem adhibuerit, utilitatem solum quærens, non ressuperfluas. Non enim dixit; « Quis pugnat et non dives est? » sed, « Quis militat suis stipendiis unquam? » Non dixit: « Quis plantat vineam, et non colligit aurum, aut fructum totum non decerpit? » sed, « Ex fructu ejus non comedit? » Neque dixit: « Quis pascit gregem, et de agnis non exercet mercaturam? » Sed quomodo? « Et ex ejus lacte non comedit? » non ex agnis, sed ex lacte; ostendens doctorem parvo solatio contentum esse oportere, soloque necessario cibo. Hæc ad eos qui volunt omnia comedere, et fructum totum decerpere. Hanc et Dominus legem posuit dicens: « Dignus est operarius cibo suo[1]. » Non hoc autem solum exemplis probat; sed etiam ostendit qualem oporteat esse sacerdotem. Etenim militi habere fortitudinem opus est, agricolæ curam, pastori sollicitudinem: ac post hæc omnia nihil amplius quærere quam necessaria. Cum ostendisset ergo non esse vetitum doctori accipere, et ex doctoribus, et ex vitæ quotidianæ exemplis, ad tertium caput venit, sic dicens: « Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit[2]? » Quia enim hactenus ex Scripturis nihil dixit, sed communem protulit consuetudinem, ne putetis me, inquit, hisce niti solis, neque ex hominum placito hæc statuere. Possum enim ostendere hæc Deo quoque placita esse, et veterem lego legem hæc præcipientem. Ideo per interrogationem progreditur, uti solet fieri in iis quæ omnino in confesso sunt; sic dicens: « Numquid secundum hominem hæc dico? » id est, Num humanis tantum exemplis nitor? Annon etiam lex hæc dicit? « Scriptum est enim in lege Moysis: Non alligabis os bovi trituranti[3]. » Et cur hæc memorat, cum haberet exemplum sacerdotum? Admodum ubertim hæc probare volens. Deinde, ne quis diceret: « Ec-

[1] Matth. x, 10. — [2] 1 Cor. ix, 8. — [3] Ibid. 9.

quid ad nos quod de bobus dictum est?» hoc accurate discutit dicens : « Numquid de bobus cura est Deo[1]?» Boves ergo non curat, quæso te, Deus? Curat utique, sed non ita ut de illa re legem tulerit. Quapropter, nisi magnum quid subindicaret, Judæos per bruta exercens ad benignitatem, atque etiam illos per hæc de doctoribus alloquens, non tale suscepisset studium, ut et legem scriberet de bobus camo non ligandis. Inde autem aliud ostendit ; multum esse doctorum laborem et esse debere; aliudque rursum; quodnam illud? Quod quæcumque in veteri lege de brutorum cura dicuntur, ad hominum doctrinam præcipue conferant, ut et alia omnia ; verbi gratia, quæ de variis vestibus, quæ de vineis, de seminibus, de terra, quod non diversa facienda sit, de lepra; deque aliis, ut ita dicam, omnibus. Cum enim illi crassiores essent, hinc disserebat cum illis, paulatim ipsos erigens. Et vide quomodo hoc non ultra probet, utpote quod planum et ex se manifestum sit. Cum dixisset enim : « Numquid de bobus cura est Deo, » subjunxit: « An propter nos omnino hoc dicit[2]? » Nec sine causa illud, « Omnino, » ponit; sed ne liceret auditori vel tantillum contradicere. Atque in metaphora perstat dicens et pronuntians : « Nam propter nos scripta sunt, quia in spe » debet qui arat arare[3], » id est, doctor debet laborum mercedem habere, et qui triturat, in spe fructus percipiendi esse. Et vide prudentiam; a semine enim ad aream rem traduxit, hic rursum multos doctorum sudores ostendens; quoniam ipsi et arant, et aream terunt. Et in arando quidem, quia nullus percipiendus fructus erat, sed labor tantum aderat, spem posuit. In terenda vero area, jam usum-fructum concessit dicens : « Et qui triturat, ejus spei » particeps est. »

IV. Deinde, ne quis dicat : « Hæccine est tantorum mer-

[1] 1 Cor. IX, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid.

ces laborum? » adjecit, « In spe, » scilicet futura. Nihil ergo aliud clamat os hujus animalis camo non ligatum, quam quod oporteat doctores laborantes mercede frui. « Si nos » vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carna- » lia vestra metamus[1]? » Ecce quartum etiam addidit ratiocinium, quod oporteat alimenta præbere. Quia enim dixit: « Quis militat propriis stipendiis unquam? Et quis plantat » vineam; et quis pascit gregem? » ei adducit bovem tritu- rantem; aliam profert causam rationi valde consonam, propter quam jure accepturi erant; quod non modo labo- rassent; sed et longe majora præbuissent. Quidnam ergo est? Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Vidisti-ne causam justissi- mam, et magis quam priores rationi consentaneam? Illic namque dicit, carnale semen est, carnalis et fructus; hic autem non sic; sed semen spirituale, merces vero carnalis. Nam ne multum sibi placerent ii, qui aliquid doctoribus præberent, ostendit illos majora quam dent, accipere. Agricolæ namque, quæ seminant, eadem ipsa accipiunt; nos autem qui in animabus vestris spiritualia serimus, me- timus carnalia. Tale namque est alimentum ab illis datum. Deinde majorem infert pudorem. « Si alii potestatis vestræ » participes sunt, quare non potius nos[2]? » Ecce aliam ratio- nem, quæ et ipsa ab exemplis sumitur, sed non a simili- bus. Neque enim hic Petrum nec Apostolos memorat, sed alios quosdam adulterinos, contra quos deinceps pugnam instruit, ac de quibus dicit: « Si quis vos devorat, si quis » accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit[3], » et belli contra eos gerendi jam facit præludium. Ideoque non dixit; « Si alii a vobis accipiunt: » sed ostendens illorum arrogantiam, tyrannidem et commercium, dicit: « Si alii » potestatis vestræ participes sunt; » id est, si imperant vo-

[1] 1 Cor. IX, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] 2 Cor. XI, 20.

bis, si potestatem exercent, si ut famulis utuntur, non modo accipientes, sed cum multa accuratione et auctoritate. Ideo addidit: « Non potius nos? » Quod non dixisset, si de Apostolis sermo esset; sed palam est illum quosdam subindicare perniciosos, qui ipsos deciperent. Itaque post Moysis legem vos quoque legem tulistis, quod præbere oporteat. Cum dixit autem: « Non potius nos? » non probat cur multo magis oporteat, sed illorum conscientiæ probandum relinquit, simulque et terrere volens et majorem incutere pudorem. « Sed non usi sumus tali potestate[1]; » id est, non accepimus. Vides-ne quomodo cum prius tot rationibus probasset, non esse contra legem, accipere, tunc dixit; « Non accipimus, » ne videatur abstinere tanquam a prohibito. Non enim, inquit, quod non liceat, non accipio; licet enim, et hoc ex multis demonstravimus; ex Apostolis, ex rebus quæ in vita fiunt, ex milite, agricola, pastore, a lege Moysis, ab ipsa rei natura, quia seminavimus vobis spiritualia; ex iis quæ vos fecistis erga alios. Sed sicut ne videretur pudore afficere Apostolos, qui accipiebant, hæc posuit, pudorem illis incutiens et ostendens se non a re ut prohibita abstinere; ita rursum ne per multam illam probationem et frequentia exempla, quibus ostendit accipere oportere, videretur ut accipiat quærere, ideoque talia proferre; jam illud corrigit, et clarius demum hoc posuit, cum dicit: « Non scripsi autem hæc ut » sic in me fiat[2]. » Hic porro dicit; « Non usi sumus hac po- » testate. » Quodque majus est; « Ne illud quidem poterit quisquam dicere, quod cum nobis amplæ facultates essent, his non usi simus; siquidem urgente necessitate, non cessimus necessitati; » id quod etiam in secunda ait: « Alias » Ecclesias expoliavi, accipiens stipendia ad ministerium » vestrum; et cum essem apud vos et egerem, nulli onero-

[1] 1 Cor. IX, 12. — [2] Ibid. 15.

» sus fui[1]. » Et in hac rursus: « Et esurimus et sitimus, et » nudi sumus et colaphis cædimur[2]; » et hic rursus idipsum subindicat dicens, « Sed omnia sustinemus. » Dicens enim : « Omnia sustinemus, » famem subindicat, et angustiam multam aliaque omnia. Sed neque sic, inquit, coacti sumus solvere legem, quam nobis ipsis imposuimus. Quare? « Ne quod offendiculum demus Evangelio Christi[3]; » quia enim infirmiores Corinthii erant; « Ne vos, inquit, offenderemus accipientes, maluimus plus quam præceptum erat facere, quam obicem quempiam afferre Evangelio, id est, institutioni vestræ. Si autem nos, etiamsi liceret nobis et multam vim pateremur, exemplumque haberemus Apostolos, id non fecimus, ne offendiculum daremus. » Nec dixit eversionem, sed offendiculum; nec simpliciter offendiculum, sed offendiculum quoddam; ut ne vel levissimam moram verbi cursui inferremus. « Si ergo nos tanta usi sumus diligentia, inquit, quanto magis vos qui ab Apostolis longe abestis, neque legem potestis dicere quæ id permittat; sed contra, etiam prohibita tangitis, atque etiam quæ damnum magnum afferunt Evangelio; non offendiculi modo vitandi causa, sed nullam videntes instantem necessitatem, abstinere oportet. » Hanc enim totam movit orationem propter illos, qui per cibum idolothytorum imbecillioribus fratribus offendiculo erant.

V. Hæc nos quoque audiamus, dilecti, ut ne despiciamus eos qui offenduntur, ne offendiculum ponamus Evangelio Christi, neu nostram prodamus salutem. Ne mihi enim dicas cum frater offenditur : « Non prohibetur hoc vel illud in quo ille offenditur, et licitum est. » Ego enim tibi majora dico; vel si ipse Christus permiserit, viderisque offendi quempiam, abstine, et ne permissione utaris. Hoc

[1] 2 Cor. xi, 8. — [2] 1 Cor. iv, 11. — [3] Id. ix, 12.

enim et Paulus fecit : qui cum permittente Christo liceret accipere, non accepit. Cum enim benignus sit Dominus, multam præceptis suis miscuit mansuetudinem, ut non solum ex jussu, sed etiam multa ex libera faciamus animi sententia. Poterat enim, nisi hoc voluisset, præcepta magis augere ac dicere : « Qui non semper jejunat, puniatur; qui virginitatem non servat, supplicio afficiatur; qui non se omnibus exuit facultatibus, extremas det pœnas. » Sed non hoc fecit, licentiam tibi dans si velis, majora suscipiendi. Idcirco cum de virginitate loqueretur, dicebat : « Qui potest capere, capiat [1]. » Et diviti alia præcepit, alia ejus voluntati permisit. Neque enim dixit : « Vende » quæ habes; » sed, « Si vis perfectus esse, vende [2]. » At nos non modo non majora suscipimus, neque ea quæ præcepta sunt superamus, sed multum abest ut præceptorum mensuram impleamus. Et Paulus quidem esuriebat, ne offendiculum præberet Evangelio; nos autem ne recondita quidem nobis attingere audemus, innumeras videntes animas eversas. Rodat enim, inquit ille, tinea, et non rodat pauper; edat vermis, et non induatur nudus. Omnia consumantur tempore, et non alatur Christus, dum esurit. Ecquis hoc dicit? inquies. Hoc enim grave admodum est, quod non verbis, sed factis hæc dicantur. Nam minus grave esset si verbis diceretur, quam cum reipsa efficitur. Annon enim hæc quotidie clamat avaritia, immanis illa et sæva tyrannis, captivis suis? Apponantur vestra comedenda sycophantis, latronibus et insidiatoribus, non autem famelicis et egenis. Annon vos facitis latrones? Annon vos escam præbetis igni invidorum? Annon vos facitis fugitivos et insidiatores, dum quasi escam illis divitias vestras apponitis? Quæ est hæc insania? Insania quippe et manifesta amentia est. arcas implere vestibus, et eum,

[1] Matth. XIX, 12. — [2] Ibid. 21.

quid ad imaginem et similitudinem Dei factus est, nudum, a frigore trementem ac vix rectum stantem despicere. At ille, inquies, tremorem et infirmitatem simulat? Annon times ne fulmen ab hoc verbo accensum ex alto dejiciatur? Ira enim disrumpor, ignoscite. Tu quippe ventri indulgens et pinguis, et ad profundam usque vesperam compotationem extendens, mollibusque fotus stragulis, non censes te pœnas daturum, cum tam inique Dei donis utaris. Neque enim vinum datum est ut inebriemur, neque concessus cibus ut ventrem distendamus, et dirumpamus. Pauperem vero, miserum, non meliore conditione quam mortuum, ilium, inquam, ad exactam rationem reddendam cogis; nec metuis Christi tribunal illud horrendum et formidabile? Nam si simulat, ex necessitate et egestate simulat, ob immanitatem et sævitiam tuam, quæ hujusmodi opus habet larvis, quæ non flectitur ad misericordiam. Quis enim adeo miser est et infelix, ut nulla instante necessitate pro uno pane tam indecore se gerat, pulsetur, et tantas sustineat pœnas? Illius itaque simulatio circuit inhumanitatem tuam prædicans. Quia enim supplicans, obsecrans, et miserabilia emittens verba, lamentans, lacrymans, et per totam diem circumiens, ne necessarium quidem invenit alimentum, hanc fortasse technam excogitavit, quæ non tantum illi quantum tibi affert dedecus et probrum. Æquum est enim ut illius misereamur, quia in tantam redactus est necessitatem. Nos autem mille suppliciis digni, quia pauperes ad hæc facienda cogimus. Nam si facile flecteremur, nunquam ille vellet talia sustinere. Et quid dico nuditatem et tremorem? Quod enim longe horribilius est dicam : coacti sunt quidam filios excæcare ætate immaturos, ut in tantæ calamitatis sensum veniremus. Quia enim videntes et nudi circumeuntes, neque ex ætate, neque ex calamitate immisericordes attrahebant,

tot malis aliam graviorem tragœdiam addiderunt, ut famem sedarent, levius esse existimantes hac communi luce, et omnibus concesso radio privari, quam cum perpetua fame luctari, et mortem subire miserrimam. Quia enim non didicistis misereri paupertatis, sed calamitatibus delectari, insatiabilem vestram implent cupiditatem, et sibi et vobis gehenna graviorem incendentes flammam. Et ut discatis hæc et similia ideo contingere, argumentum vobis proferam quod in confesso sit, cui nemo contradicet. Sunt alii pauperes leves, animoque elati, qui famem ferre nesciunt, sed omnia potius quam hoc patiuntur. Hi sæpe vos miserabilibus et gestibus et verbis adeuntes, cum nihil consecuti essent, missis supplicationibus, præstigiatores demum longe retro reliquerunt; alii quidem mandentes coria detritorum calceorum; alii acutos clavos in caput infigentes, alii autem in aquis gelu concretis nudo ventre immorantes; alii autem his absurdiora et acerbiora sustinentes, ut improbum exhibeant spectaculum.

VI. Tu autem dum hæc fiunt stas ridens et admirans, et de aliorum malis ceu pompam agens, dum communis natura dedecore afficitur. Et quid amplius faceret immanis dæmon? Deinde ut promptius hæc faciat, largiorem pecuniam erogas. Et ei quidem qui precatur, Deum invocat, placideque accedit, ne respondere quidem dignaris, neque respicere illum; imo etiam molesta in illum verba effundis, quando frequenter tibi importunus est. Hunccine oportet vivere? hunccine respirare, aut hunc solem videre? Erga illos autem lætus es et liberalis; utpote qui sis ceu agonotheta quidam illius ridiculæ et satanicæ turpitudinis. Quamobrem congruentius iis qui hæc proponunt certamina, et nihil effundunt donec alios viderint male affici, talia verba dicerentur : « Hoscine vivere, omnino respirare, hunc solem videre, qui in communem delin-

quunt naturam, et Deum contumelia afficiunt? « Cum enim Deus dicat : « Da eleemosynam, et do tibi regnum cœlorum ; » non audisti : « Diabolo autem ostendente caput clavis confixum, statim liberalis effectus es. Magisque te inflexit maligni dæmonis machina, tantum inferens damnum, quam Dei promissio millia afferens bona. » Cum oportuisset, etiamsi aurum numerare oporteret, ut hæc non fierent nec facta spectarentur, nihil non agere et pati, ut tanta illa tolleretur insania ; vos autem ut et fiant et facta videantur, nihil non agitis et operamini. Adhuc-ne interrogas, dic mihi, cur sit gehenna? At ne hoc ultra interroges, sed cur una tantum sit gehenna? Quot enim non sunt suppliciis digni hi qui tam crudele et inhumanum constituant spectaculum, ridentque de iis, de quibus lugere et illos et vos oporteret, magisque vos qui ad tam indecore agendum cogitis? Sed, inquies, non cogo. Quomodo, quæso te, non cogis, qui modestioribus et flentibus ac Deum invocantibus ne aurem quidem præbere velis, his vero largiter pecuniam erogas, et multos advocas admirantes? Et recedamus, inquies, eorum miserentes : et tu-ne hoc jubes? Non est hoc misereri, o homo, tantas exigere pœnas pro duobus obolis, præcipere ut pro necessario cibo sese lacerent, et capitis cutem tam acerbe et miserabiliter in multas partes dissecent. Bona verba, inquies, neque enim nos capita clavis configimus. Utinam tu faceres, et res non tam gravis esset. Nam qui quempiam interficit multo gravius facit, quam is qui se ipsum jubet interficere. Quod etiam in his usuvenit : acerbiores enim sustinent dolores, quando sua manu jubentur hæc male jussa exequi, et hæc Antiochiæ, ubi primum appellati sunt Christiani, in qua fuere omnium hominum mitissimi, in qua olim vigebat magnus eleemosynæ fructus. Neque enim præsentibus tantum, sed etiam iis qui procul aberant

mittebant, idque dum fames expectaretur. Quid ergo, inquies, faciendum? Hanc feritatem demittere, egenis vero omnibus edicere, si hæc faciant, nihil acceptures illos esse; si vero modeste accedant, magna fruituros largitate. Si porro hoc ediscant, etiamsi omnium miserrimi fuerint, nunquam eo inducentur ut se sic lanient, ego polliceor. Sed etiam vobis gratiam habebunt, quod illos ab irrisione et dolore tali eripueritis. Nunc autem pro aurigis, etiam filios obtuleritis, et pro saltatoribus, etiam ipsas profuderitis animas; pro Christo autem esuriente, ne minimam quidem facultatum partem dederitis. Sed si tantillum argenti detis, ac si totum solveritis, sic affecti estis, nescientes, quod non dare, sed cum largitate dare, illud maxime est eleemosyna. Ideo Propheta non eos qui solum dant prædicat et beatos dicit; sed eos qui largiter dant. Non solum enim dixit, « Dedit; » sed quomodo? « Dispersit, » dedit pauperibus [1]. » Quid enim prodest si ex divitiis tantum dederis, quantum dederit quispiam verbi gratia ex mari cyathum, neque viduæ magnitudinem animi æmulatus fueris? Quomodo dixeris: « Domine, miserere mei se» cundum magnam misericordiam tuam, et secundum » multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem » meam [2], » cum ipse non secundum magnam misericordiam miserearis; imo fortassis neque secundum parvam? Valde enim me pudet, cum video divites multos equis freno aureo instructis vectos, qui secum trahunt famulos aurum gestantes: et lectos habent argenteos, multumque alium fastum; cum autem pauperi erogandum est, etiam valde pauperibus esse pauperiores. Sed quid est illud quod sæpe dicunt? Habet, inquit, Ecclesiæ commune. Et quid hoc ad te? Neque enim si ego dedero, tu salvus eris: neque, si Ecclesia dederit, tu peccata tua delevisti. Idcoque

[1] Psal. cxi, 8. — [2] Id. l, 3.

non das quia Ecclesia dare debet egenis? Quia sacerdotes precantur, tu nunquam precaturus es? et quia alii jejunant, tu perpetuo ebrius eris. Nescis quia non ita propter pauperes eleemosynæ legem posuit Deus, ut propter eos ipsos qui largiuntur? An tibi sacerdos suspectus est? Est quidem hoc grave peccatum : sed de hoc non accurate disputabo. Propter te omnia facito, et sic duplicem assequeris mercedem. Etenim quæ nos de eleemosyna dicimus, non dicimus ut ad nos offeras, sed ut tu per te ipsum ministres. Nam si mihi offeras, fortassis a vana gloria corripieris, sæpeque etiam offensus recedes mala suspicatus. Si autem per vos ipsos omnia faciatis, et offensionibus et absurdis suspicionibus liberi eritis, majorque vobis merces erit.

VII. Non igitur hæc dico ut vim vobis faciam ad pecunias huc afferendas; neque indignatus propter sacerdotes qui male audiunt. Nam si succensere et dolere oportet, pro vobis dolendum est qui male dicitis. Iis enim qui frustra et temere male audiunt merces major; dicentibus autem judicium et supplicium gravius erit. Non ergo pro illis hæc dico, sed quod de vobis curam et sollicitudinem geram. Quid enim mirum si ætate nostra quidam in suspicionem veniunt, cum etiam illorum tempore sanctorum qui Angelos imitabantur, qui nihil sibi proprium possidebant, Apostolorum, inquam, murmur fuerit in ministerio viduarum, quod despicerentur pauperes, quando nemo quidquam ex suis facultatibus sibi proprium esse dicebat; sed erant ipsis omnia communia? Ne hos proferamus obtentus; nec in defensionem nostram conferre putemus quod Ecclesia multa possideat. Cum enim facultatum ejus magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum gregem, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum occasiones. Curiose inquire et scrutare : nemo

impedit; imo parati sumus ad rationes vobis reddendas. Sed hyperbole uti volo : cum enim rationes reddiderimus et ostenderimus expensam proventu non esse minorem, imo et aliquando majorem : illud a vobis libenter sciscitarer, cum illo migraverimus, et audierimus Christum dicentem : « Esurientem me vidistis, et non me nutrivistis, » nudum, et non operuistis[1] : » quid dicemus? quam afferemus defensionem? Hunc vel illum adducemus in medium, qui his non obsecutus est, et quosdam ex suspectis sacerdotibus? Et quid hoc ad te, inquiet? Ego enim te accuso de peccatis, quæ admisisti. Purgatio eorum est ut propria abluas peccata, non ut ostendas alios in eadem incidisse. Ecclesia enim ob vestram parcitatem, retinere cogitur ea quæ nunc habet. Quod si omnia secundum apostolicas leges ageret, ejus proventum oporteret esse vestrum animum : quod quidem et tutum esset penuarium, et thesaurus inexhaustus. Nunc autem cum vos quidem thesaurizatis in terra, et omnia in penuariis vestris claditis : Ecclesia vero impendere necesse habet, viduarum cœtibus, virginum choris, hospitum adventibus, peregrinantium ærumnis, vinctorum calamitatibus, infirmorum et mutilorum necessitatibus, aliis hujusmodi occasionibus; quid faciendum? eos-ne omnes aversari, et tot portus obstruere? Ecquis naufragiis hinc partis sufficerit? fletibus, lamentis, ejulatibus undique allatis? Ne ergo temere loquamur quod in mentem venerit. Nunc enim, ut jam dixi, rationes vobis reddere parati sumus. Si autem secus res se haberet, et si doctores haberetis corruptos, qui omnia raperent et avari essent, neque sic purgatio vestra esset eorum nequitia. Nam benignus ille et sapientissimus Unigenitus Dei Filius omnia videns, sciensque quod contingat multos in diuturno tempore, et tanto orbis spatio esse

[1] Matth. xxv, 42, 43.

sacerdotes corruptos; ut ne per illorum incuriam, eorum qui ipsis subditi sunt socordia augeatur, omnem tollens negligentiæ excusationem, ait: « Super cathedram Moysis » sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæ dixerint » vobis facere, facite: secundum opera autem illorum ne » faciatis [1]. » Ostendens, quod etiamsi doctorem improbum habeas, nihil tibi prodesse poterit, nisi iis quæ dicuntur attendas. Neque enim ab iis quæ doctor operatus est, sed ab iis quæ audisti, nec obsecutus illis es: ab his tibi calculum feret Deus. Itaque si ea quæ præcepta sunt feceris, cum multa tunc stabis fiducia; si vero dictis non obsecutus fueris, etiamsi mille corruptos sacerdotes ostendas; nihil hoc tibi proderit. Nam et Judas Apostolus erat; hoc tamen nihil unquam sacrorum expilatores et avaros excusabit. Neque poterit quis accusatus dicere: Enimvero Apostolus fur erat, sacrorum expilator et proditor. Sed hoc nos maxime supplicio tradet et damnabit, quod non aliorum malis ad sanam mentem reducti simus. Ideo enim illa scripta sunt, ut fugiamus illerum imitationem. Idcirco hunc et illum relinquentes, nobis ipsis attendamus. Unusquisque enim nostrum pro se rationem dabit Deo. Ut ergo hanc rationem cum bona reddamus purgatione, nostram componamus vitam, et largam manum egenis porrigamus: scientes hanc solam nostram esse defensionem, si ostendamus nos præcepta recte executos esse; nullamque esse aliam. Si hanc exhibere possimus, intolerabiles illos gehennæ dolores effugiemus, et futura consequemur bona, quæ nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XXIII, 2, 3.

HOMILIA XXII.

CAPUT IX.

Nescitis quod qui sacra operantur, ex sacrario vivunt? Qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere[1].

I. Multum curat ostendere non esse vetitum accipere. Ideoque cum tot tantaque antea dixisset, non satis habuit, sed etiam ad legem procedit, præbens exemplum priori convenientius. Non enim par res erat boves in medium adducere, et legem de sacerdotibus diserte latam afferre. Perpende autem mihi etiam in hoc Pauli prudentiam, quam decore et magnifice rem memoret. Neque enim dixit: « Qui sacra operantur ab offerentibus accipiunt. » Sed quid? « Ex sacrario vivunt; » ut nec accipientes probro afficiantur, nec qui præbent extollantur. Quapropter id quod sequitur sic posuit. Neque enim dixit; « Qui altari assident ab immolantibus accipiunt; » sed, « Cum altari » participant. » Nam quæ oblata fuerant, non ultra offerentium erant, sed sacrarii et altaris. Nec dixit, « Sacra accipiunt, » sed, « Ex sacrario vivunt: » rursus ostendens moderationem, et quod non oporteat pecunias colligere, nec ditari. Si autem dicit, « Cum altari participant, » non ex æquo factam distributionem dicit; sed id quod ex debito datur eis solatium. Atqui longe majora apud Apostolos erant. Illic enim honor erat sacerdotium; hic

[1] 1 Cor. IX, 13, 14.

autem pericula, jugulationes, cædes. Ideo omnibus aliis exemplis longe majus erat id quod dicit, « Si nos vobis » spiritualia seminavimus[1]. » Cum enim dicit : « Seminavi- » mus, » tempestates, pericula, insidias et inenarrabilia mala ostendit, quæ sustinebant ii qui prædicabant. Attamen etsi tanta esset excellentia, noluit ea quæ veteris erant legis deprimere, neque sua extollere, sed sua quodam modo comprimit, non a periculis, sed a magnitudine doni, dans illi excellentiam. Non enim dixit : « Si pericula adiimus, si insidiis impetiti sumus ; » sed, « Si nos vobis spiritualia se- » minavimus : » et quæ sunt sacerdotum, quantum fieri potest extollit dicens : « Qui sacra operantur, et qui altari » assident ; » perpetuam illorum servitutem, et perseverantiam volens ostendere. Et cum dixisset sacerdotes qui sunt apud Judæos, et Levitas, et pontifices, utrosque ordines indicat, et qui sunt inferiores et qui superiores ; alios quidem cum dicit, qui sacra operantur ; alios vero cum dicit, qui altari assident. Neque enim omnibus unum opus mandatum erat, sed aliis crassiora, aliis altiora concredita fuerant. Hos igitur omnes complexus, ne quis diceret : « Cur vetera nobis memorasti? Nescis perfectiorum mandatorum nobis esse tempus? » Post illa, quod omnibus fortius erat posuit dicens : « Ita et Dominus ordinavit iis qui » Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » Et neque hic dicit ali ab hominibus ; sed sicut in sacerdotibus, ex sacro et ex altari, ita et hic, ex Evangelio, dicit : et sicut illic edere, ita et hic vivere ; non mercaturam facere, vel thesaurizare. « Dignus est enim, inquit, operarius mercede » sua[1]. Ego autem nullo horum usus sum[2]. » Quid tum, inquies, si nunc non usus es, in futuro autem vis uti, et propterea hæc dicis? Apage ; statim namque usus est correctione, sic dicens : « Non scripsi autem hæc, ut sic fiat

[1] 1 Cor. IX, 11. — [2] Matth. X, 10. — [3] 1 Cor. IX, 15.

» in me[1]. » Et vide cum quanta vehementia rem negat et depellit : « Bonum est enim mihi magis mori, quam ut glo- » riam meam quis evacuet[2]. » Et non semel, neque bis, sed sæpius hac utitur dictione : nam et superius dixit : « Non » usi sumus hac potestate; » et postea rursum, « Ut non » abutar mea potestate; » et hic : « Ego autem nullo horum » usus sum. » Horum; Quorum : Multorum exemplorum. Cum enim multa mihi potestatem præberent, miles, agricola, Pastor, Apostoli, lex, ea quæ a nobis in vos fiunt, ea quæ a vobis in alios, sacerdotes, præceptum Christi, nulli horum obtemperavi, ut legem meam abrogarem, et acciperem. Nec mihi dicas illa quæ præterierunt; etiamsi possim dicere, me multa pridem propterea passum esse. Attamen non illis tantum nitor; sed etiam de futuris polliceor, me malle mori fame, quam his coronis privari. « Bonum est enim mihi magis mori, inquit, quam ut glo- » riam meam quis evacuet. » Non dixit; « Legem meam quis » solvat, » sed, « Gloriam. » Ne quis enim dicat ipsum hoc quidem facere; sed non gaudentem, sed gementem et mœrentem; lætitiam ingentem ostendere volens, magnamque alacritatem, rem ipsam appellat gloriationem. Tantum aberat ut doleret, ut etiam gloriaretur, et mori malit, quam hac gloria excidere. Ita quod tum fiebat ipsa vita dulcius ipsi erat.

II. Deinde aliunde etiam id extollit, et magnum esse ostendit, non ut se splendidum declararet; procul enim ille erat ab hoc animi affectu; sed ut ostenderet se lætari, et suspicionem omnem de medio tolleret. Ideo enim, ut jam dixi, rem vocat gloriationem. Et quid ait? « Nam si » evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi » incumbit; væ autem mihi est si non evangelizavero. Si » enim volens hoc ego facio, mercedem habeo : si autem

[1] 1 Cor. IX, 15. — [2] Ibid.

» invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo mer-» ces mea? ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam » Evangelium Christi : ut non abutar potestate mea in » Evangelio[1]. » Quid, quæso, dicis? si evangelizas, non est tibi gloriatio; sed si sine sumptu ponas Evangelium? Hoc ergo majus est illo? Nequaquam; sed aliunde aliquid amplius habet; quoniam aliud quidem præceptum est; aliud autem a mea voluntate præclare gestum est. Nam quæ supra mandatum fiunt, multam vel inde mercedem habent; quæ autem ex mandato, non tantam. Itaque hac ratione dicit, hoc illo esse amplius; non secundum ipsam rei naturam; quid enim prædicationi par fuerit? hoc enim efficit ut illi cum Angelis concertent. Attamen quoniam illud quidem præceptum est et debitum, hoc autem liberæ voluntatis opus alacriter susceptum; secundum illo amplius est. Ideo ait hoc ipsum interpretans quod nunc dixi : « Si » enim volens hoc facio, mercedem habeo ; si autem invitus, » dispensatio mihi tradita est. » Illud « Volens » et « Invitus » accipiens, pro eo quod concreditum, vel non concreditum est. Sic enim illud, necessitas mihi incumbit, intelligendum est, non quod aliquid horum invitus faciat, absit; sed ut qui sit obnoxius iis quæ jussa sunt, et ad distinctionem libertatis quæ dicta est in accipiendo. Ideoque Discipulis dicebat Christus : « Cum omnia feceritis, dicite : « Servi » inutiles sumus; quæ enim debuimus facere fecimus[2]. » Quæ est ergo merces mea? « Ut Evangelium prædicans sine » sumptu ponam Evangelium. » Quid ergo, quæso te, Petrus mercedem non habet? Et quis unquam tantam habuerit, quantam ille? Quid vero reliqui Apostoli? Quomodo ergo dixit : « Si volens quidem hoc ago, mercedem habeo ; » si invitus, dispensatio mihi credita est. » Vides hic quoque prudentiam? Neque enim dixit : « Si autem invitus, non

[1] 1 Cor. IX, 16-18. — [2] Luc. XVII, 10.

habeo mercedem ; » sed, « Dispensatio mihi credita est ; » ostendens se sic quoque mercedem habere ; sed talem, qualem is, qui quod jussum erat executus est; non qualem is qui ex nutu suo alacriter præceptum superavit. Quænam ergo merces est; « Ut Evangelium prædicans, inquit, sine » sumptu ponam Evangelium ; ut non abutar potestate mea » in Evangelio. » Vide quomodo semper potestatis nomine utatur; ostendens illud, quod frequenter dixi, quod nec illi quidem, qui accipiunt, digni sint reprehensione. Addidit autem, « In Evangelio ; » simul significans Evangelium, et prohibens ubique rem educere. Docentem enim oportet accipere, non autem otiosum. « Nam cum liber essem ex » omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem[1]. » Hic rursus aliam ponit hyperbolem. Magnum enim est non accipere ; hoc autem quod dicturus est longe majus illo est. Quid autem est id quod dicit : « Non solum non accepi, inquit, neque solum non usus sum hac potestate, sed etiam me servituti subjeci, imo variæ et omnis generis servituti. » Neque enim in pecuniis solum; sed quod pecuniis longe majus est, in multis et variis negotiis hoc ipsum exhibui. Et servituti me subjeci, cum in nulla re subjectus essem, nec ulla necessitate ducerer; hoc enim est illud, « Liber cum essem ex omnibus ; » neque uni tantum me subjeci, sed toto orbi terrarum ; » quapropter subjunxit ; « Omnium me servum feci. Nam prædicare jussus eram, et annuntiare ea quæ mihi credita fuerant; innumerabilia autem machinari et excogitare, ex meo studio profectum est. Nam solvendæ pecuniæ tantum obnoxius eram. Ego vero pro illa exigenda nihil non agebam, plura tentans, quam jussus eram. » Quia enim ex arbitrio, alacritate et charitate erga Christum omnia agebat, insatiabili desiderio salutem hominum exoptabat. Quamobrem ex

[1] 1 Cor. IX, 19.

ingenti alacritate septa transiliebat, per omnia ipsum quoque cœlum transcendens. Ac cum servitutem dixisset, varios illius modos deinde recenset. Quinam illi sunt? « Et » factus sum, inquit, Judæis, tanquam Judæus, ut Judæos » lucrarer[1]. » Et quomodo hoc factum est? circumcidit ut everteret circumcisionem. Ideo non dixit, Judæus; sed tanquam Judæus, quod erat dispensatio. Quid dicis? Præco orbis, qui cœlos ipsos tetigit, et adeo id gratia fulsit, is repente tantum descendit? Etiam, hoc enim est ascendere. Neque enim hoc solum respicias, quod descendat, sed quod etiam eum qui inferne jacet erigat, et ad se adducat. « Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum » non essem sub lege, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem[2]. »

III. Aut est explicatio prioris dicti, aut quidpiam subindicat præter illud prius. Judæos quidem dicens eos qui jam olim ab initio tales erant; sub lege autem, proselytos, aut eos qui fideles erant et adhuc legi hærebant. Non enim ultra erant tanquam Judæi, sed sub lege. Et quando factus est sub lege? Cum tonsus fuit, cum sacrificavit. Hæc porro facta sunt, non quod sententiam mutasset : fuisset enim ea res mala ; sed charitate sese attemperante. Nam ut eos qui vere erant ad hæc traduceret, factus est et ipse (Judæus) non vere, sed tantum id præ se ferens, cum tamen talis non esset, nec ex animo hoc vere faceret. Quomodo enim fecisset, qui alios transmutare curabat; et ideo hoc faciebat, ut alios hoc facientes liberaret ab humilitate hujusmodi? « Iis qui sine lege erant, tanquam sine » lege essem. » Hi neque Judæi erant, neque Christiani, neque Græci; sed extra legem erant, ut erat Cornelius, et si qui alii similes. Ad illos enim ingrediens, multa ad ipsos pertinentia simulabat. Quidam vero dicunt illum

[1] 1 Cor. IX, 20. — [2] Ibid. 21.

subindicare disputationem quam habuerat cum Atheniensibus circa inscriptionem in ara positam, et ideo dicere, iis qui sine lege sunt, tanquam sine lege essem. Deinde ne quis putaret rem illam esse sententiæ mutationem, addidit : « Cum sine lege Dei non essem ; sed in lege essem » Christi ; » id est, cum non modo non sine lege essem, sed etiam non solum sub lege essem ; sed et legem haberem veteri longe sublimiorem, id est, Spiritus et gratiæ : ideo subjungit, Christi. Postea cum id effecisset, ut de sua sententia confiderent, lucrum deinde talis suæ attemperationis ponit, dicens : « Ut lucrifacerem eos qui sine » lege erant. » Et ubique causam affert attemperationis illius ; neque ibi gradum sistit, et ait : « Sed et infirmis » factus sum ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem[1]. » Hoc demum dicens ad illos pertinens, propter quod hæc omnia dicta sunt. Atqui illa erant longe majora ; hoc vero convenientius : quamobrem postremum illud ponit. Idipsum quoque apud Romanos fecit, quando de cibis accusabat, et in multis aliis locis. Deinde, ne singula et omnia persequens diutius moretur, ait : « Omnibus omnia factus » sum, ut omnino quosdam salvos facerem[2]. » Vides-ne hyperbolem ? Omnibus omnia factus sum, non quod omnes salvos facere sperarem ; sed ut saltem paucos salvos faciam. Et hoc quidem studium, ministeriumque tale subii ; quantum par erat eum qui omnes salvos faceret, non tamen sperans me omnes superaturum esse : quod vere magnum erat, ferventisque animi. Nam qui seminabat, ubique seminabat, nec totum servavit sementem ; attamen quod suum erat præstitit. Et cum servatorum paucitatem dixisset, rursum illa addita voce, omnino, consolatus est eos qui de iis dolerent. Nam etsi fieri non potest ut totum semen salvum sit ; attamen ut totum

[1] 1 Cor. IX, 22. — [2] Ibid.

pereat fieri nequii. Ideo dixit, omnino : quia necesse prorsus est, ut qui tam ferventer rem curat, etiam assequatur. « Omnia autem facio propter Evangelium, ut par- » ticeps ejus efficiar[1] ; » id est, ut videar et ipse aliquid ex me attulisse, et particeps sim coronarum quæ fidelibus repositæ sunt. Quemadmodum enim dicebat ex Evangelio vivere ; id est, ex credentibus ; sic et hoc loco, particeps efficiar Evangelii, ut possim communicare cum iis qui in Evangelium crediderunt. Vides-ne humilitatem, quomodo in mercedis retributione, unum inter multos sese ponat, cum plus quam omnes laboraverit ? Unde palam est illius præmia majora fore. Attamen non se dignum censet qui primas teneat ; sed exoptat ut cum aliis particeps sit coronarum quæ repositæ sunt. Hæc porro dicebat, non quod pro mercede aliqua hoc faceret, sed ut illos hinc quoque attraheret, et per spem hujusmodi illis persuaderet, ut omnia pro fratribus facerent. Vidisti-ne prudentiam ? Vidisti-ne diligentiæ magnitudinem ? Quomodo plus quam præceptum fuerat fecerit nihil accipiens, cum accipere liceret ? Vidisti-ne summam attemperationem ; quomodo qui in lege Christi erat, et supremam servabat legem, iis qui sine lege erant, tanquam sine lege esset ; Judæis tanquam Judæus, in utrisque summus apparens et omnes vincens ? Hoc et tu facito, et ne putes te cadere cum summus sis, si quid propter fratrem humile et abjectum patiaris. Non est enim illud cadere, sed descendere. Qui cecidit enim, jacet et vix resurgit : qui vero descendit, ascendet, et cum multo lucro. Quemadmodum etiam Paulus descendit solus quidem, sed cum orbe ascendit : non simulans, neque enim eorum qui servati sunt lucrum quæsivisset, si simulasset. Hypocrita enim exitium quærit, et simulat ut accipiat, non ut det. Hic vero non sic ; sed

[1] 1 Cor. IX, 23.

ut medicus, ut doctor, ut pater; ille quidem ægroto, hic discipulo; alius filio sese attemperat, ut corrigat, non ut noceat : ita etiam hic.

IV. Nam quod ea quæ dicta sunt simulatio non essent, cum nihil hujusmodi vel dicere vel facere cogeretur; sed quod affectum suum fiduciamque ostendere vellet, audi ipsum dicentem : « Neque vita, neque mors, neque An» geli, neque Principatus, neque Potestates, neque instan» tia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, » neque aliqua alia creatura, poterit nos separare a chari» tate, quæ est in Christo Jesu Domino nostro[1]. » Vidisti-ne charitatem igne ardentiorem? ita et nos quoque Christum diligamus, facile namque est, si velimus. Neque enim ille talis erat natura; ideoque priora illius his contraria fuisse scriptum est, ut dicamus opus illud liberi arbitrii esse, et volentibus omnia esse facilia. Ne desperemus ergo; sed etsi maledicus es, etsi avarus, etsi quidvis aliud; cogita Paulum blasphemum fuisse, persecutorem, contumeliosum, peccatorumque primum, et derepente ad ipsum virtutis culmen pervenisse, et nihil ipsi impedimenti priora attulisse. Atqui nemo cum tanto furore nequitiam sectatur, cum quanto ille bellum contra Ecclesiam. Nam tunc ipse suam tradidit animam; et quia non mille manus habebat, ut omnibus Stephanum impeteret, dolebat; et tamen sic quoque modum invenit, quo posset illum pluribus ferire manibus falsorum testium, quorum ipse vestes servabat. Et cum in domos intraret, tanquam fera insiliebat, trahens et lacerans viros, mulieres; tumultu et strepitu ac bellis sexcentis omnia implens. Ita nempe terribilis erat, ut Apostoli etiam post optimam ejus conversionem, nondum auderent ipsi hærere. Attamen post illa omnia talis effectus est, qualis vere fuit. Neque enim plura dicere

[1] Rom. VIII, 38, 39.

opus est. Ubinam ergo sunt illi qui fati necessitatem obtendunt, adversus arbitrii nostri libertatem? Hæc audiant, et ora sua obstruant. Eum enim qui bonus esse velit, nihil impedit, etiamsi inter nequissimos antea censeretur. Ad hoc enim aptiores sumus, quatenus secundum naturam virtus inest nobis, et præter naturam vitium; sicut etiam ægrotare et bene valere. Etenim oculos nobis dedit Deus, non ut impudice aspiciamus, sed ut res ab eo creatas admirantes, Conditorem adoremus. Quod autem hic sit oculorum usus, palam est ex rebus sub aspectum cadentibus. Pulchritudinem namque solis et cœli ex immenso aspicimus intervallo : mulieris vero formam nemo ex tanto spatio noverit. Vides-ne oculum nobis ad hoc maxime datum fuisse? Rursus auditum fecit, non ut blasphema excipiamus verba; sed ut salutaria dogmata. Ideoque cum quidpiam absonum excipit, et animus et ipsum corpus torpescit. « Sermo enim multum jurantis, pilos erigit [1], » inquit. Et si quid crudele vel immite audiamus, rursus horremus; si vero quid numerosum et humanum, et gestimus et lætamur. Os quoque nostrum turpia loquens, pudorem et verecundiam infert; sin autem honesta, placide et cum omni libertate illa emittit. De iis autem quæ sunt secundum naturam nemo erubuerit; sed de iis quæ sunt præter naturam. Et manus quidem cum rapiunt, se occultant, et defensionem quærunt; si vero eleemosynam dent, etiam gloriantur. Itaque si velimus, magnam undique habemus ad virtutem propensionem. Si autem mihi voluptatem ex nequitia partam dicas, cogita nos illam majorem ex virtute decerpere. Etenim bonam habere conscientiam, omnibus in admiratione esse, bonamque spem tenere, omnium jucundissimum est ei qui voluptatis naturam perpenderit; ut contraria omnium molestissima sunt ei, qui doloris na-

[1] Eccli. XXVII, 15.

turam novit; verbi gratia, et probris ab omnibus affici et a se ipso accusari, timere ac tremere præsentia et futura. Et ut id quod dico clarius evadat, supponamus quempiam uxorem habentem proximi nuptias perfodere, et ex hoc improbo furto illa frui quam amat; deinde alium huic opponamus qui uxorem suam complectatur : utque victoria clarior evadat, hic qui sola sua uxore fruitur, etiam illam amet quæ adulteratur, sed amorem cohibeat, nihilque mali faciat, quanquam ne hoc quidem est pura temperantia. Verum ad libitum, ut discas quanta sit virtutis voluptas, ideo hujusmodi drama effinximus.

V. His ergo una comparatis, sic ambos interrogemus; utrius vita dulcior : et audies illum quidem gloriantem et exultantem de victoria quam contra libidinem reportavit; hunc vero, imo non expectandum est ut ab illo quid ediscamus : videbis enim illum, etiamsi id millies negaverit, miserabilius quam ii qui sunt in vinculis affectum. Nam omnes timet et suspectos habet, et uxorem suam et adulteræ virum, ipsamque adulteram, familiares, amicos, cognatos, parietes, umbras, se ipsum; et quod est omnium gravissimum, conscientiam habet reclamantem, et quotidie latrantem. Si vero Dei tribunal in mentem venerit, ne stare quidem poterit. Et voluptas quidem brevis est; dolor autem hinc partus perpetuus. Nam et vespere et in nocte, in solitudine, in civitate et ubique accusator sequitur, gladium monstrans acutum, et intolerabilia supplicia, metu consumens illum. Ille vero temperans, his omnibus vacuus, in libertate est, et secure uxorem suam videt, filios, amicos, et liberis oculis aspicit omnia. Si autem is qui amat, et tamen se continet, tanta fruitur voluptate : qui non amat, sed pure temperans est, quo portu, qua tranquillitate, non dulciorem et placidiorem possidebit animam? Ideo certe adulteros videris paucos,

temperantes autem plures. Quod si hoc dulcius esset, hoc ipsum multi eligerent. Nec mihi dicas legum timorem, neque enim hic illos continet, sed absurditatis magnitudo, et quod plura ibi sint tristia quam suavia, et conscientiæ quoque calculus. Et adulter quidem talis est. Si placet autem, avarum quoque adducamus in medium, alium rursus iniquum amorem detegentes. Etenim ipsum etiam videbimus eadem formidantem, nec valentem pura frui voluptate. Mente namque versans eos qui injuria afficiuntur, et eos qui commiseratione ducuntur, et communem omnium de illo calculum, mille agitatur ipse fluctibus. Neque hoc solum molestum ipsi est; sed neque dilecta sua frui potest. Talis enim est avarorum mos. Habent, non ut fruantur, sed ut non fruantur. Quod si hoc tibi ænigma esse videtur, quod adhuc pejus et magis perplexum est audi; ipsos nempe non ideo solum voluptate privari quod non audeant bonos frui ut velint, sed etiam quod nunquam impleantur, ac semper in siti versentur, quo quid molestius et gravius fuerit? At justus non est talis, sed tremore, odio, metu et hac incurabili siti liber est. Ac quemadmodum illum omnes execrantur; ita huic omnes bene precantur; ac sicut ille nullum habet amicum, sic iste nullum inimicum. Quid igitur, hæc in confesso cum sint, aut nequitia injucundius, aut virtute suavius fuerit? Imo vero etiamsi innumera dixerimus, nemo vel vitii mœrorem, vel virtutis voluptatem verbis exprimere possit, donec illa fruamur. Tunc enim et felle amarius inveniemus vitium, cum mel virtutis degustabimus. Est enim etiam nunc vitium, injucundum, onerosum et molestum; quod neque illi negant, qui ipsi famulantur. Cum autem ab illo abscesserimus, tum illius acerba jussa accuratius sentiemus. Quod si multi ad illud accurrant, nihil mirum; quandoquidem et pueri sæpe, minus dulcia eli-

gentes, ea quæ magis delectant despiciunt, et ægroti pro fluxa brevique gratia, perpetuam tutioremque lætitiam amiserunt. Hoc autem ex amantium imbecillitate et stultitia provenit, non ex ipsa rerum natura. Qui enim cum voluptate vivit, is est qui virtutem sectatur, hic vere dives et vere liber est. Quod si quis alia quidem virtuti concesserit, libertatem, securitatem, a curis vacuum esse, neminem timere, neminem suspectum habere; voluptatem vero ipsi non concesserit, hic mihi in mentem veniet profuse ridere. Quid enim aliud est voluptas, quam a curis liberari, a timore, a mœrore, et a nulla re posse vinciri? Uter enim, quæso, in voluptate est, is-ne qui furit, agitatur, et a multis cupiditatibus confoditur, neque apud se consistit; an qui ab omnibus hisce fluctibus liber, in philosophia ceu in portu sedet? Annon palam est hunc esse? Sed hoc cernitur virtuti proprium. Itaque vitium, solum nomen habet voluptatis, re autem ipsa vacuum est. Et antequam illa fruaris, insania est, non voluptas; postquam illa frui contigerit, ipsa statim extinguitur. Si ergo neque initio, neque postea licet ejus videre voluptatem, ubi cernetur et quando? Ut autem id quod dico clarius ediscas, exemplo rem tractemus. Attende autem. Captus est quispiam amore mulieris pulchræ et formosæ. Hic donec assequatur optatum, furentibus et insanis similis est; postquam autem assecutus est, concupiscentiam extinxit. Si ergo neque initio voluptatem habet; furor enim tunc est; neque in fine; nam concubitu œstrum extinxit: ubinam illam inveniemus? Sed res nostræ non ita se habent, sed initio perturbatione vacuæ sunt, et usque in finem voluptas vigens perseverat; imo potius non finis est voluptatis in nobis, neque bona nostra terminum habent, neque hæc voluptas unquam dissolvitur. Hæc itaque omnia cogitantes, si voluptatem amamus, virtutem suscipiamus ut et præ-

sentia et futura bona assequamur, quæ utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit gloria, imperium et honor, nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

CAPUT IX.

Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?

I. Cum ostendisset rem esse admodum utilem sese attemperare, et hanc esse summam perfectionem: et quod ipse (Paulus) cum plus quam omnes ad perfectionem ascendisset, imo transcendisset, eo quod (ad victum necessaria) non acceperit, plus quam omnes postea descenderit, et utriusque rei tempora nota fecisset nobis, perfectionis nempe et attemperationis, jam illos acrius perstringit, subindicans hoc ab ipsis factum, quod perfectionis esse videtur, vanum et superfluum esse laborem. Neque rem ita clare dicit, ne impudentius agerent: per illa autem quæ probat, hoc ostendit. Et cum dixisset illos in Christum peccare, et fratres perdere, nihilque illos utilitatis accipere a perfecta scientia, nisi adsit charitas, rursus ad commune exemplum venit et ait: «Nescitis quod ii qui in stadio cur» runt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?» Hoc autem dicit, non quasi hic unus ex multis salutem sit consecuturus, absit; sed quod nos debeamus studium

[a] 1 Cor. IX, 24.

adhibere multum. Sicut enim ibi multis in stadium descendentibus, non coronantur multi; sed unus id assequitur; nec sufficit in certamen descendere, neque inungi et concertare; ita et hic quoque non satis est credidisse, et utcumque decertasse; sed nisi ita curramus ut usque in finem inculpatos nos præbeamus, et bravio propinqui simus, nihil assequemur. Si enim te perfectum existimas secundum scientiam, nondum tamen totum accipies, id quod subindicans dicebat : « Sic currite ut comprehendatis. » Nondum ergo comprehenderant. Et cum ita dixisset, modum etiam docet. « Omnis autem qui in agone contendit, » ab omnibus abstinet[1]. » Quid est, ab omnibus abstinet? Non ab hoc quidem abstinet, in alio autem peccat; sed et a gula, a lascivia, ab ebrietate, et ab omnibus vitiis abstinet. Nam hoc, in externis quoque certaminibus observatur. Neque enim certantibus certaminis tempore inebriari licet, neque scortari, ne vires solvant; neque alii rei cuipiam operam dare; sed ab omnibus prorsus abscedentes, solis gymnasiis dant operam. Si autem illic hæc fiunt, ubi corona uni datur; multo magis hic, ubi major est largitas. Neque enim unus tantum est qui coronatur, et præmia labores longe superant. Ideoque pudorem inculiens ita loquitur : « Et illi quidem ut corruptibilem coronam ac» cipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, » non quasi in incertum[2]. » Cum illos ab externis pudore affecisset, se quoque demum in medium adducit, quod est optimus doctrinæ modus. Idcirco ubique ita facere deprehenditur. Quid sibi vult autem : « Non in incertum? » Ad scopum quemdam aspicio, inquit, non frustra et incassum; sicut vos. Quid enim vobis amplius accedit, cum in idolorum templa intratis, si illam ostentetis perfectionem? Nihil. At non talis sum ego; sed quæcumque facio,

[1] 1 Cor. IX, 25. — [2] Ibid. 26.

ad salutem proximi facio ; sive perfectionem ostendam , propter ipsum , sive me attemperem , propter ipsum; sive Petrum superem in eo quod nihil accipiam, ne ipsis offendiculo sim ; sive plus quam omnes me demisero, ut qui circumcidar et tondear, ne ipsi supplantentur, hoc est illud : « Non in incertum. » Tu vero cur, quæso te, comedis in templo idolorum? sed rationabilem causam proferre non possis. Cibus enim te commendat Deo; et neque si comedas, plus habes; neque si non comedas, minus. Frustra ergo et inconsiderate curris ; hoc enim sibi vult illud, « In incertum. Sic pugno, non quasi » aërem verberans[1]. » Rursus illud, non temere et inconsiderate subindicans hoc ait: Habeo enim quem feriam, nempe diabolum. Tu vero ipsum non feris, sed vires tuas temere effundis. Interim illos quasi sustinens, ita loquitur. Quia enim vehementius illos insectatus fuerat in præcedentibus, rursus reprimit increpationem, ad finem orationis profundam plagam reservans. Hic enim ait illos temere et inconsiderate agere; postea ostendit, quod etiam in magnam sui capitis perniciem, et quod, præter damnum fratrum, neque ipsi culpa vacent hæc audentes. « Sed cas» tigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte » cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar[2]. » Hic ostendit eos et ventris implendi desiderio teneri, et ipsi laxare habenas, et perfectionis obtentu ingluviem implere suam; quod superius dicere parturiebat, cum ita loqueretur : « Escæ ventri, et venter escis. » Quia enim fornicationem deliciæ pariunt, et hoc peperit idololatriam; jure sæpe hunc insectatur morbum. Et cum ostendisset quanta passus esset propter Evangelium, hoc quoque ponit cum illis. Sicut enim, inquit, mandata supergressus sum; idque cum non leve illud negotium esset. Omnia enim, in-

[1] 1 Cor. IX, 26. — [2] Ibid. 27.

quit, sustinemus; ita et nunc multum sustineo laborem, ut temperanter vivam. Nam etsi facile litigari potest cum cupiditate et ventris tyrannide, attamen ipsam refreno, nec me ei dedo ægritudini, sed omnem subeo laborem ut ne ab illa abstrahar.

II. Ne enim putetis me absque negotio hoc præstare. Nam cursus est, et omnis pugnæ genus, et naturæ tyrannis frequenter insurgens, ut libertatem assequatur. At illam non fero, sed coërceo, et cum multis sudoribus subigo. Hæc porro dicit, ut nemo desperet in suscipiendis pro virtute certaminibus, quia laboriosa res est. Ideo ait : « Cas» tigo et in servitutem redigo. » Non dixit, « Occido; non enim inimica est caro; sed, « Castigo et in servitutem redigo,» quod domini est, non inimici; doctoris, non hostis; pædotribæ, non adversarii. « Ne forte cum aliis prædicavero, » ipse reprobus efficiar. » Si vero Paulus hoc timuit qui tot homines docuit; et timuit postquam prædicavit et factus est Angelus, totiusque orbis patrocinium suscepit, quid nos dixerimus? Ne putetis enim, inquit, quia credidistis, hoc vobis sufficere ad salutem. Si enim mihi prædicasse, docuisse, innumeros adduxisse non satis est ad salutem, nisi ea, quæ me spectant inculpata proferam, multo magis vobis. Deinde ad alia exempla progreditur; et ut antea exempla posuit Apostolorum, communis consuetudinis, sacerdotum, et sua quoque; sic et nunc Olympicorum certaminum. Et postquam sua posuit, rursus ad antiquas pergit historias. Et quia asperius locuturus est, communem facit admonitionem, neque de propositis tantum, sed etiam de omnibus Corinthiorum ægritudinibus verba facit. Et de externis certaminibus, « Nescitis, » inquit; hic autem, « Nolo autem vos ignorare, fratres. » Hoc autem dicebat, ostendens ipsos hac de re non esse admodum eruditos. Et quid est illud? « Quod patres nostri omnes,

» inquit, sub nube fuerunt, et per mare transierunt; » et in Moyse baptizati sunt in nube et in mari; et » omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et » eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de » spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Chris- » tus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo[1]. » Et qua de causa hæc dicit? Ut ostendat, quod sicut illis non profuit, quod tantum acceperint donum, ita neque iis, quod baptisma acceperint, et spiritualium mysteriorum consortes fuerint, nisi vitam tanta gratia dignam exhibeant; ideoque adducit baptismatis et mysteriorum typos. Quid sibi vult illud : « In Moyse baptizati sunt? » Quemadmodum nos Christo credentes et ejus resurrectioni baptizamur, ut qui et ipsi mysteriorum participes futuri simus; « Baptiza- » mur enim, inquit, pro mortuis[2], » id est, corporibus nostris; ita et illi, Moysi fidentes, id est, videntes illum primum trajicientem, ausi sunt et ipsi quoque in aquas ingredi. Sed quia vult figuram prope veritatem adducere, non ita dicit, sed veritatis nominibus etiam in typo usus est. Et hoc quidem est symbolum lavacri; quæ sequuntur autem, sacræ mensæ. Ut enim tu corpus Dominicum comedis; sic et illi manna; et ut tu sanguinem bibis, ita et illi aquam de petra. Etiamsi enim sensilia essent illa quæ fiebant, at spiritualiter præbebantur, non secundum naturæ consequentiam; sed ex doni gratia, et cum corpore animam quoque nutriebant, ad fidem inducentia. Ideo de cibo quidem nihil dixit; erat enim mutatus, non tantum, modo, sed etiam natura; manna quippe erat; de potu vero, quia dandi modus solus præter opinionem erat, ac probatione opus habebat; ideo cum dixisset : « Eumdem » potum spiritualem bibebant, » subjunxit : « Bibebant enim » ex spirituali consequente petra; » et addidit, « Petra au-

[1] 1 Cor. x, 1-5. — [2] Id. xv, 29.

» tem erat Christus. » Non enim petræ natura aquam emittebat, inquit, alioquin autem antea scaturiisset; sed alia quædam petra spiritualis hoc totum faciebat, id est, Christus, qui semper ipsis præsens erat, et omnia mirabiliter operabatur. Ideo namque dicit, Consequente. Vidistine Pauli sapientiam, quomodo eum ostendit utrumque suppeditavisse, et hac ratione typum prope veritatem adduxit? Qui enim illa, inquit, ipsis suppeditavit, hic ipse hanc apparavit mensam : et idem ipse illos per mare, te per baptismum duxit; illisque manna et aquam, tibi corpus et sanguinem præbuit. Et talia sunt ea quæ donum ejus spectant. Videamus vero etiam sequentia, et consideremus an cum dono indigni visi essent illi, ipsis pepercerit. At hoc dicere non possis. Ideo subdidit : « Sed non « in pluribus eorum beneplacitum est Deo, » etsi tanto illos honore dignatus est. At nihil hoc illis profuit; sed plures ex iis perierunt; atqui omnes periere. Ne autem videatur illis extremum perniciem prophetare, ideo dixit, plures. Atqui erant innumerabiles : sed nihil profuit multitudo : omniaque illa erant amoris indicia; sed neque hoc ipsis profuit, quoniam quæ amoris erant non rependerant. Quia enim iis quæ de gehenna dicuntur multi non credunt, utpote quæ non appareant, nec videantur, ab iis quæ jam facta fuerant ostendit, Deum punire peccatores, etiamsi innumeris illos affecerit beneficiis. Nam si futuris non creditis, inquit, iis certe quæ jam facta sunt non fidem negabitis.

III. Considerate ergo quot beneficia illis præstiterit; ab Ægypto et a captivitate ipsos liberavit, mare stravit, ex cœlo manna demisit, ex terra fontes aquarum non expectatos emisit, ipsis ubique præsens erat miracula edens, et undique ipsos muniens. Attamen quia tanto dono dignum nihil exhibuere, non pepercit illis, sed omnes perdidit. « Nam prostrati sunt, inquit, in deserto; » repenti-

num illorum interitum, pœnas et supplicia divinitus immissa per hoc dictum declarans, et quod proposita præmia non sint assecuti. Neque enim in terra promissionis hæc eis fecit; sed extra et procul ab illa regione, duplici afficiens supplicio, et quod non concederet ipsis terram videre, quam ipsis promiserat, et quod gravi supplicio affecerit. Et quid hæc, inquies, ad nos? Ad te utique spectant: ideo subjunxit: « Hæc autem in figura » facta sunt nostri[1]. » Sicut enim dona figuræ sunt, ita quoque supplicia figuræ: et sicut baptisma et mensa prius describebantur, ita in sequentibus, propter nos præsignificatum est, quod qui tali dono indigni fuerint supplicio afficiendi sint, ut talibus exemplis moniti temperantiores simus. Ideo addidit: « Ut non simus concupiscentes » malorum, sicut illi concupierunt[2]. » Sicut enim in beneficiis typi præcesserunt, et secuta est veritas; sic et in suppliciis sequetur. Vides-ne quomodo ostendat, non modo quod puniendi sint; sed etiam quod magis quam illi? Nam si illud quidem typus est, hoc autem veritas, necesse est in suppliciis magnum esse culmen, ut etiam in donis. Et perpende in quosnam primum invehatur; in eos nempe qui in templis idolorum comedebant. Cum dixisset enim: « Ne » sitis concupiscentes malorum, » quod universale erat, quod in specie erat subjunxit, ostendens singula peccata ex mala esse cupiditate; et primum hoc dixit: « Neque » idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmo» dum scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et » surrexerunt ludere[3]. » Audisti quomodo tandem idololatras vocet? sed hic quidem pronuntians, postea autem etiam probans. Causam autem posuit ob quam ad mensas illas accurrebant: ea erat gula. Quapropter cum dixisset: « Ne » simus concupiscentes malorum, » et addidisset, « Ne si-

[1] 1 Cor. x, 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 7.

» tis idololatræ, » hujusce iniquitatis causam posuit; hæc autem erat gula. « Sedit enim, inquit, populus manducare et bibere; » et finem inde sequentem addit, nempe, « Surrexerunt ludere. » Ut illi, inquit, a deliciis ad idololatriam devenerunt; sic timendum est ne vos inde eo decidatis. Vidisti-ne quomodo ostendat hosce perfectos illis esse imperfectiores? quos pungebat non eo solum, quod non sustinerent; sed quod etiam illi ex ignorantia, alii ex ingluvie peccarent : et illorum quidem perniciei punitionem his tribuit; hos autem non sinit sui peccati causam referre in alium; sed et sui et aliorum damni ipsos obnoxios pronuntiat. « Neque fornicemur, sicut quidam » ex ipsis fornicati sunt. » Quare hic fornicationem memorat, cum de illa antea tantum disseruerit? Mos est semper Paulo, cum de multis accusat peccatis, ordine illa ponere, et proposita singulatim persequi, ac rursus ubi de aliis loquitur, priora etiam repetere. Quod Deus quoque faciebat in Veteri Testamento, in singulis delictis vitulum Judæis memorabat, et illud peccatum in medium adducebat. Hoc itaque et Paulus hic facit, illud simul commemorans peccatum et docens hoc prodiisse ex deliciis et gula. Quapropter adjecit : « Neque fornicemur sicut quidam eorum » fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia[1]. » Et cur non ponit etiam idololatriæ punitionem? An quia clarum erat et manifestum? An quia tunc plaga non tanta fuit, quanta Balaami tempore, cum initiati sunt Beelphegor, Madianiticis mulieribus in aciem accedentibus ipsosque ad libidinem allicientibus, secundum Balaami consilium? Nam quod hoc malum consilium Balaami esset, declarat Moyses postea dicens in fine libri Numerorum : « Balaam quoque filium Beor occiderunt in bello Madian » cum mulieribus, et adduxerant spolia. Et iratus est

[1] 1 Cor. x, 8.

» Moyses, et dixit : Cur vivas cepistis omnes mulieres? » Ipsæ enim erant filiis Israël in scandalum secundum ver- » bum Balaam, ut deficerent et despicerent verbum Do- » mini propter Phegor[1]. Neque tentemus Christum, sicut » quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt[2]. »

IV. Per hoc rursus aliud subindicat crimen, quod etiam in fine ponit, accusans illos quod de signis pugnarent, et propter tentationes murmurarent dicentes : Quando ve- nient bona? Quando præmia? Ideoque subjungit illos cor- rigens ac terrens : « Neque murmuraveritis sicut quidam » eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore[3]. » Non est enim solum quod quæritur pati pro Christo, sed etiam quæ accidunt fortiter ferre et cum omni voluptate. Hoc est enim omnino corona ; ut si hoc non fuerit, pœna etiam sequatur eos qui ægre ferunt. Ideo Apostoli flagris cæsi gaudebant, et Paulus in afflictionibus gloriabatur, « Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta » sunt autem ad correptionem nostram, ad quos fines sæ- » culorum devenerunt[4]. » Rursus terret finem memorans, et ad majora prioribus expectanda præparat. Nam quod pœnas daturi simus, ex dictis, inquit, planum est etiam iis qui iis quæ de gehenna dicuntur fidem non habent ; quod autem graviores, ex eo quod plura consecuti simus beneficia, et ex eo quod illa typi essent. Nam si in donis exuperantia sit; palam est in supplicio quoque fore. Ideo- que figuras appellavit, et propter nos scripta sunt, inquit, et finem in memoriam revocavit, ut consummationis men- tionem faceret. Non enim talia tunc erant supplicia, quæ finem accipiebant et tollebantur; sed pœna erit æterna. Sicut enim hujus vitæ pœnæ simul cum vita solvuntur, sic illic pœnæ æternæ erunt. Cum autem dicit, fines sæ- culorum, nihil aliud dicit, quam quod de cætero instet

[1] Num. xxxi, 8, 9, et 15, 16.— [2] 1 Cor. x, 9.— [3] Ibid. 10.— [4] Ibid. 11.

judicium illud horrendum. « Itaque qui se existimat stare, » videat ne cadat [1]. » Rursus illorum fastum dejecit qui de scientia sua altum sapiebant. Si enim illi qui tanta sunt bona consecuti, talia passi sunt, et alii quidem pro murmuratione solum tales luere pœnas; alii quod tentassent, et neque populus Deum est reveritus, neque quod tam multa consecutus esset; multo magis in nobis, nisi vigilemus, hoc erit. Et apposite dixit : « Qui se existimat stare. » Hoc enim non est stare, ut stare oportet, sibi ipsi confidere; qui talis est enim, citius cadet; nam illi quoque, nisi altum sapuissent et confidissent, sed si sese cohibuissent, non hæc passi essent. Unde liquet arrogantiam maxime, deindeque socordiam et gulam, horum esse fontes malorum. Itaque si stas, cave ne cadas. Nam hic stare, non est firmiter stare, donec liberemur a præsentis vitæ fluctibus, et ad tranquillum portum appellamus. Ne itaque altum sapias quod stes, sed cave lapsum. Si namque Paulus timuit omnium fortissimus, multo magis nos timere oportet. Apostolus itaque dicebat : « Quapropter qui sibi » videtur stare, videat ne cadat. » Nos autem ne hoc quidem possumus dicere, cum omnes fere lapsi et prostrati sint humique jaceant. Cui enim hoc dicam? Illi-ne qui quotidie rapit? Sed jacet ille magno lapsu dejectus. An scortatori? Sed humi projectus est. An ebrioso? At ipse quoque jacet, et nescit se jacere. Itaque jam non est tempus hujus proferendi verbi, sed illius prophetici, quod dicebat Judæis : « Num qui cadit, non resurgit [2]? » Etenim omnes jacent, nec volunt resurgere. Quamobrem adhortatio nobis est, non ut ne cadamus; sed ut ii qui jacent possint resurgere. Resurgamus igitur vel sero tandem, dilecti, resurgamus et fortiter stemus. Quousque jacemus? Quousque ebrii sumus, multa rerum sæcularium concupiscentia

[1] 1 Cor. x, 12. — [2] Jerem. viii, 4.

gravati? Opportunum est nunc dicere : Ad quem loquar et testificabor? usque adeo omnes ad ipsam virtutis doctrinam obsurduerunt, et multis hinc repleti sunt malis. Et si possemus animas videre nudas, ut in exercitibus post conflictum, alii mortui, alii vulnerati videntur; sic in Ecclesia videremus. Quamobrem obsecro et oro, manum alter alteri porrigamus, et exurgamus. Nam et ego ex sauciorum numero sum, et eorum qui pharmacis opus habent. Sed ne ideo animum despondeatis. Nam etsi gravia sunt vulnera, at non incurabilia. Talis est noster medicus; modo vulnera sentiamus. Etiamsi in extremum nequitiæ venerimus, multas nobis aperit vias salutis. Nam si proximo iram remiseris, remittentur tibi delicta. « Si enim, inquit, » remiseritis hominibus, remittet et vobis Pater vester cœ» lestis [1]. » Et si eleemosynam dederis, condonabit tibi peccata. « Iniquitates enim tuas, inquit, eleemosyna re» dime [2]. » Si diligenter oraveris, remissione frueris. Et hoc ostendit vidua, quæ immanem illum judicem frequenti petitione inflexit. Si peccata tua accusaveris, habes consolationem. « Dic tu enim primus peccata tua, ut justi» ficeris [3]. » Si pro iis tristis fueris, et hoc tibi pharmacum erit maximum. « Vidi enim, inquit, quod dolore affectus » sit, et abierit tristis, et curavi vias ejus [4]. » Et si quid mali passus, fortiter illud tuleris, totum exuisti. Hoc quoque enim diviti illi Abraham dicebat : Recepit Lazarus malas ua, et hic consolationem habet [5]. » Si viduæ misertus fueris, abluuntur peccata tua. Nam ait : « Judicate pupillo, » defendite viduam, et venite, disceptemus. » Ait Dominus : « Et si fuerint peccata vestra sicut puniceum, ut nivem » dealbabo; et si fuerint ut coccinum, ut lanam dealbabo [6]. » Neque enim vel cicatricem vulnerum sinit apparere.

[1] Matth. VI, 14. — [2] Dan. IV, 24. — [3] Isaï. XLIII, 26. — [4] Id. LVII, 17. — [5] Luc. XVI, 25. — [6] Isaï. I, 17, 18.

V. Sed etiamsi venerimus in illud profundum malorum, in quod incidit is qui paterna bona exedit et siliquis vescebatur, et pœnitentiam egerimus, omnino salvi erimus. Etiamsi decem millia talenta debeamus, et procidamus, injuriarumque memoriam deponamus, omnia nobis remittuntur. Etiamsi illic aberraverimus, ubi ovis ab ovili aberravit, inde ille nos reducit; si modo velimus, dilecti. Benignus enim est Deus; ideoque satis illi fuit, si is qui decem millia talenta debebat, ante se procumberet, et si is qui paterna bona absumpserat, reverteretur, et si errans ovis portari vellet. Cogitantes igitur benignitatis ejus magnitudinem, hic illum nobis propitium reddamus, et præoccupemus faciem ejus in confessione, ut ne hinc abeuntes sine defensione, extremum subeamus supplicium. Si enim in præsenti vita qualemcumque adhibeamus diligentiam, maxima lucrabimur; si autem non meliores effecti abscesserimus, etiamsi illic vehementi pœnitentia ducamur, nihil nobis proderit. Oportebat enim intra septa manentem decertare, non autem postquam solutum fuit theatrum lamentari et flere inutiliter, ut dives ille faciebat, lamentans et ejulans, sed jam frustra et incassum, quia tempus illud despexerat quo hæc facere oportuit. Non ille autem solus, sed multi alii jam sunt divites ipsi similes, qui pecunias quidem despicere nolunt; sed loco pecuniarum animam despiciunt : quod mirari subit mihi, cum video illos Dei misericordiam precantes, et ita affectos erga se ipsos ut incurabiles sint, animæque suæ tanquam inimicæ non parcentes. Ne ludamus, o dilecti, ne ludamus neque nos ipsos despiciamus, dum rogamus Deum ut nostri misereatur, et misericordiæ ejus, pecunias, delicias et omnia anteponimus. Neque enim si quis tibi dicam offerret et quempiam accusans diceret illum mille mortes subiturum, cum posset modica pecunia sese redimere, mallet

mori, quam aliquid ex suis numerare; misericordia aut venia illum esse dignum diceres. Hoc ergo et de te ipso reputa. Nam nos quoque hoc facimus, et salutem nostram despicientes, pecuniis parcimus. Quomodo ergo Deum precaris ut tibi parcat, cum tu ipse tibi non parcas, et animæ pecunias præferas? Quocirca admodum obstupesco cogitans quantæ in pecuniis lateant præstigiæ; imo non in pecuniis, sed in iis qui decipiuntur animis. Sunt enim, sunt utique, qui multum hasce præstigias irrident. Quid enim in illis est, quod nos fascinare possit? Nonne inanimata est materia? Nonne fluxa? Nonne infida est ejus possessio? Annon timoribus plena est et periculis? Annon cædibus et insidiis? Annon inimicitia et odio? Annon socordia et nequitia multa? Annon terra est et cinis? Quæ insania? Quis morbus? At non accusandi sunt tantum; inquies, hoc morbo laborantes, sed etiam solvendus est amor. Et quo alio modo solvemus, quam ostendentes rem esse malam, innumerisque plenam malis? At non facile est id amanti persuadere. Itaque alia ipsi pulchritudo opponenda est; sed cum ægrotet, incorpoream non videt pulchritudinem. Corpoream ergo illi ostendamus, et dicamus illi : Cogita prata, et flores qui in illis sunt, quovis auro elegantiores, et quibusvis lapillis et gemmis gratiores et pellucidiores. Cogita limpida fontium fluenta, fluvios, qui instar olei sine strepitu e terra profluunt. Ascende in cœlum et vide solis pulchritudinem, lunæ decorem, stellarum flores. Et quid hoc, inquies? non enim illis utimur ut pecuniis. Atqui magis quam pecuniis, quatenus eorum usus est magis necessarius, et iis fruimur securius. Neque enim times, ne quis illa, ut pecunias, auferens discedat. Sed licet tibi de iis perpetuo confidere, atque sine ulla cura vel sollicitudine. Si autem ideo doles, quod cum aliis fruaris illis, et quod non solus illa possideas, ut pe-

cunias; non pecunias, sed avaritiam solam mihi amare videris: nec pecunias amares, si communes omnibus prostarent. Cum igitur dilectam invenerimus, nempe avaritiam; age, ostendam tibi, quomodo illa te odio habeat et aversetur: quot contra te gladios acuat, quam multa fodiat barathra, quam multos tendat laqueos, quanta appareat præcipitia; ut sic amorem extinguas. Undenam hæc sciri possunt? ex viis, ex bellis, ex mari, ex tribunalibus. Nam mare implet sanguine, et judicum sæpe cruentat gladios, sæpe injuste, eosque qui noctu et interdiu in viis insidiantur ipsa armat, et suadet ignorare naturam: parricidas facit et matricidas, et omnia mala in vitam infert.

VI. Ideoque Paulus vocat illam malorum radicem. Ipsa amatores suos non meliore conditione jacere sinit, quam eos qui metalla operantur. Quemadmodum enim illi perpetuo in tenebris conclusi et vincti inutiliter laborant; sic et isti in speluncis avaritiæ defossi, nemine necessitatem inferente, sua sponte sibi supplicium attrahunt, se insolubilibus circumligantes vinculis. Et ad metalla damnati quidem, vespere saltem adveniente a laboribus solvuntur; hi vero et die et nocte improba hæc metalla defodiunt. Et illis quidem modus est constitutus laboriosæ illius operationis; hi vero nullum modum norunt; sed quo magis foderint, eo majorem appetunt miseriam. Si autem illi quidem inviti, hi vero sponte sua, morbi mihi dicis gravitatem, quod nempe liberari non possint, siquidem malam suam sortem non oderunt. Sed quasi sus in luto, sic illi in avaritiæ fœtoribus volutati sibi placent, graviora patientes quam damnati illi. Nam quod pejore conditione sint, audi quæ ad illos spectant, et tunc audies quæ ad hos pertinent. Dicitur ergo terra illa aurifera latibula et recessus habere in tenebrosis illis speluncis. Facinorosum, qui ad illos labores damnatus est, ideo lucernam acci-

pientem et ligonem, ita ingredi, et gutturnium afferre ut inde oleum in lucernam infundat, quia tenebræ illic sunt etiam interdiu, ut jam dixi. Deinde quando tempus infelicem illum vocat ad cibum, ipsum quidem tempus ignorare narrant; vincti vero custodem superne vehementer pulsantem speluncam, per strepitum et vocem indicare finem esse diei. Annon inhorruistis hæc audientes? Videamus ergo annon his graviora patiantur avari. Nam hi quoque graviorem habent carceris custodem, avaritiam, et eo graviorem, quod cum corpore animam simul colliget. Hæ vero tenebræ sunt illis horribiliores; non sunt enim sensibiles, sed illas intus parientes avari, quocumque abierint, ubique secum circumferunt: extinctus est enim ipsis animæ oculus. Ideoque Christus illos maxime omnium miseros prædicat dicens: « Si autem lumen quod in te est, » tenebræ sint, tenebræ quantæ erunt [1]? » Et illi quidem saltem lucernam habent lucentem; hi autem illa privantur: ideoque quotidie in barathra incidunt innumera. Et damnati illi quidem adveniente nocte respirant, in communem eorum, qui diem infeliciter transegerunt, tranquillitatem navigantes, in noctem dico; avaris autem hunc portum obstruxit avaritia; tot et tantis curis noctu distinentur in otio, nemine negotium faciente, se ipsos macerantes. Et quæ hic quidem aguntur talia sunt; quæ vero illic, quis sermo recensere possit, fornaces intolerabiles, fluvios igne ardentes, dentes stridentes, insolubilia vincula, vermem venenatum, tenebras lucis expertes, mala nunquam finem habentia. Timeamus ergo, dilecti, fugiamus fontem tantorum cruciatuum, furorem insatiabilem, nostræ salutis perniciem. Non possunt enim simul amari pecunia et anima. Discamus pecunias esse terram et pulverem, quod nos deserant hinc demigrantes, imo vero sæpe ante decessum.

[1] Matth. VI, 23.

sum nostrum resiliant, quod ad futuram nocent et ad præsentem vitam. Nam et ante gehennam, et ante supplicium illud, in bella hic nos innumera conjiciunt, seditiones excitant et pugnas. Nihil enim ita bellum concitat ut avaritia; nihil ita inopem reddit, sive in divitiis, sive in pauperie apparuerit. Nascitur enim etiam in pauperum animis gravis hic morbus, illorumque paupertatem magis atterit. Si autem inventus fuerit pauper avarus, non in divitiis ille, sed in fame dat pœnas. Non enim potest vel modicis illis quæ habet libere frui, sed et ventrem fame vexat, et corpus totum nuditate et frigore ulciscitur, et iis qui sunt in vinculis ubique squallidior et sordidior est : semper flet et lamentatur, ac si omnium miserrimus sit, etiamsi innumeri sint illo pauperiores. Hic si in forum ingressus fuerit, abit multis acceptis vibicibus ; si in balneum, si in theatrum, plura accipiet vulnera, non a spectatoribus solum, sed etiam ab iis qui in scena sunt : cum viderit meretrices multas auro fulgentes. Hic etiamsi in mari naviget, mercatores, et naves plurimis onustas mercibus cogitans, et lucra ingentia, neque se vivere putabit. Etiamsi per terram iter agat, agros, prædia suburbana, diversoria, balnea, proventus inde partos cogitans, non vitalem sibi vitam esse postea putabit. Quod si illum etiam intra domum incluseris, quæ in foro accepit vulnera refricans, apud se magis animum cruciabit : unamque novit solum consolationem malorum, quibus premitur, mortem et ex hac vita migrationem. Hæc non pauper modo, sed etiam dives, qui in hunc inciderit morbum, patietur, et tanto magis quam pauper, quanto vehementior imminet illi tyrannis, et major ebrietas. Ideo se omnium pauperrimum putabit, imo etiam vere pauperrimus est. Non enim ex facultatum modo, sed ex mentis affectu æstimantur divitiæ et paupertas. Et ille magis est omnium pauperrimus, qui

semper plura concupiscit, et nunquam sistere potest hanc malam concupiscentiam. Propter hæc omnia fugiamus avaritiam, quæ paupertatem inducit, animas corrumpit, gehennæ amicam, inimicam regni cœlorum, matrem omnium simul malorum, et pecunias contemnamus, ut fruamur pecuniis, et cum pecuniis fruamur etiam bonis nobis promissis. Quæ utinam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, honor et imperium in sæcula. Amen.

HOMILIA XXIV.

CAPUT X.

Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere [1].

I. Quia enim satis terruit eos vetera narrans exempla [2], atque in animi angorem conjecit, dicens: « Qui videtur » stare, videat ne cadat: » multas autem tulerant tentationes, et in iis sæpe sese exercuerant: nam in infirmitate, inquit, et in timore et tremore multo fui apud vos; ne dicerent: « Cur nos terres et timore afficis? non sumus in iis malis inexercitati, nam pulsi sumus et persecutionem passi, multa et frequentia subiimus pericula, » illorum rursus tumorem reprimens ait: « Tentatio vos non appre-

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 471-477.

» hendat nisi humana ; id est, parva, brevis, moderata. » Humanum enim dicit de parvo, ut cum ait : « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Ne itaque altum sapiatis, inquit, ac si tempestatem superaveritis. Nondum enim vidistis periculum quod mortem minaretur, neque tentationem mortem intentantem. » Quod etiam Hebræis dicebat : « Nondum usque ad sanguinem restitistis [1], » ad versus peccatum decertantes. Deinde quia exterruerat, vide quomodo rursus illos erigat, postquam persuaserat illis ut modeste agerent, dicens : « Fidelis est Deus qui » non patietur vos tentari supra id quod potestis. » Ergo sunt tentationes quæ ferri non possunt. Et quænam illæ? Omnes, ut ita dicam. Potestas enim in Dei nutu sita est, quam per voluntatis nostræ sententiam attrahimus. Quamobrem ut discas et videas, quod non solum illas quæ nostram superent potestatem, sed neque hasce humanas possimus sine illius auxilio facile ferre, subjunxit : « Sed faciet » cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. » Neque enim illas moderatas, ut dixi, propria virtute feremus : sed in his quoque ejus egemus auxilio, ut eas pervadamus, et antequam pervadamus feramus. Ipse namque patientiam dat, et promptam liberationem affert ; ita ut hac ratione tentatio ferri possit. Hoc enim subindicavit dicens : « Faciet » exitum ut possitis sustinere, » omniaque illi attribuit. « Propter quod, charissimi mei, fugite ab idolorum cultu [2]. » Rursus illos leniter alloquitur addito cognationis nomine, et cum magna urget celeritate ut ab hoc peccato liberentur. Non enim dicit solum, « Discedite, » sed, « Fugite : » ac rem vocat idololatriam : et ob proximi damnum jam non modo abscedere jubet ; sed rem ipsam per se sufficere ait ad magnam afferendam perniciem. « Ut prudentibus » loquor, vos judicate quod dico [3]. » Quia enim rem magnam

[1] Hebr. XII, 4. — [2] 1 Cor. X, 14. — [3] Ibid. 15.

locutus est, et crimen auxit vocans idololatriam, ne videretur exasperare illos, et molesta uti oratione, illis demum judicium permittit, et cum laude judices constituit illos. Ut prudentibus loquor, inquit : quod est admodum confidentis causæ et juri suo, cum nempe illum qui accusatur dicti judicem constituit. Hoc auditorem magis erit, quando non quasi imperans et legem ferens, sed quasi consulens, et illorum judicium expectans, sic disserit. Cum Judæis enim, utpote insana et puerili mente præditis, non sic Deus loquebatur, neque semper illis mandatorum causas indicabat; sed tantum jubebat. Hic autem, quia magna libertate fruimur, et consilium nobis adest, ut amicos nos alloquitur, et ait : « Non opus est mihi aliis judicibus : vos mihi calculum ferte, vos accipio judices. « Calix benedic-» tionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis » Christi est[1] ? » Quid dicis, o beate Paule? ut auditorem pudore afficias, mysteriaque horrenda memorans, benedictionis calicem vocas, terribilem illum atque formidandum calicem? Etiam, inquit? non parva enim res est quæ dicitur. Nam cum benedictionem dico, omnem explico Dei beneficentiæ thesaurum, et magna illa dona in memoriam revoco. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, et omnia quibus fruimur, sic illum offerimus et communicamus gratias agentes quod genus humanum ab errore liberaverit, quod eos qui procul erant prope fecerit, quod eos qui spem non haberent et athei erant in mundo, fratres suos et cohæredes constituerit. Pro his et similibus gratias agentes, sic accedimus. Quomodo non contraria facitis, inquies, o Corinthii, Deo quidem benedicentes, quod vos ab idolis liberaverit, dum rursus ad illorum mensas accurritis? « Calix benedictionis, » cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi

[1] 1 Cor. x, 16.

» est ? » Valde fideliter dixit et terribiliter ; hoc enim vult significare : Hoc quod in calice est, illud ipsum est quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum præ manibus habentes, sic ipsum celebramus, admirantes, terrore perculsi de ineffabili dono, benedicentes quod ipsum effuderit, ut ne in errore maneremus ; et non solum effuderit, sed etiam cum ipsum nobis omnibus impertierit. Itaque si sanguinem cupis, inquit, ne idolorum aram brutorum cæde, sed altare meum sanguine meo cruenta. Quid hac re horribilius ? quid, quæso, amabilius ?

II. Hoc et amatores faciunt. Cum vident eos quos amant aliena concupiscentes, et sua despicientes, sua dantes persuadent abscedere ab iis quæ illorum sunt. Sed qui amant in possessionibus, pecuniis et vestibus hanc exhibent liberalitatem ; in sanguine autem nullus unquam. Christus vero in hoc curam suam ostendit et ardentem erga nos charitatem. Et in veteri quidem lege, quia imperfectiores erant, quem idolis offerebant sanguinem, cum ipse excipere sustinuit, ut ab illis abduceret : quod ipsum rursus erat amoris ineffabilis. Hic autem in rem horribiliorem et magnificentiorem sacerdotalem transtulit operationem, ipso mutato sacrificio, et pro brutorum mactatione se ipsum jussit offerri. « Panis quem frangimus, nonne » communicatio corporis Christi est[1] ? » Cur non dixit : Participatio ? Quia voluit quid amplius significare, et magnam indicare conjunctionem. Non enim cum participamus tantum et sumimus, sed etiam cum conjungimur communicamus. Quemadmodum enim corpus illud Christo jungitur, ita et nos per panem hunc unimur. Cur autem addidit : « Quem frangimus ? » hoc enim in Eucharistia fieri videre est ; in cruce vero non item, imo contrarium :

[1] 1 Cor. x, 16.

ait enim, « Os non comminuetur [1]. » Sed quod non passus est in cruce, hoc propter te patitur in oblatione, et frangi patitur ut omnes impleat. Deinde quia dixit communicationem corporis, quod autem communicat, aliud est ab eo cui communicat, hanc etiam, quæ parva videbatur esse, differentiam sustulit. Cum dixisset enim, communicatio corporis, quæsivit rursum aliquid propinquius dicere, ideo subjunxit : « Quoniam unus panis et unum corpus multi » sumus [2]. » Quid enim, inquit, dico communicationem ? Illud ipsum corpus sumus. Quid est enim panis ? Corpus Christi. Quid autem fiunt communicantes ? Corpus Christi, non corpora multa, sed unum corpus. Sicut enim panis ex multis granis constans, unitus est, ita ut grana nusquam appareant ; sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit illorum differentia propter conjunctionem ; sic nos et mutuo et cum Christo conjungimur. Non enim ex altero corpore hic, ex altero ille nutritur, sed ex eodem ipso omnes. Ideo adjecit, « Omnes enim ex uno pane participamus [3]. » Si autem ex eodem, et idipsum efficimur omnes, cur non eamdem charitatem exhibemus, et ea ratione unum efficimur ? Nam olim majorum nostrorum tempore hoc erat. Multitudinis enim credentium, inquit, cor unum et anima una erat. At non nunc, imo totum contrarium. Multa et varia sunt inter omnes bella, et feris sævius affecti sumus alter in alterius membra. Et Christus quidem te, etsi tantum ab ipso disjunctum, univit. Tu vero ne fratri quidem jungi dignaris cum debita accuratione, sed abscindis te, tantam a Domino et charitatem et vitam consecutus. Neque enim solummodo corpus suum dedit ; sed quia prior carnis natura ex terra formata, a peccato prius morte affecta et amissa vita aliam, ut quis dixerit, massam et fermentum induxit ; carnem suam, quæ natura eadem erat,

[1] Joan. XIX, 36. — [2] 1 Cor. X, 17. — [3] Ibid.

peccato autem liberam, et vita plenam, omnibus participandam dedit, ut ea nutriti et deposita priore quæ mortua erat, in vitam immortalem per hanc mensam coaptaremur. « Videte Israël secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris [1] ? » Rursus ex veteri lege ad idem inducit. Quia enim longe imbecilliores erant quam ut dictorum magnitudinem caperent, a prioribus et assuetis illis persuadet. Et apposite ait : « Secundum carnem, » quod ipsi essent secundum Spiritum. Hoc autem vult significare. Etiam a crassioribus docemini, quod qui hostias comedunt, participes sint altaris. Vides-ne quomodo ostendat eos qui viderentur esse perfecti non habere perfectam cognitionem, si ne hoc quidem scirent, quod ex his sæpe communicatio quædam multis sit et amicitia cum dæmonibus, consuetudine paulatim ipsos attrahente ? Si enim apud homines salis et mensæ conjunctio, amicitiæ occasio et symbolum est, idipsum et in dæmonibus contingere potest. Tu vero mihi perpende quomodo de Judæis quidem non dixerit, quod cum Deo communicent, sed, quod participes altaris essent; urebatur enim quod superpositum erat. In corpore autem Christi non sic. Sed quomodo? communicatio corporis Domini est. Non enim altaris, sed ipsius Christi participes efficimur. Cum autem dixisset participes altaris esse, deinde timens ne videretur de idolis loqui, ac si potestatem quamdam haberent, et nocere possent, vide quomodo hoc de medio tollat, rursum dicens : « Quid ergo dico? quod idolum sit aliquid, aut » idolis immolatum sit aliquid [2] ? »

III. Hæc autem dico, inquit, et de medio tollo, non quod possint idola in aliquo nocere, aut aliquam vim habeant : nihil sunt enim, sed volo vos ea despicere. Et si vis, inquies, nos ea despicere, cur cum studio nos ab illis

[1] 1 Cor. x, 18. — [2] Ibid. 19.

abducis ? Quia non offeruntur Domino tuo. « Quæ enim » immolant gentes, inquit, dæmoniis immolant, et non » Deo [1]. » Ne curratis ergo ad contraria. Neque enim, si regis filius esses, deinde mensa fruens paterna, illa relicta, damnatorum et vinctorum in carcere mensæ consors esse velles, id-ne pater permitteret ? imo cum vehementia magna te abduceret, non quod mensa te lædere posset, sed quod ea nobilitatem tuam et mensam regiam dedecoraret; sunt enim hi servi scelesti, infames, damnati, vincti, intolerabili supplicio reservati, malis obnoxii innumeris. Quomodo ergo non erubescis more helluonum et illiberalium, cum damnati illi mensam apponunt, illuc accurrere et appositorum particeps esse ? Ideo te abduco. Nam immolantium scopus et accipientium persona, apposita reddunt impura. « Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum [2]. » Vidisti-ne amicitiam patris curam gerentis ? Vidisti-ne dictum ipsum quod affectum cum emphasi exhibeat ? Nihil enim cum illis commune vos habere volo, inquit. Deinde quia adhortationis modo sermonem induxerat, ne quis ex crassioribus id contemneret, quasi potestatem habens, quia dixerat, Nolo; et, Vos judicate, sententiam et legem postea statuit dicens : « Non potestis calicem Domini bibere et calicem » dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini esse participes » et mensæ dæmoniorum [3]. » Solis verbis est contentus ut abducat. Deinde pudorem inculiens : « An æmulamur » Dominum ? Numquid fortiores illo sumus [4] ? » Id est, tentamus eum num possit nos punire, et irritamus eum ad adversarios deficientes, et cum inimicis ejus in acie stantes ? Hoc autem dixit, in memoriam illis revocans veterem historiam, et patrum transgressionem. Ideo hac usus est voce, qua adversus Judæos Moyses olim usus est, accusans eos de idololatria ex persona Dei. « Ipsi enim, inquit, pro-

[1] 1 Cor. x, 20. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22.

» vocaverunt me in eo qui non erat Deus, irritaverunt me » in idolis suis. Num illo fortiores sumus[1] ? » Vidisti-ne quam terribiliter et horribiliter ipsos increpavit, ipsos eorum nervos concutiens, ea re in absurditatem adducta, illos valde perstringens, illorumque tumorem deprimens? Et cur, inquies, hæc ab initio non posuit, quæ illos maxime abduxisset? Quia mos est illi pluribus ea quæ vult probare, et fortiora ultima ponere, atque ex vi magna vincere. Ideo a minoribus orsus, ad caput malorum venit. Sic et hoc magis acceptum fuit, prioribus delinito illorum animo. « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia » mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum » est quærat, sed quod alterius unusquisque[2]. » Vides-ne accuratam prudentiam? Quia enim verisimile erat illos dicere : « Perfectus sum et mei juris, et nihil læsus appo-sita degusto. » Etiam, inquit, perfectus es et tui juris. At ne illud attendas; sed num illud damnum afferat ; imo eversionem. Nam utrumque dixit, non omnia conferunt, non omnia ædificant, et aliud pro se ipso, aliud pro fratre posuit. Nam dicere : « Non expedit, » est suam perniciem subindicantis : dicere autem, « Non ædificat, » fratris scan-dalum subindicat. Ideo subjunxit : « Nemo quod suum est » quærat ; » quod ubique et per totam confirmat Epistolam, et in Epistola ad Romanos cum dicit : « Etenim Christus » non sibi ipsi placuit ; » et rursum, « Sicut et ego per om-» nia omnibus placeo ; non quærens meam utilitatem[3]. » Et hic rursum ; non tamen illud hic excutit. Quia enim superius illud pluribus probaverat et demonstraverat, quod nusquam ea quæ sua sunt quærat[4], sed quod Judæis tanquam Judæus factus sit, et iniquis tanquam iniquus, et quod libertate potestateque sua non temere sit usus, sed ad

[1] Deut. xxxii, 21. — [2] 1 Cor. x, 23, 24. — [3] Rom. xv, 3. — [4] 1 Cor. x, 33.

id quod omnibus utile esset, serviens omnibus, paucis contentus verbis huc desiit, per hæc pauca illis in memoriam revocans omnia quæ dicta sunt. Hæc ergo nos quoque cum sciamus, dilecti, fratribus prospiciamus, et unitatem cum illis servemus. In hoc enim nos inducit sacrificium illud horrendum et tremendum, jubens nos cum concordia maxime illo accedere, et cum charitate ferventi, et inde aquilas effectos, ita ad ipsum advolare cœlum. « Ubi enim » erit cadaver, inquit, ibi et aquilæ [1]; » cadaver corpus mortuum vocans. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem vocat, ostendens sublimem esse oportere illum qui ad hoc corpus accedit, et nihil cum terra commune habere, neque deorsum trahi ac serpere, sed assidue semper sursum volare, et ad Solem justitiæ respicere, et mentis oculum acutum habere. Aquilarum enim, non gracculorum, hæc est mensa. Ipsi tunc occurrent descendenti de cœlis, qui nunc digne percipiunt, ut qui indigne extrema patientur.

IV. Si enim regem quis non utcumque nec perfunctorie acceperit. Quid regem dico? Ne vestem quidem regiam quis impuris manibus tetigerit, etiamsi in solitudine sit, etiamsi solus et nemo adsit: atqui nihil aliud est vestis quam stramen vermium. Si vero tincturam miraris, ipsa quoque mortui piscis sanguis est; nemo tamen ausus fuerit illam sordidis contrectare manibus. Si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temere tangere, quomodo corpus universorum Dei immaculatum et purum, quod cum divina illa natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portæ mortis fractæ sunt, et fornices cœli aperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus? Ne, quæso, ne nos ipsos jugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus, et cum

[1] Matth. XXIV, 28.

ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non ultra captivus, sed liber. Ideo cœlos spero et bona illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, Angelorum sortem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, flagris cæsum mors non tulit. Hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit. Ideo tunc velum scissum est, petræ ruptæ sunt, et universa terra concutiebatur. Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquæ. Vis aliunde ejus vim discere, interroga mulierem sanguinis fluxu laborantem, quæ non ipsum, sed ejus vestimentum, imo non totum, sed fimbriam tetigit. Interroga mare quod dorso suo ipsum gestavit: interroga et ipsum diabolum, et dic: Unde habes plagam illam insanabilem? Unde fit ut nihil jam possis? Undenam captus es? A quo detentus fuisti dum fugeres? Et nihil aliud dicet, quam corpus crucifixum. Per hoc stimuli ejus confracti sunt, per hoc corpus ejus contritum, per hoc Principatus et Potestates traductæ sunt: « Spolians enim, inquit, Principatus et »Potestates traduxit confidenter, triumphans de illis in »semetipso [1]. » Interroga mortem et dic: « Undenam sublatus est stimulus tuus? Undenam soluta est tua victoria? Undenam præcisi sunt nervi tui, et puellis infantibusque facta es ridicula, quæ tyrannis et justis omnibus antehac formidabilis eras? » Et huic corpori causam ascribet. Cum enim crucifigebatur, tunc mortui resurrexerunt, tunc carcer ille ruptus est et portæ æreæ confractæ sunt, et mortui resurrexerunt, et janitores inferni omnes obstupefacti sunt. Atqui si fuisset unus ex multis, contrarium accidere oportebat; mortem fuisse potentiorem, sed non fuit: non enim erat unus ex multis; ideo illa soluta fuit.

[1] Coloss. II, 15.

Et sicut ii qui alimentum accipiunt, quod retinere non possint, etiam quæ prius percepta fuerant propter illud evomunt; ita etiam accidit in morte. Corpus, quod ipsa non poterat conficere, accipiens, illa quoque rejecit, quæ intus retinebat : cum illud intus haberet, parturiebat, et premebatur, donec ipsum evomuit. Ideo ait Apostolus : « Solutis doloribus mortis [1]. » Nulla enim mulier prægnans parturiensque tanto labore premitur, quanto illa corpus habens dominicum, dilacerabatur. Et quod in Babylonico dracone accidit, cum accepto cibo medius diruptus est, hoc et isti evenit. Non enim Christus per os mortis egressus est, sed ipso medio draconis ventre dirupto et dissecto, sic ex penetralibus prodiit, cum splendore multo, radiosque emittens, non usque ad hoc cœlum, sed usque ad ipsum supernum solium : nam illuc quoque ipsum adduxit. Hoc corpus dedit nobis et tenendum et comedendum, quod intensæ dilectionis fuit : eos enim quos ardenter amamus, etiam sæpe mordemus. Ideo Job amorem famulorum, qui circa illum erant, ostendens dicebat illos ipsum vehementer amantes dixisse : « Quis nobis det de carnibus » suis ut impleamur [2] ? » Sic et Christus dedit nobis carnes suas ut impleamur, ad majorem nos amicitiam attrahens.

V. Accedamus igitur cum fervore ad illum, et cum ardenti charitate, et ne subeamus supplicium. Quanto enim majora beneficia acceperimus, tanto magis puniemur, cum beneficiis indigni apparebimus. Hoc etiam corpus in præsepi jacens reveriti sunt Magi. Et viri impii ac barbari patria domoque relicta, viam emensi sunt longam, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt. Imitemur ergo saltem barbaros, nos cœlorum cives. Illi namque in præsepe respicientes et in tugurio, et nihil eorum respicientes, quæ tu nunc vides, cum tremore multo

[1] Act. II, 24. — [2] Job. XXXI, 31.

accesserunt. Tu vero non in præsepe respicis, sed in altare; non mulierem tenentem, sed sacerdotem astantem, et Spiritum cum ubertate magna in proposita supervolantem. Non simpliciter hoc ipsum corpus vides, ut illi, sed nosti ipsius et virtutem et dispensationem omnem, et nihil ignoras eorum quæ per ipsum perfecta sunt, cum omnia initiatus accurate didiceris. Excitemus itaque nos ipsos et horreamus, et multo majorem quam barbari illi pietatem exhibeamus, ut non temere et inconsiderate accedentes, ignem in caput nostrum congeramus. Hæc autem dico, non ut ne accedamus; sed ne temere accedamus. Sicut enim temere accedere, periculum est; sic his mysticis cœnis non communicare, fames est et mors. Hæc enim mensa nervi animæ nostræ, mentis vinculum, fiduciæ causa, spes, salus, lux, vita est. Si cum hoc sacrificio, illo abierimus, cum fiducia sacra illa vestibula adibimus, quasi quibusdam aureis armis instructi undique. Ecquid futura dico? Hic enim tibi terram cœlum facit hoc mysterium. Aperi ergo cœli portas, et perspice; imo potius non cœli, sed cœli cœlorum, et tunc videbis illud quod dictum est. Quod enim illic omnium pretiosissimum est; hoc tibi in terra jacens monstrabo. Sicut enim in regia quod omnium magnificentissimum est, non muri sunt, non tectum aureum, sed regium corpus in solio sedens; sic et in cœlis regium corpus. Sed hoc nunc tibi licet in terra videre. Non enim Angelos, non Archangelos, non cœlos et cœlos cœlorum, sed ipsum tibi horum Dominum ostendo. Vidisti-ne quomodo id quod omnium pretiosissimum est in terra respicias? Neque vides tantum, sed et tangis; nec tangis tantum, sed etiam comedis, et eo accepto domum reverteris. Absterge igitur animam; præpara mentem ad horum mysteriorum perceptionem. Etenim si regis filius cum ornatu, purpura et diademate concreditus tibi esset

gestandus, omnia quæ sunt in terra abjecisses. Nunc autem non filium regis, sed ipsum Dei Filium unigenitum accipiens, non exhorrescis, dic mihi, et non omnem sæcularium rerum amorem abjicis, neque illo tantum ornatu gloriaris; sed adhuc in terram respicis, pecunias amas, et auro inhias? Ecquam habiturus es veniam? quam excusationem? Non vides quantum sæcularem omnem magnificentiam aversetur Dominus? Nonne ideo cum natus esset in præsepi positus est, et matrem accepit vilis conditionis? Nonne ideo dicebat ei qui ad cauponam respiciebat: «Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet[1]?» Quid vero Discipuli? Nonne eamdem servabant legem, in pauperum domos diversantes; alius quidem apud sutorem, alius apud tabernaculorum opificem, et apud purpurariam? Non enim domus splendorem, sed animarum virtutes quærebant. Hos itaque et nos imitemur: pulchritudinem columnarum et marmorum prætercurrentes, superas vero mansiones quærentes; et omnem fastum humanum calcemus cum pecuniarum cupiditate, altumque sensum assumamus. Si enim sapienter attendamus, neque mundus hic nobis dignus est, nedum porticus et ambulacra. Quamobrem, rogo, animam nostram ornemus, hanc domum apparemus, qua etiam accepta hinc migrabimus, ut æterna bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium et honor in omnia sæcula. Amen.

[1] Matth. VIII, 20.

HOMILIA XXV.

CAPUT X.

Omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam[1].

I. Cum dixisset impossibile esse calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, et penitus abduxisset a mensis illis, ab exemplis judaïcis, a ratiociniis humanis, a mysteriis horrendis, ab iis quæ peraguntur in idolis, et cum ingentem metum incussisset, ne tali metu illos ad aliud extremum impelleret, et majori quam par esset utentes curiositate cogerentur timere, ne ipsis ignorantibus aliquid tale invehereturaut ex foro aut aliunde, ipsos a tali necessitate eripiens ait: «Omne quod in macello vænit manducate, nihil interrogantes.» Si enim ignorans, inquit, comederis et nesciens, non es obnoxius supplicio; nam ignorantiæ deinceps res est, non ingluviei. Neque ab hac tantum illos formidine liberat, sed ab alia quoque, multam illis libertatem securitatemque apparans; neque enim dijudicare, sive examinare et sciscitari, an idolothytum sit, an non; sed indiscriminatim comedere quidquid ex foro affertur, neque discere quid sit id quod apponitur; unde fit ut qui ignorans comederit liberetur. Talia enim sunt quæ natura non sunt mala, sed ex cogitatione quid immundum faciunt. Propterea dicit: «Nihil interrogantes. Nam Domini est » terra et plenitudo ejus[2],» non dæmoniorum. Quod si terra, fructus, et bruta ejus omnia, nihil habent immundum; sed

[1] 1 Cor. x, 25. — [2] Ibid. 26.

alio modo immundum efficitur ex cogitatione et ex inobedientia; ideo non modo permisit, sed etiam, « Si quis, in» quit, vos vocat infidelium, et vultis ire, omne quod vo» bis apponitur manducate, nihil interrogantes propter » conscientiam[1]. » Vide rursus moderationem; neque enim jussit vel præcepit abire, sed neque prohibuit. Abscedentes rursus ab omni suspicione liberat. Quare? ne videretur a metu aut formidine esse tanta accuratio. Nam qui curiose inquirit, quasi timens hoc facit. Qui autem postquam audivit abstinet, quasi despiciens, et odio habens et aversans, abstinet. Ideo Paulus utrumque confirmare volens, ait: « Omne quod vobis apponitur manducate: Si quis au» tem vobis dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite man» ducare propter illum qui indicavit[2]. » Neque enim tanquam a vim aliquam habentibus, sed tanquam ab execrandis jubet abstinere. Neque igitur ab iis ut quæ nocere possint fugite; nullam quippe vim habent; neque quia nullam vim habent, indiscriminatim percipiatis: hostium enim et inhonoratorum mensa est. Ideo dicebat: « Nolite comedere » propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Do» mini enim est terra et plenitudo ejus[3]. » Vides-ne quomodo et cum comedere jubet, et cum abstinere oportet, idem testimonium in medium adducat? Neque enim ideo prohibeo, inquit, quasi aliena sint; nam Domini est terra; sed propter id quod dicebam, propter conscientiam, id est, ne lædaris. Oportet ergo curiose inquirere? Non, inquit. Neque enim tuam dixi conscientiam, sed illius. Prius enim dixi: «Propter illum qui indicavit,» et rursus. « Con» scientiam dico non tuam, sed alterius[4]. » Sed forte dixerit quispiam: Fratribus merito parcis, et non sinis nos gustare propter illos; ne eorum conscientia cum sit infirma, inducatur ad comedendum ea quæ idolis sunt immolata.

[1] 1 Cor. x, 27. — [2] Ibid. 28. — [3] Psal. xxiii, 1. — [4] 1 Cor. x, 29.

Si vero gentilis quispiam fuerit, quid tibi curæ est? Nonne tu dicebas: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? » Cur ergo rursus de illis curam geris? Non illius, inquit, sed etiam hic tui curam gero. Ideo subjunxit: « Ut quid » enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia[1]? » Libertatem dicens, quod non observetur, neque prohibeatur: hoc enim libertas est, a judaïca servitute liberata. Hoc autem vult significare: Liberum me fecit Deus, et omni documento superiorem. Sed nescit gentilis de mea judicare philosophia, neque Domini mei liberalitatem perspicere; sed condemnabit et apud se dicet: Fabulæ sunt res Christianorum: abstinent ab idolis, fugiunt dæmonas, et hærent iis quæ illis offeruntur. Viget apud illos gula. Et quid tum, inquies? Quid nobis damni, si ille male judicet? Quanto autem melius non illi occasionem dare ut judicet? Si enim abstineas, ne hæc quidem dicet. Quomodo, inquies, non dicet? Cum enim viderit me non hæc examinare, non in macello, non in convivio, quomodo non dicet neque damnabit, ut qui indiscriminatim horum particeps sim? Nequaquam. Neque enim hæc tanquam idolis immolata comedis, sed tanquam munda. Si autem non curiose inquiris, ut ostendas te apposita non timere. Propterea sive in domum Græcorum ingrediaris, sive in forum veneris, non permitto te sciscitari, ne strepitum timeas, vel impliceris, neve tibi superflua præbeas negotia. « Si ego » cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gra» tias ago[2]? » Cujus, quæso te, particeps es? Dei donorum. Ejus enim gratia tanta est, ut animam meam reddat impollutam, et omni macula superiorem. Quemadmodum enim sol radios immittens in multas maculas, rursus illas comprimit et reddit mundas; ita et nos, et multo magis in

[1] 1 Cor. x, 29. — [2] Ibid. 30.

medio mundi versantes, puri manemus, si velimus, quo etiam vim habemus majorem.

II. Cur ergo, inquit, abstines? Non quasi futurus sim immundus, absit; sed propter fratrem, et ne sim socius dæmoniorum, neve judicer ab infideli. Hic enim non amplius natura, sed inobedientia, et amicitia erga dæmonas, me facit immundum, et liberum arbitrium maculas operatur. Quid sibi vult autem illud : « Quid blasphemor » pro eo quod gratias ago? » Ego enim, inquit, gratias ago Deo, quod me ita sublimem fecerit, et humilitate judaïca superiorem, ita ut nulla ex parte lædar. Gentiles autem meam ignorantes philosophiam, contraria suspicabuntur et dicent : Christiani nostra appetunt, et sunt hypocritæ, nam cum dæmones vituperent et aversentur, ad mensas eorum accurrunt; quo quid insanius esse possit? Non ergo veritatis causa, sed ambitionis et principatus amoris, ad hoc dogma se contulerunt. Quantæ ergo insaniæ fuerit, si pro illis, quibus affectus, sum beneficiis tantis, ut de illis gratias agam, blasphemiæ causa fuerim? At hæc quoque nunc dicet Græcus, inquies, cum viderit me non curiose inquirere? Nequaquam : non enim omnia plena sunt idolothytis, ut hoc suspiceris, neque tu illa ut idolothyta degustas. Noli ergo curiose indagare supervacanea; neque rursus si aliqui dicant : Idolis immolatum est, ejus sis particeps. Nam gratiam tibi Christus dedit, sublimemque te fecit atque huic damno superiorem; non ut male audias, neque ut unde tantum lucratus es ut gratias ageres, inde ita alios lædas ut blasphement. Cur enim, inquit, non dico Græco : Rodo et nihil lædor, neque quasi dæmonum amicus hoc facio? Quia non potes persuadere, etiamsi millies dicas : « Infirmus namque est et inimicus. Si enim fratri nondum persuasisti, multo minus inimico et Græco persuadebis. » Si ille per

conscientiam idolis immolati retinetur, multo magis infidelis. Quid autem nobis tam multis opus est negotiis? Quid ergo, quia Christum novimus et gratias agimus, illi autem blasphemant, ideo ab hoc abstinebimus? Apage. Non enim par res est : illic enim lucrum magnum est, quod blasphemiam feramus, hic autem nihil erit lucri. Ideo prius dicebat : « Neque enim si manducamus, abundamus, neque si » non manducamus, deficimus. » Præter hæc autem rem esse fugiendam pronuntiavit, ita ut alia etiam ratione abstinere oporteat, non ideo tantum, sed ob alias quas dixit causas. « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud » quid facitis, omnia in gloriam Dei facite[1]. » Vidisti-ne quomodo a re proposita ad id, quod universale est, adhortationem deduxerit, una pulcherrima nobis data definitione, ut Deus per omnia glorificetur? « Sine offensione estote Ju» dæis et Gentibus, et Ecclesiæ Dei[2], » id est, nullam cuiquam detis ansam. Nam frater offenditur, Judæus magis te odio habebit, teque damnabit, Gentilis similiter tanquam helluonem irridebit et hypocritam. Non modo fratres offendere non oportet, sed, quantum fieri potest, ne externos quidem. Si enim lux sumus et fermentum, et luminaria, et sal, illuminare, non tenebris offundere oportet; stringere, non dissolvere; ad nos infideles attrahere, non fugare. Quid ergo persequeris eos, quos attrahere oportet? Etenim Græci offenduntur cum nos vident ad talia revertentes. Mentem enim nostram non norunt, neque quod anima nostra sit sublimior, omnique sensibili macula superior. Judæi vero et infirmiores fratres eadem ipsa patientur. Vides-ne quantas posuerit causas, ob quas oporteat ab iis quæ idolis immolata sunt abstinere? Propter inutilitatem, propter superfluitatem, ob damnum fratris, ob Judæi blasphemiam, ob Græci maledictum; quod non

[1] 1 Cor. x, 31. — [2] Ibid. 32.

oporteat cum dæmonibus communicare, quod ea res idololatria quædam sit. Deinde quia dixit : « Sine offensione esstote, » et obnoxios illos fecit et Gentilium et Judæorum damnis, atque illud grave molestumque erat; vide quomodo illud acceptabile et leve faciat, sese medium ponens ac dicens : « Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non »quærens quod mihi utile est; sed quod multis, ut salvi »fiant[1]. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[2]. »

III. Hoc est regula perfectissimi christianismi, hoc accurata definitio, hoc summum fastigium, quæ in commune conferunt quærere; quod et ipse declarans subjunxit : « Sicut et ego Christi. » Nihil enim ita potest imitatorem Christi facere, ut curam proximi gerere. Sed etiamsi jejunaveris, humi cubueris, si te, ut ita dicam, strangulaveris, proximi autem curam non geras, nihil magni fecisti; sed adhuc longe abes ab hac imagine hæc faciens. Atqui hic quidem ipsa quoque res natura sua est utilis, abstinere ab iis quæ sunt idolis immolata. Ego autem plurima feci, inquit, ex iis quæ per se non sunt utilia, nempe quando circumcidi, quando sacrificavi. Hæc enim quando per se examinantur, et perdunt eos qui id faciunt, et efficiunt ut a salute excidant. Attamen sustinui illa, ob lucrum inde proveniens. Illic autem nihil simile. Illic enim nisi adsit utilitas, et nisi aliis prosit; tunc res damnosa est; hic vero, etiamsi nemo offendatur, oportet tamen a prohibitis abstinere. Non solum autem noxia, sed etiam laboriosa pertuli. « Alias enim Ecclesias depopulatus sum, inquit, accepto stipendio[3], et cum comedere liceret, et non operari, hoc non quæsivi; sed malui fame perire potius quam alteri offendiculo esse. » Ideo ait : « Per omnia omnibus placeo; sive rem legibus adversam, sive laboriosam, sive periculosam oporteat facere, omnia in aliorum

[1] 1 Cor. x, 24. — [2] Id. xi, 1. — [3] 2 Cor. xi, 8.

utilitatem sustineo. » Cum ergo omnibus superior esset quantum ad accuratam vitæ rationem, omnibus inferior erat per attemperationem. Nam nullum præclare gestum ita magnum esse possit, nisi utilitatem ad alios transmiserit, idque palam est ex illo qui talentum integrum retulit, et dissectus est, quoniam illud non multiplicavit. Et tu ergo, frater, etiamsi abstineas a cibo, etiamsi humi cubes, etiamsi cinerem comedas, semperque lamenteris, si nihil alium juves, nihil magnum operaris. Etenim illis in principio viris magnis et præclaris, hoc maxime curæ erat. Eorum vitam accurate scrutare, et clare videbis eorum neminem sua spectasse, sed singulos ea quæ proximi erant, unde etiam magis resplenduerunt. Nam et a Moyse multa et magna patrata sunt miracula et signa ; sed nihil illum tam magnum fecit, ut beata illa vox quam ad Deum emisit, dicens : « Si autem dimittis illis peccatum, » dimitte, sin minus, et me quoque dele[1]. » Talis quoque David erat, ideo dicebat : « Ego pastor peccavi, et ego » male feci, et isti qui sunt grex quid fecerunt ? Sit manus » tua super me et super domum patris mei[2]. » Sic Abraham non id quod sibi competeret, quærebat, sed quod multis. Ideoque periculis sese exponebat, Deumque rogabat pro iis, qui ad ipsum nihil attinebant. Et hi quidem ita claruerunt. Qui vero ea quæ sua essent quærebant, vide quantum damni acceperint. Ejus certe fratris filius, cum audisset : « Si tu ad dexteram, ego ad sinistram[3], » et optasset, quod sibi utile erat quæsivit, neque quod suum erat invenit ; sed hæc quidem regio tota conflagravit, illa autem mansit illæsa. Jonas rursum cum non quæsisset id quod multis, sed quod sibi conducebat, in periculum exitii venit. Et urbs quidem stabat, ipse vero agitatus fluctibus et demersus fuit. Cum autem id quod multis

[1] Exod. xxxii, 31, 32. — [2] 2 Reg. xxiv, 17. — [3] Gen. xiii, 9.

utile erat quæsivit, tunc quod suum erat invenit. Sic et Jacob in gregibus cum non lucrum proprium quæsivisset, magnas opes est assecutus. Et Joseph cum fratrum commodum quæsivisset, suum invenit. Missus enim a patre, non dixit: Quid hoc est? Non audisti quod pro visu et somniis me discerpere conati sint, et pro somniis in crimen vocatus sim, et quod a te diligar pœnas dederim? Quid ergo non facturi sunt, si me in medio tenuerint? Nihil horum dixit, nec cogitavit; sed fratrum curam omnibus prætulit. Ideoque omnia quæ post illis obtigerunt assecutus est bona, quæ etiam illum valde clarum fecerunt et gloriosum. Sic et Moyses; nihil enim impedit quominus illum secundo memoremus; et videamus quomodo sua despexerit, et aliis bona conferre quæsierit. Ille namque in regia versans, quia majores divitias esse putabat opprobrium, quam Ægypti thesauros, projectis omnibus quæ præ manibus habebat, malorum socius cum Hebræis fuit, nec modo ipse non in servitutem redactus est, sed etiam illos a servitute liberavit. Magna quidem hæc sunt, et angelico digna instituto.

IV. At quod Paulum spectat longe excellentius est. Alii enim omnes suis relictis bonis, proximi malorum socii esse voluerunt. Paulus vero rem longe majorem fecit. Non enim alienarum calamitatum particeps esse voluit, sed id elegit, ut ipse in extremis esset, ut alii in bonis degerent. Nec par res est in deliciis versantem delicias respuere, et affligi; et solum affligi, et vexari, ut alii in securitate et honore versentur. Hic enim etsi magnum est mala bonis commutare propter proximum, aliquam tamen consolationem affert, rerum adversarum socios habere, se autem velle solum esse in rebus asperis, ut alii bonis fruantur; hoc est longe generosioris animi, et Pauli. Non hinc autem tantum, sed ex sublimi ratione alia jam

memoratos omnes longe ille superat. Nam Abraham quidem et cæteri omnes sese iis objecere periculis tantum, quæ sunt in præsenti vita, et omnes illi hanc semel expetebant mortem. Paulus vero a futura gloria excidere rogabat, pro aliorum salute. Possum et tertiam dicere superiorem excellentiam. Quam illam? Quod aliqui eorum, etsi curam gerebant eorum qui sibi struxerant insidias, eorum tamen curam gerebant qui sibi traditi fuerant gubernandi: atque idipsum contingebat, ac si quis curam gereret filii quidem pravi et scelesti; sed tamen filii. Paulus vero pro his volebat anathema esse, qui ejus curæ non crediti fuerant; in gentes enim missus erat. Vidisti-ne animi magnitudinem, et sublimitatem ipsum cœlum superantem? Hunc imitare: si vero non potes, saltem eos qui in Veteri Testamento fulserunt. Sic enim quod tibi utile erit invenies, si proximi utilitati advigiles. Itaque cum segnis eris ad fratris curam gerendam, cogitans te non alio posse modo salutem consequi, propter te saltem illum et res ejus cura. Sufficiunt ea quæ dicta sunt, ut nobis persuadeant non posse nos alio modo ea quæ nobis conducunt invenire. Quod si velis ex consuetis exemplis hoc ediscere: si contigerit alicubi domum igne conflagrare, deinde aliqui ex vicinis suis prospicientes, non se apparent adversus pericula, sed clausis ostiis domi maneant, metuentes ne quis ingressus aliquid furetur; quantum illi subibunt supplicium? Progressus enim ignis omnia illorum bona comburet: et quoniam proximi utilitatem non curavere, sua quoque perdent. Deus enim volens omnes inter se colligare, tantam rebus imposuit necessitatem, ut cum proximi utilitate alterius utilitas colligetur: et ita consistit mundus totus. Ideo in navi quoque, si ingruente tempestate, gubernator, rejecta multorum utilitate, suam ipse tantum quærat, et se ipsum et alios cito submerget.

Et in singulis artibus, si unaquæque quod sibi conducat tantum quæsierit, vita nunquam constiterit; neque ars quæ hoc quærit. Ideo agricola non modo tantum frumenti serit quantum sibi satis sit; alioquin enim jamdiu et se et alios perdidisset, sed id quærit quod conferat multis. Et miles non ut se tueatur tantum adversus pericula stat in acie, sed ut civitates in tuto collocet. Et mercator non tantum transvehit, quantum sibi soli satis sit, sed quantum et multis aliis. Si quis vero dixerit: Non meum, sed suum quisque curans hoc facit; nam et pecunias sibi et gloriam, et securitatem apparans, hæc omnia operatur. Itaque meam quærens utilitatem, suam quærit. Hoc et ego dico, et jam olim audire volebam, et ejus rei causa totam orationem instituí, ut ostenderem tunc proximum suam utilitatem quærere, cum tuam spectat. Quia enim non aliter homines vellent quæ sunt proximi quærere, nisi in hanc inducerentur necessitatem; ideo Deus hæc ita colligavit, et non sinit prius ad utilitatem propriam venire, quam per ea quæ aliis conducant iter habeatur. Hoc certe humanum est, ita ad proximi utilitatem se conferre. Oportet autem non inde, sed a Dei placito persuaderi. Neque enim salvus esse possit qui hoc non habet; sed etiamsi summam philosophiam exerceas, et cætera pereuntia non cures, nullam habebis apud Deum fiduciam. Undenam hoc constat? Ex iis quæ beatus Paulus pronuntiavit: « Si enim omnes meas facultates distribuero in cibos » pauperum, et si tradidero corpus meum ut ardeat, chari» tatem autem non habeam, nihil mihi prodest[1], » inquit. Vides-ne quantum Paulus exigat a nobis? quanquam is qui cibos distribuit, non sua, sed quæ proximi sunt, quærat. Sed hoc solum non sufficit, inquit: nam illud admodum sincere vult præstari, et cum magna commise-

[1] 1 Cor. XIII, 3.

ratione. Ideo enim hoc Deus præcepit, ut ad vinculum charitatis adduceret. Cum ergo ille tantam exigat mensuram, nos vero neque quod minus est præbeamus, qua digni erimus venia? Et quomodo, inquies, dicebat Deus Loto per Angelos: « Servans serva animam tuam[1]? » Dic quando et quare. Quando inferebatur supplicium, non quando oportebat corrigi, sed quando damnati erant et incurabili morbo laborabant, ac senes juvenesque in eosdem insilierant amores, ac demum comburi illos oportebat, et in illa die, cum fulmina immittenda erant. Alioquin autem, non de vitio et virtute hæc dicta sunt; sed de plaga divinitus immissa. Quid enim, quæso te, faciendum erat? an sedere oportebat et supplicium accipere, et sine aliqua illorum utilitate comburi? At hoc extremæ dementiæ fuisset. Neque enim hoc ego dico, quod frustra et incassum oporteat supplicium subire, præter Dei placitum. Sed quando homo in nequitia versatur, tunc jubeo te in medium injicere et illum curare, propter proximi utilitatem, si quidem velis; sin minus, saltem propter tuam. Illud porro melius est. Quod si non ad hanc sublimitatem attigeris, saltem tui causa facias. Et nemo quod suum est quærat, ut quod suum est inveniat. Et cogitantes, neque facultatum abdicationem, neque martyrium, neque aliud quidpiam nobis patrocinari posse, nisi summam charitatem habeamus. Hanc præ aliis servemus, ut per illam alia consequamur et præsentia et promissa bona, quæ utinam nos omnes adipiscamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. XIX, 22.

HOMILIA XXVI.

CAPUT XI.

Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis[1].

I. Cum absolvisset orationem de iis, quæ immolata sunt idolis, ut se facere decebat, et eam perfectissimam fecisset, transit ad aliud, quod et ipsum crimen erat, sed non tantum. Nam, ut jam dixi, nunc quoque dicam, ipsum non continenter ponere vehementiores accusationes; sed ipsis congruenti ordine positis, in medium eorum leviora inserit, quod in sermone molestius est audientibus ex frequenti increpatione, lenius reddens. Ideoque quod vehementissimum omnium erat, nempe de resurrectione, postremum ponit. Interim vero ad aliud, quod lenius erat, procedit, dicens: « Laudo autem vos quod per omnia mei » memores estis. » Nam cum de admisso peccato constat, vehementer incusat et comminatur. Cum autem de peccato dubitatur, illud primo probat, et tunc increpat. Et quod quidem in confesso est extollit; illud vero de quo dubitatur, in confesso esse ostendit: ut de fornicatione quidem constabat: ideoque non opus fuit ostendere id esse peccatum. Sed illic delicti magnitudinem probavit, et per comparationem orationem protulit. Rursus ab aliis judicari, peccatum quidem erat, sed non tantum. Ideoque illud interjecit et probavit. De iis etiam quæ idolis immolata erant, dubitabatur, sed magnum etiam malum erat. Qua-

[1] 1 Cor. XI, 2.

propter ostendit esse peccatum, idque verbis extollit. Quando autem hoc facit, non solum abducit a criminibus, sed etiam ad contraria ducit. Neque enim dixit modo non oportere fornicari; sed etiam magnam esse exhibendam sanctitatem. Ideoque subjunxit : « Glorificate Deum in cor» pore vestro[1]. » Et rursus cum dixisset non oportere sapientem esse externa sapientia, non hoc contentus est, sed jubet stultum fieri. Et cum dat consilium non judicio contendendum esse apud externos, neque injuriam esse inferendam, progressus etiam judicio contendere prohibet, et consilium dat ut non modo non injuriam inferamus, sed ut injuriam patiamur. Et de idolothytis disserens, non dixit modo a prohibitis abstinere oportere, sed etiam a concessis, quando res offendiculo fuerit; neque modo non offendendos esse fratres, verum nec Græcos nec Judæos : « Sine offensione, inquit, estote et Judæis et Græcis et Ec» clesiæ Dei. » Cum ergo de his omnibus orationem absolvisset; deinceps ad aliud crimen procedit. Quodnam illud erat? Mulieres detectæ et nudo capite, et orabant et prophetabant; tunc enim prophetabant mulieres. Viri autem comam alebant, utpote qui in philosophia versarentur : et tegebant caput orantes et prophetantes, quod utrumque legis Græcorum erat. Quia ergo de his omnibus eos, cum adesset, admonuit : et fortassis alii quidem audierant, alii non parucrant : ideo per Epistolam rursus, ut sapiens medicus, verba infundens, peccatum corrigit. Nam quod eos jam cum adesset admonuerit, palam est ex iis quæ in proœmio dicit. Cur enim cum nihil hac de re dixisset usquam in Epistolâ; sed ab aliis criminibus invectus esset, statim dicit : « Laudo autem vos quod per omnia mei memores estis, » et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis. » Vides-ne quomodo alii quidem audierint, quos laudat; alii non au-

[1] 1 Cor. VI, 20.

dierint, quos corrigit per sequentia dicens : « Si quis autem » videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non » habemus[1]. » Nam si aliis recte agentibus, aliis non audientibus, omnes in crimen vocasset, illos audaciores, hos segniores reddidisset. Nunc autem alios laudans et acceptos habens, alios objurgans, et illos magis concitavit, et his pudorem incussit. Nam reprehensio per se solum ad percellendum sufficit ; cum vero fit ad comparationem aliorum, qui præclare egerunt et laudantur, majorem infert stimulum. Sed interim non a reprehensione, sed ab encomiis orditur, et a magnis encomiis dicens ; « Laudo » autem vos quod per omnia mei memores estis. » Talis enim mos est Pauli, pro parvis etiam laudes magnas texit, non ex adulatione, absit ; quomodo enim sic ageret, cum nec pecunias, nec gloriam, nec aliud quid simile expetat ? sed pro illorum salute omnia faciens. Ideoque laudem quoque extollit, dicens : « Laudo autem vos quod » per omnia mei memores estis. » Quænam sunt illa omnia ? nam de coma non alenda, et de capite non tegendo tantum loquebatur. Sed, ut dixi, laudes variat, ut promptiores reddat. Ideo ait : « Quod per omnia mei memores estis, » et sicut tradidi vobis traditiones, ita tenetis. » Ergo et sine scripto multa tunc illis tradebat, quod et alibi quoque multis in locis dicit. Sed tunc quidem tradidit tantum, nunc vero etiam causam affert. Ita enim et hos audientes fortiores reddebat, et illorum adversantium fastum detrahebat. Deinde non dicit : Quia vos obedistis, alii verò non obedierunt ; sed sine ulla suspicione ex doctrina sua id subindicat in sequentibus, sic loquens : « Volo autem vos » scire, quod omnis viri caput Christus est : caput autem » mulieris vir ; caput vero Christi Deus[2]. » Hæc est quidem causæ redditio ; cum vero affert, imbecilliores reddens

[1] Cor. xi, 16. — [2] Ibid. 3.

attentiores. Qui ergo fidelis est et fortis, ut par est, ratione et causa non eget pro iis quæ præcepta sunt; sed sufficit illi sola traditio. Qui autem imbecillior est, cum etiam causam didicerit, tunc cum majori studio id quod dictum est recitat, et cum magna obsequitur alacritate.

II. Ideoque causam non dixit, donec vidit violatum esse mandatum. Quænam ergo causa est? Omnis viri caput Christus est. Ergo-ne etiam Græci? Nequaquam. Nam si corpus Christi sumus, et membra ex parte, et hac ratione ille caput nostrum est, eorum qui in corpore non sunt, neque membra censentur, caput ille non fuerit; quapropter cum dicit, omnis, subintelligendum est, fidelis. Vidisti-ne quomodo supra ubique pudore suffundat auditorem? Nam cum de charitate dissereret, et cum de humilitate, et cum de eleemosyna, inde exempla trahebat. « Caput autem mulieris vir : caput vero Christi Deus[1]. » Hic in nos insiliunt hæretici, ex iis quæ dicta sunt minorem esse Filium excogitantes, sed in se ipsos irruunt. Si enim caput mulieris est vir, ejusdemque est substantiæ caput et corpus; caput vero Christi, est Deus, Filius ejusdem atque Pater substantiæ est. At, inquiunt, nolumus hinc ostendere quod alterius sit substantiæ, sed quod a Patre imperetur. Quid ad hoc dixerimus? Quod cum humile quidpiam dicitur de illo, cum carne existente, id quod dicitur non sit Divinitatis vilitas et dejectio, cum œconomiam id suscipiat. Cæterum dic quomodo id nunc vis probare? Quoniam, inquit, sicut vir mulieri imperat, sic et Pater Christo : ergo sicut Christus viro, sic Pater Filio. Omnis enim viri, inquit, caput Christus est. Ecquis hæc unquam admiserit? Si enim quantum nos Christus superat, tantum Pater Filium, cogita in quantam ipsum deducis

[1] I Cor. XI, 3.

vilitatem. Itaque non omnia simul sunt examinanda inter nos et Deum, etiamsi similiter dicantur; sed tribuenda est Deo propria quædam excellentia, et tanta quanta Deo competat. Nam si hoc non concesserint, multa sequentur absurda. Perpende autem; caput Christi Deus, hic autem viri et ille mulieris. Ergo si in omnibus similiter caput accipiamus, tantum distabit Filius a Patre, quantum nos a Filio; sed etiam mulier tantum a nobis distabit, quantum nos a Deo Verbo: et quod est Filius erga Patrem, hoc et nos erimus erga Filium, et mulier rursus erga virum. Ecquis hoc ferat? Sed alio modo in muliere et viro caput accipis, quam in Christo. Itaque in Filio et in Patre, aliter accipiendum est. Et quomodo, inquies, est aliter accipiendum? secundum causam: nam si imperium et subjectionem voluisset Paulus dicere, ut tu dicis, non mulierem in medium produxisset, sed potius servum et dominum. Etiamsi enim mulier nobis subjecta sit, sed ut libera, et ut par honore. Et Filius quoque etsi Patri fuit obediens; sed ut Filius Dei, sed ut Deus. Quemadmodum enim Filio major est obsequentia erga Patrem, quam hominibus erga genitores suos; sic et libertas major. Neque enim filii erga patrem officia majora et magis genuina sunt apud homines, patris vero erga filium minora. Si enim miramur Filium quod obedierit, ita ut usque ad mortem venerit, et mortem crucis, et hoc magum statuimus miraculum, Patrem quoque mirari oportet, quod talem genuerit, non ut servum cui imperaretur, sed ut liberum obedientem, et consiliarium. Consiliarius enim non est servus. Consiliarium vero rursus cum audieris, ne ita audias quasi Pater aliquo egeat, sed quasi Filius paris cum Genitore honoris sit. Ne igitur exemplum viri et mulieris ad omnia pertrahas. Apud nos enim jure mulier subjecta est viro: nam honoris æqualitas contentionem parit. Neque ideo tantum, sed etiam

propter deceptionem quæ initio contigit. Propterea cum facta fuisset, non statim subjecta fuit : neque cum illam ad virum adduxit, neque illa tale quidpiam a Deo audivit, neque vir illi quidpiam simile dixit ; sed tantum quod os ex ossibus ejus, et caro ex carnibus ejus esset dixit[1]. Imperii autem aut subjectionis apud illam non meminit. Quando autem male usa est potestate, et quæ adjutrix facta fuerat, insidiatrix deprehensa est, et omnia perdidit, tunc juste audivit : « Ad virum tuum conversio tua[2]. » Quia enim verisimile erat peccatum hoc bellum illaturum esse in genus nostrum, neque enim ad pacem juvisset quod illa ex ipso esset facta cum hoc accidisset ; sed hoc ipsum etiam virum asperiorem reddidisset, quod quæ ex ipso facta fuerat, ne membro quidem suo pepercisset ; cum diaboli malignitatem videret Deus, hoc verbum quasi murum opposuit, et inimicitiam quæ ex insidiis oritura erat, per hanc sententiam sustulit, innatæ concupiscentiæ quasi medio pariete dejecto, eam, quæ ex peccato orta erat, injuriæ acceptæ recordationem abstulit. Sed in Deo et incorrupta substantia illa, nihil licet hujusmodi suspicari. Ne ergo de omnibus exempla accipias. Nam alibi quoque multa hinc gravia occurrent peccata. Siquidem et in exordio Epistolæ dicebat : « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus » vero Dei[3]. »

III. Quid ergo ? similiter-ne omnia nostra sunt, nos Christi, et Christus Dei ? Nequaquam ; sed illis etiam qui valde insipientes sunt nota est differentia, etiamsi hoc dictum de nobis, de Deo et de Christo proferatur. Et alibi cum virum caput mulieris esse dixisset, subjunxit : « Sicut » Christus est caput et Salvator Ecclesiæ et defensor, sic et » vir debet uxoris suæ esse[4]. » Similiter igitur accipiemus dictum et hoc et omnia quæ post missa sunt Ephesiis de

[1] Gen. II, 23. — [2] Id. III, 16. — [3] 1 Cor. III, 23. — [4] Ephes. V, 24, 25.

hoc argumento? Absit: neque enim fieri potest. Nam eadem quidem verba proferantur de Deo et de hominibus; sed alio modo illa, alio hæc intelligenda sunt: nec tamen rursus omnia diverse. Nam rursus temere et frustra accepta videbuntur, si nihil nos fructus ab illis tulerimus. Sicut enim non omnia similiter sunt accipienda; sic nec omnia temere rejicienda. Ut autem id quod dico clarius evadat, exemplo id palam facere conabor. Dictus est caput Ecclesiæ Christus. Si nihil humanum accepero, cur hoc mihi dictum est? Rursus si omnia humana accepero, multa consequetur absurditas: nam iisdem est passionibus obnoxium caput, quibus corpus, iisdemque erit obnoxium. Quid ergo relinquendum, et quid accipiendum? relinquenda quidem sunt ea quæ dixi, accipienda autem est perfecta unio, et primum principium. Neque hæc temere; sed hic quoque id quod majus est et Deo conveniens cogitandum. Nam et unio tutior et principium honorabilius est. Rursus audivisti Filium. Ne hic quoque omnia accipias, neque omnia rejicias; sed iis quæ Deum decent acceptis, quod sit consubstantialis, quod ex ipso sit; quæ absurda et quæ infirmitatis humanæ sunt, in terra relinque. Rursus Deus lux dictus fuit. Ergo-ne omnia assumemus quæ ad hanc lucem pertinent? Minime: illa quippe tenebris et loco circumscribitur, et altera vi movetur, et obrumbratur. Quorum nihil ne cogitare quidem licet de illa essentia. Sed non ideo omnia ejiciemus, verum quidpiam utile ab exemplo decerpemus: illuminationem quæ a Deo in nos manat, liberationem a tenebris ex illa colligentes. Et hæc quidem adversus hæreticos; jam vero totum locum pertractare opus est. Fortassis enim hic quispiam quæstionem moverit, apud se quærens, quod crimen erat mulieres detecto, viros tecto capite esse? Quod sit crimen illud, hinc jam disce. Signa data sunt viro et mulieri multa et

alia; illi imperii, huic subjectionis. Cum his autem et illud, quod illa quidem tegatur, hic vero nudo capite sit. Si ergo signa sint hæc, ambo peccant, ordinem turbantes et Dei præceptum, propriosque excedentes terminos; ille quidem decidens in mulieris vilitatem; illa autem in virum insurgens per habitum. Si enim vestem mutare non licet, neque illi fas est chlamyde indui, neque viro palla et tegumento. « Non erit enim, inquit, viri ornatus super mulie» rem, neque induetur vir veste muliebri[1]. » Multo magis hæc mutari non oportet. Hæ quidem apud homines positæ sunt leges, etiamsi Deus illas postea confirmaverit. Illud autem a natura, quod tegatur dico vel non tegatur. Cum autem naturam profero, Deum dico : ille quippe naturam creavit. Cum ergo terminos hosce subverteris, vide quanta hinc oriantur damna. Neque mihi hoc dicas parvum esse peccatum. Magnum quippe est enim per se : nam est inobedientia. Etiamsi vero parvum esset, magnum fieret, quia magnarum rerum est symbolum. Quod autem magnum sit, palam ex eo est quod generi humano tam pulchrum præbeat ordinem, imperantem et subjectam in ornatu decenti constituens. Itaque qui transgreditur, omnia confundit, et Dei dona prodit, et superne sibi datum honorem humi abjicit; non vir modo, sed etiam mulier. Nam maximus certe est honor ille, proprium ordinem servare, ut pudor est inter se dissidere. Quamobrem in utrisque hoc posuit dicens : « Omnis vir orans aut prophetans velato ca» pite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut » prophetans non velato capite, deturpat caput suum[2]. » Erant enim, ut dixi, et viri et mulieres prophetantes, et mulieres tunc hoc donum habentes, ut Philippi filiæ, ut aliæ et ante et post illas, de quibus dicebat olim Propheta : « Prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ visiones vide-

[1] Deut. xxii, 5. — [2] I Cor. xi, 4, 5.

» but[1]. » Virum porro non semper detecto esse capite jubet, sed cum orat tantum. « Omnis enim vir, inquit, orans » aut prophetans operto capite, deturpat caput suum. » Mulierem autem semper tecto esse capite jubet. Quamobrem cum dixisset : « Omnis mulier orans aut prophetans non » operto capite, deturpat caput suum, » non hic constitit, sed prosecutus est dicens : « Unum enim est ac si decalve- » tur[2]. » Quod si semper esse rasam turpe est, palam est etiam semper detectam esse, opprobrio verti.

IV. Neque hæc solum satis habuit, sed rursus addidit. « Debet mulier velamen habere super caput suum propter » Angelos[3]. » Ostendit non orationis tempore tantum, sed etiam perpetuo illas tegi oportere. Virum autem non item de tegumento, sed de coma curantem esse disserendo dicit. Prohibet autem ne tegatur cum orat tantum, comam autem alere semper prohibet. Ideo sicut de muliere dixit : « Si autem non velatur, tondeatur[4] ; » sic et de viro : « Si » comam nutriat, ignominia est illi[5]. » Non dixit, « Si tega- » tur; » sed, « Si comam nutriat. » Ideo in principio dixit : « Omnis vir orans aut prophetans, super caput habens ; » non dixit, « Opertus; » sed, « Super caput habens; » ostendens quod etiamsi nudo oret capite, comam autem habeat; par sit illi qui opertus esset. « Coma enim, inquit, » pro velamine ipsi data est. Si autem non velatur mulier, » tondeatur. Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, » velatur[6]. » In principio enim ut non nudum habeat caput requirit. Progressus autem, ut nudum semper habeat subindicat dicens : « Unum enim est ac si rasa sit, » et cum omni studio ac diligentia. Non enim ut velatur et tegatur modo dixit, sed ut contegatur, ut sit undique accurate composita. Et cum in absurditatem rem deducit, pudore

[1] Joël. II, 28. — [2] 1 Cor. XI, 5. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 14. — [6] Ibid. 6.

suffundit, vehementer incessens ac dicens : « Si autem non » velatur, tondeatur. Nam si abjicis tegumentum tibi a lege Dei datum, inquit, etiam id quod tibi a natura datum est, abjice. Quod si quis dixerit : « Et quomodo illud mulieri turpe fuerit, si ad viri gloriam ascendit? » Illud dixerimus, non ascendere, sed a proprio excidere honore. Nam inter proprios terminos non manere, et leges a Deo latas; sed illas transgredi, non accessio est, sed imminutio. Quemadmodum enim qui aliena concupiscit, et quæ non sua sunt abripit, non quid amplius accepit, sed detrimento est affectus, quodque habebat perdidit; id quod etiam in paradiso contigit; sic et mulier non accipit viri nobilitatem, sed et mulieris honestatem amittit : nec inde solum huic ignominia, sed etiam ab habendi cupiditate. Cum ergo assumpsisset id quod turpe esse in confesso est, et dixisset; « Si autem turpe est mulieri tonderi aut radi, quod a se ipso erat tunc posuit dicens, veletur. » Neque dixit, « Comam » nutriat; » sed, « Veletur : » hæc ambo unum esse lege constituens, et utrinque illa confirmans, ab iis quæ constituta sunt, et a contrariis. Nam velamen et comam unum esse dicit; idem quoque esse et rasam, et eam quæ nudo est capite. « Unum est enim, inquit, et idipsum, quod » rasa. » Quod si quis dixerit : « Et quomodo unum est, si illa quidem tegumentum naturæ habet, illa vero quæ rasa est non item? » Respondebimus illam arbitrio suo hoc reliquisse et nudum habere caput : quod si non capillis nudum, hoc ex natura, non ex illius arbitrio esse. Itaque illa quæ rasa est, nudum caput habet, et illa similiter. Ideo enim naturæ permisit, ut illam tegeret, ut hæc ab illa hoc discens, operiretur. Deinde causam affert, ut sæpe dixi, tanquam cum liberis loquens. Quæ igitur causa est? « Nam » vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et

» gloria Dei[1]. » Rursus alia hæc causa : Neque enim solum quod caput Christum habeat, non debet caput tegere, sed etiam quia mulieri imperat. Nam principem ad regem accedentem, principatus signum habere oportet. Sic ergo nullus princeps sine balteo et chlæna ausit comparere ante illum qui diadema gestat; sic neque tu absque signo principatus, quod est detecto esse capite, Deum ores, ut ne contumelia afficias et te et eum qui te honore afficit. Idipsum et de muliere quis dixerit. Nam illi quoque est ignominia, si non subjectionis signa habeat. Mulier autem gloria viri est. Est ergo naturale viri imperium. Deinde postquam sententiam protulit, et rationes et causas rursum alias ponit, ad primam te ducens creationem, his verbis. « Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro[2]. » Si autem ex aliquo esse, gloria est ejus ex quo prodiit, multo magis esse similem. « Etenim non creatus est vir propter » mulierem, sed mulier propter virum[3]. » Hæc est secunda rursus illius præ illa excellentia, imo et tertia et quarta. Prima, quia caput nostrum est Christus, et nos mulieris; secunda, quia nos gloria Dei sumus, et mulier gloria nostra; tertia, quia non nos ex muliere sumus, sed illa ex nobis; quarta, quia non nos propter illam, sed illa propter nos. « Ideo » debet mulier habere velamen super caput suum[4]. » Ideo, qua de causa, dic mihi? Propter hæc omnia quæ dicta sunt; imo non tantum propter hæc omnia, sed etiam propter Angelos. Nam si virum despicis, inquit, Angelos reverere.

V. Caput ergo operire est subjectionis et potestatis; efficit enim ut deorsum aspiciamus et pudore afficiamur, propriamque servemus virtutem. Virtus enim et honor ejus, cui imperatur, ut maneat in obedientia. Vir quippe non cogitur hoc facere; ipsius enim Domini imago est; mulier autem jure merito. Cogita igitur iniquitatis excessum, cum

[1] 1 Cor. xi, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10.

nempe tanta honoratus potestate, te ipsum deturpas, mulieris habitum rapiens. Idipsumque facis ac si acceptum diadema, a capite abjiceres, et pro diademate, servile vestimentum assumeres. « Verumtamen neque vir sine muliere, » neque mulier sine viro in Domino[1]. » Quoniam autem multam dedit viro excellentiam, cum dixit mulierem esse ex illo, propter illum et sub illo; ne viros plus quam par erat extolleret, neve illas nimis dejiceret, vide quomodo correctionem adhibeat dicens : « Verumtamen neque vir » sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. » Ne mihi, inquit, prima sola examines, neque creationem illam. Nam si ea quæ postea facta sunt exquiras, uterque utriusque est auctor; imo neque uterque utriusque; sed Deus omnium. Ideo ait : « Neque vir sine muliere, » neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier ex » viro, ita vir per mulierem[2]. » Non dixit : « Ex muliere, » sed, « Illa ex viro. » Hoc enim ipsum integrum manet apud virum. Verum hæc recte gesta non viri; sed Dei sunt. Ideo etiam subjunxit : « Sed omnia ex Deo. » Si ergo Dei sunt omnia, ipse autem illa jubet, obsequere, et ne contradicas. « In vobis ipsis judicate : decet mulierem non velatam » orare Deum[3] ? » Rursus illos constituit dictorum judices, quod etiam in idolothytis fecit. Nam et illic dicit : « Judi- » cate vos quod dico; » et hic, « In vobis ipsis judicate : » et hic aliquid terribile subindicat. Hic enim contumeliam dicit ad Deum transire; verum non ita loquitur, sed mitius aliquantum et magis ænigmatice, dicens : « Decet-ne mulie- » rem non velatam Deum orare? Annon ipsa natura vos » docet, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia sit » illi; mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? Quo- » niam capilli pro velamine ei dati sunt[4]. » Quod semper facit communia ponens ratiocinia, hoc et hic quoque facit;

[1] 1 Cor. xi, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14, 15.

ad vulgarem consuetudinem confugiens, et admodum pudore suffundens eos qui expectant ab ille edisceré, quæ ex communi consuetudine possunt edisci : hæc quippe et similia ne barbaris quidem ignota sunt. Et vide quomodo ubique acribus utatur verbis : « Omnis vir orans ; qui caput » suum tegit, caput suum deturpat ; » ac rursum, « Si autem » turpe est mulieri tonderi aut radi, veletur. » Et hic rursus : « Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi : » mulier si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli » pro velamine ei dati sunt. Et si pro velamine dati sunt, » inquit, cur oporteat velamen aliud adjicere ? » ut non solum a natura, sed etiam ab arbitrio subjectionem confiteatur. Quod enim te oporteat velari, ipsa natura prius constituit : adde igitur operam tuam, ne videaris naturæ leges evertere : quod quidem multæ esset impudentiæ, non nobiscum tantum, sed etiam cum natura pugnare. Quare Judæos Deus incusans dicebat : « Occidisti filios tuos et » filias tuas[1] : » hoc præ omnibus est abominationibus tuis. Et eos, qui apud Romanos impudici erant, increpans Paulus, sic auget criminationem dicens quod non solum præter Dei legem, sed præter naturam usus ille esset : « Mutarunt » enim usum naturalem, in illum qui præter naturam[2]. » Propterea in hoc se sermone exercet, hoc ipsum ostendens, et quod nihil alienum constituat, quodque apud Græcos omnia ejus novitatis sint, quæ est præter naturam. Sic et Christus hoc ipsum comprobans, dicebat. « Quæcumque » vultis ut faciant vobis homines, et vos facite ipsis[3]. » Significans se nihil novum inducere. « Si quis autem videtur » contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habe- » mus, neque Ecclesiæ Dei[4]. » Est ergo contentionis et non rationis his resistere. Cæterum sic quoque moderatam fecit increpationem, ut qui plurimum pudoris immiserit :

[1] Ezech XVI, 21. — [2] Rom. I, 26. — [3] Matth. VII, 12. — [4] 1 Cor. XI, 16.

quod etiam graviorem fecit orationem. « Nos enim, inquit, » talem consuetudinem non habemus, ut contendamus et » litigemus et contradicamus. » Neque tamen hactenus substitit, sed subjunxit : « Neque Ecclesiæ Dei, » ostendens illos toti terrarum orbi obsistere et adversari, non cedentes. Sed etiamsi tunc contenderent Corinthii, nunc totus terrarum orbis hanc legem et accepit et observat, tanta est Crucifixi potestas.

VI. Sed vereor ne hoc accepto habitu, quædam ex mulieribus operibus impudenter se gerere deprehendantur, et alio modo detectæ. Ideoque Timotheo scribens Paulus, non satis habuit hæc dixisse, sed alia adjecit dicens : « In » habitu ornato cum pudore et modestia ornantes se, non » in tortis crinibus, aut auro[1]. » Nam si non oportet nudum caput habere, sed subjectionis signum ubique circumferre; multo magis per opera hoc ostendere oportet. Sic certe priscæ mulieres, et dominos viros vocabant, et primas ipsis concedebant. Nam et illi, inquies, uxores suas amabant. Hoc novi nec ignoro. Sed cum te de iis quæ tibi conveniunt admonemus, non quæ illorum sunt spectes. Nam cum pueros adhortamur dicimusque ut parentibus obsequantur, quia scriptum est : « Honora patrem tuum et matrem » tuam[2] ; » dicunt illi nobis, profer etiam ea quæ sequuntur : « Vos quoque patres nolite ad iram provocare filios ves- » tros[3]. » Et cum servis dicimus scriptum esse, quod obediendum sit dominis, neque ad oculum serviendum esse illis; et illi rursus quæ sequuntur a nobis exigunt, jubentes dominis quoque eadem suadere. Nam illis quoque, inquiunt, præcepit Paulus, minas remittere. Sed ne sic faciamus, neque ea quæ aliis præcepta sunt quæramus, quando de iis quæ ad nos pertinent accusamur; neque enim, si socium criminum accipias, a culpa liberaberis; sed hoc unum

[1] 1 Tim. II, 9. — [2] Exod. XX, 12. — [3] Ephes. VI, 4.

specta ut te a criminibus liberes. Nam Adam in mulierem culpam referebat, et illa rursum in serpentem. Sed non illos hoc eripuit. Ne itaque tu hoc mihi nunc dicas; sed grato cum animo quæ marito debes præstare cures. Nam et quando maritum tuum alloquor, adhortans ut te diligat et tui curam gerat, non sino illum in medium afferre legem de muliere latam, sed legem de illo scriptam requiro. Et tu igitur ea quæ ad te spectant sola curiose inquire, et te conjugi morigeram præbe. Nam si propter Deum marito obsequaris, ne mihi proferas ea quæ ipse præstare debet; sed ea quibus te obnoxiam legislator fecit, hæc diligenter exequere. Hoc enim est maxime Deo obtemperare, etiamsi contraria patiaris, legem non transgredi. Ideo enim qui se amantem amat, nihil magni facere videtur. Qui vero se odientem colit, hic maxime est qui coronatur. Eodem quoque modo tu tecum reputa, quod si molestum tibi virum feras, splendidam accipies coronam. Sin mansuetum et mitem, quam tibi Deus dabit mercedem? Et hæc dico non jubens maritos esse sævos et asperos, sed persuadens mulieribus ut viros etiam feroces ferant. Cum enim unusquisque sua implere curaverit, statim sequentur etiam ea quæ sunt proximi. Exempli causa; cum uxor parata fuerit ad virum asperum ferendum, et vir importunam illam non contumelia affecerit, tunc omnia serenitas erunt, et portus a fluctibus vacuus. Sic etiam usuveniebat apud priscos, sua quisque implebat, nec quæ proximi erant exigebat. Perpende autem: fratris filium secum accepit Abraham, non id reprehendit uxor: jussit eam longum iter suscipere, neque repugnavit illa, sed secuta est. Rursus post illas multas ærumnas, labores et sudores, cum dominus omnium esset, primas concessit Loto. Et non modo id non ægre tulit Sara, sed neque os aperuit, nec quidpiam dixit eorum quæ nunc mulieres multæ loquun-

tur, cum vident viros suos in hujusmodi sortibus minus habere, maxime quando cum inferioribus res est, exprobrantes, stultos, insanos, ignavos, proditores, hebetesque vocantes. Sed nihil simile illa vel dixit vel cogitavit, sed approbavit omnia ab ipso facta. Quodque majus est, postquam Loto data est optandi facultas et minora ille patruo concessit, in periculum ille grave incidit. Quo audito, Patriarcha omnes suos armavit, et contra totum Persarum exercitum sese apparavit cum domesticis suis tantum : neque tunc illum ipsa retinuit, neque dixit, ut par videbatur esse : « Quo pergis, o homo, per præcipitia te impellens, et in tanta conjiciens pericula, pro viro qui te contumelia affecit ; et tua omnia rapuit sanguinem fundens? Nam si te ipsum despicis, me saltem, qui reliqui domum, patriam, amicos et cognatos, et in tanta te peregrinatione sum secuta, miserere, nec me conjicias in viduitatem et in viduitatis mala. » Nihil horum vel dixit vel cogitavit ; sed cum silentio tulit omnia. Deinde vero sterili manente utero, ipsa quidem non patitur ea quæ mulieres pati solent, neque lamentatur. Ille autem luget, sed non apud uxorem, sed apud Deum. Et vide quomodo singuli quod par erat servent. Neque enim ille Saram despexit ut sterilem, neque illi ideo quidpiam exprobravit. Illa vero vicissim consolationem quamdam pro orbitate excogitavit per ancillam suam : nondum enim illa tunc prohibita erant, ut nunc sunt. Nunc enim neque uxoribus licet viris talem gratiam referre ; neque illis, sive scientibus, sive ignorantibus uxoribus, tales tentare concubitus, quantovis orbitatis dolore premantur. Nam ipsi quoque audient, « Vermis eorum non » morietur, et ignis eorum non extinguetur[1]. » Non enim id nunc permittitur, tunc vero non prohibitum erat. Ideo uxor hoc jussit, et ille obtemperavit, neque tamen propter

[1] Matth. IX, 44.

voluptatem. Sed vide, inquies, quomodo ipsa jubente, ancillam ejecit. Ego enim hoc volo ostendere : quod et ille ipsi in omnibus obtemperaret, et hæc illi.

VII. Cæterum ne his solum attendas, sed tu quæ hæc dicis etiam priora examina, quod contumeliam inferret ei, quod se arroganter extolleret contra dominam, quo quid molestius esse possit liberæ mulieri, et honestæ. Ne itaque viri virtutem expectet uxor, ut tunc illa suam exhibeat; hoc enim nihil magnum esset, neque rursus vir uxoris modestiam, ut tunc philosophetur; neque enim tunc recte factum illud ipsius esset. Sed unusquisque, ut dixi, quæ sua sunt prius præbeat. Si enim externis dexteram maxillam percutientibus, oportet præbere alteram; multo magis virum ferocem ferre oportet. Sed non hæc dico ut verberetur mulier, absit; nam hæc extrema contumelia est, non verberatæ, sed verberanti. Sed si casu aliquo talem conjugem sortita fueris, o mulier, ne indigne feras, cogitans repositam tibi mercedem, et in hac vita laudem. Vobis quoque viris hoc dico. Nihil tale sit peccatum, quo cogamini uxorem verberare. Et quid dico uxorem? neque ancillam verberare aut ei manus inferre viro ingenuo fuerit tolerandum. Quod si ancillam verberare magnum infert viro probrum; multo magis contra liberam manum intendere. Et hoc in externis etiam legislatoribus videre est, qui eam quæ ita percussa fuit non cogunt habitare cum percussore, utpote qui illius consortio indignus sit. Etenim extremæ est iniquitatis, vitæ consortem, quæ tibi in rebus necessariis jamdiu operam præstabat, ut mancipium ignominia afficere. Ideoque talem virum, si virum tamen licet appellare, non feram, parricidæ et matricidæ parem esse dixerim. Nam si propter illam et patrem et matrem relinquere jussi sumus, non illis injuriam facientes, sed divinam legem implentes, ipsis parentibus adeo desi-

derabilem, ut et ipsi, qui relinquuntur, gratiam habeant, et hoc cum studio magno efficiant; quomodo non extremæ dementiæ fuerit, eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus jussit dimittere? Num hoc insania solum est? Dedecus et ignominiam autem hujusmodi quis ferat? Quis sermo possit eam explicare, quando ululatus et gemitus per compita feruntur, et concursus est in domum ejus qui tam indecore se gerit et vicinorum et prætereuntium, ac si fera quæpiam quæ intus sunt labefactet et perdat? Optabilius esset terram dehiscere ei qui tam furiose se gerat, quam ut postea in foro appareat. Sed mulier, inquiet, audax et aspera est. Sed cogita illam esse mulierem, vas infirmum, te autem virum. Propterea enim princeps constitutus es, et instar capitis datus es, ut feras ejus quæ tibi parere debet imbecillitatem. Fac itaque ut imperium tuum sit splendidum: splendidum autem erit, cum eam cui imperas non dedecore afficeris. Ac sicut is qui regnat tunc præclarior apparebit cum sibi inferiorem præfectum præclariorem reddiderit. Si autem illud tantum munus dedecore et ignominia afficerit, tunc a gloria sua non parum demitur. Sic et tu si eam quæ post te imperat dedecore afficeris, non levi damno afficeris principatus tui honorem. Hæc igitur omnia tecum reputans, temperanter age, et cum his etiam vesperam illam cogita, qua te advocato pater filiam suam quasi depositum quoddam tradidit, et illam ab omnibus separans, a matre, ab se, a domo, totam tibi illius curam dextera sua tradidit. Cogita te ab illa post Deum filios suscepisse, et patrem effectum esse, et inde erga illam mitis esto.

VIII. Non vides agricolas, quomodo terram quæ semel semina excepit, colant omni culturæ genere, etiamsi innumera habeat incommoda, etiamsi sit arida, si malas ferat herbas, si ex situs ratione imbribus inundetur? Hoc

et tu facito. Ita enim prior frueris et fructibus et tranquillitate. Nam portus est uxor, et pharmacum lætitiæ maximum. Si ergo portum a ventis et fluctibus tutum reddas, multa frueris securitate cum a foro reverteris; si autem tumultu et perturbatione repleas, tibi gravius paries naufragium. Ne hoc ergo eveniat, id quod dico fiat. Cum quid molestum domi acciderit, illa peccante, consolare illam et ne dolorem augeas. Etiamsi enim omnia amiseris, nihil tristius est quam domi uxorem habere, quæ sine benevolentia cum viro degat. Quodcumque peccatum dixeris, nullum dicere possis quod majorem inferat dolorem, quam cum uxore litigare. Itaque propter omnia ejus dilectio omnium tibi pretiosissima sit. Nam si oportet alterum alterius onera portare, multo magis uxoris; etiamsi pauper sit, ne id exprobres; etiamsi stulta, ne insultes, sed potius illam moderare. Nam membrum tuum est et caro una facti estis. Sed garrula est, ebriosa, et iracunda; at magis ea propter dolere potius quam irasci oportet: Deumque rogare, illamque monitis et consilio adjuvare, nihilque non agere ut vitium amputes. Si autem verberes et atteras, morbus non curatur; feritas enim mansuetudine solvitur, non alia feritate. Cum his et mercedem a Deo expectatam cogita. Etsi enim eam tibi licet excindere, non hoc facias propter Dei timorem, sed tot ejus vitia feras, metuens legem hac de re positam, quæ uxorem ejicere prohibet, quocumque tandem morbo laboret, ineffabilem mercedem recipies, et[a] ante mercedem maxima lucraberis: ipsam tibi obtemperantiorem reddens, teque erga illam mansuetiorem exhibens. Narratur quispiam externorum philosophorum (11), qui malam haberet uxorem et nugacem et conviciantem, interrogantibus, qua de causa cum talem haberet, illam ferret, respondisse se quasi gymnasium et palæstram philosophiæ domi habere. Ero enim,

aiebat, aliis mansuetior, in hac quotidie institutus. Magna voce exclamastis? sed ego valde nunc ingemo, cum videam Græcos magis philosophos esse quam nos, qui jubemur Angelos imitari, imo qui jubemur ipsum æmulari Deum in mansuetudinis ratione. Philosophus ergo ille dicitur ideo malam illam uxorem non ejecisse; quidam autem dicunt ipsum ideo illam duxisse. Ego vero quia multi homines contra quam ratio ferat affecti sunt, hortor ut ab initio nihil non agant viri, ut bene moratam ducant uxorem et omni plenam virtute. Si vero contigerit ut a proposito aberrent, ac nec tolerabilem sponsam in domum induxerint, tunc philosophum illum imitentur, et his nihil adjiciant. Nam mercator antequam cum socio pacta ineat, quæ possint pacem conciliare, non prius navim in mare trahet, neque aliam attinget negotiationem. Et nos itaque nihil non agamus, ut negotiationis nostræ sociam in hac navi cum omni pace intus teneamus. Ita enim et alia omnia nobis tranquilla erunt, et cum securitate vitæ præsentis pelagus trajiciemus. Hoc pluris faciamus, quam domum, mancipia, pecunias, agros et ipsas res civiles. Idque maxime omnium in pretio habeamus, ut illa quæ nobiscum in ædibus residet, non tumultum moveat, neve a nobis dissideat. Ita enim et cætera nobis secundo cursu venient, et in spiritualibus multam habebimus facilitatem, hoc jugum cum concordia trahentes. Omnibusque probe gestis reposita consequemur bona, quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

CAPUT XI.

Hoc autem præcipiens, non laudo quod non in melius, sed in deterius conveniatis[1].

1. Necesse est[2] etiam præsentis criminis seu accusationis prius causam dicere; ita enim quæ dicenda sunt facilius ediscentur. Quænam ergo illa est? Quemadmodum tria illa millia, quæ initio crediderant, in communi mensa comedebant, et communia omnia possidebant; sic etiam fieri solebat cum hæc scripsit Apostolus; at non cum tanta accuratione : sed quidam veluti fluxus illius prisci consortii remansit et ad posteros descendit. Quia vero contingebat alios pauperes, alios divites esse, sua omnia non in medium proferebant; communes autem apparabant mensas statis diebus, uti par erat, et peracta synaxi. post mysteriorum communionem, in commune omnes convivium veniebant, divitibus cibos suos afferentibus, pauperibus autem et nihil habentibus ab ipsis divitibus invitatis, omnibusque simul convivantibus. Sed postea hic mos obsolevit. Causa autem fuit, quod divulsi essent, ac sese ascriberent alii his, alii illis, dicerentque : Ego sum hujus : Ego illius; quod corrigens ille initio Epistolæ dicebat : « Significatum est mihi, fratres, de vobis ab iis qui sunt » Chloës, quia contentiones in vobis sunt. Hoc autem dico, » quod unusquisque vestrum dicat : Ego quidem sum Pauli,

[1] 1 Cor. XI, 17 — [2] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 226-228.

» ego autem Apollo, ego vero Cephæ[1]. » Non quod Paulo se ascriberent; neque enim id ille tulisset; sed ex abundanti, volens hunc morem radicitus evellere, se ipsum apposuit, ostendens quod si se quis ipsi ascriberet a communi corpore abscissus; sic quoque rem esse absurdam et extremæ iniquitatis. Si autem in hoc erat iniquitas, multo magis in illis qui inferiores erant. Quia igitur disjectus et divisus erat hic mos pulcherrimus et utilissimus; causa enim erat charitatis, paupertatis consolatio, divitiarum moderatio, maximæque philosophiæ occasio, et doctrina humilitatis. Quia igitur sciebat tanta bona esse corrupta, jure acri usus est oratione, sic dicens: « Hoc autem præci- » piens non laudo. » In priori nempe accusatione, quod plurimi essent qui observarent, alio modo incœpit his verbis: « Laudo autem vos quia per omnia mei meministis. » Hic vero contra: « Hoc autem præcipiens non laudo. » Ideirco neque post increpationem eorum qui idolothyta comedebant, posuit illud; sed quia asperius illud erat, medio interjecto sermone de coma, ne ex asperis criminationibus, in alias etiam molestas transiens acrior videretur; tunc ad asperius rursum venit, et ait: « Hoc autem præcipiens, non laudo. » Quodnam? Quod nunc dicturus sum. Quid illud est, « Præcipiens non laudo? » Vos non approbo, inquit, quod me ad consilii dandi necessitatem adduxeritis. Non laudo, quod hac in re doctrina opus habueritis, et admonitione mea. Vides-ne quomodo ab initio ostenderit rem esse admodum absurdam? Cum enim admonitione opus non habere debet is qui peccat ad non peccandum, tunc venia indignum est peccatum. Et cur non laudas? « Quia non in melius, » sed in deterius convenitis, » inquit, hoc est, quia ad virtutem non profectum habetis. Cum oporteret enim ad meliora pergere, et majus esse proficiendi desiderium, vos

[1] 1 Cor. I, 11, 12.

morem, qui jam invaluerat, minuistis, atque ita minuistis, ut meo egeatis præcepto, quo ad priorem redeatis ordinem. Deinde ne videretur hæc propter pauperes tantum dicere, non statim ad sermonem de mensis properat, ut ne increpationem, multum timoris incutientem, contemptui exponat, sed quærit dictionem acerrimam, quæ multum inferat timorem. Quid enim ait? « Primum quidem conve» nientibus vobis in Ecclesia, audio scissuras esse inter » vos [1]. » Non dicit : « Audio vos non in communi cœnare; audio enim vos seorsim comedere, et non cum pauperibus; » sed quod magis poterat ipsorum animum commovere hoc posuit, id est, schismatis nomen, quod etiam hujusce rei causa erat : rursusque illud revocavit in memoriam, de quo in Epistolæ principio dictum fuerat, et significatum ab iis qui erant Chloës. « Et ex parte credo. » Ne dicerent enim : Quid si mentiantur calumniatores? Neque dicit se credere, ne impudentiores illos reddat; neque rursum non credere, ne videatur frustra increpare. Sed partem quamdam credo, inquit, id est, ex modica parte credo, anxios illos reddens, et ad correctionis reditum vocans. « Nam et oportet hæreses esse in vobis, ut » qui probati sunt, manifesti fiant in vobis [2]. »

II. Hæreses hic dicit, non hasce quæ de dogmatibus sunt, horum schismatum. Quod si dogmatum diceret, neque ita ansam daret. Nam Christus ait : « Necesse » est ut veniant scandala [3], » non arbitrii libertatem labefactans, neque necessitatem quamdam et vim in vitam inferens; sed quod ex mala hominum mente omnino futurum erat prædicens, futurum nempe, non ob illius prædictionem, sed ex animo eorum, qui insanabili morbo laborabant. Neque enim quia prædixit, illa facta sunt; sed quia omnino futurum erat, ideo prædixit. Etenim si ex necessi-

[1] 1 Cor. xi, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Matth. xviii, 7.

tale venirent scandala, et non ex animo eorum qui illa induxerunt, supervacanee dixisset : « Væ homini illi, per » quem scandalum venit[1]. » Sed hæc pluribus disseruimus in ipso loco : nunc autem ad propositum veniendum est. Quod de iis hæresibus dicat, quæ circa mensas versabantur, deque hac contentione et dissensione, ex sequentibus declaravit. Cum dixisset enim : « Audio schismata esse inter vos, » non hic constitit, sed ostendens quænam schismata essent, progressus dicit : « Unusquisque suam cœnam præsumit ; » et rursum ; « Numquid domos non habetis ad manducan- » dum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis[2]? » Sed quod de his dicat, perspicuum est. Si autem schismata illa vocet, ne mireris. Nam ut dixi, hac dictione illos incessere vult. Si vero dogmatum schismata essent, non ita mansuete cum illis locutus esset. Audi igitur illum tale quidpiam dicentem, quam sit vehemens, et dum confirmat, et dum increpat ; confirmans quidem, ut cum dicit : « Etiamsi Angelus vobis evangelizet præter id quod acce- » pistis, anathema sit[3] ; » increpans vero, ut cum ait : « Qui in lege justificamini, a gratia excidistis[4]. » Et nunc quidem canes vocat eos qui corrumpunt, dicens ; « Videte » canes[5] : » nunc autem cauterio inustam habentes conscientiam, et rursus angelos diaboli. At hic nihil tale dixit, sed mansuete ac remisse. Quid est autem, « Ut qui probati » sunt, manifesti fiant in vobis? » Ut magis resplendeant. Hoc est autem quod vult dicere. Eos qui stabiles et firmi sunt non modo nihil horum lædit ; sed etiam magis ostendit redditque clariores. Illud enim, « Ut, » non semper causam indicat, sed etiam sæpe rerum eventum. Ita et Christus id adhibet cum dicit : « In judicium ego veni in » hunc mundum, ut non videntes videant, et videntes cæci

[1] Matth. XVIII, 7. — [2] 1 Cor. XI, 21, 22. — [3] Galat. I, 8. — [4] Id. V, 4. — [5] Philip. III, 2.

» fiant[1]. » Sic et ipse Paulus, cum de lege disserens scribit : « Lex subintravit, ut abundaret delictum. » Sed neque lex ideo data est, ut peccata Judæorum augerentur; illud autem evenit : neque Christus ideo venit, ut videntes cæci fierent; sed propter contrariam rem : at illud ita contigit. Sic igitur et hoc loco intelligendum illud : « Ut qui pro- » bati sunt, manifesti fiant. » Neque enim ideo factæ sunt hæreses, ut qui probati essent manifesti fierent. Sed advenientibus his hæresibus, hoc accidit. Hæc porro dicit, pauperes consolans qui talem contemptum fortiter ferrent. Ideo non dixit, « Ut probati fierent, » sed, « Ut qui pro- » bati essent, manifesti fierent : » declarans illos etiam antea tales fuisse, sed commixtos cum plurimis, et consolationem accipientes a divitibus, non admodum conspicui erant : nunc autem hæc dissensio et contentio manifestos illos fecit; quemadmodum gubernatorem tempestas ostendit. Neque dixit : « Ut vos probati appareatis; » sed, « Ut » qui probati sunt manifesti fiant, » qui nempe in vobis tales sunt. Neque enim accusans manifestos reddit, ut ne ipsos impudentiores faciat, neque laudans, ne reddat segniores; sed suspensam profert orationem, et hunc et illum singulorum conscientiæ adaptandum præbens. Non modo autem mihi hic pauperes videtur consolari; sed etiam eos qui mores non corruperant. Nam verisimile erat in illis esse qui ipsos servarent illæsos. Ideoque dixit, « Par- » tem aliquam credo. » Jure igitur hos probatos dicit, qui non modo cum aliis morem servaverant, sed etiam absque illis immobilem hanc pulchram servabant legem. Hoc autem facit ut hos et alios his laudibus alacriores reddat. Deinde dicit quod genus peccati sit illud. Quid autem hoc est? « Convenientibus, inquit, vobis in unum, jam non » est dominicam cœnam manducare[2]. » Vides quomodo

[1] Joan. IX, 39. — [2] 1 Cor. XI, 20.

pudorem incutiens, narrantis more, jam consilium instruxit? Conventus enim modus, inquit, est alius ; est enim charitatis et fraternæ dilectionis. Unus certe vos omnes excipit locus, et simul congregamini. Mensa vero jam non similis est conventui. Nec dixit : « Convenientibus vobis non in communi manducatis : » sed alio modo et multo terribilius illos perstringit, dicens : « Non est dominicam » cœnam manducare, » illos ad ipsam transmittens vesperam, qua tremenda mysteria tradidit Christus. Ideoque prandium illud vocavit cœnam. Etenim illud prandium omnes communiter habuit recumbentes. Atqui non tantum interest spatii inter divites et pauperes, quantum inter Doctorem et Discipulos : immensum quippe illud est. Et quid dico inter Doctorem et Discipulos? cogita intervallum quod est inter Doctorem et proditorem. Attamen et ipse cum illis recumbebat, neque illum ejecit, sed et salis consortem fecit, et mysteriorum participem.

III. Deinde interpretatur quomodo non est dominicam cœnam manducare. « Unusquisque enim suam cœnam » præsumit, inquit, ad manducandum : et alius quidem » esurit, alius vero ebrius est. » Vides-ne quomodo illos ostendit sese magis dedecore afficientes? nam quod dominicum erat, proprium sibi faciunt ; ita ut illi priores sint qui dedecore afficiuntur, qui mensæ suæ eam quæ maxima erat dignitatem auferunt. Quomodo et qua ratione? Quia dominica cœna, id est, quod Domini est, commune debet esse. Quæ enim Domini sunt, non hujus quidem famuli sunt, illius vero non item ; sed in communi omnium. Dominicum ergo hoc dicit quod commune est. Nam si Domini tui est, ut revera est, non debes quædam ut propria avellere, sed quæ Domini sunt, communiter omnibus apponere. Hoc est enim dominicum. Nunc autem non sinis

[1] 1 Cor. xi, 21.

illud esse dominicum, cum non sinis esse commune, sed seorsim epularis. Quapropter subjungit dicens : « Unus-» quisque enim suam cœnam præsumit. » Nec dixit, « Abs-cindit, » sed, « Præsumit, » sensim illos edacitatis et petulantiæ accusans. Hoc declarat quod sequitur. Cum hoc enim dixisset, rursum subjunxit : « Et alius quidem esurit, » alius autem ebrius est, » quæ utraque non servatæ mensuræ erant, indigentia nempe et excessus. Ecce secunda accusatio illos ipsos impetens. Prima quod suam cœnam dedecore afficiant. Secunda quod ventrem impleant et inebrientur; et quod gravius est, esurientibus pauperibus : quæ enim omnibus in communi apponenda erant, iis ipsi soli ingurgitati, et in insatiabilitatem et in ebrietatem deferebant. Ideo non dixit : « Alius quidem esurit, alius satiatur; » sed etiam, « Ebrius est. » Horum autem utrumque per se dignum est reprehensione. Nam inebriari, etiam absque eo quod despiciantur pauperes, culpa est; pauperes despicere, absque ebrietate, est criminatione dignum. Cum autem hæc simul conjuncta sunt, cogita quantus sit iniquitatis excessus. Deinde postquam absurditatem ostendit, cum magna deinceps indignatione increpationem adjicit dicens : « Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis et » confunditis eos qui non habent? » Vides-ne quomodo a pauperum contumelia criminationem traducat ad Ecclesiam, ut graviorem redderet orationem! Ecce igitur quartam accusationem; cum non pauperes modo, sed etiam Ecclesia contumelia afficitur. Sicut enim dominicam cœnam propriam tibi facis, sic et locum etiam, Ecclesia utens ut domo tua. Ecclesia enim facta est, non ut convenientes divisi simus, sed ut qui divisi sunt conjungantur : et hoc significat conventus. « Et confunditis eos qui non habent. »

[1] 1 Cor. xi, 22.

Non dixit : « Et fame necatis eos qui non habent, » sed majorem incutiens pudorem, « Confunditis, » sive pudore afficitis. Ut ostendat se non alimentum tantum curare, quantum contumeliam ipsis inflictam. Ecce quintam accusationem, quod non tantum esurientes despiciant ; sed etiam illos pudore afficiant. Hoc autem dicebat, simul et ea quæ pauperes spectabant honorans, et ostendens illos non tantum de ventre, quantum de contumelia dolere, simul autem auditorem attrahens ad misericordiam. Cum ergo hæc absurda ostendisset, contumeliam in cœnam, contumeliam in Ecclesiam, contemptumque pauperum, lenit rursus increpationis vehementiam, dicens : « Laudabo » vos? in hoc non laudo. » Quod certe quis maxime miretur, quod cum vehementius increpare oporteret, postquam tot peccata recensuit et perstrinxit, hic contra lenius agat, et det respirandi locum. Quanam de causa? Gravius ipsos perstrinxerat amplificata accusatione, et cum optimus sit medicus, congruentem vulneribus fecit incisionem, neque ea quæ profunda plaga opus habebant in superficie secans; audisti enim quomodo fornicatorem, qui apud illos erat, absciderit; neque ea quæ lenioribus egebant medicamentis, ferro tradens. Ideo et hoc loco mansuetiore utitur sermone. Alioquin autem mitiores illos erga pauperes reddere conabatur, et ideo cum illis lenius loquitur. Deinde cum vellet illos alio modo majori pudore suffundere, a rebus præcipuis sermonem texit : « Ego enim accepi a » Domino, inquit, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus » Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias » agens fregit et dixit : Accipite, manducate : hoc est corpus » meum, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in meam » commemorationem[1]. » Cur hic mysteriorum meminit? Quia valde necessarium erat ad præsens argumentum tali

[1] 1 Cor. xi, 23, 24.

uti sermone. Nam Dominus tuus, inquit, eadem omnes mensa dignatus est; etsi illa admodum tremenda erat, omniumque dignitatem valde superabat. Tu vero illos tua indignos esse putas, illa inquam parva et vili : et cum in spiritualibus nihil plus habeant quam tu, in sensibilibus illos spolias. Neque enim hæc tua sunt. Sed non hoc quidem dicit, ne asperior esset sermo, illum vero mansuetiorem efficit dicens : « Quoniam Dominus Jesus, in qua » nocte tradebatur, accepit panem. » Et qua de causa tempus nobis commemorat, et vesperam illam et proditionem? Non sine causa et ratione : sed ut supra modum compungeret etiam a tempore. Etiamsi enim lapis sit aliquis, si cogitet illam noctem, quomodo cum Discipulis erat tristis, quomodo traditus est, quomodo ligatus et abductus, quomodo judicatus est, et quo pacto cætera omnia sequentia pertulit, cera mollior efficitur, a terra abstrahitur, et ab omni hujus sæculi fastu. Ideo omnia illa nobis in memoriam revocat, per tempus, et mensam et proditionem pudore suffundens et dicens : Dominus tuus se ipsum pro te tradidit.

IV. Tu vero fratri neque cibum das pro te ipso. Quomodo autem dicit se accepisse a Domino? Neque enim tunc aderat, sed ex numero persequentium erat. Ut discas nihil plus habere illam mensam, quam illa quæ postea fuit. Nam et hodie ille est qui omnia efficit et tradit ; ut et tunc. Non ideo tantum illam noctem commemorat ; sed et ut alio modo nos compungat. Ut enim illorum maxime verborum recordamur, quæ ultima audimus a decedentibus ; et hæredibus eorum, si audeant illorum præcepta transgredi, ut pudore afficiamus, dicimus : Cogitate patrem vestrum hanc ultimam emisisse vocem, et usque ad diem, qua expiraturus erat, hæc mandavisse. Sic et Paulus inde volens dictum illud tremendum reddere : Recordamini, inquit, quod hanc ultimam vobis dederit mysterii institu-

tionem, et in ipsa nocte, qua pro vobis occidendus erat, hæc præceperit, et tradens nobis illam cœnam, post illam non aliud adjecerit. Deinde illa quæ tunc facta fuere narrat. « Accepit panem, et cum gratias egisset, fregit et dixit: » Accipite, manducate, hoc est corpus meum quod pro » vobis frangitur. » Si ergo propter Eucharistiam accedis, tu nihil Eucharistiæ indignum facito, neque pudore afficias fratrem, nec esurientem despicias, ne inebrieris, ne Ecclesiam contumelia afficias. Accedis gratias agens pro iis quæ accepisti: ergo et tu vicem repende, neque te abscindas a proximo. Etenim Christus omnibus æqualiter dedit dicens: « Accipite, comedite. » Ille corpus æqualiter dedit; tu vero ne communem quidem panem æqualiter das? Nam pro omnibus similiter fractum est, et ex æquo fuit corpus pro omnibus. « Similiter et calicem postquam cœnavit dicens: » Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc » facite, quotiescumque biberitis, in meam commemora- » tionem. » Quid dicis? Commemorationem Christi facis, et pauperes despicis, nec exhorrescis? Sed si filii aut fratris mortui commemorationem faceres, a conscientia pungereris, si non morem secutus esses, et pauperes vocavisses: cum autem Domini tui commemorationem facis, neque mensæ saltem consortium das. Quid vero sibi vult illud: « Hic calix Novum Testamentum est? » Veteris enim Testamenti calix erant libamina, et sanguis brutorum. Postquam enim sacrificaverant, in calice et phiala sanguinem excipientes, sic libabant. Quia igitur pro sanguine brutorum, sanguinem suum induxit, ne quis turbaretur hoc audiens, in memoriam revocavit vetus illud sacrificium. Deinde de cœna illa locutus, præsentia iis quæ tunc erant conjungit; ut quasi in illa vespera, in eodemque strato recumbentes, et ab ipso Christo hoc sacrificium accipien-

[1] 1 Cor. xi, 25.

tes, ita et nunc afficiantur, et ait : « Quotiescumque enim » manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem » Domini annuntiabitis, donec veniat [1]. » Sicut enim in pane et in calice dixit Christus : « Hoc facite in meam » commemorationem, » causam nobis aperiens dati mysterii, et cum aliis hoc etiam dicens, ipsam nobis satis esse ad pietatis argumentum : cum enim cogitaveris quid Dominus tuus sit perpessus propter te, magis philosophus eris ; sic et Paulus hic ait : « Quotiescumque manducabitis, » mortem ejus annuntiabitis. » Et hæc est illa cœna. Deinde, cum ostendisset quod usque ad consummationem illa maneat, ait : « Donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, » reus erit corporis et sanguinis Domini [2]. » Quare ? Quia effudit illum, et ea res mactationem exhibuit, non jam sacrificium. Ut ergo tunc qui transfixerunt, non ut biberent transfixerunt, sed ut effunderent ; ita etiam qui indigne participat, et nihil hinc fructus percipit. Vides-ne quam terribilem sermonem fecerit, et quam valide illos perstrinxerit, ostendens quod si sic bibituri sint, indigne sint propositorum participes ? Quomodo enim non indigne qui despicit esurientem, qui despiciendo pudore suffundit ? Nam si non dare pauperibus ejicit ex regno cœlorum, etiamsi qua sit virgo ; imo etiam si non largiter detur ; nam illæ virgines oleum habebant, sed non largiter habebant ; tam multa absurda fecisse, cogita quantum erit malum ?

V. Quæ absurda, inquit ? Quid dicis, qualia absurda ? Talis mensæ particeps fuisti, et cum omnium mitissimus esse debuisses, et par Angelis, omnium crudelissimus effectus es. Gustasti sanguinem Dominicum, et neque fratrem ita agnoscis, ecqua dignus venia fueris ? Quanquam

[1] 1 Cor. xi, 26. — [2] Ibid. 27.

etsi antea ignorabas, a mensa illum agnoscere oportuit. Nunc autem ipsam etiam mensam dedecoras, dum illum qui dignatus est illius particeps fieri, ne cibis quidem tuis dignum existimas. Non audisti quanta passus est ille qui centum denarios exigebat? quomodo sibi collatum donum irritum fecerit? Non cogitas quis cum esses, quis effectus fueris? Non recordaris te hoc in pecuniis paupere, longe fuisse pauperiorem in bonis operibus, cum mille peccatis plenus esses? Attamen ab his omnibus te liberavit Deus, teque tali mensa dignatus est: tu vero ne sic quidem benignior effectus es. Itaque nihil aliud restat quam ut tradaris tortoribus. Hæc verba nos quoque omnes audiamus, quotquot cum pauperibus ad sacram hanc mensam accedimus. Hinc autem egressi, ne illos quidem respexisse videmur; sed et ebrii sumus et esurientes prætercurrimus; qua de re tunc Corinthii accusabantur. Et quandonam, inquies, hoc fit? Semper quidem, præcipue vero in diebus festis, cum maxime fieri non oporteret. Tunc enim post communionem, statim excipit ebrietas, et pauperum contemptus. Et postquam sanguinem recepisti, cum jejunii tibi tempus est et sobrietatis, debaccharis, et comessaris. Et si quid boni perceperis in prandio, caves ne alio pravo cibo priorem labefactes. Cum autem spiritualem cibum acceperis, satanicas inducis delicias. Cogita quid Apostoli fecerint cum illas sacras percepissent cœnas. Nonne ad orationem convertebantur et ad hymnos celebrandos? nonne ad sacra pervigilia? nonne ad doctrinam longam, quæ magna plena erat philosophia? Magna quippe et mirabilia tunc illis enarrabat et præcipiebat, abscedente Juda, ad vocandos illos qui ipsum in crucem acturi erant. Non audisti quomodo illa tria millia hominum, qui communionis participes erant, semper perseverabant in oratione et in doctrina, non in ebrietatibus, non in comessationibus?

Tu vero antequam percipias quidem, jejunas, ut quomodocumque dignus communione videaris : ubi autem percepisti, cum oporteret te temperantiam augere, omnia perdis. Atqui non par res est antea jejunare, et postea. In utroque enim tempore temperantem esse oportet, maxime vero postquam Sponsum excepisti. Antea quidem, ut dignus sis qui accipias ; postea vero, ne indignus videaris iis quæ accepisti. Quid ergo, jejunandum-ne est postquam acceperim ? Non hoc dico, neque te cogo. Nam bonum quidem hoc esset. Verum non vim infero, sed adhortor ne te deliciis impleas extra mensuram. Si enim nunquam oporteat deliciari ; hoc enim declaravit Paulus dicens : « Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est[1] ; » multo magis tunc morietur. Si autem deliciæ mors sunt mulieri, multo magis viro ; et si alio tempore deliciæ perdunt, multo magis post perceptam mysteriorum communionem. Tu autem pane vitæ accepto, rem morte dignam facis, et non horrescis ? Nescis quam multa mala ex deliciis inducantur ? Risus intempestivus, incondita verba, scurrilitas perniciei plena, nugæ inutiles et alia quæ ne fas quidem est dicere. Et hæc facis postquam ad Christi mensam exceptus fuisti, illo die quo dignatus fuisti carnes ejus lingua tangere. Quisquis ergo sis, ne hæc fiant, expurga dexteram tuam, linguam, labia, quæ ingressui Christi vestibula fuere ; et apposita mensa sensibili, ad illam mensam mentem intende, ad cœnam dominicam, ad vigilias Discipulorum, illa sacra nocte ; imo vero, si quis accurate examinaverit, præsentia nox sunt. Vigilemus ergo cum Domino, compungamur cum Discipulis. Precum tempus est, non ebrietatis, semper quidem, maxime autem in die festo. Dies festus enim ideo institutus est, non ut turpiter agamus, non ut peccata accumulemus, sed ut quæ admissa fuere de medio tollamus.

[1] 1 Tim. v, 6.

Et scio quidem me incassum hæc dicere, sed non finem dicendi faciam. Etiamsi enim omnes non audieritis, sed non omnes repugnabitis; imo vero si omnes repugnetis, mihi quidem major merces, vobis autem gravius judicium: ne igitur gravius eveniat, ideo finem dicendi non faciam. Fortassis enim fortassis ex frequenti monitione scopum attingam. Ideo obsecro, ut ne judicium et damnum hoc faciamus, nutriamus Christum, potum ipsi demus, induamus illum. Hæc illa mensa digna sunt. Audisti sacros hymnos? Vidisti nuptias spirituales? exceptus fuisti ad mensam regiam? repletus es Spiritu sancto? choros egisti cum Seraphinis? socius fuisti supernarum Potestatum? Ne tantam lætitiam abjicias, ne effundas thesaurum, ne inducas ebrietatem mœroris matrem, diaboli gaudium, mille mala parientem. Hinc enim est somnus morti similis, hinc sopores, morbi oblivio, mortis imago. Sane vino ingurgitatus nolueris cum amico congredi, et Christum intus habens, quæso te, tantam audeas injicere temulentiam? At delicias amas? ergo ideo ebrietati finem impone. Nam ego te in veris deliciis versari volo, quæ nunquam marcescant. Quænam ergo sunt veræ deliciæ, quæ semper floreant? Ad prandium invita Christum, tua illi imperti, vel potius sua. Hoc interminabilem habet et semper florentem voluptatem. At non hæc sensilia; statim enim cum apparuere evanescunt: et qui deliciis operam dedit, non meliore conditione erit, quam qui non deliciatus est; imo pejore erit. Nam ille quidem quasi in portu sedet; hic vero ceu torrentem quemdam et morborum obsidionem excepit, et ne hanc quidem ferre potest tempestatem. Ne hæc itaque contingant, moderationem sectemur. Ita enim et corpore bene valebimus, et animam in tuto collocabimus, et a præsentibus futurisque malis liberabimur: a quibus utinam omnes eruti, regnum consequamur, gratia et benignitate Domini

nostri Jesu Christi, cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

CAPUT XI.

Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat[1].

I. Quid sibi volunt hæc verba, cum aliud sit hoc propositum argumentum? Hic mos est Paulo, ut jam prius dixi, non solum illa tractare quæ sibi proposita sunt, sed si quid aliud hæc tractanti inciderit, id quoque magno studio persequi; maxime cum de rebus admodum necessariis et urgentibus agitur. Etenim cum de iis qui nuptias contraxere ageretur, et incidit in sermonem de servis, fortiter et multis hanc rem pertractavit. Et cum disseret et probaret non oportere in judiciis litigare, tunc incidens in admonitionem circa avaritiam, multa de hoc argumento protulit; id quod etiam hic facit. Quia enim semel opus fuerat, ut de mysteriis meminisset, necessarium putavit esse hoc persequi argumentum: neque enim levis momenti est; idcoque admodum terribiliter de illo disseruit, bonorum caput esse probans, ad ea cum pura conscientia accedere. Unde non contentus iis quæ prius dixerat, hæc quoque adjicit dicens: « Probet autem se » ipsum homo; » id quod etiam in secunda Epistola dicit: « Vos ipsos tentate, vos ipsos probate[2]; » non sicut nos facimus, temporis conditione potius moti, quam stu-

[1] 1 Cor. xi, 28. — [2] 2 Cor. xiii, 5.

dio animi. Non enim id curamus, ut parati, a malis purgati, et compunctione pleni accedamus; sed ut in diebus festis, et cum omnes accedunt. Verum non ita jussit Paulus; sed unum novit accedendi et communicandi opportunum tempus, conscientiæ nempe puritatem. Nam si hac sensili mensa nunquam fruimur febri laborantes aut humoribus pleni, ut ne pereamus; multo minus hanc tangere nobis licet cum pravis concupiscentiis, quæ febri sunt graviores. Cum autem pravas dico concupiscentias, et corporum dico cupiditates, et pecuniarum, et iræ et injuriarum recordationis, et omnes, ut uno verbo dicam, quæ pravæ absurdæque sunt. Oportet autem accedentem, his omnibus exhaustis ac depositis, purum illud attingere sacrificium; neque seguiter et misere affectum propter festum cogi ad accedendum; neque rursus compunctum et paratum prohiberi, eo quod non sit dies festus. Dies enim festus est, bonorum operum exhibita copia, animi pietas, accuratum vitæ institutum. Si hæc habeas, perpetuo festum agere poteris, et semper accedere. Ideo ait: « Probet » autem se ipsum unusquisque, et tunc accedat. » Nec præcipit ut alter alterum probet, sed ut quisque se ipsum, judicium statuens quod non sit publicum, et probationem sine testibus. « Qui enim manducat et bibit indigne, judi» cium Domini sibi manducat et bibit[1]. » Quid, quæso, dicis? Tot bonorum causa, vitamque profundens mensa, ipsa judicium efficitur? Non ex natura sua, inquit; sed ex ejus qui accedit arbitrio. Sicut enim præsentia ejus, quæ magna illa et ineffabilia nobis confert bona, eos qui non accipiunt magis condemnat; sic et mysteria ad majus supplicium viatica sunt iis qui indigne participant. Cur autem judicium sibi manducat? « Non dijudicans corpus Domini; » id est, non examinans, non cogitans, ut oporteret, pro-

[1] 1 Cor. xi, 29.

positorum magnitudinem et doni excellentiam. Nam si accurate didiceris, quis sit ille qui prostat, et quis cum sit, cui dat se ipsum, nullo alio opus habebis sermone; sed hoc tibi satis erit ad vigilantiam, nisi valde lapsus fueris. « Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dor- » miunt multi[1]. » Hic jam non ab aliis fert exempla, ut fecit circa ea, quæ immolata erant idolis, veteres narrans historias, et plagas in solitudine acceptas; sed ab ipsis Corinthiis, id quod etiam vehementiorem reddebat sermonem. Quia enim dicebat : « Judicium sibi manducat; » et, « Reus est; » ne verba proferre videatur, facta adjicit, et testes illos advocat, id quod magis quam comminatio perstringit, minas proferens in opus exeuntes; neque his tantum contentus, hinc sermonem de gehenna inducit fidemque facit; utrinque terrens, et quæstionem solvens, quæ ubique circumferebatur. Quia enim multi inter se quærunt, undenam immaturæ mortes, unde diuturni morbi, dicit ille multa inexpectata peccatorum causa accidere.

II. Quid ergo, inquies, illi qui perpetuo benevalent, et ad vegetam perveniunt senectutem, annon ipsi peccant? Ecquis hoc dixerit? Quomodo ergo, inquies, non dant pœnas? Quia illic graviores daturi sunt. Nos autem si velimus, neque hic neque illic daturi sumus. « Si enim » nos ipsos judicaremus, inquit, non utique judicaremur[2]. » Nec dixit : « Si nos ipsos corriperemus, et castigaremus; » sed tantum si peccata agnoscere vellemus, si nos ipsos damnare et improbare mala opera, liberaremur et a præsenti et a futuro supplicio. Nam qui se ipsum damnat, dupliciter Deum placat, et quod peccata agnoscat et quod in futuro sit ad peccandum tardior. Quia vero ne hoc quidem ita leve facere volumus, ut facere oporteret; ne

[1] 1 Cor. xi, 30. — [2] Ibid. 31.

sic quidem nos vult cum orbe terrarum punire ; sed sic quoque parcit, hic pœnas repetens, ubi supplicium est temporaneum, et magna consolatio ; nam a peccatis liberatio est, et bona futurorum spes quæ præsentia leniat. Hæc porro dicit, simul infirmos consolans, et alios diligentiores reddens. Ideo ait : « Nunc autem cum judica» mur, a Domino corripimur[1]. » Non dixit : « Castigamur, » non dixit : « Supplicio afficimur ; » sed, « Corripimur : » nam quod fit magis est admonitionis, quam damnationis ; medicinæ, quam supplicii ; correctionis, quam castigationis. Non hoc autem tantum modo, sed et comminatione majoris pœnæ, leve reddit illud dicens : « Ut non cum mundo » damnemur. » Vides-ne quomodo et gehennam induxerit, et horribile illud tribunal, et necessario futuram ostenderit illam perquisitionem et punitionem? Nam si fideles et qui Deo curæ sunt, non impune fugient peccatorum pœnas, ut ex præsentibus palam est, multo minus infideles, et qui gravia insaniaque scelera admittunt. « Itaque, cum » convenitis ad manducandum, invicem expectate[2]. » Nam dum viget timor, et gehennæ tremor perseverat, vult iterum pro pauperibus admonitionem inducere, cujus causa hæc omnia dixit, ostendens illos, si id non servent, indignos esse qui communicent. Quod si de facultatibus non elargiri, ab illa mensa arcet ; multo magis rapere arceat. Nec dixit : « Itaque convenientes date egenis ; » sed quod honestius erat, « Alter alterum expectate. » Hoc enim illud quoque apparabat et subindicabat, ac congruenti modo admonitionem induxit. Deinde rursus pudorem inferens : « Si quis autem esurit, domi manducet[3]. » Permittendo impedivit etiam vehementius, quam si prohibuisset. Ex Ecclesia enim illum eduxit, et in domum remisit ; hoc ritu illos vehementer perstringens atque traducens, quasi

[1] 1 Cor. xi, 32. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 34.

ventris servos, qui nec differre possent. Neque enim dixit : « Si quis pauperes despicit ; » sed, « Si quis esurit, » quasi pueros famem non ferentes alloquens, tanquam bruta ventri servientia. Ridiculum enim fuisset, si ob esuriem domi manducassent. Sed et aliud terribilius subjunxit, dicens : « Ut non in judicium conveniatis [1] ; » ut non in castigationem, ut non in supplicium, dum Ecclesiam contumelia afficitis, et fratrem in pudorem conjicitis. Nam ideo convenitis, inquit, ut vos mutuo diligatis, ut juvemini, et juvetis. Si vero contrarium fiat, melius esset si domi comederetis. Hoc autem dicebat ut illos magis attraheret. Ideo enim damnum inde emergens ostendit, et culpam dixit esse non parvam ; atque omni ex parte deterruit, a mysteriis, ab infirmis, a mortuis, ab aliis supradictis. Deinde alio quoque modo terret dicens : « Cæter » autem cum venero disponam [2]. » Aut ad quædam alia aut ad hoc ipsum. Quia enim verisimile est ipsos dixisse alias quoque causas, et non potuisse omnia per litteras corrigi : Quæ admonui, inquit, interim serventur. Si quid autem aliud dicendum habueritis, id usque ad adventum meum servetur; aut de hac re loquens, ut dixi, aut de aliis quibusdam, quæ non admodum urgebant. Hoc autem facit, ut illos inde studiosiores reddat. Nam de illius adventu solliciti, peccata emendaturi erant. Neque enim levis res erat, quod Paulus eo venturus esset; idque ostendens dicebat : « Ac si non venturus sim ad vos, sunt » inflati quidam [3] ; » et alibi rursum : « Non tanquam » in præsentia mea tantum, sed multo magis in absentia, » cum timore et tremore vestram salutem operemini [4]. Ideo non solum promisit se venturum esse, ne non crederent et negligentiores evaderent; sed et necessariam adit adventus causam dicens : « Cætera cum venero disponam »

[1] 1 Cor. xi, 34. — [2] Ibid. — [3] Id. iv, 18. — [4] Philip. ii, 12.

ostendens cæterorum correctionem, etiamsi non omnino festinaret, ipsum istuc attracturam fuisse.

III. Hæc ergo audientes omnia, et pauperum magnam curam geramus, et ventrem moderemur, atque ab ebrietate liberemur, et mysteriis digne participare studeamus; ea quæ passi fuerimus, non ægre feramus, neque in nobis, neque in aliis; verbi gratia, cum immaturæ mortes accidunt, cum diuturni morbi. Hoc enim est liberatio a supplicio, hoc correctio, hoc admonitio optima. Quis hæc dicit? Qui Christum in se loquentem habebat. Attamen etiam post hæc mulieres multæ ita sensu destitutæ sunt, ut in luctus exuperantia ipsos etiam infideles superent. Et aliæ quidem a luctu quasi tenebris obrutæ hoc faciunt; aliæ vero ad ostentationem, et ut externorum criminationem vitent, quas omni venia privatas dico. Ut ne ille talis accuset, inquiunt, accuset Deus; ut ne homines brutis mentiores nos damnent, lex regis universorum conculcetur. Et quot fulminibus hæc digna non fuerint? Si post luctum te quispiam ad cœnam vocet, nemo est qui renat, quia lex humana hoc præcipit; Deo autem de non agendo legem ferente, ita omnes contradicunt. Non cogitas Jobum, o mulier? Non recordaris vocum ejus in calamitate amissorum filiorum, quæ sexcentis coronis earum illud caput redimierunt, et splendidius quam tubæ multæ deprædicarunt? Non cogitas calamitatis magnitudinem, novum illud naufragium, ac novam miramque tragœdiam? Nam tu quidem unum perdidisti, aut alterum, aut tertium; ille autem tam multos et tam multas. Et qui multos habebat liberos, repente orbus fuit. Neque paulam viscera ejus consumebantur, sed derepente fructus tus abripiebatur. Neque ex communi lege naturæ, neque cum ad senectutem pervenissent; sed immatura et violenta morte, omnes simul. Neque præsente illo, nec assi-

dente, ut vel extremas voces audiens aliquam consolationem haberet de tam acerba morte ; sed præter omnem spem ; cum nihil gestorum ipse sciret, simul omnes sunt obruti, fuitque illis domus et sepulcrum et laqueus. Neque immatura mors tantum, sed etiam multa cum illa erant quæ dolorem afferrent; ut quod omnes in flore juventutis essent, quod virtute præditi, quod amabiles, quod omnes simul, quod ex utroque sexu ne unus quidem reliquus sit ; quod non communi lege naturæ, quod post tantum damnum, quod cum nullius mali sibi conscius esset, nec illi peccatis essent obnoxii, hæc tamen paterentur. Horum singula per se possunt turbare ; cum autem una omnia concurrunt, cogita quanta fluctuum altitudo, quam ingens tempestas esset. Quodque majus est et ipso luctu deterius, quod nesciret unde talia obvenirent. Ideo cum nullam afferre posset calamitatis causam, ad Dei placitum ascendit, et ait : « Dominus dedit, Dominus » abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est ; sit nomen » Domini benedictum in sæcula[1]. » Et hæc dixit, cum se in extremis positum videret, qui virtutem omnem sectatus fuerat ; scelestos autem homines, et præstigiatores, prospere agentes, deliciantes et gloriabundos undique. Neque dixit quidpiam eorum, quæ solent quidam infirmiores dicere : « Ad hanc-ne rem filios enutrivi? et cum accuratione omni educavi? Ad eam-ne rem domum aperui præteruntibus, ut post multos illos cursus pro egenis, pro nudis, pro pupillis susceptos, hanc mercedem excipiam? » sed horum loco illa verba protulit, omni sacrificio præstantiora, dicens : « Nudus egressus sum de utero matris » meæ, et nudus revertar[2]. » Quod si vestimenta discideris, et comam totonderit, ne mireris. Pater enim erat, et pater prolis amans, oportebatque naturæ commiserationem

[1] Job. I, 21. — [2] Ibid.

exhiberi, mentisque philosophiam. Quod si hoc non fecisset, forte quispiam putavisset hanc philosophiam ex stupore proficisci. Ideo et viscera ostendit, et pietatis accurationem, et dolens non eversus est; sed etiam cum ulterius ejus certamen procederet, rursus aliis redimitur coronis ex verbis quæ uxori dixit : « Si bona suscepimus a »Domino, mala non sustinebimus[1] ? » Nam uxor sola ipsi relicta est, sublatis omnibus, et filiis, et prædiis, et ipso corpore, et ipsa ei ad tentationem et insidias relicta est. Ideoque illam non cum filiis sustulit diabolus, neque ipsius cædem expetiit, quia sperabat illam magnam sibi opem esse laturam ad insidias sancto huic viro parandas. Ideoque ipsam, tanquam maximum telum sibi opportunum reliquit. Si enim, inquit, hominem per illam ex paradiso ejeci, multo magis in sterquilinio potero supplantare.

IV. Et vide calliditatem. Neque enim postquam boves perierant hanc machinam adhibuit, neque post sublatos asinos vel camelos, nec post dejectam domum, neque post obrutos filios. Sed interim silere et quietem agere sivit, athletam videns. Ubi autem vermium fons scaturivit, cum putrescens pellis difflueret, et consumptæ carnes saniem emitterent, ac sartaginibus fornacibusque, et quavis flamma gravior ipsum diaboli manus consumeret, quavis fera efferatior ipsi corpus undique consumens et devorans, cum in hac calamitate multum temporis insumptum fuisset, tunc uxorem ad illum adducit jam exsiccatum et confectum. Si enim initio calamitatis accessisset, non ita illum enervatum reperisset, neque calamitatem adeo potuisset exaggerare ac verbis extollere. Nunc autem ubi vidit illum ob temporis diuturnitatem, liberationem sitire, et malorum finem desiderare, tunc vehemens accedit. Quia enim valde confectus erat, neque respirare ultra poterat, sed

[1] Job. II, 10.

et mori cupiebat, audi quid dicat : Nam si mihi possem manum inferre, aut alium rogare, etiam hoc facerem (12). Et vide mihi nequitiam mulieris, unde statim ordiatur : a diuturnitate temporis, dicens : « Quousque tolerabis? » Si namque sæpe, etiam cum gravia non instarent negotia, verba solum emollire potuerunt, cogita quid verisimiliter ipse tunc patiebatur, cum et hæc verba et res ipsæ dolorem ipsi inferrent. Quodque omnium teterrimum erat, quod et uxor ejus loqueretur, et uxor quæ conciderat et animum despondebat ; ideoque studebat et ipsum in desperationem conjicere. Cæterum ut aperte videamus machinam in hunc murum adamantinum admotam, ipsa verba audiamus. Quænam illa sunt, « Quousque tolerabis[1] » dicens? Ecce præstolor adhuc modicum temporis spem salutis habens. Tua, inquit, verba refellit tempus, quod diuturnius factum, nullam exhibet solutionem. Hæc autem dicebat non modo in desperationem ipsum conjiciens ; sed exprobrans ei et traducens illum. Etenim ille molestiam creantem ipsam consolans, et ejus verba depellens, talia loquebatur : Expecta adhuc paululum, et cito finis horum veniet. Illi ergo exprobrans dicit ipsa : « An nunc quoque idipsum dices? » Multum enim temporis jam præteriit, et nullus horum finis visus est. Et vide nequitiam : non bonum meminit, non ovium, non camelorum ; sciebat enim illum non admodum hisce morderi ; sed statim venit ad naturam, et filios in memoriam revocat. Viderat enim ipsum amissis filiis vestem dissidisse, et comam totondisse. Neque dixit : « Filii tui periere, » sed modo ad commiserationem composito : « Deletum est memoriale tuum » de terra, » propter quod filii desiderabiles sunt. Etenim si etiam nunc, cum resurrectio futura creditur, hinc filii desiderabiles sunt, quod eorum qui decesserunt memoriam

[1] Job. II, 9.

servent, multo magis tunc. Ideo hinc maledictio acerbior efficitur. Neque enim qui illic execratur dicit; exterminentur filii, sed monumentum ejus e terra, nempe filii tui et filiæ tuæ. Cum dixisset enim, memoriale, accurate rursus utrumque sexum memorat. Si autem hæc, inquit, non tibi curæ sunt, me saltem spectes. Uteri mei dolores laboresque, quos frustra sum perpessa. Id est, quæ majorem tuli dolorem, injuria propter te affecta sum : dolores subii, et fructibus sum privata. Et vide quomodo jacturam pecuniarum neque memoret, neque taceat vel prætercurrat; sed ut licebat illam miserabiliter tangere, ipsam subindicet. Cum enim dixit : « Et ego errabunda et serva, a loco in locum, et a domo in domum circumcursans, » et jacturam subindicat, et magnam exhibet commiserationem. Nam ipsa verba possunt calamitatem amplificare. Ad aliorum, inquit, ostia venio. Neque enim solum mendico, sed etiam erro, et servitutem subeo non expectatam et novam, undique circumiens et calamitatis signa circumferens, omnesque mala mea docens; quod omnium miserrimum est, domum frequenter mutare. Neque hic lamentandi finem fecit; sed subjunxit dicens : « Expectans solem quando occidet, et requiescam a labo» ribus meis et a doloribus qui me circumdant et detinent. » Quod enim aliis suave est, inquit, radium videre, hoc mihi grave; desiderabiles autem mihi sunt nox et tenebræ. Hæ mihi a sudoribus quietem pariunt : hæ mihi sunt in malis consolatio. Sed dic verbum contra Dominum, et morere.

V. Vidisti-ne hic quoque nequitiam? Quo pacto in consilio suo non statim induxerit perniciosam adhortationem, sed cum prius calamitates miserabiliter enarrasset, et tragœdiam extendisset, paucis verbis adhortationem ponit, neque clare illam indicat; sed subindicans illam, maxime

desiderabilem ipsi proponit liberationem, et mortem denuntiat, quam summopere optabat. Et hinc quoque observa diaboli vafriciem et malitiam. Quia enim sciebat Jobi amorem erga Deum, non sinit mulierem Deum accusare, ne ille ut inimicam ipsam statim aversaretur. Ideo ejus nusquam meminit, sed quæ acciderant susdeque versat. Tu autem, cum iis quæ dicta sunt, adde mulierem quæ hoc dabat consilium, vehementem oratorem ad eos pelliciendos qui non attendunt. Multi certe etiam absque calamitatibus, a solo mulierum consilio dejecti fuerunt. Quid igitur hic vir beatus, et adamante fortior? Acriter illam intuitus, a solo aspectu, antequam vocem emitteret, machinas depulit. Illa enim sperabat se lacrymarum fontes moturam esse. Hic vero leone vehementior fuit, ira et indignatione plenus, non pro iis quæ patiebatur; sed propter consilia quæ diabolice ab illa data sunt. Et ipso aspectu indignationem exhibens, moderata utitur increpatione. Etenim in calamitatibus moderatus erat. Ecquid ait? « Cur » sicut una ex insipientibus mulieribus locuta es [1]? » Non sic te erudivi, inquit, non sic te educavi : unde nec consortem meam cognosco. Hæc quippe dicta sunt insanæ mulieris, et furentis consilium est. Vides-ne sectionem moderatam, plagam quæ posset morbum curare. Deinde post increpationem, consilium rursus affert, quod possit illam consolari, et rationi valde consentaneum, dicens : « Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus [2]? Recordare enim, inquit, priorum illorum, et tecum reputa auctorem, et hæc fortiter feres. » Vidisti-ne moderationem viri? Neque enim fortitudini suæ patientiam suam ascribit : sed ex rerum consequentia fuisse illam dicit. Pro quibusnam enim illa nobis dedit Deus? Quam rependens remunerationem? Nullam : sed ex sola

[1] Job. II, 9. — [2] Ibid. 10.

benignitate sua. Donum enim erat, non retributio; gratia, non remuneratio. Ergo hæc fortiter feramus. Hoc et viri et mulieres inscriptum dictum habeamus; hæc verba in mente insculpamus, et hæc et ea quæ præcedunt. Et historiam discipulorum ejus, velut imaginem in mentem nostram inscribentes, jacturam dico pecuniarum, filios sublatos, corporis plagam, opprobria, irrisiones, uxoris machinas, diaboli insidias, omnes uno verbo Justi calamitates, nobis in portum maximum apparemus, ut omnia fortiter et cum gratiarum actione ferentes, et in præsenti vita mœrorem omnem depellamus, et de hac benedictione mercedem referamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et una Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

CAPUT XII.

De spiritualibus autem, fratres, nolo vos ignorare. Scitis autem quod cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes [1].

I. Hic totus locus valde obscurus est : obscuritatem vero parit ignoratio eorum quæ tunc contingebant, nunc autem non fiunt. Et cur non nunc fiunt? Ecce namque obscuritatis causa aliam nobis quæstionem peperit. Cur enim tunc fiebant, nunc vero secus? Sed hoc postea dicendum mittamus, interim vero quæ tunc fiebant recen-

[1] 1 Cor. XII, 1, 2.

seamus. Quid ergo tunc contingebat? Si quis baptizaretur, linguis statim loquebatur, et non linguis tantum; sed etiam multi prophetabant; quidam vero alias plures virtutes exhibebant. Quia enim ab idolis accedentes, cum nihil clare scirent, neque in antiquis Bibliis essent educati, baptizati statim Spiritum accipiebant. Spiritum vero non videbant, invisibilis cum sit; dabat autem gratia sensile quoddam argumentum illius operationis; aliusque Persica, alius Romana, alius Indica, alius alia lingua statim loquebatur: et hoc externis notum faciebat Spiritum sanctum in ipso loquente esse. Ideo sic ipsum appellat dicens: « Unicuique autem manifestatio Spiritus datur ad utilitatem, charismata seu dona vocans manifestationem Spiritus. » Quia enim Apostoli hoc primum signum acceperunt, fideles quoque acceperunt linguarum donum; neque hoc solum, sed et alia plurima. Nam et mortuos multi suscitabant, et dæmonas pellebant, et alia multa similia mirabiliter operabantur. Donaque habebant alii quidem pauciora, alii vero plura. Magis autem quam alia omnia apud illos erat donum linguarum. Et hæc causa schismatis illis fuit; non ex natura sua, sed ex ingrato accipientium animo. Nam qui majora habebant, efferebantur adversus eos qui minora possidebant. Hi vero rursus dolebant, et iis qui majora haberent invidebant. Idque in sequentibus ostendit Paulus. Quia igitur hinc letalem accipiebant plagam, dum in eis charitas dissolveretur, multum studium ponit ut id corrigat. Contigit hoc etiam Romæ; sed non hoc modo. Quapropter in Epistola ad Romanos, illud movet quidem, sed adumbrate et breviter, sic dicens: « Sicut enim in uno corpore multa membra » habemus, membra autem omnia non eamdem habent » operationem; sic multi unum corpus sumus in Christo; » singuli autem invicem membra. Habentes autem dona

» secundum gratiam quæ data est nobis diversa; sive pro-» phetiam, secundum proportionem fidei; sive ministerium » in ministrando, sive qui docet in doctrina [1]. » Quod autem illi inde in arrogantiam inciderent, id in principio subindicavit ita dicens : « Dico autem vobis per gratiam » quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis non plus » sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem: » unicuique ut Deus distribuit mensuram fidei [2]. » Itaque cum illis; neque enim magnus erat morbus dissidii et arrogantiæ, sic disseruit. Hic vero cum multo studio, nam morbus valde invalescebat. At non hoc tantum illos conturbabat; sed multi erant istic divinantes, quod urbs illa Græcorum moribus addicta esset. Et cum aliis hoc quoque illos supplantabat et turbabat. Quapropter orditur statuens quid interesset discriminis divinationem inter et prophetiam. Propterea etiam discretiones spirituum acceperunt, ut discernerent et scirent, quis loqueretur per mundum spiritum, quis per immundum. Quia enim ex ipsa re non poterat dictorum demonstratio præberi. Prophetia enim non in tempore quo profertur, sed in tempore eventus prænuntiatæ rei, veritatis suæ argumentum præbet; neque facile erat illam internoscere, dicereque quis Propheta, quis mendax esset. Etenim cum scelestus et immundus sit diabolus, in Prophetas sese injiciebat, falsos inducens prophetas, ut qui et ipsi futura prædicerent. Deinde quia de iis quæ dicebantur non poterat ratio reddi, cum res quæ prædictæ fuerant nondum evenissent, et facile confutabatur; mendacem enim et veracem finis comprobat; ne ante finem auditores deciperentur, dat illis signum, quod etiam ante eventum hunc et illum indicaret. Et hinc accepta consequentia et principio, sic in sermonem de charismatibus transit, et con-

[1] Rom. XII, 4-7. — [2] Ibid. 3.

tentionem inde subortam corrigit. Interim vero de divinatoribus loquens sic orditur : « De spiritualibus autem nolo » vos ignorare, fratres; » spiritualia vocans signa, quia illa Spiritus solius sunt opera, humano studio nihil afferente ad talia miracula patranda. Et de illis disputaturus, prius, ut dixi, divinationem inter et prophetiam differentiam ponit, sic dicens : « Scitis quod cum gentes essetis ad si- » mulacra muta prout ducebamini euntes [1]. » Id est : In idolis, inquit, si quis abreptus esset a spiritu immundo, et vaticinaretur, quasi abductus sic ille trahebatur a spiritu vinctus, nihil sciens eorum quæ dicebat. Hoc enim divinatori proprium est, ut mente excedat, vim patiatur, pellatur, trahatur, quasi furens. Propheta vero non sic; sed cum vigili mente, cum temperanti constitutione, illa sciens quæ dicit, omnia loquitur. Itaque etiam ante eventum hinc internosce vatem et Prophetam. Et vide quam non suspectum proferat sermonem : ipsos vocat testes, qui rei experientiam fecerint. Quod enim non mentiar, inquit, neque temere ea quæ gentium sunt traducam, fingens tanquam inimicus, vos ipsi mihi feretis testimonium. Etenim ipsi scitis quomodo, cum essetis Græci, tracti abduceremini. Quod si quis hos, utpote fideles, suspectos esse dixerit; age, etiam ab externis hoc vobis manifestum reddam. Audi ergo Platonem sic loquentem (15) : Quemadmodum divinatores et vates multa quidem et pulchra dicunt; eorum vero quæ proferunt nihil sciunt. Audi alium quoque Poëtam eadem ipsa indicantem. Postquam quibusdam initiationibus et præstigiis, dæmonem quis homini alligaverat, ille vero vaticinabatur, dum vaticinaretur ille, raptabatur et discerpebatur, ac dæmonis impetum ferre non poterat; sed sic raptatus periturus erat; iis qui talibus præstigiis dabant operam dicit (14) :

[1] 1 Cor. XII, 2.

Solvite demum : regem Deum mortalis non ultra capit.

Et rursum :

Solvite serta mihi, atque pedes aspergite lympha munda,

Et expungantur mihi lineæ, ut adesse possim.

Hæc enim et similia; nam longe plura dici possent, utraque nobis ostendunt; et necessitatem qua serviunt qui detinentur dæmones, et vim quam sustinent ii qui semel se ipsis dediderunt, et a naturali sua mente excedunt. Pythia vero (15); cogor enim aliam quoque eorum turpitudinem traducere, quam bonum quidem esset prætermittere, quod indecorum nobis sit talia proferre; ut autem illorum dedecus clarius evadat, necessarium est dicere; ut hinc discatis amentiam, et ridicula gesta eorum qui vatibus illis utuntur. Dicitur ergo Pythia mulier insidere tripodi Apollinis, divaricatis cruribus. Deinde malum inferne emitti spiritum, et per genitales ejus partes subeuntem, furore mulierem replere, et hanc deinceps passis capillis debacchari et spumam ex ore emittere; et sic temulentam illam furoris verba proferre. Scio vos pudore affectos erubescere hæc audientes. Verum illi altum sapiunt, ob turpitudinem et insaniam tantam.

II. Hæc igitur et similia omnia Paulus exagitans dicebat: « Scitis quod cum gentes essetis, ad simulacra muta induce» bamini abducti. » Et quia cum iis qui rem probe noverant disserebat, non omnia accurate ponit, ne illis molestiam creet: sed in memoriam tantum revocans omnia, cito recedit, ad propositum festinans. Quid est autem, ad simulacra muta? Isti vates ad illa tracti ducebantur. Si vero muta sint, quomodo illis utebantur? Qua de causa ad statuas illos dæmon adducebat tanquam captivos et vinctos? Simul errorem reddens probabilem. Ne videretur enim lapis esse mutus, conabatur homines idolis affigere; ut

quæ ipsorum erant illis ascriberentur. Sed nostra non sunt hujusmodi. Nostra autem non posuit ille; quæ Prophetarum sunt dico. Illis enim omnia manifesta erant, et in illis prophetabant ut ipsos decebat, cum intelligentia et libertate omni. Ideo penes illos erat et loqui et non loqui. Neque enim necessitate tenebantur, sed potestatis honore donati erant. Ideo Jonas fugit; ideo Ezechiel distulit; ideo Jeremias recusabat. Deus vero non cum necessitate impellit ipsos; sed consiliis, hortationibus et comminationibus utitur, mentem tenebris non offundens. Dæmonis enim proprium est et tumultum et furorem, et multam immittere caliginem; Dei vero est illuminare, et quæ opus est cum intelligentia docere. Prima ergo divinateris et Prophetæ differentia hæc est. Secunda vero est alia, quam deinceps ponit dicens: « Ideo notum vobis facio » quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesum. » Deinde etiam alia, « Et nemo potest dicere Dominum Je» sum, nisi in Spiritu sancto [1]. » Cum videris, inquit, quempiam, non proferentem nomen ejus; imo ipsum anathematizantem, is est divinator. Rursus cum videris alium cum nomine ejus omnia loquentem, cogita illum esse spiritualem. Quid ergo, inquies, de catechumenis dixerimus? Si enim nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, quid dicemus de his, qui ejus quidem nomen proferunt, Spiritu autem privantur? sed de his nunc ille non agit: neque enim tunc catechumeni erant; sed de fidelibus et infidelibus. Quid ergo? Nullus-ne dæmon Deum nominat? Annon dicebant dæmoniaci: « Novimus te quis » es, Filius Dei [2]? » Annon Paulo dicebant: « Isti homines » servi Dei altissimi sunt [3]? » Sed flagellati, sed coacti sponte autem et non coacti, nunquam. Hic jam apposite quæratur, cur dæmon hæc loqueretur, et cur Paulus in-

[1] 1 Cor. xii, 3. — [2] Marc. i, 24. — [3] Act. xvi, 17.

crepaverit. Doctorem nempe suum imitatus. Nam et Christus increpavit : nolebat enim ab illis habere testimonium. Quare? Dæmon hoc agebat rerum ordinem confundere volens, et Apostolorum abripere auctoritatem, multisque persuadere ut sibi attenderent. Quod si factum esset, cum fide digni apparuissent, facile sua introduxissent. Ne hoc ergo fieret, neque fallacia initium duceret, etiam cum vera loquerentur, ora ipsis obstruit ut in falsis nemo ipsis animum adhiberet, sed ad ea quæ ab ipsis dicerentur aures obstrueret. Postquam ergo vates et Prophetas distinxerat et ex priore et ex secundo signo, demum de miraculis disserit; nec sine causa ad hoc argumentum transit; sed ut dissentionem inde subortam tollat, et persuadeat iis, qui minus habent, ne doleant, et iis qui majora possident, ne efferantur. Ideo sic incœpit : « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus [1]. » Primoque curat illum qui minus habet donum, ideoque dolet. Cur enim, inquit, angeris quia non tantum accepisti quantum alius? Sed cogita illud esse donum, non debitum, et consolationem accipies. Ideo statim sic loquitur : « Divisiones vero gratiarum sunt. » Neque dixit signorum, neque miraculorum, sed, gratiarum; nomine doni persuadens illi ut non modo non doleat, sed et gratiam habeat. Et cum hoc, inquit, illud quoque tecum reputa, quod etiamsi in mensura doni minus habeas; in eo quod dignatus sis inde accipere, unde is accepit qui plus habet, parem habes honorem. Neque enim dicere possis illi Spiritum dedisse, tibi vero Angelum : nam et tibi et illi Spiritus dedit. Ideo subjunxit; « Idem autem Spiritus. »

III. Itaque etiamsi in dono differentia sit, at non in eo qui dedit : ex eodem namque fonte et tu et ille hausistis. « Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Domi-

[1] Cor. XII, 4.

» nus [1]. » Nam consolationem adhuc placide augens, et Filium et Patrem adjicit : alioque rursus nomine hæc dona vocat, majorem etiam inde excogitans consolationem. Ideo sic dicit : « Divisiones ministrationum sunt, idem » autem Dominus. » Nam qui donum audit, et minus accepit, fortasse doluerit; qui vero ministrationem accepit, non item. Res enim laborem indicat, et sudorem. Quid ergo doles, inquit, si alium plus laborare jussit, tibi parcens? « Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus » qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur » manifestatio Spiritus ad utilitatem [2]. » Et quid est operatio? Quid donum, inquies? Quid ministratio? Nominum tantum sunt differentiæ, quia res eædem sunt. Quod enim est donum illud ipsum est ministratio; hoc etiam dicit operationem. Nam ait : « Ministerium tuum imple [3] ; » et « Ministerium meum glorifico [4] ; » et Timotheo scribens dicit : « Propter quam causam admoneo te, ut suscites » gratiam Dei quæ est in te [5]. » Et ad Galatas rursus scribens dicebat : « Qui enim operatus est Petro in apostola- » tum, operatus est et mihi inter gentes [6]. » Vides-ne quod nullam differentiam ostendat in donis Patris et Filii et Spiritus sancti? non hypostases confundens, absit, sed substantiæ parem honorem ostendens. Nam quod Spiritus largitur, hoc et Deum operari, et Filium ordinare ac præbere dicit. Atqui si hoc esset illo minus, et illud isto, non sic illud posuisset, neque hac ratione dolentem consolatus esset. Post hæc autem alio quoque modo ipsum consolatur; quod nempe data mensura ipsi conferat, etiamsi minor sit. Cum dixisset enim, idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus, et hac ratione ipsum recreasset, aliam rursus subjungit consolationem sic dicens : « Unicuique autem ma-

[1] 1 Cor. XII, 5. — [2] Ibid. 6, 7. — [3] 2 Tim. IV, 5. — [4] Rom. II, 13. — [5] 2 Tim. I, 6. — [6] Galat. II, 8.

»nifestatio Spiritus datur ad utilitatem. »Ne quis enim diceret : « Quid enim, si idem Dominus et idem Spiritus et idem Deus? at ego minus accepi. » Ait ipse, quod ita conferret. Manifestationem vero Spiritus signa vocat, et merito. Mihi enim fideli manifestus est is qui habet Spiritum, eo quod sit baptizatus. Infideli autem ex nulla re hoc erit conspicuum, nisi a signis. Itaque inde etiam non parva consolatio est. Etiamsi enim dona sint diversa, una tamen est demonstratio. Nam sive multum, sive parum habeas, perinde es manifestus. Itaque si illud ostendere satagis, quod Spiritum habeas, sufficientem habes demonstrationem. Cum ergo et unus sit qui dedit, et gratuitum sit donum, et manifestatio hinc fiat, et hoc tibi magis conferat; ne doleas quasi despectus. Neque enim te dedecore afficiens Deus, neque altero minorem declarans hoc facit, sed tibi parcens, et id spectans quod tibi utile esset. Nam majus quidpiam accipere cum qui ferre non possit, hoc esset inutile, noxium et mœrore dignum. « Nam alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ ; »alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum. »Alteri fides in eodem Spiritu; alii autem gratia curatio»num in eodem Spiritu [1]. »Vides-ne quomodo ubique hoc additamentum faciat, in eodem Spiritu dicens, et secundum eumdem Spiritum. Scit enim hinc magnam oriri consolationem. « Alii autem operationes virtutum; alii »prophetiæ, alii discretiones spirituum, alii genera lin»guarum; alii interpretatio sermonum [2]. » Quia enim in hoc altum sapiebant, ideo id postremum posuit, et subjunxit. « Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiri»tus [3]. » Pharmacum ad omnem consolationem aptum: quod ex eadem radice, ex iisdem thesauris, ex iisdem fluentis omnes accipere possint. Ideo frequenter hauriens,

[1] 1 Cor. XII, 8, 9. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

hoc verbo eam quæ videbatur esse inæqualitatem exæquat et consolatur. Et superius quidem Spiritum, Filium et Patrem dona elargiri ostendit. Hic vero Spiritum dixisse satis habuit; ut hinc etiam discas eamdem esse dignitatem. Quid est autem sermo sapientiæ? Quem habebat Paulus, quem habebat Joannes filius tonitrui. Quid sermo scientiæ? Quem fidelium multi habebant, scientiam quidem habentes, docere autem non valentes, neque facile ea quæ sciebant aliis enuntiare. Alii vero fidem. Fidem non hanc dicens, quæ dogmata spectat; sed fidem signorum, de qua Christus dicit : « Si habueritis fidem ut granum sina» pis, dicetis huic monti : Transi hinc, et transibit [1]. » Et hanc petebant Apostoli dicentes : « Adde nobis fidem [2]. » Hæc enim mater signorum est. Operationes autem virtutum habere, et gratiam curationum, non idem ipsum est. Nam qui gratiam curationum habebat, medebatur tantum : qui vero operationes virtutum possidebat, etiam castigabat. Potestas enim est non sanandi modo, sed etiam puniendi; ut Paulus excæcavit, Petrusque interfecit. « Alii » vero prophetiæ, alii discretiones spirituum. Quid sibi vult illud, Discretiones spirituum? Scire quis sit spiritualis, quis non spiritualis; quis Propheta, quis deceptor : id quod Thessalonicensibus dicebat : « Prophetias nolite » negligere. Omnia autem probantes quod bonum est te» nete [3]. » Nam multa tunc erat pseudo-prophetarum corruptio, diabolo contendente pro veritate substituere mendacium. « Alii autem genera linguarum, alii interpretatio » sermonum [4]. » Nam ille quidem sciebat quod ipse diceret, alteri vero id interpretari non poterat. Alius vero hæc ambo possidebat, vel alterutrum.

IV. Videbatur autem hoc donum esse magnum, quo-

[1] Matth. XVII, 20. — [2] Luc. XVII, 5. — [3] 1 Thess. V, 20. — [4] 1 Cor. XII, 10.

niam ipsum primum Apostoli acceperunt, et apud Corinthios plurimi hoc munere instructi erant. Doctrinæ autem verbum non ita. Ideo illud quidem primum ponit, hoc vero postremum. Nam et hoc propter illud est, necnon alia omnia, prophetiæ operationes virtutum, genera linguarum et interpretatio linguarum. Nihil enim huic par est; ideo dicebat : « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni » sint, maxime qui laborant in verbo et doctrina[1]. » Et Timotheo scripsit dicens : « Attende lectioni, exhortationi, doc- » trinæ : noli negligere gratiam quæ in te est[2]. » Vides-ne quomodo hoc gratiam vocet? Deinde quam superius posuit consolationem dicens : Idem Spiritus, hanc et hic adjicit dicens : « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spi- » ritus, dividens singulis prout vult[3]. » Non modo autem con- » solatur, sed etiam os obstruit contradicenti hic dicens : » Dividens singulis prout vult. » Oportet enim astringere, nec solum mederi; sicut et in Epistola ad Romanos facit, cum dicit : « Tu quis es, qui respondeas Deo[4]? » Ita etiam hic, « Dividens singulis prout vult. » Et quod Patris erat, etiam Spiritus esse ostendit. Sicut enim de illo ait : « Idem au- » tem Deus, qui operatur omnia in omnibus; » sic et de Spiritu : « Hæc porro omnia operatur unus et idem Spiritus. » Sed motus, inquies, a Deo. Verum hoc nusquam dixit; sed tu illud effingis. Quando enim dicit : « Qui operatur » omnia in omnibus, » de hominibus hoc dicit : nunquam cum hominibus Spiritum annumerat; etiamsi millies amenter loquaris et insanias. Quia enim dixit, « Per Spi- » ritum; » ut ne putes illud, per imminutionis esse vocem, nec illum moveri ad operationem, subjungit, « Operari » Spiritum, » non ad operationem moveri, et operatur ut vult, non ut jubetur. Quemadmodum enim de Patre Fi-

[1] 1 Tim. v, 17. — [2] Id. iv, 13. — [3] 1 Cor. xii, 11. — [4] Rom. ix, 20.

lius dicit : « Excitat mortuos et vivificat[1] ; » similiter et de se ipso, quos vult vivificat ; sic et de Spiritu, alibi quidem quod cum potestate omnia faciat, et nihil sit quod impediat. Illud enim, « Ubi vult spirat[2], » etiamsi de vento dictum fuerit, ad hoc quod dicimus viam parat. Hic vero dicit, « Omnia operatur prout vult. » Et aliunde quod non sit ex iis qui per operationem moventur, sed qui operantur, hinc disce. « Quis enim novit, inquit, quæ sunt ho» minis, nisi spiritus hominis? sic et quæ Dei sunt nemo » novit, nisi Spiritus Dei[3]. » Quod autem spiritus hominis, id est, anima, non egeat operatione, ut sua cognoscat, nemini non notum est. Ergo nec Spiritus sanctus, ut cognoscat ea quæ Dei sunt. Sic enim ait : « Arcana Dei cognovit Spiritus sanctus, sicut anima hominis arcana sua. » Si autem ad hoc alia operatione non movetur, multo magis qui scit profunda Dei, et non aliqua operatione movetur ad dandum charismata Apostolis, alia non opus habuerit operatione. Præter hæc autem aliud nunc dicam, quod prius dixi. Quale illud? Si minor sit Spiritus et alterius substantiæ, nihil profuisset consolatio, neque audivisse eumdem esse Spiritum. Nam qui a rege accepit, hanc maximam habuerit consolationem, quod ipse ei dederit; qui autem a servo accipit, tunc magis dolet, quando quispiam hoc ei obtulerit. Itaque hinc etiam palam est Spiritum sanctum non servilis, sed regiæ esse substantiæ. Idcirco sicut consolatus est illos dicens : « Divisiones ministrationum sunt, » idem autem Dominus; » et, « Divisiones operationum, » idem autem Deus; » sic cum superius dixit : « Divisiones » gratiarum sunt, idem autem Spiritus; » et sub hæc etiam dicit, « Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spi» ritus, dividens singulis prout vult. » Ne itaque angamur, inquit, neque doleamus dicentes : « Cur hoc accepi, hoc

[1] Joan. v, 21. — [2] Id. III, 8. — [3] 1 Cor. II, 11.

non accepi, » neque rationes exigamus a Spiritu sancto. Nam si nosti, id ipsum largitum esse quod tui curam gerat; cogitans illum eamdem curam gerentem mensuram dedisse, amplectere et gaude ob ea quæ accepisti; et ne ægre feras quod alia non acceperis. Imo gratias reddito, quod non majora quam ferre posses acceperis.

V. Si autem in spiritualibus non oportet curiose inquirere, multo magis in carnalibus; sed quiescere et non curiose scrutari cur ille dives, ille pauper. Sane quidem non singuli a Deo divitias habent; sed multi ex injustitia, ex rapina et ex avaritia. Qui enim jussit non ditari, quomodo dedisset ea, quæ accipere prohibet? Ut autem validius confutem eos qui hac in re contradicunt nobis; age sermonem altius ducamus, ab eo tempore quo Deus divitias elargitus est, et responde mihi. Quare dives erat Abraham, Jacob autem etiam pane egebat? Annon similiter et hic et ille justus erat? Annon similiter de tribus dixit: « Ego » Deus Abraham et Isaac et Jacob[1] ?» Cur ergo ille dives erat, hic mercede conducebatur? Imo potius: Cur Esaü, iniquus cum esset et fratricida, dives erat, hic vero in servitute tanto tempore fuit? Cur rursus Isaac tranquille tanto tempore vixit, Jacob autem in laboribus et miseriis? » ideoque dicebat, « Pauci et mali dies mei[2]. » Cur David qui Propheta et rex fuit, totum vitæ tempus in laboribus transegit, Salomon autem filius ejus per quadraginta annos securius quam quilibet hominum vixit, profunda fruens pace, omne genus gloriæ, honoris et voluptatis adeptus? Cur in Prophetis alius magis, alius minus affligebatur? Quoniam sic unicuique expediebat. Quamobrem circa singulos dicendum est, « Judicia tua abyssus » multa[3]. » Nam si magnos illos et admirabiles viros non similiter exercebat Deus; sed hunc quidem per pauperta-

[1] Exod. III, 6. — [2] Gen. XLVII, 9. — [3] Psal. XXXV, 6.

tem, alium per divitias; hunc per tranquillitatem, illum per ærumnas; multo magis nunc hoc oportet cogitare. Cum hoc autem illud quoque secum reputare oportet, nempe multa ex iis quæ accidunt non ex illius sententia fieri, sed per nostram nequitiam evenire. Ne itaque dicas: « Cur hic dives est, cum nequam sit; ille vero pauper, cum sit justus? » Horum quippe rationem dare licet, ac dicere: Quia neque justus a paupertate læditur, imo majorem claritatis habet accessionem; et improbus habet divitias supplicii viaticum, nisi convertatur: atque etiam ante supplicium divitiæ illi malorum complurium causa fuere, et in mille barathra deduxere. Deus autem id agi sinit, simul liberi arbitrii voluntatem ostendens, et alios docens ne insani et furentes ad pecunias ferantur. Quid ergo, inquies, cum malus quispiam dives, nihil mali patitur? nam si probus cum sit, dives est, jure merito; sin malus sit, quid dicemus? Quod sit etiam hac ratione miserabilis: divitiæ enim ad nequitiam adjunctæ malum aggravant. Sed bonus est, et tamen pauper? At nihil læditur. Sed malus est et pauper? Ergo juste et pro merito, imo et ad utilitatem suam. Verum ille, inquies, a majoribus divitias accepit, dispergit illas meretricibus et parasitis, nihilque mali patitur. Quid dicis? Fornicatur, et nihil mali patitur? Inebriatur, et putas ipsum deliciari? Ad nihil decorum pecunias expendit, et putas ipsum æmulatione dignum? Et quid deterius illo fuerit, qui animæ suæ exitium affert? Tu vero si cum membris contortum et mutilum videres, infinitis illum lacrymis dignum esse censeres, infinitis illum lacrymis dignum esse censeres, cum autem animam ejus totam mutilam vides, beatum illum existimas? At non sentit, inquies. Et ideo commiseratione dignus est, ut qui insaniunt. Nam qui scit se ægrotare, medicum prorsus requiret, et pharmaca sibi dari patietur; qui vero

ignorat, nunquam liberari poterit. Hunccine, quæso, beatum prædicas? sed nihil mirum : sunt enim complures philosophiæ imperiti. Ideo extremas damus pœnas, ut qui puniamur nec liberemur a supplicio. Ideo iræ, mœrores et perturbationes frequentes; quia cum vitam dolore vacuam nobis ostendat Deus, viam nempe ad virtutem; nos, illa relicta, aliam viam ingredimur, divitiarum nempe et pecuniæ, innumeris plenam malis, et non secus facimus, ac si quis corporum formam discernere non valens; sed totum tribuens vestimentis et circumposito ornatui, formosam mulierem, naturali pulchritudine præditam videns præteriret; turpem autem, deformem et corpore mutilam, pulchris ornatam vestibus aspiciens, uxorem duceret. Tale quidpiam nunc circa virtutem et nequitiam multi patiuntur : turpem illam adeuntes propter exteriorem ornatum; formosam autem et pulchram respuentes propter nudam illius pulchritudinem, ob quam ipsam maxime deligi oportebat.

VI. Ideo me pudet, quod cum apud Græcos illos insanos, quidam sint qui sic philosophantur, etiamsi non re, attamen sententia, et fluxam rerum præsentium conditionem norunt; apud nos quidam ne illa quidem norint; sed et ipsum judicium corruptum habeant. Cum hæc omnia tam frequenter hæc nobis decantet et dicat : « Ad nihilum » deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem » Dominum glorificat[1]. Timor Domini omnia superavit[2], » Deum time, et mandata ejus custodi : hoc est enim om» nis homo[3]. Noli æmulari in malignantibus[4]. Ne timueris » cum dives factus fuerit homo[5]. Omnis caro fœnum, et » omnis gloria hominis quasi flos fœni[6]. » Hæc enim et talia quotidie audientes, adhuc terræ affigimur. Et quemad-

[1] Psal. XIV, 4. — [2] Eccli. XXV, 14. — [3] Eccle. XII, 13. — [4] Psal. XXXVI, 1. — [5] Id. XLVIII, 17. — [6] Isaï. XL, 6, 7.

modum pueri imperiti frequenter elementa discentes, quando sparsim illorum ordo examinatur, alia pro aliis dicentes, multum excitant risum; sic et vos, quando illa hic ordine numeramus, utcumque assequimini; quando autem vos foris sparsim interrogamus, quæ prima sint, quæ secunda harumce rerum collocare oporteat, et quænam post alia locentur; cum dicere nesciatis, ridiculi estis. Annon, quæso, multo risu dignum est, quod cum immortalitatem expectemus, et «Bona, quæ nec oculus vi-» dit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[1],» de rebus quæ hic manent contendamus, et ipsa æmulatione digna existimemus? Nam si adhuc hæc opus habes discere, quod divitiæ nihil magnum sint, quod res præsentes sint umbra et somnium, quod fumi instar dissolvantur et avolent; sta interim extra adyta, in vestibulis mane. Nondum ingressu ad supernam regiam dignus es. Si enim naturam eorum instabilem et perpetuo fluentem discernere nescis, quandonam illa despicere poteris? Si te scire dicas, desine curiose scrutari et inquirere, cur ille sit dives, cur hic sit pauper. Perinde enim facis hæc interrogans, atque si circumiens rogares, cur ille albus, et ille niger; ille aquilino naso, ille simus. Sicut enim illa nihil ad nos, an isto, an illo modo se habeant; sic neque esse illum quempiam pauperem vel divitem, imo hæc minus quam illa quærenda. Sed totum ad usum referri debet. Etiamsi pauper sis, potes cum bono animo vivere si philosopheris: etiamsi dives sis, omnium es miserrimus, si virtutem fugias. Nam hæc nobis sectanda sunt, quæ ad virtutem spectant; si hæc non adsint, aliorum nulla utilitas. Ideo frequentes illæ interrogationes, quia multi ea quæ indifferentia sunt ad se spectare putant; de iis vero, quæ ad se spectant et sibi utilia sunt, nullam rationem habent.

[1] 1 Cor. II. 9.

Nam quæ nostra intersunt, virtus et philosophia sunt. Quia ergo ab illa longo intervallo abestis, ideo cogitationum perturbatio, ideo fluctus multi, ideo tempestas. Cum enim a superna gloria exciderint, et a cœlorum amore, præsentem gloriam cupiunt, fiuntque servi et captivi. Et unde fit, inquit, ut hanc appetamus? quia non multum illam concupiscimus. Hoc autem ipsum unde accidit? Ex negligentia. Et negligentia unde? ex contemptu. Contemptus unde? ex amentia, et quod præsentibus inhiemus, et quod rerum naturam nolimus accurate examinare. Hoc vero undenam procedit? Quod Scripturarum lectioni non attendamus, neque cum viris sanctis versemur, et improborum cœtus frequentemus. Ne igitur hoc perpetuo fiat, et ne fluctus fluctibus succedentes, nos in malorum pelagus abducant et suffocent funditusque perdant. Donec tempus adest, exurgamus, et supra petram stantes, Dei dogmatum dico et verborum, respiciamus tempestatem vitæ præsentis. Ita enim et nos ipsam effugiemus, et alios naufragium patientes extrahemus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritui sancto, gloria, honor et imperium, nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

CAPUT XII.

Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa: omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus[1].

I. Cum consolationem præbuisset ex eo quod gratuitum esset donum, ex eo quod omnia ex uno eodemque spiritu acciperent, ex eo quod ad utilitatem darentur, ex eo quod per minora manifestatio fieret: ad hæc etiam cum os eorum obstruxisset ex eo quod oporteat potestati Spiritus cedere; « Hæc enim omnia, inquit, operatur unus atque » idem Spiritus, dividens singulis prout vult, » quare non licet curiose inquirere; ex alio rursus illos consolatur communi exemplo, et ad naturam ipsam confugit, ut facere solet. Nam quando disserebat de coma virorum ac mulierum, post alia hinc quoque illos erudivit, dicens: « Annon ipsa natura vos docet, quod vir quidem si co- » mam nutriat, ignominia est illi; mulier autem si comam » nutriat, ipsi est gloria[2]? » Et cum de idolothytis diceret, prohibens illa tangere; etiamque ab externis exemplis sermonem texens, atque Olympica certamina memorans dicebat: « Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, » unus autem accipit bravium[3]; » atque a pastoribus, militibus et agricolis illa ipsa probans. Ideo hic quoque commune exemplum in medium affert: quo admodum contendit ut ostendat neminem minus quam alios habere, id

[1] 1 Cor. XII, 12. — [2] Id. XI, 14, 15. — [3] Id. IX, 24.

quod mirabile fuisset, et probatu difficile, tamenque simpliciores posset recreare : de iis quæ ad corpus spectant dico. Pusillanimem namque, et minus habentem nihil ita consolatur, et ad non dolendum inducit, ut cum discit se non minus habere. Quapropter id ille probans, sic loquitur : « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa. » Vidisti-ne accuratam intelligentiam? Idipsum et unum et multa esse ostendit. Ideo subjungit, in proposito magis instans : « Omnia autem membra corporis, cum sint multa, » unum sunt corpus. » Non dixit : « Cum sint multa unius » sunt corporis ; » sed, hoc ipsum unum multa sunt, et illa multa membra, hoc unum est. Si ergo multa unum sunt, et unum multa, ubi est differentia? ubinam id quod excedit? ubi quod minus est? « Omnia enim, inquit, unum » sunt, » et non modo unum ; sed etiam magis proprie examinata, secundum quod corpus sunt, inveniuntur omnia esse unum. Quando autem per partes, tunc differentia est, et differentia illa in omnibus similiter. Nullum enim eorum per se potest corpus efficere, sed pari modo singula deficiunt ad corpus efformandum, et opus est conjunctione. Cum enim multa unum efficiuntur, tunc est unum corpus. Idcoque idipsum subindicans dicebat : « Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum » est corpus. » Neque dixit, « Quæ excedunt et quæ minora sunt, » sed, « Cum sint multa, » quod commune omnibus est. Et quomodo fieri potest ut sint unum? Quando ejecta membrorum differentia, corpus examinaveris. Quod enim est oculus, hoc et pes est, secundum id quod membrum sunt, et corpus efficiunt. Nulla enim hic differentia est. Neque dicere possis hoc membrum per se corpus facere, illud non item. Omnia enim hac in re paria sunt, quia omnia unum sunt corpus. Hoc cum dixisset, et clare ex omnium calculo demonstrasset, subjunxit,

« Ita et Christus. » Et cum oportuisset dicere : Ita et Ecclesia, » hoc enim consequens erat; hoc quidem non dixit; sed illius loco Christum ponit, in altum extollens orationem, et auditorem magis pudore afficiens. Hoc autem vult significare : « Ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. » Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus sic vocans. Sicut ergo, inquit, corpus nostrum unum est, etiamsi ex multis constituatur; ita et in Ecclesia omnes unum sumus. Etiamsi enim illa ex multis membris constat; sed illa multa unum fiunt corpus. Cum ergo recreasset et erexisset ab hoc communi exemplo eum, qui videbatur minor fieri, rursus communem dimittit consuetudinem, et ad aliud pergit spirituale caput, majorem afferens consolationem, quod ostendat magnam in honore æqualitatem. Quodnam illud est? « Etenim in uno Spiritu, inquit, omnes nos in unum » corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci; sive » servi, sive liberi[1]. » Id est, quod effecit ut unum corpus simus, et nos regeneravit, unus et Spiritus. Non enim in alio hic, in alio ille baptizatus est Spiritu. Non modo autem qui nos baptizat unus est, sed et unum est in quo baptizavit; id est, propter quod baptizavit. Non enim ut diversa fierent corpora; sed ut omnes unius corporis accuratam conjunctionem mutuo servemus, baptizati sumus; hoc est, ut omnes unum corpus simus, in hoc baptizati sumus.

II. Itaque et qui construxit corpus, unus est, et id ad quod constructum est, unum est. Nec dixit : Ut simus ejusdem corporis; sed, « Ut unum corpus omnes simus : » semper enim studet verbis majorem emphasim exprimentibus uti. Et bene dixit : « Omnes sumus, » se ipsum adjiciens. Neque enim ego Apostolus plus quam tu, quid habeo : et tu

[1] 1 Cor. XII, 13.

corpus es sicut et ego : ego ut tu et omnes idipsum habemus caput et eodem partu nati sumus : idcirco idem corpus sumus. Et quid dico, inquit, Judæos? nam et Græcos a nobis tantum dissitos, ad idipsum corpus redegit. Quare cum dixisset : « Nos omnes, » non hic substitit ; sed subjunxit : « Sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi. » Quod si cum antea adeo remoti essemus, juncti sumus et unum effecti ; multo magis postquam unum facti sumus, non debemus dolere et mœstitia affici. Neque enim locum habet differentia. Nam si Græcos seu gentiles et Judæos iisdem dignatus est, necnon servos et liberos ; quomodo postquam id dignatus est, disjunxerit ? quando majorem et accuratiorem ex donis conjunctionem efficere dignatus est? « Et omnes uno spiritu potati sumus. Nam et corpus » non est unum membrum, sed multa [1]. » Id est, ad eamdem venimus mysteriorum initiationem, eadem fruimur mensa. Et cur non dixit : « Eodem corpore nutrimur, et eodem spiritu potamur ? » Quia cum spiritum dixit, utrumque significavit et sanguinem et corpus. Per utrumque enim uno spiritu potamur. Mihi autem videtur nunc dicere illum Spiritus adventum, qui a baptismate, et ante mysteria nobis accedit. Dixit autem : « Potati sumus, » quia dictionis metaphora valde opportuna ipsi est ad præsens argumentum. Ut si de plantis et de paradiso diceret, ab eodem fonte omnes arbores irrigantur, et ab eadem aqua. Ita et in præsenti, eodem Spiritu potati sumus omnes, eamdem percepimus gratiam. Si ergo unus Spiritus nos conjunxit, et nos omnes in unum corpus compegit ; hoc enim significat illud : « In unum corpus baptizati sumus ; » et unam mensam largitus est, et eamdem omnibus irrigationem ; hoc enim sibi vult illud, « Uno spiritu potati sumus ; » et tanto intervallo dissitos junxit ; et multa tunc fiunt corpus,

[1] 1 Cor. XII, 14.

quando facta fuerunt unum; cur mihi differentiam susdeque versas? Si autem dixeris: « Multa sunt membra, et diversa, » discas hoc ipsum esse admirabile et hanc corporis esse excellentiam, quando multa et diversa unum efficiunt. Quod si multa non essent : non ita mirabile et inexpectatum esset unum esse corpus; imo ne esset quidem corpus. Sed hoc quidem postremo ponit. Interim vero ad ipsa membra pergit ita loquens : « Si dixerit pes : Non sum manus, non sum de corpore; num idcirco non est de corpore? Et si dixerit auris : Non sum oculus, non sum de corpore, num idcirco non est de corpore[1] ? » Nam si quod alius minus haberet, alius excederet, id non sineret esse de corpore, universum tolleretur. Ne itaque dixeris : « Non sum corpus, quia sum minor. » Etenim pes minorem tenet ordinem; sed est ex corpore. Nam ex corpore esse vel non esse, non inde fit quod alius in hoc loco, alius in alio positus sit; hoc enim loci tantum facit differentiam; sed ex eo quod sit conjunctus vel non conjunctus. Nam esse vel non esse corpus ex eo fit, quod vel conjunctum vel non conjunctum sit. Tu vero mihi prudentiam perpende, quomodo ipsa verba apposite membris nostris accommodet. Nam ut superius dicebat : « Hæc transfiguravi in me et Apollo; » sic et hoc loco, ut non molestum, sed acceptum redderet sermonem ; membra loquentia inducit, ut cum audirent naturam sibi respondentem, ab ipsa experientia convicti et a communi calculo, nihil ultra contradicere valerent. Nam sive hoc ipsum, inquit, dicatis, sive murmuretis, non potestis extra corpus esse. Quemadmodum enim lex naturæ, sic et multo magis gratiæ virtus, omnia custodit et conservat. Et vide quomodo caverit ne quid superfluum esset, non de membris omnibus, orando tractans; sed de duobus tantum, iisque extremis. Etenim

[1] 1 Cor. XII, 15, 16.

omnium pretiosissimum posuit, oculum; et omnium vilissimum, pedes. Neque inducit pedem cum oculo loquentem, sed cum manu, quæ est paulo altior; auditum autem cum oculis. Quia enim non iis qui nos longe superant, sed iis qui paulo altiores sunt, solemus invidere; ideo et ipse sic facit comparationem. « Si totum corpus oculus, ubi audi» tus? si totum auditus, ubi adoratus[1]? » Quia enim cum in membrorum incidisset differentiam, et dixisset pedes, manus, oculos, et aures, illos in cogitationem minoris vel majoris induxit; vide quomodo rursum illos consolatur, ostendens ita consentaneum esse: « Et quod multi sint et diversi, hoc maxime facit ut corpus sit. » Quod si unum essent omnes, non essent corpus. Ideo ait: « Si essent » omnia unum membrum, ubi corpus? » Sed hoc quidem postea dicit. Hic vero quid majus ostendit, nempe quod non solum non possit esse corpus; sed ne esse quidem cæteros sensus. « Nam si auditus totum esset, ubi odoratus?» inquit.

III. Deinde quia sic quoque turbabantur; quod superius fecit, id etiam nunc facit. Sicut enim ibi per utilitatem consolatus, demum os valide obstruxit dicens: « Hæc au» tem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens » singulis prout vult; » sic et hoc loco etiam ratiocinia proferens, quibus ostendit ad utilitatem sic omnia facta esse, rursus totum ad Dei voluntatem reducit dicens: « Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum » in corporibus sicut voluit[2]. » Quemadmodum de Spiritu dixit: « Prout vult; » sic et hoc loco, « Sicut voluit. » Ne ergo ultra curiosius causam inquiras: Cur sic, cur non sic. Etiamsi enim mille dicta proferenda habuerimus, non sic poterimus ostendere recte factum esse, ut cum dicimus: Ut optimus artifex voluit, ita factum est; nam sic

[1] 1 Cor. XII, 17. — [2] Ibid. 18.

ille vult ut expedit. Si autem in hoc corpore de membris non curiose inquirimus, multo magis in Ecclesia. Et vide illius prudentiam. Non enim illam ponit differentiam quæ ex natura est, neque illam quæ est ex operatione, sed eam quæ est a situ locorum. « Nunc enim posuit, inquit, Deus » membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. » Et recte dixit : « Unumquodque, » in omnibus utilitatem ostendens. Neque enim dicere possis illum hoc quidem posuisse, illud vero minime, sed unumquodque secundum voluntatem ipsius situm est. Ito ut pedi utile sit, sic collocatum esse, non capiti tantum. Sive ordinem mutaverit, sive proprio relicto loco, in alium transierit, sive in majorem venisse videatur, totum perdidit et corrupit ; nam proprium locum perdidit, et alium non assequitur. « Quod » si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc au- » tem multa quidem membra, unum vero corpus [1]. » Cum enim eis satis os obstruxisset a Dei dispositione, rursus ratiocinia ponit; neque semper hoc facit, neque illud, sed commutans variat orationem. Qui enim os obturat tantum, auditorem turbat. Qui autem illum assuefacit ad omnium causas exquirendas, in oratione de fide ipsum lædit. Idcirco hoc Paulus frequenter facit, ut et credant, et non turbentur : et postquam ora obstruit, dat etiam rationem. Et vide contentionem, et plenam victoriam. Ex quibus putabant se non esse honore pares, quod multa in ipsis esset differentia, ex iisdem ostendit, illos propter hoc ipsum honore pares esse ; quomodo autem, ego dicam. « Si essent, » inquit, omnia unum membrum, ubi corpus? » Id est, « Si non esset, inquit, in vobis multa differentia, non essetis corpus : » Si corpus non essetis, neque unum essetis. Si unum non essetis, neque pares essetis; itaque si pares essetis, non essetis corpus; si corpus non essetis, non esse-

[1] 1 Cor. XII, 19, 20.

tis unum. Si unum non essetis, quomodo honore pares essetis? Nunc vero, quia non omnes idem donum habetis, ideo corpus estis. Corpus vero cum sitis, omnes unum estis, et nihil alter ab altero differtis, secundum id, quod corpus estis. Itaque illa maxime differentia, est quæ facit honoris paritatem. Ideoque subjunxit : « Nunc autem » multa quidem membra, unum vero corpus. » Hæc itaque nos quoque cogitantes, omnem pellamus invidiam, neque illis invideamus qui majora habent charismata, neque despiciamus eos qui minora possident. Ita enim Deus voluit. Ne itaque obsistamus ; si vero adhuc turbaris, cogita illum sæpe non posse opus tuum implere. Quamobrem, etiamsi minor fueris, in hoc illum superas ; etiamsi major ille sit, in hoc superatur, et sic æqualitas efficitur. Etenim in corpore quoque, quæ parva sunt, non parva videntur exequi ; sed et magna sæpe labefactant, cum abscedunt. Quid enim in corpore pilis vilius? sed si illos viles abstuleris a superciliis, omnem faciei formam delevisti, et oculus non ultra tam pulcher apparebit : atqui leve est detrimentum ; attamen sic omnis forma periit ; non forma tantum, sed et oculorum usus multum lædituv. Singula enim membra nostra propriam et communem habent operationem ; et pulchritudo etiam et propria et communis est in nobis. Et videntur quidem illa divisa esse, suntque tamen accurate connexa, ac si alterum perierit, alterum quoque simul interit. Animadverte autem : Sint oculi lucentes, gena subridens, labium rubicundum, nasus rectus, supercilium extensum. Attamen si illorum quodpiam vel tantillum labefactaveris, communem omnium pulchritudinem labefactasti, et turpia omnia apparebunt, quæ antea pulchra erant. Nam si vel extremum nasum contriveris, in omnia simul multam infudisti deformitatem : etiamsi unius membri sit

mutilatio. Et in manu etiam, si unius digiti unguem absturleris, idipsum fieri videbis.

IV. Si autem idipsum in operatione videre velis, tolle digitum unum et reliquos otiosiores videbis, neque suo ultra similiter munere fungentes. Quoniam igitur unius membri jactura, communis est turpitudo, ejusque conservatio communis pulchritudo, ne extollamur, neque insultemus proximis. Nam propter illud exiguum membrum, illud quod magnum est, pulchrum est et formosum, et per palpebras ornatur oculus. Se impugnat ergo qui fratrem impugnat. Non enim ad illum solum pertingit damnum, sed et ipse non parvum detrimenti subibit. Ne hoc itaque fiat, ut nosmetipsos sic proximos curemus, et hanc corporis imaginem, nunc et in Ecclesiam transferamus, omnium providentiam geramus, ut proprioruin membrorum. Nam et in Ecclesia membra sunt multa et diversa ; alia quidem honorabilia, alia inferiora ; ut sunt virginum chori, viduarum cœtus : sunt etiam eorum qui in casto connubio fulgeant sodalitia ; multique sunt virtutis gradus. Similiterque rursum in eleemosyna. Alius enim omnia effudit et erogavit, alii autem solo tantum victu contenti sunt, et non plus quærunt quam necessaria, alii ex superfluo erogant. Attamen hi omnes sese mutuo exornant. Et si minorem major despiciat, se ipsum maxime lædit. Virgo quoque si connubio junctam contumelia afficiat, non parum ex mercede sua decidit. Si is qui omnia elargitus est, exprobret ei qui idipsum non fecit, ex laboribus suis multum evacuavit. Ecquid virgines dico, viduas, et viros qui nihil possident ? Quid enim vilius iis qui emendicant? Attamen illi usum maximum in Ecclesia implent, ostiis templi hærentes, et ornatum maximum afferentes : absque illis enim perfecta non esset plenitudo Ecclesiæ. Quod cum initio viderent Apostoli, legem statuerunt, ut circa alia

omnia ; sic et ut viduæ essent : et in ea re tantum studii posuerunt, ut ipsis diaconos septem præficerent. Quemadmodum enim episcopos, presbyteros, diaconos, virgines et continentes enumero, cum Ecclesiæ membra recenseo ; sic et viduas. Neque enim illæ levi funguntur munere. Nam tu quidem quando vis, ades ; illæ vero die nocteque psallunt, et adsunt, non eleemosynæ tantum causa hæc agentes ; si enim hoc vellent, liceret per forum incedere, et in angiportis mendicare ; sed non modica moventur pietate. Vide ergo in quanta paupertatis fornace versentur. Blasphemantes apud illas nunquam audieris, neque indigne ferentes, quod tamen ex divitibus multæ faciunt. Et illarum quædam esurientes sæpe dormierunt ; aliæ autem a frigore assidue vexantur, et tamen in gratiarum actione et glorificatione degunt. Si obolum dederis, gratias agunt, et mille bona danti apprecantur ; si nihil dederis, non ægre ferunt ; sed sic quoque benedicunt, et diligunt, diurno fruentes victu. Etiamsi nolint, inquies, id ferre illas necesse est. Cur, quæso, qua de causa hoc acerbum protulisti verbum ? Annon sunt turpes artes, quæ etiam senibus et viris et mulieribus lucrum afferre possint. Si vitam honestam curare nollent, annon poterant inde cum magna ali rerum copia ? Non vides quot quantique sint istius ætatis lenones, et libidinis ministri, et alia quædam hujusmodi munia exercentes, qui aluntur et in deliciis vivunt ? At hi minime, sed malunt fame perire potius quam vitam suam deturpare, et salutem suam prodere : sedentque toto die pharmacum tibi salutis apparantes. Non enim medicus manum extendens et ferrum immittens vulnerum putredinem æque excindit, ut pauper dexteram extendens et eleemosynam accipiens, aufert vulnerum tumores. Quodque mirabile est, sine ullo dolore hanc optimam illi exercent medicinam. Ac non minus quam nos qui populo

præsumus et vos ad utilia hortamur, ille qui ante fores Ecclesiæ sedet per silentium et aspectum vos alloquitur. Nos enim hæc vobis quotidie insonantes dicimus : Ne altum sapias, o homo, repente transit et fluxa est hominum natura : juventus ad senium festinat, forma ad deformitatem, robur ad infirmitatem, honor ad contemptum, sanitas in infirmitatem incidit, gloria in vilitatem, divitiæ in paupertatem, fluento vehementi res nostræ similes sunt, quod nunquam vult consistere, sed ad declive festinat.

V. Hæc quoque imo plura per aspectum illi consulunt, et per experientiam ipsam, quæ est manifestior admonitio. Quam multi ex iis, qui foris sedent, in juventute floruerunt, magna patrarunt! Quam multi ex his deformibus, et corporis fortitudine, et forma multos superarunt? Sed ne fidem negetis, neu rideatis; nam innumeris hujusmodi exemplis plena est vita. Nam si multi viles et abjecti homines sæpe reges sunt effecti, quid mirum si ex magnis et gloriosis, viles et inglorii sunt effecti? nam illud certe longe mirabilius est ; hoc vero postremum sæpissime contingit. Quapropter non oportet fidem non adhibere, si in artibus, in militia et in pecuniarum copia quidam eorum floruerint; imo miserari convenit illos cum affectu multo; et quique debemus timere ne similia patiamur. Etenim nos quoque homines sumus, et huic celeri subjecti mutationi. Sed fortassis ex improbis quispiam, qui irridere solent, ea quæ dicta sunt carpet, nosque omnino traducet dicens : « Quousque non cessabis pauperes et egenos semper in orationem inducere, et calamitates nobis prædicere, paupertatem prænuntiare, id curans ut nos mendicos efficias? » Non curans ut vos mendicos efficiam, o homo, hæc dico ; sed vobis cœli divitias aperire studens. Nam qui apud bene valentem ægrotos memorat, illorumque dolores enarrat, non ut illum ægrotum reddat hoc dicit; sed ut in sanitate

conservet, et eorum quæ aliis acciderunt timore, hujus incuriam excindat. Terribilis vobis paupertas videtur esse, ac vel ipso nomine horrenda. Ideo namque pauperes sumus, quia paupertatem timemus, etiamsi millia talenta habeamus. Non enim is qui nihil habet pauper est, sed is qui paupertatem exhorrescit. Quoniam et in calamitatibus non eos qui innumera patiuntur mala, deploramus et miseros existimamus, sed eos qui illa ferre nesciant, etiamsi modica sint. Contra vero is qui illa scit patienter ferre, et coronis et laudibus dignus est. Et quod hoc ita se habeat: in certaminibus quosnam laudamus? eos-ne qui multum verberantur, nec dolent, sed erecto collo perstant; an eos qui post primas plagas fugiunt? Annon illos quidem coronamus, tanquam fortes magnique animi, hos autem irridemus, ut ignavos et timidos? Sic ergo et in hujus vitæ rebus faciamus: eum qui facile omnia sustinet coronemus, ut et illum fortem in omni certamine virum; hunc vero timidum et ad aspera trementem deflcamus, qui antequam plagam accipiat, præ formidine extinguitur. Etenim in certaminibus si quis antequam manus extollat, adversarium videns dexteram extendentem, fugiat antequam plagam accipiat, ridiculus erit, ut enervatus, mollis, et in his laboribus imperitus; ut etiam accidit iis qui paupertatem timent, et ne ejus quidem expectationem ferre possunt. Non ergo nos vos miseros reddimus, sed vos ipsi id facitis. Quomodo enim non tibi deinceps illudet diabolus, quem ante plagam minas tantum conspicientem, videt formidantem atque trementem? Imo vero cum tu hoc putes esse minas, non erit illi opus ut te percutiat; sed sinens te possidere divitias, ex timore ne auferantur te cera molliorem reddet. Ea enim sumus natura, ut ita dicam, ut ea quæ pertimescimus, postquam ea perpessi sumus non ita terribilia existimemus, ut ante quam experimentum faccro-

mus. Ut ne ergo hanc virtutem obtineas, in summo te detinet timore, atque ante experimentum ex paupertatis metu te quasi ceram liquefacit. Nam talis homo cera quavis mollior est, et miseriorem quam Caïnus vitam ducit, pro iis quæ possidet timens, et de iis quæ non habet dolens: et pro iis quæ habet rursum tremens, utpote fugitivas et ingratas intus retinens divitias, atque variis absurdisque obsessus affectibus. Etenim cupiditas absurda, timor varius, angor animi, et tremor undique avaros exagitant, similesque sunt naviculæ undique a contrariis ventis agitatæ, et fluctus multos sustinenti. Et quanto melius esset hujusmodi hominem decedere, quam perpetuam ferre tempestatem? Nam et Caïno tolerabilius erat mori, quam perpetuo tremere. Ne ergo nos quoque talia patiamur, diaboli machinas irrideamus, ejus funes frangamus, dirumpamus gravis lanceæ cuspidem, et omnem ei aditum intercludamus. Si enim pecunias irriseris, non habet quo te percutiat, non habet unde apprehendat. Nam radicem evulsisti malorum. Radice vero sublata, neque malus germinabit fructus. Hæc semper dicamus, et finem dicendi non faciamus. An vero dicentes aliquid proficiamus, dies ille ostendet, qui in igne revelabitur, qui uniuscujusque opus explorabit, qui lampadas ostendet lucentes et eas quæ tales non sunt. Tunc manifestus erit is qui oleum habet, et is qui non habet. Sed faxit Deus ut nullus tunc reperiatur tali vacuus consolatione; sed ut omnes largam benignitatem efferant, et claras habentes lampadas, una cum Sponso intrent. Illa certe voce nihil terribilius, nihil asperius est, quam tunc audituri sunt ii, qui sine larga eleemosyna hinc demigrarunt, dicente Sponso, « Nescio vos[1]. » Absit autem ut hanc audiamus vocem, sed suavissimam illam et summe expetendam. « Venite, benedicti Patris mei, possidete pa-

[1] Matth. xxv, 16.

» ratum vobis regnum a constitutione mundi[1]. » Sic enim beatam ducemus vitam, et omnibus fruemur bonis, quæ mentem humanam exuperant, quæ nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria, imperium et honor, nunc et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

CAPUT XII.

Non potest autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo : aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii[1].

I. Postquam minorum invidiam represserat, illorumque mœrorem abstulerat, quem concepisse illos verisimile erat ex eo quod alii majoribus donis dignati fuissent; horum fastum deprimit, qui majora dona acceperant. Cum hoc ipsum fecisset quando cum illis disserebat ; dicere enim illud esse donum gratuitum, et non bonum opus, hoc aperte significabat : nunc autem idipsum vehementius facit, in eadem manens imagine : a corpore enim et ab ejusdem unitate, ad ipsam membrorum comparationem procedit, quod ipsi maxime discere optabant. Quia ad illos consolandos non tam aptum erat illud, quod omnes unum corpus essent; quam cum discerent se in iis, quæ habebant, non admodum inferiores esse. Et ait : « Non potest » autem oculus dicere manui : Opera tua non indigeo ; aut » iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii. » Nam

[1] Matth. xxv, 34. — [1] 1 Cor. xii, 21.

etsi donum sit minus; at necessarium est. Et sicut absque illo multa sunt impedimenta, ita etiam sine hoc plenitudo Ecclesiæ claudicat. Neque dixit; « Non dicet, » sed, « Non » potest dicere; » ita ut, etiamsi voluerit, etiamsi dixerit, non valeat, neque res eam habeat naturam. Ideo duo extrema assumens, in iis sermonem exercet : primo quidem de manu et oculo; secundo autem de capite et pede, exemplum amplificans. Quid enim pede vilius? aut quid capite præstantius et magis necessarium? Hoc enim maxime homo est, nempe caput. Attamen non est sibi sufficiens, neque omnia perficere possit. Nam si hoc esset, supervacanee nobis pedes adjecti essent. Neque tamen hic substitit; sed et aliam quærit hyperbolen, id quod semper facit, non usque ad æqualitatem contendens, sed etiam ulterius progrediens. Ideoque subjungit dicens: « Sed multo magis » quæ videntur membra corporis inferiora esse, necessa- » riora sunt : et quæ putamus ignobiliora esse membra cor- » poris, iis honorem abundantiorem circumdamus : et quæ » inhonestiora sunt nostra, abundantiorem honestatem » habent[1], » ubique accessionem corporis ponens, et hac ratione illum quoque consolans et hunc comprimens. Non enim hoc dico, inquit, quod majora minoribus opus habeant; sed etiam quod multum opus habeant. Si quid enim infirmum in nobis est, si quid inhonestum, hoc et necessarium est, et majori fruitur honore. Ac recte dixit: « Quæ videntur, et quæ putamus, ostendens non ex natura rerum, sed ex multorum calculo sententiam ferri. Nihil in nobis ignobile; Dei namque opus est. Quid enim partibus genitalibus in nobis videtur inhonestius esse? Attamen majorem assequuntur honorem : et qui admodum pauperes sunt, etiamsi reliquum corpus nudum habeant, nunquam patiantur hasce partes nudas ostendere. Atqui non est hic

[1] 1 Cor. XII, 22, 23.

ordo inhonestorum; sed magis oporteret despici, quam alia. Etenim domi servus qui est ignominia affectus, non modo non fruitur majori cura, sed nec iisdem, quibus alii, dignus censetur. Itaque si hoc inhonestum esset, non modo majoribus frui non oporteret, sed neque iisdem. Nunc autem majori fruuntur honore, et hoc Dei sapientiæ opus est. Nam illis quidem in natura dedit ut non egerent; his autem, quoniam in natura non dedit, ut nos præberemus coëgit. Sed non propterea inhonesta sunt. Quandoquidem et animalia ex natura sua nulla re egent, non vestibus, non calceis, nec tecto, plurima saltem; sed non ideo corpus nostrum est illorum corpore ignobilius, quia his omnibus indiget. Nam si quis accurate examinaverit, ipsa etiam natura sunt honesta et necessaria: quod etiam ipse subindicavit, non a cura nostra, nec quod majori fruantur honore, sed ex natura rerum ipsis calculum ferens. Idcirco, cum infirma dicit et inhonesta, « Quæ viden» tur, » adjicit; cum autem necessaria dicit, non ultra ajicit, « Quæ videntur; » sed ipse sententiam fert, dicens esse necessaria, et jure quidem. Nam ad liberorum procreationem, et ad successionem generis nostri utilia sunt. Quamobrem et legislatores Romanorum, eos qui hæc membra excidunt, et eunuchos faciunt, puniunt, ut qui commune genus perimant, ipsique naturæ damnum inferant. Sed pereant impudici, qui Dei opera in culpam vocant. Sicut enim vino multi ob temulentos maledixerunt, sic et sexui mulierum ob adulteria. Sic hæc membra turpia esse putarunt, ob malum quorumdam usum. Sed non oportuit. Non enim naturæ rei attributum est peccatum, sed voluntati ejus qui hoc scelus aggredi audet. Quidam autem ea quæ sunt infirma, inhonesta, et necessaria, et majori fruuntur honore, a Paulo de oculis existimant dicta fuisse, qui vi minores, usu autem cæteris præstant: Inhonestiora

autem pedes: nam eorum quoque multa geritur providentia.

II. Deinde, ne aliam rursus hyperbolen faceret, ait: « Honesta autem nostra nullius egent[1]. » Ne quis enim diceret : Ecqua hæc ratio ? honesta despicere et inhonestioribus advigilare ? Non despicientes hoc facimus, inquit, sed quia hæc cura non egent. Et vide quantum encomium paucis efferens transcurrerit, hoc opportune et utiliter faciens : neque hoc contentus, causam etiam adjicit dicens : « Sed Deus temperavit corpus; ei cui deerat abundantiorem » tribuendo honorem; ut non sit schisma in corpore[2]. » Si autem temperavit, non sivit apparere id quod erat inhonestius. Etenim quod contemperatur, sive miscetur, fit unum, nec apparet quid antea esset : nam ne quidem contemperatum fuisse dixerimus. Et vide quam frequenter defectus prætercurrat dicens : « Ei cui deerat, » non dixit : Inhonesto, vel turpi; sed, « Ei cui deerat. Cui deerat; » quomodo ? Secundum naturam, ei majorem dedit honorem. Et quare ? « Ut non esset schisma in corpore. » Quia enim immensa consolatione fruentes, dolebant tamen, ut qui minora accepissent, ostendit eos magis fuisse honoratos : « Ei » cui deerat, » inquit, abundantiorem tribuendo honorem. Deinde autem rationem subjungit, ostendens quod opportune effecisset, ut et illi deesset, et magis eum honoraret. Quæ illa ratio ? Ne sit, inquit, schisma in corpore. Nec dixit, « In membris, » sed, « In corpore. » Etenim multa futura erat exuperantia; si alia quidem et ex natura et nostra providentia curarentur : alia autem neutrum haberent, sed ab invicem excissa fuissent, ut quæ ferre non possent conjunctionem. His autem abscissis, cætera quoque damnum accepissent. Vidisti-ne quomodo ostendit necessario majorem ei qui deficit dari honorem ? Si enim hoc

[1] 1 Cor. xii, 24. — [2] Ibid. 25.

factum non fuisset, communis omnium pernicies fuisset, inquit. Nam si nos illorum non magnam gessissemus curam, nocumenta accepissent cum a natura auxilium non haberent, et ex hoc nocumento periissent; si periissent, corpus discidissent: scisso corpore, cætera etiam quæ sunt his longe majora periissent. Vides-ne horum curæ illorum quoque providentiam esse conjunctam? Non enim ita in propria natura habent quod sint, ut in corpore habent, quod sint unum. Ideo si corpus quidem pereat, nullum ipsis lucrum ex singulorum sanitate. Sed sive oculus maneat, sive nasus, quod suum est servans, ligamine soluto, nulla postea hinc erit utilitas. Quod si hoc manente, illa nocumentum accipiant, et gestantur, et ad sanitatem cito redeunt. Sed dixerit fortasse quispiam: « Hoc quidem in corpore rationem habet, quod id cui desunt quædam majorem accipiat honorem; apud homines vero quomodo hoc cernatur? » In hominibus certe maxime id accidere videas. Etenim ii qui circa undecimam horam venerunt, primi mercedem accepere; et ovis errans pastori suasit ut nonaginta novem alias relinqueret, et ad ipsam accurreret et ut reperta gestaretur, non abigeretur; et filius prodigus plus honoris accepit, quam is qui se recte gesserat; et latro ante Apostolos coronatus et celebratus est. In talentis quoque idipsum factum videas. Nam qui talenta quinque acceperat, et qui duo acceperat, eadem mercede dignati sunt; et ipse quod duo accepisset ex magna factum est providentia. Nam si quinque ipsi concredita fuissent, cum non posset illa augere, ex toto excidisset; cum autem duo accepisset, cum ea quæ penes se erant implesset, eodem dignatus est præmio quo is qui cum quinque operatus fuerat, et eo illum superavit, quod a minoribus laboribus easdem consecutus sit coronas. Atqui ipse quoquehomo erat, ut et ille qui accepit quinque. Attamennon tam ac-

curate cum illo rationes exigit Dominus, neque cogit illum ut tanta faciat, quanta conservus ejus; neque dicit: « Cur non potes quinque conficere? » quod merito dixisset; sed et ipsum coronavit. Hæc ergo cum sciatis, ne insultetis majores minoribus, ne vos ipsos ante illos lædatis; illis enim abscissis, totum perit corpus. Quid enim aliud est corpus, quam multa membra? sicut et ipse ait; « Corpus non est unum membrum, sed multa. » Si igitur hoc est corpus, sollicite curemus ut plura maneant plura; ita ut si hoc non servetur, lætale accipiatur vulnus. Quapropter ille non hoc solum exigit, ut ne ab aliis abscindamur, sed etiam ut admodum conjuncti maneamus. Cum dixisset enim, « Ut non sit schisma in corpore; » non hoc contentus fuit, sed subjunxit: « Ut in ipsum pro invicem solli- » cita sint membra, » alteram hanc quoque causam afferens, cur minora majorem assequantur honorem. Non tantum enim ut non ab invicem separentur sic dispensavit Deus; sed etiam ut multa esset charitas et concordia. Nam si singulis opus est proximi saluti advigilare, ne mihi minus et magis dixeris. Hic enim non est plus et minus. Manente namque corpore, potest differentia videri; pereunte autem, non item. Peribit vero nisi minora maneant.

III. Si ergo magna peribunt parvis abscissis, similiter debent hæc magna parvorum perinde atque sui curam gerere, cum horum enim salute manent etiam majora. Itaque etiamsi millies dixeris, membrum esse inglorium et minus; sed nisi æque provideas, ut pro te ipso; sed ut minus illud negligas, damnum in te transibit. Idcirco non dixit, « Ut pro invicem tantum sollicita sint membra; » sed adjecit, « Ut de eodem pro se invicem sollicita sint » membra; » id est, simili et eadem, qua magnus, parvus quoque fruatur providentia. Ne itaque dixeris: « Ille ple- beius est; » sed cogita illum esse membrum corporis, quod

totum continet. Ac quemadmodum oculus, ita et hic facit ut corpus sit corpus. Ubi enim corpus ædificatur, nullus quidpiam habet amplius, quam proximus. Neque enim hoc corpus facit ut sit illud quidem majus, hoc vero minus; sed quod multa sint et diversa. Sicut enim tu, quia major es, corpus constituis; ita et hic, quia minor. Itaque pusillitas ejus, cum corpus ædificare oportet, par tibi honore fit ad hanc pulchram collectionem; idipsum enim potest quod tu: id quod inde palam est. Non sit vel minus vel majus membrum, nec honestum et minus honestum; sed sint omnia oculus, aut omnia caput: annon peribit corpus illud? Id cuivis manifestum est. Rursus si omnia sint minora, idipsum eveniet. Itaque in hoc etiam minora, sunt æqualia. Si vero oporteat quid amplius dicere, ut maneat corpus, minor est is qui minor. Itaque propter te minor est, ut tu magnus maneas. Ideo eamdem exigit ab omnibus providentiam; et cum dixisset: « Ut de eodem » pro se invicem sollicita sint membra, » hoc rursus interpretatur dicens: « Et sive quid patitur unum membrum, » compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum mem» brum, congaudent omnia membra[1]. » Ideo enim, inquit, providentiam communem fecit, in tanta differentia unitatem constituens, ut eorum etiam quæ contingunt magna esset communio. Nam si quæ geritur erga proximum providentia, communis est salus, necesse est et gloriam et mœrorem communem esse. Tria igitur hic requirit, non discindi, sed accurate junctos esse; providentiam mutuam similiter geri; ea quæ accidunt communia reputari. Et superius quidem dicit, quod abundantiorem dederit honorem ei cui deest, eo quod egeat, ostendens quod defectus ipse majorem conciliet honorem. Hic autem illos exæquat secundum quod alii aliorum mutuam providentiam gerere

[1] 1 Cor. XII, 26.

debent. Ideo namque curavit ut majori fruerentur honore, inquit, ut ne minori cura et providentia fruantur. Non hinc autem solum, sed etiam ex bonis et tristibus quæ accidunt, membra colligantur; etenim plantæ pedis sæpe infixa spina, totum corpus sensu et sollicitudine afficitur, et dorsum flectitur, et venter et femora comprimuntur, et manus tanquam satellites et miuistri procedentes, quod infixum est extrahunt, et caput inclinatur, oculique cum cura et sollicitudine magna respiciunt. Ita ut etiamsi pes minus habeat, quod non possit ascendere; attamen quod caput deduxerit, par ipsi est, et eodem fruitur honore; maxime vero quod pedes deducant ipsum non per gratiam, sed per debitum. Itaque si quod honoratius sit superet; ex eo quod tale cum sit inferiori debeat honorem et sollicitudinem, et quod cum ipso doleat, hinc æqualitatem multam probat. Quid enim est planta pedis vilius? Quid capite pretiosius? Sed hoc vadit ad illud membrum, et omnia secum commovet. Rursum si oculi quid patiantur, omnia dolent, et omnia in otio sunt; et neque pedes gradiuntur, neque manus operantur, neque venter solitis rebus fruitur: atqui infirmitas est oculorum. Cur ventrem liquefacis? Cur pedes retines? Cur manus ligas? Quoniam illis es alligatus, et ineffabili modo corpus totum patitur. Nisi enim compateretur, non sustinuisset esse socium curæ et providentiæ. Ideo cum dixisset; «Ut in idipsum pro se invicem sollicita sint membra, » subjunxit : « Sive patitur unum » membrum, compatiuntur omnia membra : sive glorifi- » catur unum membrum, congaudent omnia membra. » Et quomodo congaudent, inquies? Coronatur caput, et totus homo glorificatur. Os dicit, et rident oculi et lætantur. Atqui non est oculorum pulchritudo, sed linguæ facundia. Rursus, si pulchri appareant oculi, tota mulier ornatur. Sicut etiam et oculi; sic si rectus nasus, collum rectum,

et alia membra laudentur, lætantur et præ gaudio gestiunt; ac rursum lacrymantur in doloribus et calamitatibus eorum, etiamsi ipsi illæsi maneant.

IV. Hæc ergo omnes cogitantes, imitemur horum membrorum dilectionem, neque contraria faciamus, malis proximi insultantes, et ejus bonis invidentes. Furentium enim hoc est et eorum qui in excessu mentis sunt. Etenim qui effodit oculum, maximum profert amentiæ signum : et qui manum exedit, apertæ insaniæ argumentum præbet. Si autem hoc in membris, in fratribus similiter admissum insipientiæ famam affert, et non leve detrimentum inducit. Nam quandiu ille resplendet, tua quoque forma apparet, et corpus totum ornatur. Neque enim ad se solum pulchritudinem adducit, sed et tibi gloriandi locum præbet. Si autem illum extinguas, toti corpori communes tenebras effecisti, et omnibus membris induxisti calamitatem, ut ex contrario si splendentem conserves, totius corporis formam conservas. Nemo enim dicit : « Pulcher est oculus; » sed quid? « Formosa est illa. » Si autem et ipse laudetur, post commune encomium laudatur. Sic et in Ecclesia contingit. Si enim quidam sint, qui bona fama gaudeant, totum corpus laudis fructum percipit. Inimici namque encomia non distinguunt, sed conjungunt. Et si quis dicendi facundia valeat, non illum solum encomiis celebrant, sed et totam Ecclesiam. Neque enim dicunt : Ille tantum mirabilis est. Sed quid? Mirabilem doctorem Christiani habent : et communem faciunt possessionem. Atqui Græci quidem conjungunt, tu vero dividis, et cum tuo corpore pugnas, tuisque membris adversaris? Nescis hoc omnia subvertere? Nam « Regnum, inquit, » in se ipsum divisum non stabit[1]. » Nihil autem ita dividit et separat, ut invidia et livor, hic gravis morbus, qui

[1] Matth. XII, 25.

omni venia privatur, et malorum radice secundum quid gravior est. Avarus enim tunc lætatur, cum acceperit: invidus vero tunc gaudet cum alius non acceperit, non cum ipse acceperit. Beneficium namque suum putat aliorum adversitatem, non propriam felicitatem: communis quispiam hostis humanæ naturæ circumiens, et Christi membra percutiens; quo quid furiosius fuerit? Dæmon invidet quidem, sed hominibus, dæmonum vero nulli. Tu vero homo cum sis, hominibus invides, et adversus contribulem et congenerem insurgis, quod neque dæmon facit. Ecquam excusationem et defensionem habebis? Cum videris fratrem prospere agentem, contremiscis et palles, cum oporteret coronari, lætari et exultare? Si autem velis cum æmulari, non impedio. Æmulare: sed ut illi, laudem sibi concilianti, similis sis. Non ut illum dejicias, sed ut ad idem culmen pervenias, ut eamdem virtutem exhibeas. Hæc bona est æmulatio, imitari, non impugnare, non dolore de alienis bonis, sed morderi de propriis malis: cui rei contrarium facit invidia. Nam propria negligens mala, de alienis bonis tabescit. Pauper enim non ita a paupertate sua mordetur, quam a proximi copiis; quo quid gravius fuerit? Ille quippe in hoc, ut jam dixi, avaro etiam pejor est. Ille enim cum quid acceperit, gaudet; hic vero cum alius non acceperit lætatur. Quamobrem obsecro hanc malam relinquentes viam et ad zelum bonum mutati; nam talis zelus vehemens est et igne vehementior; magna inde percipiatis bona. Sic et Paulus Judæos ad fidem deducebat dicens: « Si quomodo ad æmulandum pro» vocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex istis[1]; » nam qui ita æmulatur ut ille volebat, non tabescit cum viderit alium in bona existimatione esse, sed quando viderit se non id assequi. Invidus vero non sic; sed cum alium

1 Rom. xi, 14.

prospere agentem viderit, veluti quidam fucus est, qui alienos labores labefactat, et nunquam ipse surgere tentat, flens vero cum alium surgentem videt, et omnia facit ut illum dejiciat. Cuinam quis hunc morbum comparaverit? Mihi autem hoc perinde esse videtur ac si quis piger asinus pinguedine gravis cum equo volucri conjunctus, neque ipse surgere velit, et pondere carnium ipsum conetur detrahere. Nam et hic, ut ipse a profundo sumno liberetur, nihil nec cogitat nec curat; nihil vero non agit ut eum qui in cœlum advolat supplantet, et dejiciat, accuratus diaboli imitator factus. Nam et ille videns hominem in paradiso, non ipse studuit mutari; sed illum ejicere ex paradiso. Et rursus videns illum in cœlo sedentem, et alios illo festinantes, idipsum meditatur, eos qui illo pergunt supplantans, et hinc majorem sibi congerens fornacem. Ubique enim hoc contingit. Nam is cui invidetur, si vigilet, splendidior evadit. Invidus vero plura sibi mala accumulat. Sic et Joseph illustris effectus est. Sic Aaron sacerdos : nam invidorum insidiæ effecerunt ut Deus semel et bis eamdem ferret sententiam, et ut virga germinaret. Sic et Jacob multa rerum copia abundavit, aliisque omnibus. Sic invidi in mille se malis complicarunt. Quæ omnia scientes, fugiamus hujusmodi zelum. Cur enim, quæso, invides? Quia spiritualem gratiam frater accepit? Et a quo, quæso, accepit, nonne a Deo? Ergo contra illum inimicitiam suscipe qui donum contulit. Vides-ne quo malum serpit, et qualem colophonem peccatorum inducit, et quantum suffodit supplicii barathrum? Fugiamus ergo, dilecti, neque invideamus, ac pro invidis precemur, nihilque non agamus, ut morbum illorum extinguamus. Sed ne eadem quæ insani illi patiamur, qui volentes pœnas ab illis exigere. omnia faciunt ut flammam sibi accendant. At ne ita nos, sed defleamus

illos et lamentemur. Ipsi enim sunt qui læduntur, vermem habentes perpetuum, cor ipsorum arrodentem, et veneni congregant fontem omni felle amariorem. Rogemus ergo benignum Deum, ut et illis morbum immutet : et nos ne unquam in hunc incidamus. Nam inaccessum est cœlum ei qui hac tabe laborat : et ante cœlum hæc vita non vitalis est. Neque enim lignum et lanam insidens tinea ita rodere solet, ut invidiæ febris ossa invidorum corrodit, et animæ temperantiam labefactat. Ut igitur et nos et alios ab innumeris eruamus malis, expellamus a nobis hanc malam febrim, quavis tabe deteriorem; ut spirituali suscepto robore, et præsens certamen perficiamus, et futuras consequamur coronas, quas utinam nos omnes adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

CAPUT XII.

Vos autem estis corpus Christi, et membra ex parte[1].

I. Ne quis enim diceret[2] : Quid ad nos exemplum corporis? Illud enim naturæ servit, nostra vero recte facta liberi arbitrii sunt, id ad actiones nostras adducens, et ostendens nos ex animi sententia debere eamdem concordiam habere, quam ipsa membra ex natura, dicit : « Vos » autem estis corpus Christi. » Si autem non oportet corpus nostrum dissidere, multo magis non oportet Christi cor-

[1] 1 Cor. XII, 27. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 57-60.

pus, et, eo magis, quo gratia potentior est natura. « Et » membra ex parte. » Neque enim corpus sumus tantum, sed et membra sumus. Nam de his ambobus superius disputatum est; multos in unum colligens et ostendens omnes unum secundum imaginem corporis factos esse : et hoc unum per multa constitui, atque in multis esse, et multa ex eo contineri et posse multa esse. Quid est autem illud, « Ex parte? » Quantum ad vos attinet et quantum consentaneum est, esse partem ex vobis ædificatam. Quia enim dixit, corpus, totum autem erat corpus, non Corinthiorum Ecclesia, sed quæ ubique terrarum erat; ideo dixit : « Ex » parte; » id est, quia Ecclesia vestra, pars est ejus quæ ubique terrarum est Ecclesiæ, et corporis, quod per omnes Ecclesias constituitur; ita ut non solum inter vos, sed etiam cum tota Ecclesia, quæ est in orbe, pacem habere debeatis; siquidem estis justi, si membra totius corporis. « Et quos quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apos» tolos; secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtu» tes, deinde gratias curationum, opitulationes, guberna» tiones, genera linguarum[1]. » Quod enim superius dixi, hoc nunc facit. Quia altum sapiebant de linguis, illam rem semper ultimam ponit. Nam illud primum et secundum non sine causa ponit, sed præmittens id quod pretiosius est, et quod est inferius ostendens. Ideo Apostolos præmisit, qui charismata seu dona omnia in se habebant. Et non dixit : « Quos posuit Deus in Ecclesia Apostolos simpliciter aut Prophetas; » sed primum et secundum et tertium ponit; hoc ipsum quod dixi significans. « Secundo » Prophetas. » Prophetabant enim, ut filiæ Philippi, ut Agabus, ut isti quoque qui erant apud Corinthios, de quibus dicit : « Prophetæ duo aut tres loquantur[2]. » Et ad Timotheum scribens dicebat : « Noli negligere gratiam quæ

[1] 1 Cor. XII, 28. — [2] Id. XIV, 29.

» in te est, quæ tibi data est per prophetiam[1]. » Ac longe plures tunc erant Prophetæ, quam in veteri. Neque enim ad decem et viginti et quinquaginta et centum redactum erat prophetiæ donum; sed hæc gratia ubertim effundebatur, et singulæ Ecclesiæ multos habebant qui prophetabant. Quod si Christus dicat : « Lex et Prophetæ usque ad » Joannem[2], » de illis dixit Prophetis, qui ejus adventum prædixerunt. Tertio Doctores. Nam qui prophetat, omnia a Spiritu loquitur. Qui docet autem, aliquando ex propria mente disserit. Ideoque dicebat : « Qui bene præsunt pres- » byteri, duplici honore digni habeantur, maxime autem » qui laborant in verbo et doctrina[3]; » qui autem Spiritu omnia loquitur, non laborat. Ideoque post Prophetam illum posuit. Quoniam illud quidem totum est donum, hoc autem etiam humanus labor. Etenim ex se quoque multa loquitur, quæ tamen cum divinis Scripturis consonant. « Deinde virtutes, deinde gratias curationum. » Vides-ne quomodo rursum distinguit curationes a virtute, quod etiam antea fecit. Virtus enim majus quidpiam est, quam curatio. Nam qui virtutem habet, et castigat et curat. Qui vero gratiam curationum habet, morbos tantum curat. Et vide quam optimo usus sit ordine, cum prophetiam ante virtutes et curationes posuit. Superius enim ubi dicebat : « Alii quidem per Spiritum datus est sermo sapientiæ, et » alii sermo scientiæ; » non ordine ponens dicebat, sed indiscriminatim : hic autem et præponit et subjicit. Cur ergo prophetiam præponit? Quia etiam in veteri talem ordinem illa habet. Cum enim Esaïas Judæos alloqueretur, et virtutis Dei demonstrationem præberet, vilitatis dæmonum argumentum in medium adduxit : et hoc Divinitatis ejus dixit esse indicium maximum, quod futura prædiceret. Christus vero qui tot miracula patrarat, non parvum hoc

[1] 1 Tim. IV, 14. — [2] Matth. XI, 13. — [3] 1 Tim. V, 17.

dicit esse Divinitatis suæ signum ; et frequenter sic sermonem concludit : « Hæc autem dixi vobis, ut cum facta »fuerint, credatis quia ego sum[1]. » Sed prophetiæ jure postponuntur gratiæ curationum. Cur etiam doctrinæ ? Quia non par res est, verbum prædicationis annuntiare, et piam religionem seminare in auditorum animis ; atque virtutes facere. Quoniam ipsæ propter illud fiunt.

II. Cum ergo quis et verbo et vitæ exemplo erudit, major est omnibus. Illos enim dicit doctores, qui etiam operibus docent, et verbo erudiunt. Hoc igitur etiam Apostolos esse fecit Apostolos. Et illa quidem alii nonnulli non magni pretii initio habuerunt, ut ii qui dicebant, « Do»mine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et virtutes »multas fecimus? » et postea audierunt, « Nunquam novi »vos ; discedite a me qui operamini iniquitatem[2]. » Doctrinæ autem verbum duplex illud, quod per opera et per verba exhibetur, malus homo nunquam susceperit. Quod si Prophetas præponat, ne mireris. Non enim simpliciter Prophetas dicit ; sed eos qui per prophetiam et docuerunt, et in communem utilitatem omnia dixerunt, quod in sequentibus manifestius nobis declarat. « Opitulationes, gu»bernationes. » Quid est, opitulationes? Ut infirmi protegantur. Hoccine quæso est charisma? Sane quidem hoc ex Dei dono est protegere, et res dispensare spirituales. Alioquin vero, multa a nobis præclare gesta, charismata vocat, nolens ut concidamus, sed ostendens nos semper auxilio Dei indigere, et nos instituens ut grati animi simus, sicque alacriores reddens, illorumque sensus excitans. « Genera linguarum. » Vidisti-ne ubi hoc donum posuerit, et quomodo ubique ultimum illi tribuat ordinem? Deinde quia ex hoc catalogo multam ostendit differentiam, et illum excitavit morbum eorum qui minora ha-

[1] Joan. XIII, 19. — [2] Matth. VII, 22, 23.

bebant charismata, demum cum vehementia magna illos aggreditur, dum iis multa præbet argumenta, quod non in multo minorem ordinem redacti sint. Quia enim verisimile erat illos hæc audientes dicere : « Et cur non omnes » Apostoli facti sumus? » superius quidem magis consolatoria oratione usus est, multis ostendens sic necessario factum esse, etiam ab imagine corporis; « Corpus enim, » inquit, non est unum membrum : » et rursum, « Si autem essent omnia unum membrum, ubi corpus?» et quod utiliter data sint : « Unicuique enim, inquit, manifestatio » Spiritus datur ad utilitatem; » et ex eo quod omnes ex eodem Spiritu hauriant, et quod charisma donum sit, sed non debitum, « Divisiones enim, inquit, gratiarum sunt, » idem vero Spiritus; » et quod manifestatio Spiritus per omnia fiat : « Unicuique enim, inquit, manifestatio datur » per Spiritum; » et ex eo quod prout videtur Spiritui et Deo hæc figurata sint : « Hæc enim omnia, inquit, operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult, » et, « Posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore sicut voluit; » et quod necessaria sint etiam minora : « Quæ enim videntur, inquit, infirmiora esse, necessaria » sunt : » ex eo quod similiter necessaria sint, in eo quod corpus perinde construant atque ea quæ majora sunt : « Corpus enim, inquit, non est unum membrum, sed » multa; » ex eo quod majora minoribus opus habeant : « Non potest enim, inquit, caput dicere pedibus: Vestra » opera non egeo : » ex eo quod majori hæc fruantur honore : « Ei autem cui deest, inquit, abundantiorem dedit » honorem; » ex eo quod communem et parem curam habeant; « In idipsum enim sunt inter se invicem sollicita » omnia membra; » et ex eo quod sit una gloria et unus dolor ipsorum omnium : « Sive patitur, inquit, unum mem» brum, compatiuntur omnia membra; sive glorificatur

» unum membrum, congaudent omnia membra. » Superius igitur per hæc consolatus est? hic autem vehementer et increpantis more verbo utitur. Nam, ut dixi, neque semper consolari, neque semper os obstruere oportet. Ideo et ipse, quia multis illos consolatus erat, vehementer deinceps illos insectatur dicens : « Numquid omnes Apostoli? » numquid omnes Prophetæ? numquid omnes gratiam habent curationum[1] ? » Neque consistit in primo vel secundo charismate, sed pergit usque ad postrema; aut hoc dicens : « Non possunt omnes esse omnia; » quemadmodum illic dicit : « Si omnia essent unum membrum, ubi » corpus? » vel aliud quidpiam hinc postea apparans ad consolationis verbum. Quale illud? quod ostendat de minoribus perinde atque de majoribus contendi, eo quod neque hæc omnibus data fuerint. Quid enim, inquit, doles, quod non habeas gratiam curationum? Cogita id quod tu habes, etiamsi sit minus, sæpe non habere eum qui majus quidpiam habet. Ideo ait : « Numquid omnes linguis lo- » quuntur? numquid omnes interpretantur[2] ? » Quemadmodum enim magna non omnibus dedit Deus; sed aliis hoc, aliis illud, sic et in minoribus fecit, quæ nec omnibus proposuit. Illud autem fecit, multam inde concordiam et charitatem ædificans, ut unusquisque proximo opus habens, cum fratre congregetur. Hoc in artibus quoque dispensavit, hoc in elementis, hoc in plantis et in membris nostris, et in omnibus.

III. Deinde opportunissimam adjicit consolationem, quæ possit recreare ac sedare dolentem animam. Quænam illa est? « Æmulamini, inquit, charismata meliora. Et » adhuc excellentiorem vobis viam demonstro[3]. » Hoc autem dicens subindicavit illos in causa fuisse quod minora acceperint, et penes illos esse, si velint, majora accipere.

[1] 1 Cor. XII, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 31.

Cum enim dicit: « Æmulamini, » ab illis studium exigit et desiderium circa res spirituales. Neque dixit, « Majora; » sed, « Meliora; » id est, utiliora, quæ conferant. Hoc autem vult significare: Manete charismata desiderantes; et ostendo vobis charismatum viam. Non enim dixit: « Charisma; » sed, « Viam, » ut magis extollat id quod est dicturus. Neque enim unum, vel duo, vel tria charismata ostendo vobis; sed viam unam ad hæc omnia ducentem. Nec modo viam; sed etiam cum hyperbole, et omnibus una propositam. Non sicut charismata his hæc, aliis illa, sed non omnia omnibus dantur; ita et hoc; sed universale donum est. Ideoque omnes ad hoc vocat: nam ait: « Æmulamini charismata meliora: » et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, charitatem dicens erga proximum. Deinde sermonem de illa aggressurus, et encomium hujus præclare facti, primum facta cum illa comparatione, hæc de medio tollit, ostendens ea nihil esse sine illa, admodumque prudenter. Nam si statim de charitate disseruisset, et postquam dixerat: « Viam vobis demonstro, » subjunxisset: « Hæc autem est charitas, » et non per comparationem orationem produxisset, dictum quidam subsannassent, rei vim non clare scientes, sed adhuc ad hæc inhiantes. Quapropter non statim illam revelat; sed cum primo auditoris animum promissionem extulisset, ac dixisset: « Excellentiorem viam vobis demonstro; » et in desiderium induxisset, neque sic statim in illa ingreditur; sed augens adhuc desiderium illud de his ipsis primo disserit, et ostendit, si illa non sit, ea nihil esse, in maximam illos necessitatem inducens se mutuo diligendi, quoniam ex eo quod illa neglecta fuisset, causa hinc omnium malorum erat. Quamobrem vel inde merito magna illa appareat; siquidem charismata non modo illos non conciliarunt et congregarunt; sed etiam conjunctos separarunt: hæc vero illos qui per charismata dis-

juncti fuerant, per se ipsam conciliatura et unum corpus effectura est. Sed non statim hoc dicit ; verum quod maxime illi desiderabant, hoc ponit ; nempe quod res ipsa charisma sit, et ad charismata omnia via excellens. Quapropter etiamsi non eo quod debeas, velis fratrem diligere, ex eo quod majus accipias signum et copiosum charisma, charitatem suscipe. Et vide undenam incipiat. Primum ab eo quod mirabile videbatur et magnum apud illos esse, a linguis nempe. Et charisma in medium adducens, non tantum illud posuit quantum ipsi habebant, sed longe majus. Neque enim dixit : « Si linguis loquar ; » sed, « Si lin» guis hominum loquar[1]. » Quid significat illud, hominum? Omnium per orbem gentium; neque tamen hac hyperbole contentus fuit, sed aliam longe majorem ponit subjungens ac dicens : « Et Angelorum, charitatem autem » non habeam, factus sum æs sonans, aut cymbalum tin» niens[2]. » Vides-ne quonam usque elatum charisma, quonam usque demiserit ipsum et projecerit? Neque enim solum dixit : « Nihil sum, » sed, « Factus sum æs sonans, » insensibile quid et inanimatum. Quomodo autem æs sonans? Vocem quidem emittens, sed frustra et temere, ad nullum usum. Præterquam enim quod nihil perficio, molestiam creare videor, et molestus esse multis. Vides-ne quomodo is, qui charitatis expers est, inanimatis et insensilibus sit similis? Linguam autem Angelorum hic dicit; non corpus Angelis tribuens ; sed hoc vult significare, « Etiamsi ita loquar, ut Angeli solent inter se colloqui, sine charitate nihil sum ; imo onerosus et molestus. » Sic enim alibi quoque cum dicit : « Ipsi flectetur omne genu cœlestium, » terrestrium et infernorum[3], » non genua et ossa Angelis attribuens hæc dicit, absit; sed intensam et grandem adorationem, per illum quo apud nos fit modum subindicare

[1] 1 Cor. XIII, 1. — [2] Ibid. — [3] Rom. XIV, 11, et Philip. II, 10.

vult. Sic et hoc loco, linguam vocavit, non carnis organum significans, sed illorum mutuum colloquium, noto apud nos modo adumbrare voluit. Deinde ut acceptior fiat oratio, non ad linguas usque consistit, sed ad reliqua pergit charismata, omniaque, si illa absit, dejiciens, tunc ejus depingit imaginem. Et quoniam amplificare vult orationem, a minoribus incipiens, ad majora ascendit. Quod enim, quando eorum indicavit ordinem, postremum posuit, nempe donum linguarum, hoc nunc primum numerat, paulatim, ut dixi, ad majora ascendens. Nam cum de linguis dixisset, ad prophetiam mox transit, et ait : « Et si » habuero prophetiam[1]. » Et hanc rursum cum hyperbole. Sicut enim ibi linguas non posuit, sed hominum omnium linguas, et progressus, etiam Angelorum, et tunc ostendit hoc charisma nihil esse sine charitate; sic et hoc loco non prophetiam ponit tantum, sed summam etiam prophetiam; cum dixisset enim : « Si habuero prophetiam, » subjunxit : « Et noverim mysteria omnia et omnem scientiam[2]. » Cum emphasi et intentione hoc etiam charisma ponens.

IV. Deinde ad reliqua charismata progreditur. Et ne singula enumerans videatur rursum molestus esse, matrem et fontem omnium ponit, et ipsam rursus cum hyperbole, sic dicens : « Et si habuero omnem fidem. » Neque satis habuit hoc dixisse; sed etiam illud, quod ut maximum Christus dixit, id etiam adjecit : « Ita ut montes transfe» ram, charitatem autem non habuero, nihil sum[3]. » Perpende autem quomodo hic rursus linguarum dignitatem dejiciat. Prophetiæ namque multum ostendit lucrum, quod sciat mysteria et omnem habeat scientiam : fidei autem opus non parvum, quod montes transferat : de linguis vero, ipsum solum charisma indicans, recedit. Tu mihi quoque illud considera, quomodo paucis omnia complexus

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

sit charismata, prophetiam dicens et fidem. Aut enim in verbis aut in operibus signa sunt. Et quomodo Christus dixit minimam esse fidei partem, posse montem transferre? Nam ut minimum significans, ita posuit dicens : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic » monti : Transi, et transibit [1] : » Paulus vero dicit hanc omnem fidem esse. Quid ergo dicendum? Quoniam magnum illud erat, montem transferre, ideo illud memoravit; non quasi hoc solum posset tota fides; sed quia hoc crassioribus ita videbatur esse, ob molem corporis, hinc quoque rem propositam significat. Hoc autem vult significare : Si habuero omnem fidem, et si possim montes transferre, charitatem autem non habuero, nihil sum. « Et si distribuero » in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero » corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non ha- » buero, nihil mihi prodest [2]. » Papæ! quanta hyperbole! Etenim hæc ponit cum alio additamento. Non enim dixit : Si dedero pauperibus dimidiam facultatum mearum partem, aut duas vel tres partes; sed, « Si omnes facultates meas. » Neque dixit, dedero; sed, distribuero in cibos; ita ut cum impensa, etiam ministerium et operam adjiciat, cum accuratione omni. « Et si dedero corpus meum, ita ut ar- » deam. » Non dixit; « Si moriar; » sed hoc etiam cum hyperbole. Omnium enim gravissima morte posita, nempe vivum comburi, eam etiam sine charitate nihil magnum esse dixit. Subjunxit itaque, « Nihil mihi prodest. » Sed nondum totam hyperbolen ostendi, donec Christi testimonia circa eleemosynam et mortem in medium adduxero. Quænam ergo sunt testimonia? Diviti dixit : « Si vis per- » fectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, » et veni, sequere me [3]. » Et de charitate erga proximum disserens ait : « Majorem hac charitatem nemo habet, ut

[1] Matth. XXVII, 20. — [2] 1 Cor. XIII, 3. — [3] Matth. XIX, 21.

» quis ponat animam suam pro amicis suis[1]. » Unde palam est etiam apud Deum hoc omnium maximum esse. At ego dico, inquit Paulus : Etiamsi pro Deo ponamus illam, neque solum ponamus, sed ita ut comburamur; hoc enim sibi vult illud : « Si tradidero corpus meum, ita ut ar- » deam; » non magnum erit lucrum nobis, si proximum non diligamus. Itaque dicere charismata non multum prodesse, charitate absente, nihil mirum. Nam vita quoque inferiora sunt charismata. Multi namque qui charismata exhibuere, quia improbi fuerunt, pœnas dederunt; ut illi qui in nomine ejus prophetaverant, dæmonia multa ejecerant, et virtutes multas fecerant, ut Judas proditor. Alii autem fideles, qui vitam duxerant puram, nullo alio opus habuere ad salutem obtinendam. Quod ergo charismata, ut dixi, illa egeant, nihil mirum. Quod autem vita accurata et pura nihil possit sine illa, hoc certe magnam effert hyperbolen, et multam parit difficultatem; cum maxime Christus his ambobus magna decernere videatur; nempe facultatum abjectioni, et periculis martyrii. Nam diviti ait, ut jam dixi : « Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et » da pauperibus, et veni, sequere me. » Et Discipulis de martyrio disserens dicebat : « Qui perdiderit animam suam » propter me, inveniet eam[2]; » et, « Qui me confessus fuerit » coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre » meo, qui est in cœlis[3]. » Nam hujus præclaræ gestæ rei labor magnus est, et ipsam fere superat naturam : et hoc probe sciunt ii, qui hisce coronis digni fuere : nullus enim sermo id exprimere possit; ita generosæ nempe animæ facinus est, et supra modum admirandum.

V. Attamen illud admirandum non multum prodesse sine charitate dicit Paulus, etiamsi depositas facultates simul junctas habeat. Cur ergo sic locutus est? Hoc jam

[1] Joan. xv, 13. — [2] Matth. x, 39. — [3] Ibid. 32.

ostendere conabor, cum primo illud quæsierim, quomodo is, qui facultates omnes in cibos distribuit, possit esse sine charitate. Ille enim, qui paratus est ad corporis combustionem, licet charismata habeat, fieri fortasse potest ut non diligat. Sed ille qui non modo facultates dat, sed etiam in cibos distribuit, quomodo non diligit? Quid ergo dicendum? Vel quod id quod non erat, ac si esset supposuerit, quod semper facere solet, cum hyperbolen quamdam vult proferre; ut cum Galatis scribens dixit: « Si nos, aut An» gelus de cœlo evangelizet vobis præterquam id quod ac» cepistis, anathema sit [1]. » Atqui neque ipse, neque Angelus id facturus erat. Sed ut ostenderet rei excellentiam, id quod nunquam futurum erat posuit. Et rursum cum Romanis scribit et dicit: « Neque Angeli, neque Princi» patus, neque Virtutes poterunt nos separare a charitate » Dei [2]. » Neque enim id facturi erant Angeli; sed hic etiam id supponit, quod non existit; sicut etiam id quod sequitur: « Neque creatura alia; » omnia enim ipse comprehendit, quæ supra et quæ infra sunt, cum omnia dicit. Sed hic etiam id quod non est existere supponit, ut ostendat cum hyperbole desiderium suum. Id quod etiam hic facit dicens: « Si omnia quis dederit, charitatem autem non habuerit, nihil ipsi prodest. » Aut hoc igitur est dicendum, aut quod velit eos qui erogant, conjunctos et conglutinatos esse accipientibus, nec simpliciter dare sine ulla commiseratione; sed miserentes, inflexos, fractos, et cum egenis dolentes. Ideo namque eleemosyna a Deo lege constituta est. Nam poterat Deus, sine ullo alio, pauperes alere; sed ut nos in charitate conjungeret, et ut erga alios invicem incenderemur, ipsos jussit a nobis ali. Ideo alibi quoque dicit: « Sermo bonus melior, quam donum; » et, « Ecce sermo supra donum bonus [3]. » Ipseque ait: « Mi-

[1] Galat. I, 8. — [2] Rom. VIII, 39. — [3] Eccli. XVIII, 16, 17.

» sericordiam volo, et non sacrificium [1]. » Quia enim mos est, illos amare qui beneficio afficiuntur, et eos qui bono afficiuntur erga benefícos bene affectos esse, vinculum amicitiæ faciens, hoc lege præcepit. Sed quod quæritur est, « Quomodo, Christo hæc ambo perfectionis esse declarante, hic illa sine charitate imperfecta esse dicat. » Non ipsi contradicens, absit; sed admodum cum illo consonans. Nam diviti non modo dixit : « Vende omnia quæ habes, » et da pauperibus ; » sed subjunxit, « Et veni, sequere me. » Ex iis vero, qui sequuntur illum, nihil ita Discipulum Christi comprobat, ut amor proximi. « In hoc enim cognoscent » omnes, inquit, quod Discipuli mei estis, si diligatis invi- » cem [2]. » Et cum dicit : « Qui perdiderit animam suam » propter me, inveniet eam. » Et, « Qui me confessus fue- » rit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre » meo, qui in cœlis est [3] ; » non hoc dicit, quod hæc non fiant propter charitatem, sed mercedem his laboribus repositam indicat. Nam quod cum martyrio hoc quoque requirat, alibi hoc valde subindicavit, sic dicens : « Calicem » quidem meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, » baptizabimini [4] ; » id est, martyrium sustinebitis, pro me occidemini ; « Sedere autem ad dexteram vel sinistram » meam [5] ; » non quod quidam sedeant ad dexteram vel ad sinistram ejus, sed supremam sedem et honorem dicens ; « Non est meum dare, » inquit ; sed quibus paratum est. Deinde ostendens quibus paratum sit, ipsis advocatis, dicit : « Qui voluerit in vobis esse primus, sit omnium ves- » trum minister [6], » humilitatem significans et charitatem. Charitatem vero summam requirit, ideoque non ibi substitit ; sed subjunxit : « Sicut Filius hominis non venit » ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemp-

[1] Matth. IX, 13, et XII, 7. — [2] Joan. XIII, 35. — [3] Matth. X, 32 et 39. — [4] Id. XX, 23. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 26.

tionem pro multis[1]; » ostendens sic amare oportere, ut etiam mors ferenda sit pro dilectis; hoc enim maxime est ipsum diligere. Ideo etiam Petro dicit: « Si amas me, pasce » oves meas[2]. » Et ut discatis quantum sit illud et quam præclare gestum, ipsam charitatem verbo describamus, quandoquidem ipsa re nusquam illam conspicimus: et cogitemus, quod si illa ubique abundanter esset, quanta hinc bona orirentur. Neque enim legibus neque judiciis opus esset, neque supplicüis, neque ullo alio hujusmodi. Nam si omnes diligerent et diligerentur, nemo cuiquam fecisset injuriam: sed cædes, pugnæ, bella, seditiones, rapinæ, avaritia, omniaque mala procul abscessissent, et ad nomen usque ignoratum vitium fuisset. Signa autem hoc non effecerint; sed ad vanam gloriam et arrogantiam extollunt eos qui non attendunt.

VI. Quodque mirum in charitate; cætera quidem bona habent adjuncta mala; verbi gratia, qui facultates non habet, ea de causa sæpe inflatur; qui dicendi peritus est, gloriæ cupiditate laborat; humilis propter hoc in conscientia sua altum sapit. Charitas autem ab hujusmodi omni pernicie libera est. Nam contra dilectum nunquam quis extollatur. Nec mihi posueris unum qui diligat; sed omnes similiter, et tunc ejus virtutem videbis. Imo potius, si placet, primo unum dilectum et unum amantem pone; amantem scilicet, ut par est diligere. Nam terram tanquam cœlum incolet, ubique tranquillitate fruens, et innumeras sibi nectens coronas. Qui enim talis est, et invidia et ira, et livore arrogantiaque, vana gloria et mala concupiscentia, omnique absurdo amore atque morbo puram servabit animam suam. Quemadmodum enim sibi ipsi nemo quidpiam mali intulerit, ita neque hic proximis. Talis vero cum sit, cum ipso stabit Gabriele, in terra gradiens. Et qui charitatem

[1] Matth. xx, 28. — [2] Joan. xxi, 16.

quidem habet talis est ; qui vero signa facit, et perfectam habet scientiam sine charitate, etiamsi mille mortuos suscitaverit, nihil magnum lucrabitur, ab omnibus abruptus, et cum nemine conservorum se commisceri patiens. Ideo Christus perfectæ in ipsum charitatis signum dixit esse proximum diligere. Nam ait : « Si diligis me, Petre, plus » his, pasce oves meas. » Vidisti-ne quo pacto hinc rursum subindicaverit, quandonam hoc sit majus martyrio? Etenim si filium quis haberet dilectum, et pro quo etiam animam dare paratus esset ; deinde quispiam patrem amaret, filio autem nullo modo animum adhiberet, patrem admodum irritaret : neque sensum caperet illius in se amoris, eo quod filium contemneret. Quod si in patre et filio hoc contingit, multo magis in Deo et hominibus. Amantior enim Deus est, quam patres omnes. Propterea cum dixisset : « Primum et magnum mandatum : Diliges Dominum » Deum tum, » subjunxit ; « Secundum autem, » nec siluit, sed adjecit, « Simile est huic : Diliges proximum tuum » sicut te ipsum [1]. » Et vide quomodo cum eadem fere hyperbole hoc exigat. De Deo namque dicit : « Ex toto » corde tuo ; » de proximo autem tuo, « Sicut te ipsum, » quod perinde est atque illud, « Ex toto corde tuo. » Etenim si accurate hoc servaretur, non servus, non liber esset ; non princeps, non subditus ; non dives, non pauper ; non parvus, non magnus ; non diabolus unquam cognitus fuisset : non dico, hic ; sed etiamsi alius talis, etiamsi centum, etiamsi innumeri tales essent, nihil potuissent, illa existente. Ignis enim injectionem potius fœnum tulisset, quam flammam charitatis diabolus. Hæc muro fortior est, hæc adamante firmior ; et si quam aliam dixeris fortiorem materiam, omnia superat charitatis firmitas. Hanc nec divitiæ, nec paupertas vincit ; imo potius non esset pau-

[1] Matth. XXII, 38, 39.

pertas, non nimia divitiarum copia, si charitas esset; sed ea solum quæ ex utrisque sunt bona. Etenim ex illis copiam decerperemus, ex hac vero libertatem a curis : ac neque divitiarum sollicitudines, neque paupertatis metum sustineremus. Ecquid dico de lucris ex illa partis? Ipsa quoque in se dilectio, quanta sit considera, quantam ferat lætitiam, in quanta gratia constituat animam, quod quidem in illa eximium est. Aliæ namque virtutis partes conjunctum habent laborem, verbi gratia, jejunium, temperantia, vigiliæ; invidiam, concupiscentiam, contemptum. Charitas autem cum lucro multam habet etiam voluptatem, et laborem nullum : et sicut bona apis, undique bona colligens, illa deponit in anima ejus qui diligit. Etiamsi quis serviat, libertate suaviorem exhibet servitutem. Qui enim amat non ita gaudet cum imperat, ut cum imperatur, etiamsi imperare sit jucundum. Sed ipsa rerum naturam transmutat, advenitque in manu bona omnia habens, quavis matre blandior, quavis regina locupletior : quæ laboriosa sunt, levia et facilia reddit, virtutem facilem, nequitiam acerbissimam nobis exhibens. Animadverte autem : impendere, videtur molestum esse, et hoc illa dulce reddit; aliena accipere, jucundum; et non sinit illud jucundum apparere, sed ut pravum fugere suadet. Rursus maledicere, suave omnibus videtur esse : ipsa autem illud amarum esse declarat, et benedicere dulce. Nihil enim nobis ita suave est, ut laudare cum quem amamus. Rursus ira aliquam habet voluptatem; at hic nequaquam, sed omnes ejus nervi sublati sunt. Etiamsi is qui diligitur diligenti se molestiam crearit, ira nusquam apparet; sed lacrymæ, adhortationes et supplicationes; tantum abest ut exasperetur, etiamsi videat peccantem, luget et dolet; sed dolor ille voluptatem affert. Charitatis enim lacrymæ et dolor risu sunt omni et gaudio suaviores. Non adeo igitur quiescunt ii qui rident,

ut ii qui pro amicis plorant. Et si id non credis, reprime illorum lacrymas, et ac si gravissima paterentur, ita ægre ferunt. At amare, inquies, absurdam habet voluptatem. Absit, bona verba, o homo. Nihil enim ita purum est, ut charitas genuina.

VII. Ne mihi enim dicas illam popularem et forensem, qui est potius morbus, quam charitas et amor; sed hanc quam Paulus quærit, quæ quod utile dilectis est spectat, et videbis illos esse patribus amantiores. Ac quemadmodum ii qui pecunias amant, pecunias impendere non elegerint, sed suavius putant in angustia esse, quam illas imminutas videre; sic et ille qui erga aliquem bene et suaviter affectus est, innumera pati maluerit, quam dilectum videre læsum. Quomodo igitur, inquies, Ægyptia illa, quæ Josephum amabat, illum contumelia afficere voluit? Quia illum amabat dilectione diabolica. Joseph certe non hanc habuit, sed eam quam Paulus dilectionem quærebat. Cogita igitur quantæ charitatis ejus verba essent, et quas res illa dicebat: « Me contumelia affice, et adulteram redde, injuriam infer viro, et totam subverte domum, teque ipsum abjice a fiducia quam in Deum habes, » quæ verba illius erant, quæ nec illum, nec se ipsam amaret. Hic autem, quoniam sincere amabat, hæc omnia abjecit. Atque ut ediscas quod ejus curam gereret, ex ejus adhortatione id percipe. Non modo enim illam repulit, sed et adhortationem induxit, quæ poterat omnem flammam extinguere. « Si » enim dominus meus, inquit, propter me nihil novit in » domo sua[1]. » Statim illi virum suum in mentem revocavit, ut illam pudore afficeret. Nec dixit: « Vir tuus; » sed, « Dominus meus, quod magis posset illam retinere, et suaderet cogitare, quænam cum esset, quem amaret, nempe domina servum. Nam si ille est dominus, et tu domina.

[1] Gen. xxxix, 8.

Pudeat te igitur colloquii talis cum servo, et cogita cujus cum sis uxor, cum quo velis coire, et in quem sis ingrata, et quod ego majorem exhibeam benevolentiam. Vide autem quomodo ejus extollat beneficia : quia enim nihil sublime poterat barbara illa et impudica cogitare, ab humanis illam pudore suffundit dicens : « Propter me nihil cognoscit ; » id est, magna mihi beneficia confert, nec possum patronum in rebus præcipuis lædere. Me secundum dominum fecit domus suæ, neque ullus eximitur, nisi tu. Hic ejus sensum et animum extollit, ut sic illam ad pudorem inducat, et ostendat magnum esse honorem. Neque hic substitit ; sed etiam induxit nomen quod posset illam retinere dicens : « Eo quod tu sis uxor ejus, et quomodo faciam verbum hoc malum ? Sed quid dicis ? Non adest vir, neque scit se injuria affici ? Sed Deus aspiciet. » At nihil ex tali consilio illa lucrata est, sed illum attraxit. Furorem namque suum complere volens, non amans Josephum hæc fecit, ut palam est ex iis quæ postea designavit. Judicium enim constituit, et accurationem infert, atque falsa testificatur, ac feræ tradit eum, qui se nihil læserat, in carceremque conjicit; imo potius, quantum in se erat, occidit, ita nempe judicem armavit. Quid igitur ? Erat-ne Joseph etiam talis ? Imo contra; neque enim contradixit, neque mulierem accusavit. At, inquies, non creditum illi fuisset. Atqui valde amabatur, ut palam est, non ex principio solum, sed etiam ex fine. Nisi enim illum Barbarus ille multum dilexisset, etiam occidisset silentem, et nihil contradicentem. Etenim Ægyptius erat et princeps, et in conjugali lecto affectus injuria, ut putabat; et a famulo ; a famulo, inquam, qui tot beneficia acceperat. Sed hæc omnia vicit dilectio et gratia, quam Deus in illum infudit. Cum gratia autem et dilectione, indicia habuit non parva, si jure contendere voluisset, ipsa vestimenta. Si enim illa vim passa fuisset, opor-

bat ruptam ejus fuisse tunicam, laceratum vultum, non illius vestimenta tenere. « Sed audivit, inquit, quod vocem ex» tuli, et relictis vestibus abiit. » Cur ergo eum exuisti? Quid vim patienti optandum erat? ut liberaretur ab eo qui sibi violentiam inferret. Ego vero non hinc tantum; sed etiam ex sequentibus ostendere possim ejus benevolentiam et amorem. Etenim cum in necessitatem incidit, ut causam diceret carceris et diuturnæ in illo moræ; neque tunc drama illud et rem gestam aperuit. Sed quid ait? « Et ego nihil » feci: sed furto sublatus sum ex terra Hebræorum[1], » et nusquam memorat adulteram: neque de ea re gloriatur, quod quislibet alius fecisset, etiamsi non gloriæ causa; sed ne videretur mala de causa, in tale conjectus fuisse domicilium. Si enim peccantes homines, neque sic abstinent a tali accusatione, etiamsi res dedecus afferat: quomodo non dignus admiratione ille est, quod, cum esset purus, non dixerit amorem mulieris, neque peccatum evulgaverit, neque etiam quando in solium ascendit, et Ægypti totius rex factus est, injuriæ sibi a muliere illatæ recordatus sit, neque ab illa pœnas expetierit?

VIII. Vidisti-ne quomodo ipse ejus curam habebat; illa vero non amabat, sed furebat? Neque enim Josephum diligebat, sed volebat libidinem explere. Nam si quis ipsa verba accurate examinaverit, ea furorem omnino spirant et cædem. Quid enim ait? « Induxisti puerum Hebræum ut » nobis illuderet[2]: » beneficium marito exprobrans: et vestimenta ostendebat, omni fera sævior. Sed non ita ille. Ecquid dico ejus erga ipsum benevolentiam, quando erga fratres, qui ipsam pene occiderant, talis erat, et nunquam de ipsis vel intus vel foris aliquid grave vel molestum dixit: Ideo Paulus charitatem dixit esse matrem omnium bonorum, eamque præfert signis aliisque charismatibus. Quem-

[1] Gen. xl, 15. — [2] Id. xxxix, 17.

admodum enim si vestes et calcei aurei sint, alio etiam vestimento opus habemus, ut noscamus regem; si vero purpuram videamus et diadema, nullum aliud regni signum videre quærimus; ita hic quoque. Cum charitatis est impositum diadema, sufficit ut Christi verum discipulum ostendat, non nobis tantum, sed etiam infidelibus. « In »hoc enim, inquit, cognoscent omnes quod Discipuli mei »estis, si dilexeritis invicem[1]. » Itaque hoc signum omnibus signis est majus, siquidem in ipso cognoscitur discipulus. Etiamsi enim quidam innumera edant signa, si invicem dissideant, ridiculi infidelibus erunt; quemadmodum si nullum faciant signum, et sese valde mutuo diligant, et venerandi et invicti apud omnes manebunt. Nam et Paulum ideo miramur, non propter mortuos quos suscitavit, non propter leprosos quos mundavit; sed quia dicebat; « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scan»dalizatur, et ego non uror[2]? » Etiamsi enim millia ad hæc signa adjeceris, par nihil dices. Nam et ipse dicebat magnam sibi mercedem repositam esse, non quod signa fecisset, sed quia infirmis factus est infirmus. « Quænam »est enim, inquit, mea merces, ut evangelizans sine sumptu »ponam Evangelium[3]? » Et cum se Apostolis præponit, non dicit, « Plura quam ipsi feci signa; » sed, « Plus illis labo»ravi[4]. » Quinetiam fame ideo mori volebat, pro salute discipulorum: « Bonum est enim, inquit, mihi magis mori, quam ut gloriationem meam quis evacuet. » Non quod ipse gloriaretur, sed ne videretur ipsis exprobrare. Nusquam enim solet gloriari in bonis operibus suis, si tempus ad id non vocet. Sed etiamsi coactus sit, insipientem se vocat. Si quando autem gloriatur, in infirmitatibus, in contumeliis, in eo quod valde misereatur eorum quibus molestia creatur; ut etiam hoc loco dicit: « Quis infirmatur, et ego

[1] Joan. XIII, 35. — [2] 2 Cor. XI, 29. — [3] 1 Cor. IX, 18. — [4] Id. XV, 10.

» non infirmor ? » Hæc verba sunt periculis ipsis majora. Ideoque illa posteriora ponit, sermonem amplificans. Quanam ergo re nos digni fuerimus, si cum illo comparemur; qui neque pecunias despicimus propter nos ipsos, neque superflua ex facultatibus erogamus ? At non ille sic, sed et animam et corpus tradebat, ut qui illum lapidabant et colaphis cædebant, regnum consequerentur. Sic enim me, inquit, docuit Christus diligere, qui novum mandatum reliquit de dilectione, et quod ipse operibus implevit. Etenim cum rex universorum esset, et beatæ illius naturæ, homines, quos ex nihilo produxit, et quibus millia contulit beneficia, se contumelia afficientes et respuentes non aversatus est; sed et homo factus est propter illos, cum meretricibus et publicanis conversatus est, dæmoniacos curavit, et cœlum promisit. Post hæc autem omnia comprehensum ipsum, colaphis cæciderunt, ligaverunt, flagellarunt, irriserunt, demum crucifixerunt. Sed ne sic quidem illos aversatus est, sed cum sursum esset in cruce, dixit, « Pater, dimitte illis peccatum[1]. » Latronem vero, qui eum ante accusaverat, etiam in paradisum introduxit, et persecutorem Paulum, Apostolum fecit : sibi autem proprios et addictos Discipulos ad mortem tradidit propter Judæos, qui ipsum crucifixerant. Hæc igitur omnia, quæ Dei sunt, quæ hominum, apud nos colligentes, hæc præclara gesta æmulemur, et charitatem charismatibus omnibus superiorem acquiramus, ut et præsentia et futura bona assequamur : quæ utinam nos adipisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri unaque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XXIII, 34.

FINIS TOMI OCTOGESIMI TERTII.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 12.

Serpenti nihil dixit Deus, quod eum a nequitia averteret, neque monita dedit ei, quod mutari non posset, nec ad meliorem se frugem recipere valeret. Sic intelligendus Chrysostomus est, cum dicit Deum serpenti nihil dixisse, sed Adamum et Evam tantum allocutum fuisse. Sic in sequentibus quædam profert, quæ explicatu opus habent.

ANNOTATIO (2) pag. 52.

Hi tres ultimi versus in vulgatis exemplaribus in fine capitis XVI et ultimi jacent. In exemplari vero Chrysostomi et in quibusdam aliis ad finem capitis XV adduntur.

ANNOTATIO (3) pag. 117.

Ἀφνειόν τε Κορίνθον, inquit Homerus, Il. lib. II, 2, et post eum Thucidides, ex opulentia hoc nomen Corintho inditum dicit. Homeri locum refert Strabo. Lib. VIII.

ANNOTATIO (4) ibid.

Periander Corinthius, septem illis Græciæ Sapientibus annumeratur a quibusdam. Non una quippe est in septem Sapientium recensione sententia.

ANNOTATIO (5) pag. 160.

De Platone ejusque in Siciliam transitu, et de reditu ex eadem, vide Plutarchum in vita Dionis, et Diogenem Laërtium in Platone.

ANNOTATIO (6) ibid.

De Protagora hæc habet Cicero, lib 1 de Natura deorum: *Nam Abderites quidem Protagoras, cujus a te modo mentio facta est, Sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset de diis, neque ut sint, neque ut non sint, Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, quippe cum pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset.*

ANNOTATIO (7) ibid.

Editi sic habent, καὶ Διαγόρας ὁ Μιλήσιος καὶ Θεόδωρος ὁ λεγόμενος ἄθεος, ubi error est in omnibus editis et manuscriptis cum Diagoras dicitur Milesius, qui erat Melius, sive ex insula Melo, ut testificatur Suidas. Μῆλος, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμον ἔχουσα πόλιν· ὁ πολίτης Διαγόρας ὁ Μήλιος: et ante illum Cicero, lib. 1 de Natura deorum: *Nullos esse omnino deos, Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaïcus putaverunt.* Cum ergo manuscripti et editi omnes Μιλήσιος habeant, error fortasse Chrysostomi fuerit. Hæc de Diagora. De sequenti vero quæstio est. Editi omnes Διόδωρος habent, Regius vero codex Θεόδωρος, cui favet locus allatus

Ciceronis, qui cum Diagora Theodorum conjunxit, et utrumque nullos esse deos putavisse dixit. Hic ἄθεος vocatus est teste Suida. De Socrate postea agit Chrysostomus. Ille cicutam bibere jussus est, quæ res omnium ore fertur.

ANNOTATIO (8) pag. 184.

Hic alluditur ad illud Danielis, VII, 10. Ποταμὸς πυρὸς εἶκεν. *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur...*

ANNOTATIO (9) pag. 195.

Hic notat Andreas Dounæus Chrysostomum, qui quærit ubinam reperiatur in Veteris Testamenti libris locus ille, cum Paulus inde sumptum indicat, non advertisse locum illum Isaïæ, ubi hæc non ad litteram quidem, sed eodem sensu feruntur; nempe in capite LXIV, 4, quod sic habet: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

ANNOTATIO (10) pag. 239.

Hæc verba non Cornelio dicta fuere a Petro, sed a Paulo Lystris, iis qui Barnabæ et sibi ut diis hostias immolaturi erant. Hic memoria labitur Chrysostomus, nisi sit hiatus in serie.

ANNOTATIO (11) pag. 471.

Hic, ni fallor, S. Doctor agit de Socrate, qui frequentibus Xanthippes uxoris jurgiis exercitabatur. Vide Diogenem Laërtium in Socrate.

ANNOTATIO (12) pag. 495.

Hæc verba, quæ desperantis esse videntur, in hodiernis exemplaribus non habentur. Possunt tamen alio sensu mitiore intelligi, nempe : Nam si liceret, si fas esset, si sine peccato possem mihi manum inferre, etc.

ANNOTATIO (13) pag. 501.

Hæc Platonis verba habentur in Apologia Socratis editionis Henrici, anno 1578, tomo I, p. 22.

ANNOTATIO (14) ibid.

In hæc carmina hæc docte disserit Andreas Dounæus in notis Savilianis p. 276. *Versus istos apud poëtarum aliquem frustra quæsieris. Quamobrem cum Chrysostomum audias tanquam e poëta proferentem, intellige Phœbadem seu Pythiam. Sunt enim Delphicorum oraculorum conclusiones quædam, vocesque dæmonis sibi abeundi gratiam fieri postulantis. Primum horum habes apud Theodoretum, cap. de Oraculis, et apud Eusebium, lib. V. Evangelicæ præparationis, variante parum lectione,* λύετε λοιπὸν ἄνακτα, *etc. Apud eumdem etiam Eusebium habes posterius distichon, quod quoniam est obscurius, visum paucis interpretari. Usurpabant olim superstitiones quasdam ridiculasque cæremonias, quibus credebant dæmonas evocari, et vel ad privata colloquia, vel ad oracula edenda pellici. Cæremoniis istis tantam inesse vim, seu potius, ut mollius loquitur Porphyrius* πειθανάγκην *opinabantur, ut non evocarent*

tantum, sed etiam evocata dæmonia detinerent, quandiu vati magove esset libitum. Sic enim apud Porphyrium Pythagoras Rhodius, οὐχ ἥδονται οἱ κληζόμενοι ἐπὶ ταῖς θυσίαις θεοὶ, ἀνάγκη δέ τινι ἀκολουθίας συρόμενοι παραγίνονται. *Apollo ipse apud Theodoretum*, etc., quæ fusissime persequitur Dounæus.

ANNOTATIO (15) pag. 502.

De Pythia et de tripode vide Strabonem, liv. IX, qui descriptionem tripodis affert, et antri in quo positus erat. Sed quæ turpiora hic referuntur nusquam memini me legere.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
HOMILIÆ IN EPISTOLAM AD ROMANOS.	
Homiliæ XXIII, p. 3 : XXIV, p. 16 : XXV, p. 26, et XXVI, p. 41.	Earumdem fragmenta et analysis, tom. XI, p. 147, 148.
Homilia XXVII, p. 52.	Ejusdem fragmenta, tom XI, p. 149-152.
Homilia XXIX, p. 69.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 152, et tom. XVIII, p. 408-411.
Homilia XXXII, p. 106.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 152, et tom. XVI, p. 547-552.
HOMILIÆ IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.	
Homilia III, p. 137.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 231-239. et tom. XV, p. 30-34.
Homilia IV, p. 150.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, p. 432-443, et tom. XV, p. 34-37.
Homilia V, p. 164.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 38-49.
Homilia VI, p. 178.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 49-54.
Homilia VII, p. 189.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, p. 215-217, et tom. XV, p. 54-66.
Homilia IX, p. 224.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 390-398.

Homilia XXI, p. 381.	Ejusdem fragmenta, tom. XIX, p. 286-292.
Homilia XXIV, p. 429.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 472-477.
Homilia XXVII, p. 473.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 226-228.
Homilia XXXII, p. 539.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 57-60.

INDEX

TOMI OCTOGESIMI TERTII.

HOMILIÆ IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

	Pagin.
Homilia XXIII. Caput xiii.	3
— XXIV. Id. caput.	16
— XXV. Caput xiv.	26
— XXVI. Id. caput.	41
— XXVII. Caput. xv.	52
— XXVIII. Id. caput.	61
— XXIX. Id. caput.	69
— XXX. Id. caput.	81
— XXXI. Caput xvi.	92
— XXXII. Id. caput.	106

HOMILIÆ IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

Procemium.	117
Homilia I. Caput i.	120
— II. Id. caput.	127
— III. Id. caput.	137
— IV. Id. caput.	150
— V. Id. caput.	164
— VI. Caput ii.	178
— VII. Id. caput.	189
— VIII. Caput iii.	211
— IX. Id. caput.	224
— X. Id. caput.	234
— XI. Caput iv.	244
— XII. Id. caput.	258
— XIII. Id. caput.	276

Homilia XIV. Caput IV. 288
— XV. Caput V. 300
— XVI. Id. Caput. 314
— XVII. Caput VI. 330
— XVIII. Id. caput. 340
— XIX. Caput VII. 351
— XX. Caput VIII. 365
— XXI. Caput IX. 381
— XXII. Id. caput. 400
— XXIII. Id. caput. 413
— XXIV. Caput X. 429
— XXV. Id. caput. 442
— XXVI. Caput XI. 453
— XXVII. Id. caput. 473
— XXVIII. Id. caput. 487
— XXIX. Caput. XII. 498
— XXX. Id. caput. 513
— XXXI. Id. caput. 528
— XXXII. Id. caput. 539

Annotationes. 561
Concordantia. 567

EXPLICIT INDEX.

This is the property of
Southern Evangelical Seminary

BR65 .C42 1834 v.13-14
John Chrysostom, Saint,
407.
Operum

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
37387000594315